





P. PAPINII STATII

OPERA OMNIA

EX EDITIONE BIPONTINA

CUM NOTIS ET INTERPRETATIONE

IN USUM DELPHINI

VARIIS LECTIONIBUS

NOTIS VARIORUM

RECENSU EDITIONUM ET CODICUM

ET

INDICE LOCUPLETISSIMO

ACCURATE RECENSITA.

VOLUMEN TERTIUM.

LONDINI:

CURANTE ET IMPRIMENTE A. J. VALPY, A. M.

1824.

P. PAPINII STATII

THEBAIDOS

LIBER VII.

ARGUMENTUM.

ÆGRE ferens Jupiter Argivos tempus in his ludis terere, Mercurium ad Martem mittit, qui illum increpet, quod, jussus Thebanos et Argivos inter se committere, tamdiu distulerit. Mercurius Martem offendit e bello Hircano redeuntem, qui subito, ut patri morem gereret, equos impellit locum versus ubi erant Argivi, et eorum animis pavorem injicit crepitu armorum quem in aëre excitat. Rati Argivi Thebanos sibi obviam venire, arma tumultuose capiunt, ac magnis itineribus Thebas contendunt. Ut vero nuntius Thebas pervenit, hostes accedere, Eteocles copias in proximum campum educit ad recensendum exercitum, quem magnificis verbis alloquitur. Matronæ Thebanæ muros arcesque conscendunt, inter quas erat Antigone, quæ a Phorbante nomen et patriam ducum externorum discit. Interim Argivi citatissimo gradu progrediuntur, nec variis ostentis ac prodigiis, quæ illis continuo accidunt, revocantur. Fluvius ipse Asopus videtur suas aquas auxisse, ut eos retineat; sed Hippomedon cunctante equo in flumen insilit. Alii duces se præcipitant, et pudet secutos. Amne trajecto, locum aptissimum notant, et ibi castra ponunt. Consternatis Thebanis, Jocasta ramum olivæ ferens Polynicem in castris Argivis convenit. Multis lacrymis precatur, in urbem veniat, pacem sine armis conventuram. Jam Adrastus assentiebat, et matris precibus cedebat Polynices, cum advenit Tydeus, ac longa oratione, vulneraque ostendendo, Polynicem dehortatur, ne tam infido fratri se crederet. Sic mutatæ omnium mentes, et bellum placet. Hanc occasionem capit Tisiphone, quæ duas acies miscere summe cupiebat, et sic illas committit. Erant duæ Tigres mansuetæ, quæ in urbe et in campis innoxie vagabantur. Has Tisiphone flagello anguineo percutit, et ipsis naturalem furorem immittit. In aurigam Amphiarai irruunt, eumque discerpunt. Aconteus Tigres sagittis confodit. Illæ semianimes cum longo fusi sanguinis tramite ad portas Thebarum revertuntur, et Thebanos excitant. Hinc cruenta pugna inter

Argivos et Thebanos, qui promiscue miscentur. Amphiaraus ingentia facinora edit, multosque occidit. Hypseus hastam in illum torquet, sed Apollo in Amphiarai aurigam ictum avertit, quo interfecto, ipse succedit in ejus locum, regendasque habenas suscipit. Amphiaraus tanti numinis patrocinio omnia fundit. Tandem fatis urgentibus Apollo se Amphiarao detegit, et instanti morte prædicta illum deserit. Postea magno tremore campus concutitur, ac dehiscens terra Amphiaraum absorbet.

Atque ea cunctantes Tyrii primordia belli
Jupiter haud æquo respexit corde Pelasgos,
Concussitque caput, motu quo celsa laborant
Sidera, proclamatque adici cervicibus Atlas.
Tunc ita velocem Tegees affatur alumnum:

Verum Jupiter non vidit libenti animo Græcos morantes initio belli Thebani, et movit caput, quo concussu sublimia astra tremunt, et vociferatur Atlas addi quid collo suo. Tunc sic alloquitur celerem alumnum Tegeæ: Vade, descende præcipiti

Hoc Argumentum exhibent Behott. 1. 2. Put. unus Barth. Venett. 3. 4. Rom. Lindenbrog. Cruc. et Barth.

Hic Jovis imperio Martem Cyllenius ales
Excitat in Graios resides: tunc ille furorem
Instaurat belli, ac Thebas ardentibus offert.
Labdacios tendit lacrymis defendere Liber.
Antigone e muris sociorum discere vultus
Exquirit: fidus cui pandit singula Phorbas.
Mox Iocasta gemens natum, Graiosque precatur
Ut placidus Thebas ineat, fratremque reposcat
Imperium, Tydeus prohibet sua vulnera narrans.
Hic Tigrium interitus partes pugnare coëgit.
Bellantem curru Amphiaraum telluris hiatus
Obruit: ingemuitque cadens, lucemque reliquit.

Versu 1. unus Behot. *Sic Jovis.* Vs. 10. idem codex *interius* pro *interitus.* Vs. 11. Behot. 1. *Bellantem curvam;* Behot. 2. *Bellante curru.* Codices Barthiani non variant; unus tamen pro toto Argumento habet: *Septimus obsessum Thebes, vatisque sepulcrum;* unde Barthius: *Septimus obsessam Theben, &c.*

2 Optimus codex Barthii *æqua respexit mente.*—6 Lang. Laur. Lipsian.

NOTÆ

1 *Cunctantes primordia*] Pro cunctantes in primordiis, Poëtice dixit. Sic Theb. III. 'Cunctari paratus.' *Tyrii*] Thebani.

2 *Pelasgos*] Argivos.

4 *Adici*] Pro adjici: et supple, pondus aliquod novum, et sibi intolerabile. Plures ejusmodi defectus sunt in Statio, qui obscuritatem induxerunt. *Atlas*] Atlas cœlum ferre creditus. Vide Theb. I. 99.

5 *Tegees alumnum*] Mercurium Arcadem. Tegea enim urbs Arcadiæ.

I, medium rapido Borean illabere saltu
Bistonias super usque domus, axemque nivosi
Sideris: Oceano vetitum qua Parrhasis ignem
Nubibus hybernis et nostro pascitur imbri.
Atque ibi seu posita respirat cuspide Mavors,
(Quanquam invisa quies,) seu, quod reor, arma tubasque
Insatiatus habet, caræque in sanguine gentis
Luxuriat; propere monitus iramque parentis
Ede, nihil parcens: nempe olim accendere jussus
Inachias acies, atque omne quod Isthmius umbo
Distinet, et raucæ circumtonat ira Maleæ.

volatu per medium Aquilonem usque ad Thracias plagas, ac polum nivosi signi, ubi Parrhasis alit hybernis nebulis, et nostro humore jubar suum, cui interdictum est mergi in Oceanum. Atque ibi, seu Mars recipiat anhelitum dimissa hasta, (quanquam otium grave illi sit,) seu, quod arbitror, exerceat inexpletus arma buccinasque, et lascivit in cruore dilectæ nationis; refer illi celeriter jussa et indignationem patris, nihil parcens. Nempe imperatum illi fuerat olim, ut inflammaret Argivas copias, ct totum quod agger Isthmicus dirimit, et circum quod furor

Aldd. Colin. Gryph. et Basil. *Boreamque elabere saltu;* Dan. Put. Petav. Buslid. Bernartii, Plant. Lindenbrog. Cruc. Gevart. Grasser. et Amstel. *Boreamque illabere saltu.* Nostram lectionem exhibet optimus Barthianus. Vide Not. Var.—10 *Atque ubi* margo ed. Barth. Aldd. Colin. Gryph. et Basil.—16 *Detinet* Aldd. Colin. Gryph. et Basil. *Destinet* unus Behot. *Distinet* alter Behot. Dan. Put. Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Plant. Lindenbrog.

NOTÆ

6 *Borean* [*Boreanque*] *illabere*] Codex Buslidianus, duoque optimi: *Borean inlabere.* Ceteri quoque fere *Borean illabere.* Nec mutari hoc verbum patitur *τὸ medium.* Bene penitus in Septemtrionem. *Gronovius.*

7 *Bistonias*] Thracias, a Bistonibus Thraciæ populis.

8 *Oceano vetitum*] Supple, mergi. Vide quæ diximus ad Theb. III. 684. *Parrhasis*] Ursa, sidus Septemtrionale, in quod mutata Calysto Lycaonis filia: quæ *Parrhasis* dicitur a Parrhasiis populis et oppido Arcadiæ.

9 *Nubibus hybernis et nostro pascitur imbri*] Id est, cœlesti liquore, non marino, ut cetera sidera, secundum opinionem quorundam Philosophorum qui affirmabant solem ac sidera aquis Oceani pasci.

12 *Caræque*] Thraciæ.

14 *Nempe olim accendere jussus*] Hoc vidimus Theb. III. 229. et sequentibus.

15 *Inachias*] Argivas. *Isthmius umbo*] Fauces enim seu angustiæ Isthmi multum exsuperant altitudinem maris, unde *Isthmius umbo* appellatur; alias Ionium ac Ægæum Mare miscerentur. Vide Theb. I. 120.

16 *Distinet* [*Detinet*] Melius libri: *Distinet*, dividit ac separat. Virgilius: 'Dum distinet hostem Agger murorum.' Avienus Orbis Descriptione: 'Unus utramque salis fluctus secat, et procul unum Distinet os

Illi vix muros limenque egressa juventus
Sacra colunt: credas bello rediisse, tot instant
Plausibus, offensique sedent ad justa sepulcri.
Hicne tuus, Gradive, furor? sonat orbe recusso
Discus, et Œbalii coëunt in prælia cæstus.
At si ipsi rabies, ferrique insana voluptas
Qua tumet; immeritas cineri dabit impius urbes,
Ferrum ignemque ferens, implorantesque Tonantem
Sternet humi populos, miserumque exhauriet orbem.
Nunc lenis belli, nostraque remittitur ira.

raucæ Maleæ allatrat. Vix duces, et pubes exiere foribus et mœnibus, cum indulgent sacris. Existimares eos reversos e bello, tot ingeminant acclamationes, et desident ad exequias irati tumuli. Hæcne tua, o Gradive, rabies? discus crepat, rotunda sua mole resiliente, et cæstus Œbalii congrediuntur in certamina. At si ipsi furor esset, et oblectaretur insano armorum studio, quo superbit, cogeret profanus in cineres innoxias civitates, portans flammam ferrumque, ac solo affligeret gentes Jovem invocantes, et desolaret infelicem mundum. Nunc alienus est a bello,

Cruc. Gevart. Grasser. et recentt.—17 *Illuc vix* Behot. 1. *Illic vix* Venett. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *Illi* Behot. 2. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Lindenbrog. Cruc. Gevart. et recentt.—19 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Behott. 1. 2. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Gevart. Grasser. et Delph. *busta sepulcri;* Dan. Put. Petav. Lindenbrog. Cruc. et recentt. *justa sepulcri.*—20 Nonnulli codd. Barthiani: *orbe retuso.*—22 *At si ipse rabies* unus Barthii; *At sic ipsi rabies* alter ejusdem; unde ille: *Sicca ne ei rabies.* Deinde optimæ membranæ habent: *ferri si sana cupido;* quod idem Barthius mutavit in: *ferri si tanta cupido.*—26 *Nunc lenis bellis* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *belli* Venett. Dan.

NOTÆ

ambas.' Lucretius lib. v. 'Et mare quod late terrarum distinet oras.' Lucanus lib. IV. 'Vasti plaga fervida regni Distinet Oceanum.' Ut 'transtinet commeatus trans parietem' Plauto, et 'continet,' hoc est, patet, extenditur, continuatur, et 'pertinere' frequens Cæsari pro extendi, porrigi; sic in contrarium 'distinere.' Nam et ista, licet οὐδετέρως efferantur, tamen dici cœpta sunt per intellectum τοῦ 'se.' Notavit et Bernartius. *Gronovius.*

Circumtonat ira Maleæ] Fragorem maris exprimunt sic Poëtæ. Ovidius Met. I. 'Qua Nereus totum circumtonat orbem.' Avienus: 'Hic salis Ægæi tractus tonat.' *Maleæ*] Vide Theb. I. 100.

18 *Sacra colunt*] Id est, ludos sacros celebrant.

19 *Offensique sedent ad busta sepulcri*] Archemori scilicet. Offensi, vel in via reperti, vel irati, unde sacra instituta, ludique, quibus manes ejus placarentur. *Justa*, non *busta*, ut in melioribus est. Ludorum funebrium solennia. *Gronovius.*

21 *Œbalii*] Laconici, seu Spartani: Spartani enim cæstuum ludo dediti.

26 *Nostraque remittitur ira*] Id est: Quod irati sumus.

Quod nisi præcipitat pugnas, dictòque jubentis
Ocyus impingit Tyriis Danaa agmina muris,
(Nil equidem crudele minor,) sit mite bonumque
Numen, et effræni laxentur in otia mores.
Reddat equos, ensemque mihi, nec sanguinis ultra
Jus erit: aspiciam terras, pacemque jubebo
Omnibus, Ogygio sat erit Tritonia bello.
Dixerat, et Thracum Cyllenius arva subibat:
Atque illum Arctoæ labentem cardine portæ
Tempestas æterna plagæ, prætentaque cœlo
Agmina nimborum, primique Aquilonis hiatus
In diversa ferunt: crepat aures grandine multa
Palla, nec Arcadii bene protegit umbra galeri.
Hic steriles delubra notat Mavortia sylvas,

et mitescit, eo quod irati sumus. Quod nisi acceleret prælia, et nisi citius verbis imperantis allidat Argivas copias ad mœnia Thebana, (nihil sane minitor atrox,) sit lenis pacificusque Deus, et indomita indoles ejus resolvatur in desidiam. Restituat mihi equos, et gladium, nec illi amplius erit potestas fundendi cruoris. Intuebor terras placido vultu, et omnibus imperabo, ut pacem colant. Pallas sufficiet bello Thebano. Dixerat, et Cyllenius jam ingrediebatur agros Thracum. Atque illum intrantem portas Septemtrionis perpetua constitutio ejusce tractus, et obductæ cœlo nubium copiæ, ac primi flatus Aquilonis ferunt in diversas partes. Chlamys ferit aures ejus recepta multa grandine, nec tegmen Arcadii pilei satis illum cooperit. Hic animadvertit nemora infœcunda, ædes Martis, et cernens expavet:

Put. Petav. Lindenbrog. Cruc. et recentt.—27 *Quod nisi præcipitet* unus Behot. Dan. Put. Petav. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *Quod nisi præcipitat* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. alter Behot. optimæ Barthii membranæ, Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph.—28 *Ocyus impingat* Dan. Put. Petav. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *Ocyus impingit* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Behott. 1. 2. Lindenbrog. Cruc. Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *Daneia* unus Behot.—29 Aldd. Colin. Gryph. et Basil. *sic mite.*—31 Omnes codd. Barth. *ensesque mihi.*—34 Unus Behot. *at Thracum.* —35 Aldd. Colin. Gryph. et Basil. *labentem in cardine.* Pro *Arctoæ* Behott.

NOTÆ

28 *Tyriis*] Thebanis. *Danaa*] Argiva, seu Peloponnesia.

31 *Reddat equos, ensemque mihi*] Singuli enim Dii sua officia muniaque habebant.

33 *Ogygio*] Thebano.

34 *Cyllenius*] Mercurius.

35 *Arctoæ cardine portæ*] Quatuor præcipuæ mundi partes 'Cardines' vocantur, ut Oriens, Occidens, Meridies, et Septemtrio. Rursus, quia cardo portæ est, sumit hic *portam Arctoam* pro tractu Septemtrionali, quia Septemtrio, ut jam diximus, Græcis vocatur Arctos.

37 *Aquilonis hiatus*] Bene *hiatus*: venti enim depinguntur ore aperto et hianti.

40 *Steriles*] Bellum enim omnia vastat et diripit.

Horrescitque tuens: ubi mille furoribus illi
Cingitur adverso domus immansueta sub Hæmo.
Ferrea compago laterum, ferro arcta teruntur
Limina, ferratis incumbunt tecta columnis.
Læditur adversum Phœbi jubar, ipsaque sedem
Lux timet, et dirus contristat sidera fulgor.
Digna loco statio: primis salit Impetus amens
E foribus, cæcumque Nefas, Iræque rubentes,
Exsanguesque Metus, occultisque ensibus astant
Insidiæ, geminumque tenens Discordia ferrum.
Innumeris strepit aula minis: tristissima Virtus
Stat medio, lætusque Furor, vultuque cruento
Mors armata sedet: bellorum solus in aris
Sanguis, et incensis qui raptus ab urbibus ignis.

ubi ferum palatium sub opposito Hæmo circumdatur illi mille Furoribus. Angulorum compages ferrea erat, limina teruntur ferro angustata, innituntur culmina ferreis columnis. Oppositus solis orbis offenditur, ac ipsa lux reformidat hanc domum, et horrendus splendor illius conturbat astra. Excubiæ conveniunt huic sedi. Vecors Impetus ruit e primis portis, et cæcum Scelus, ac accensæ Iræ; et Pavores pallentes, Insidiæ latentibus gladiis adsunt, et Discordia tenens duplex ferrum. Regia personat innumeris terroribus. Fortitudo stat in medio mæstissima, ac hilaris Rabies, et Mors armata sedet ore sanguineo. Solus cruor certaminum fumat supra altaria, et ardet ignis ablatus ex oppidis crematis. Spolia

1. 2. habent, *hybernæ.*—42 *Cingitur averso* unus Behot.—43 Lipsian. et Venett. *atra teruntur.*—46 Dan. et Put. *durus contristat.*—47 *Digna Deo statio*

NOTÆ

41 *Illi*] Alii codices, *illic;* supple in monte. *Illi*] Marti.

42 *Hæmo*] Monte Thraciæ altissimo. Vide Th. IV. 652.

43 *Ferrea compago laterum*] Bene in descriptione Palatii Martis, qui bello præest, adjecit omnia fuisse ex ferro constructa: cum ferrum sit præcipuum belli instrumentum.

47 *Digna loco statio*] Quidam codices, *Digna Deo.* Apposite autem in foribus, vel in ipsis ædibus Martiis, posuit Poëta ea quæ sunt belli causa, vel quæ fiunt in ipso bello, vel quæ consequuntur ipsum bellum; imitatus Virgilium, qui Æneid. VI. posuit in aditu Inferorum, vel vicina morti, aut quæ post mortem fiunt, aut quæ sunt in ipsa morte. *Impetus amens, &c.*] Singulis ministris Martis dedit epitheta quam convenientissima.

50 *Geminumque tenens Discordia ferrum*] Quia Discordia saltem inter duos est.

51 *Tristissima Virtus*] Etsi in pugna maxime eniteat virtus seu fortitudo, 'tristissimam' tamen vocat ob effusum sanguinem.

53 *Armata*] Quia in bello vita armis eripitur.

Terrarum exuviæ circum, et fastigia templi
Captæ insignibant gentes, cælataque ferro
Fragmina portarum, bellatricesque carinæ,
Et vacui currus, protritaque curribus ora.
Pæne etiam gemitus: adeo vis omnis, et omne
Vulnus: ubique ipsum, sed non usquam ore remisso
Cernere erat: talem divina Mulciber arte
Ediderat: nondum radiis monstratus adulter
Fœda catenato luerat connubia lecto.
Quærere templorum regem vix cœperat ales
Mænalius, tremit ecce solum, et mugire refractis

orbis circum, et captivi populi, et fragmenta portarum ferro incisa, naves pugnaces, ac vacui currus, et capita proculcata rotis, ornabant culmina palatii. Gemitus etiam fere expressi erant, adeo violentia omnis cernitur, et plaga omnis generis. Licebat aspiccre ubique ipsum Martem, sed nunquam facie serena. Talem Vulcanus fecerat divina arte. Nondum mæchus ostensus radiis solis, persolverat, cubili vinculis cincto, pœnas turpis adulterii. Vix volucer Mænalius orsus erat petere dominum ædis, ecce terra concutitur, et cornutus Hebrus fremere perruptis

codd. Lindenbrogii.—59 *Pone etiam* uterque Behot. et nonnulli Barthiani. *Pene* pro v. l. in marg. Behot. 2. *omnis ad omne* Barthius, qui in Adverss. legerat etiam: *aderat vis omnis et omne.*—60 Idem Barthius: *sed non usque ore.*—

NOTÆ

55 *Terrarum exuviæ, &c.*] Tangit morem victorum, quo arma bellicaque instrumenta hostibus erepta in templis visenda proponuntur, ut signa victoriæ ac triumphorum.

56 *Captæ insignibant gentes*] Et hoc ex more, ut fastigiis templorum gentes victæ cælarentur. Vel hic *captæ gentes* significant insignia victarum gentium, ut signa, vexilla.

58 *Ora*] Mortuorum capita.

59 *Pæne etiam gemitus*] Ut superiori versu capita mortuorum exposita dixit, sic innuit tanto artificio hæc omnia efficta fuisse, ut etiam ipsi gemitus pæne audirentur. Ceterum hunc versum et quatuor sequentes rejicit ut supposititios Guyetus: nullumque ait ex iis bonum sensum erui posse: in quo fallitur: optimus enim est.

60 *Ubique ipsum*] Martem scilicet.

61 *Mulciber*] Vulcanus Deorum faber.

62 *Nondum radiis monstratus adulter, &c.*] Tangit fabulam, qua Mars, deprehensus a Sole in adulterio cum Venere uxore Vulcani, expositus fuit omnium Deorum conspectui, lecto in quo adulteri jacebant undique cincto subtilissimis catenis a Vulcano fabricatis. Vide Ovidium Met. IV.

64 *Ales Mænalius*] Mercurius Arcas, a Mænalo monte Arcadiæ sic dictus.

65 *Tremit ecce solum*] Adventantibus Diis ad suas sedes, hæc loca movebantur, seu tremebant. Epith. Stellæ; 'Huic Lycii montes, gelidæ-

Corniger Hebrus aquis: tunc quod pecus utile bellis
Vallem infestabat, trepidas spumare per herbas,
Signa adventantis, clausæque adamante perenni
Dissiluere fores: Hyrcano in sanguine pulcher
Ipse subit curru, diraque aspergine latos
Mutat agros, spolia a tergo, flentesque catervæ.
Dant sylvæ, nixque alta locum: regit atra jugales
Sanguinea Bellona manu, longaque fatigat
Cuspide: diriguit visu Cyllenia proles,
Summisitque genas: ipsi reverentia patri,

aquis. Tunc animal aptum ad bellum, quod vallem infestabat, cœpit dare spumando supra tenerum gramen, signa appropinquantis numinis, et portæ obseratæ perpetuo adamante patuere. Ipse formosus in Hyrcano cruore, vectus curru ingreditur, et inficit extensos campos horrendo rore. Exuviæ a tergo, et plorantes copiæ sequuntur. Nemora, nixque celsa faciunt viam transeunti. Pullata Bellona regit equos cruenta manu, et vexat eos longo mucrone. Cyllenia soboles obtorpuit, hoc cernens, atque oculos dejecit. Ipse pater revereretur, si prope adesset, minueretque de

—65 Put. *mugibere refractis.*—70 *Ipse subit currum* Aldd. Colin. Gryph. et Basil. Optimus codex Barthii: *aspergine lætos,* quod illi placet.—78 Unus

NOTÆ

que umbracula Thymbræ Et Parnassus honos. Illi Pangæa resultant Ismaraque.' *Mugire refractis*] Eleganter sonus rei indicatur. Cornua autem fluvio de more Poëtarum tribuuntur, quia nempe, ubi oriuntur, flumina pluribus rivis confluentibus confluere solent, et hinc *mugire*. Barthius.

66 *Hebrus*] Thraciæ fluvius rapidissimus aureas arenas volvens, cujus ortus est in Rhodope monte, supra Philippopolim: effunditur in mare Ægæum e regione Samothraciæ insulæ: dicitur *corniger*, quia fluvii tauriformes sunt. *Pecus utile bellis*] Equi. De Hebri planitie equis apta, quod Statius hic innuit, vide Bellonium. *Barthius.* Hic autem versus tresque sequentes suspecti Guyeto.

67 *Trepidas spumare per herbas Signa adventantis*] Id est, spuma dabat signa adventu ejus, vel spumabat, quod erat signum adventantis Martis.

69 *Dissiluere fores*] Patuere Deo adventante. *Hyrcano in sanguine pulcher*] Horatius: 'Non indecoro pulvere sordidos.' *Hyrcano*] Quasi Mars vicisset Hyrcanos. De Hyrcania vide lib. sup.

70 *Dira aspergine*] Humano sanguine.

71 *Spolia a tergo, flentesque catervæ*] Describit Martem intrantem more triumphantium, post quos curru vectos spolia hostibus erepta ferebantur, incedebantque captivi.

71 *Sanguinea Bellona manu*] Bellona soror et auriga Martis. *Sanguinea*] Sanguinarium enim numen sanguine gaudet.

74 *Cyllenia proles*] Mercurius, in Cyllene monte Arcadiæ natus.

75 *Ipsi reverentia patri, Si prope sit*] Id est, ipse Jupiter revereretur ac formidaret Martem, si illum in tali habitu cerneret.

Si prope sit, dematque minas, nec talia mandet.
Quod Jovis imperium? magno quid ab æthere portas?
Occupat Armipotens: neque enim hunc, germane, sub axem
Sponte venis, hyemesque meas, cui roscida juxta
Mænala, et æstivi clementior aura Lycæi.
Ille refert consulta patris: nec longa moratus,
Sicut anhelabant juncto sudore volantes
Mars impellit equos, residesque in prælia Graios
Ipse etiam indignans. Vidit pater altus, et ira
Jam levior, tardo flectebat pondere vultum.
Ut si quando ruit, debellatasque reliquit
Eurus aquas, pax ipsa tumet, pontumque jacentem
Exanimis jam volvit hyems: nondum arma carinis
Omnia, nec toto respirant pectore nautæ.

minis, nec talia juberet. Mars prævenit: Quæ jussa Jovis? quid defers ab immenso cælo? Non enim, frater, ultro subis hanc plagam, meave frigora, cui prope sunt humida Mænala, et mollior aura calidi Lycæi. Ille renuntiat decreta parentis. Nec diu cunctatus Mars egit equos sicut currentes anhelabant, jungens sequentem hunc laborem priori, iratus etiam ipse, quod Græci desideant ad certamina ludicra. Excelsus parens aspexit, et jam ira sedatior remittebat faciem lenta gravitate. Ut si quando Eurus cadit, et deserit profligatas undas: tranquillitas ipsa inquieta est, et jam mortua tempestas volutat quiescens mare: nondum cuncta armamenta præsto sunt navibus, nec nautæ trahunt adhuc spiritum libero pectore.

Behot. *neque enim hunc modo in aëra velox.*—85 In eodem codice: *tarde flectebat.*—86 *Ut, si quando redit* Barthius ex optimis membranis. *Relinquit* Dan. Put. Petav. Behott. 1. 2. Lindenbrog. et Cruc.—88 Put. *arma quiescunt.*—91

NOTÆ

78 *Armipotens*] Mars.

80 *Mænala .... Lycæi*] Mænala et Lycæus montes Arcadiæ.

82 *Juncto sudore*] Priore et sequente.

84 *Ira*] Rectius *iræ*. Peyraredus.

85 *Tardo flectebat pondere vultum*] Id est, tarde summittebat vultum: irati enim et iracundi sunt ὑψαύχενες.

86 *Ut si quando ruit, &c.*] Hanc comparationem sumsit Noster ex Seneca lib. de Tranq. cap. 2. 'Est quidam tremor etiam tranquilli maris, aut lacus, cum ex tempestate requievit.' Et lib. de Brevit. Vitæ cap. 2. 'Velut in profundo mari, in quo post ventum quoque volutatio est.' Quod et imitatus Lucanus lib. v. 'Ut tumidus Boreæ post flamina pontus Rauca gemit.' Et Claudianus in Rufinum lib. I. 'Ceu murmurat alti Impacata quies pelagi, cum flamine fracto Durat adhuc, sævitque tumor, dubiumque per æstum Lassa recedentis fluitant vestigia venti.'

88 *Nondum arma carinis Omnia*] Id est, nondum instrumenta navis sunt in eo ordine ac loco quo esse debent.

89 *Nec toto, &c.*] Quia timor con-

Finierat pugnas honor exequialis inermes,
Nec dum aberant cœtus, cunctisque silentibus heros
Vina solo fundens cinerem placabat Adrastus
Archemori: Da, parve, tuum trieteride multa
Instaurare diem, nec saucius Arcadas aras
Malit adire Pelops, Elæaque pulset eburna
Templa manu, nec Castaliis altaribus anguis,
Nec sua pinigero magis adnatet umbra Lechæo.
Nos te lugenti, puer, inficiamur Averno,

Peracta erant ludicra certamina funebris pompæ, et populi nondum discesserant, ac heros Adrastus, cunctis tacentibus, vinum in terram libans, leniebat manes Archemori: Indulge nobis, infans, renovare festum tuum, per multas trieterides, nec Pelops mutilus malit petere Arcadia altaria, et brachio eburneo percutiat ædes Elæas, nec anguis plus adeat aras Castalias, nec Palæmonis manes veniant frequentiori natatu ad suum Lechæum Piniferum. Negamus nos, te petiisse ploran-

Nondum aberant unus Behot.—92 Dan. Put. Petav. et Behot. 2. *pacabat Adrastus.* Hoc receperunt Lindenbrog. et Cruc.—95 *Mallet adire* unus Behot.—97 *Nec sua pinifero* unus Behot. *Lycæo* Behott. 1. 2. Dan. Put. Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. nonnulli Barthiani, Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. et Gevart. *Lechæo* optimæ Barthii membranæ, Am-

NOTÆ

trahit diaphragma, unde crebrior ac difficilior respiratio.

90 *Pugnas inermes*] Sic vocat ludicra certamina.

92 *Vina solo fundens, cinerem placabat Adrastus Archemori*] Virgilius lib. v. 'Hic duo rite mero libans Carchesia Baccho Fundit humi.' Fundit autem Archemoro vinum ut Deo, non ut mortuo. Mortuis enim non licebat vinum libare, teste Servio ad Virgilium.

93 *Trieteride multa*] Ludi enim Nemæi tertio quoque anno redibant.

94 *Nec saucius Arcadas aras Malit adire Pelops*] Innuit Olympicos ludos ob vicinitatem Arcadiæ, qui ludi primum in honorem Pelopis instituti ab Hercule, ut diximus initio lib. præced. *Saucius*] Ob humerum eburneum.

95 *Elæaque Templa*] Templum Jovis Olympici in Elide.

96 *Nec Castaliis altaribus anguis*] Anguis Python, quo occiso ab Apolline instituti ludi Pythii. Fingit Poëta ipsum Pythonem interesse ludis suis, quoties celebrarentur, quia in Pythiis, ut ait Clemens Alexandrinus, Pythius draco colebatur, et serpentis causa institutus conventus vocabatur Pythia.

97 *Nec sua pinigero magis adnatet umbra Lechæo*] Per *umbram*, hic intelligit Poëta manes Palæmonis, quos fingit redire ad Lechæum, in Isthmo, tempore celebrationis ludorum Isthmiorum sibi dicatorum. *Pinigero*] Quia multæ pinus in Isthmo; unde pinea corona apud Isthmum victores coronati, ob copiam ejusce arboris.

98 *Nos te lugenti, puer, inficiamur Averno*] Id est, cum te Deum agnoscamus ac colamus, nos te mortuum inficiamur, negamusque subiisse Inferos.

Mœstaque perpetuis solennia jungimus astris,
Nunc festina cohors: at si Bœotia ferro
Vertere tecta dabis, magnis tunc dignior aris,
Tunc Deus; Inachias nec tantum culta per urbes
Numina, captivis etiam jurabere Thebis.
Dux ea pro cunctis: eadem sibi quisque vovebat.
Jam pronis Gradivus equis Ephyræa premebat
Littora, qua summas caput Acrocorinthus in auras
Tollit, et alterna geminum mare protegit umbra.
Inde unum dira comitum de plebe Pavorem
Quadrupedes anteire jubet: non alter anhelos
Insinuare metus, animumque avertere veris
Aptior: innumeræ monstro vocesque, manusque,

tem Avernum, et lugubri sacro te referimus inter æterna astra. Nunc festinat exercitus. At si concedas nobis, ut destruamus armis arces Thebanas, tunc mereberis ingentia altaria, tunc numen eris; nec tantum venerandus Deus eris in urbibus Inachiis, sed quoque jurabunt per te in victis Thebis. Rex ea pro omnibus: eadem vota quisque nuncupabat. Jam Mars calcabat inclinatis equis ripas Ephyræas, qua Acrocorinthus erigit verticem in supremum aërem, et umbra vicissim operit duo maria. Inde imperat Pavori, uni ex horrenda sociorum cohorte, ut equos præcederet. Nullus habilior ad immittendam mentibus anxium formidinem, et ad ostendendas res aliter atque sunt: Innumeræ portento voces sunt, manusque,

stel. Gronov. Barth. Veen. et Delph.—99 *Festaque perpetuis solennia jungimus aris* Dan. *aris* etiam uterque Behot.—100 *Boëtia* uterque Behot.—104 Behott. l. 2. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *quisque volebat.*—105 *Jam pronus* Put.—106 Unus Behot. *achorintus in auras.*—110 Put. *animoque avertere vires;* quod pro vero amplectendum pu-

NOTÆ

99 *Mœstaque perpetuis solennia jungimus astris*] Id est, te Deum prædicamus, dum ludos solennes, qui tantum numinibus debentur, in tuum honorem celebramus. *Perpetuis*] Id est, perpetuo ævo. *Guyetus.*

100 *Bœotia*] Thebana. Thebæ enim caput Bœotiæ.

102 *Inachias*] Argivas.

103 *Captivis jurabere Thebis*] Per Deos enim juratur.

105 *Ephyræa*] Corinthiaca: Corinthus enim Ephyre prius vocata.

106 *Acrocorinthus*] Mons Peloponnesi altissimus in Isthmo, ad cujus radicem in plano, instar mensæ, sita est Corinthus, habens in vertice ædem Veneri sacram, infra verticem Pyrenem fontem Musis sacrum: prospectat duo maria, Ionium scilicet et Ægæum.

107 *Alterna umbra*] Alternis enim projicit umbram, in Ionium quidem matutino tempore, in Ægæum vero vespertino.

108 *Pavorem*] 'Pavor' Nostro lib. III. Martis armiger: 'Fræna ministrat equis Pavor armiger.'

Et facies quæcumque libet: bonus omnia credi
Auctor, et horrificis lymphare incursibus urbes.
Si geminos soles, ruituraque suadeat astra,
Aut nutare solum, aut veteres descendere sylvas,
Ah miseri vidisse putent. Tunc acre novabat
Ingenium: falso Nemeæum pulvere campum
Erigit: attoniti tenebrosam a vertice nubem
Respexere duces: falso clamore tumultum
Auget, et arma virum, pulsusque imitatur equorum,
Terribilemque vagas ululatum spargit in auras.

et forma quæcumque ei placet. Idoneus auctor est ad suadenda omnia, quique vertat in rabiem civitates horrendo transitu. Si suadeat duplicem esse solem, et sidera casura, ac terram tremere, aut loco moveri antiqua nemora, ah infelices arbitrentur hæc aspexisse. Tunc acuebat vividum ingenium. Attollit simulato pulvere campum Nemæum. Consternati principes viderunt supra caput opacam caliginem. Amplificat perturbationem simulatis ululatibus, et æmulatur arma militum, et equorum cursus, effunditque horrendum clamorem in vacuum aërem. Percelluntur

tat Lindenbrogius.—112 Optimæ Barthii membranæ: *quascumque libet;* Put. *quamcumque libet.*—115 *Aut mutare solum* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant.—116 *Ha miseri* Lindenbrog. et Cruc. *tunc arte novabat* Buslid. *tunc ære novabat* uterque Behot.—117 *Nemeum* Behott. 1. 2.—120 Lang. Laur. Buslid. Dan. Put. Petav. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. et Gevart. *cursusque;* Lipsian. nonnulli Barthiani, Behott. 1. 2. Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *pulsusque;* et sic etiam

NOTÆ

112 *Bonus omnia credi Auctor*] Pavor est idoneus auctor ad omnia credenda: quo faciente impossibilia interdum etiam credimus: nihil enim est quod non credat homo in pavore. Lucanus lib. II. 'Sic quisque pavendo Dat vires famæ: nulloque auctore malorum Quæ finxere timent.' Descriptioni huic Pavoris junge quæ dicit Virgilius Æn. IV. de Fama, et de eadem Valerius Flaccus Argon. lib. II.

113 *Lymphare*] Id est, in furorem vertere, verbo deducto a Nymphis seu Lymphis; unde *Lymphatici*, et *Lymphati* Latinis, Græcis νυμφόληπτοι. Festus: 'Vulgo autem memoriæ proditum est, quicumque speciem quamdam e fonte, id est effigiem Nymphæ viderint, furendi non fecisse finem: quos Græci νυμφολήπτους vocant, Latini *lymphatos* appellant.'

116 *Ah miseri vidisse putent*] Ad augendam credulitatem novarum rerum, ita dicta confirmant, ut quæ pavore mentiuntur, se vidisse affirment. Noster Theb. IV. 'Cui non est scire licentia passim, Et vidisse fuit.' *Tunc acre novabat Ingenium*] Tanquam gladium ad cotem, ut excogitaret aptiores modos ad terrorem Argivis injiciendum.

117 *Falso Nemeæum pulvere campum Erigit*] Tacitus: 'Extrema et plana terrarum umbra humili non erigunt tenebras.'

Exsiluere animi, dubiumque in murmure vulgus
Pendet: ubi iste fragor? ni fallimur aure: sed unde
Pulvereo stant astra globo? num Ismenius ultro
Miles? ita est: veniunt: tanta autem audacia Thebis?
An dubitent? agedum inferias et busta colamus.
Hæc Pavor attonitis: variosque per agmina vultus
Induitur, nunc Pisæis e millibus unus,
Nunc Pylius, nunc ore Lacon, hostesque propinquos
Adjurat, turmasque metu consternat inani.
Nil falsum trepidis: ut vero amentibus ipse
Incidit, et sacræ circum fastigia vallis

mentes, et plebs anceps hæret in hoc tumultu. Ubi iste strepitus? nisi aures nos fallunt. At unde sidera obscurantur pulverea nube? num Thebanus sponte venit exercitus? Ita se habet. Accedunt. Tanta est Thebis audacia? An ambigant? Eia veneremur justa et rogos. Hæc Pavor consternatis immittit, et assumit varias formas currendo per manipulos. Nunc unus e millibus Pisæis, nunc Pylius, nunc Lacon jurando affirmat proximos hostes esse, et exercitum exanimat falsa formidine. Nihil est vanum pavidis. Ut vero Mars ipse subiit vecordes, et perlatus præcipiti

legit Dan. Heinsius ad Claudian. Rapt. Proserp. III. 236.—122 *Exsiliere animis* optimus Barthii codex. *dubiumque in murmura* Nic. Heinsius in Advers. p. 581.—123 Dan. *nisi fallimur.*—125 Lang. Laur. Lipsian. Behott. 1. 2. Venett. Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. et Cruc. *estne audacia;* Buslid. et nonnulli Barthiani: *est audacia:* Dan. Put. Petav. et optimæ Barthii membranæ, cum edd. Gronov. Barth. et Veen. *tanta autem audacia.*—127 *Hic pavor* Venett. Aldd. Colin. Gryph. et Basil.—128 Unus Behot. *Pisæis nunc.*—130 Dan. Put. Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. et Gevart. *consternit;* Behot. 1. *asternit,* et pro v. l. *consternat,* quod exhibent optimæ Barthii

NOTÆ

123 *Aure*] Hic pro auditu: est oratio se invicem interrogantis.

124 *Ismenius*] Thebanus ab Ismeno Bœotiæ fluvio.

125 *Tanta autem* [*est*] *audacia Thebis*] Optimi: *tanta autem audacia Thebis?* Eleganti idiotismo. Quasi esset, 'itane tanta audacia Thebis?' *Gronovius.*

126 *An dubitent*] Supple, hoc facere, nec opinantes aggredi. *Agedum inferias*] Εἰρωνικῶς. *Busta colamus*] Ad quæ sacra fuerunt celebrata in honorem Archemori.

127 *Varios per agmina vultus Induitur*] Ut facilius insinuet ea quæ velit Pavor, indutus vultibus diversarum gentium, agminibus se miscet.

130 *Adjurat*] Pro valde jurat, seu jurejurando confirmat.

131 *Nil falsum trepidis*] Nam qui semel pavore correpti sunt, vanissima quæque, falsaque pro veris accipiunt. *Ipse*] Mars.

132 *Sacræ vallis*] *Sacræ,* quia in ea celebrata Archemori sacra.

Turbine prævectus rapido, ter sustulit hastam,
Ter concussit equos, clypeum ter pectore plausit,
Arma, arma insani, sua quisque, ignotaque nullo
More rapit, mutant galeas, alienaque cogunt
Ad juga cornipedes: ferus omni in pectore sævit
Mortis amor, cædisque: nihil flagrantibus obstat.
Præcipitant, redimuntque moras: sic littora vento
Incipiente fremunt, fugitur cum portus ubique,
Vela fluunt, laxi jactantur ubique rudentes.
Jamque natant remi, natat omnis in æquore summo
Ancora, jam dulcis medii de gurgite ponti
Respicitur tellus, comitesque a puppe relicti.
Viderat Inachias rapidum glomerare cohortes
Bacchus iter: gemuit Tyriam conversus ad urbem,
Altricemque domum, et patrios reminiscitur ignes,

impetu circa limites sacræ vallis, ter hastam erexit, ter equos egit, ter resonare fecit scutum ad pectus, clamant amentes, Arma, Arma: unusquisque sua rapit, et non sua nullo discrimine. Cassides permutant, et jungunt equos ad alienos currus. Dira Martis cupido, et fundendi sanguinis furit in omnium corde. Nihil ardentes sistit. Festinant, et hac celeritate dilationem compensant. Sic ripæ strepunt oriente vento, cum ubique portus relinquitur, vela descendunt, et soluti funes ubique jaciuntur: jamque remi fluitant, jam omnes anchoræ fluitant in summo mari, jam blanda terra spectatur de gurgite medii maris, et a nave amici relicti in littore. Bacchus aspexerat copias Argivas magnis itineribus contendere. Suspiravit, respiciens ad Tyriam civitatem, et recordatur nutrices ædes, et patrias flammas. Rubicunda

membranæ, Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph.—133 Optimus Barthianus, *rabido.*—134 *Ter contorsit equos* Dan. Petav. Aldd. Colin. Gryph. et Basil. *Ter concussit equos* optimæ Barthii membranæ, Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Put. Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph. Vide Dan. Heins. ad Claudian. Rapt. Proserp. II. 122. Optimæ Barthii membranæ: *clypeo ter pectora plausit;* duo alii ejusdem: *clypeum ter pectora plangit.*—137 Dan. Put. Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. *omni pectore.*—138 *Martis amor* Petrens. Taurin. Burm. Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et edd. vett. probante Burmanno; *Mortis amor* optimæ Barthii membranæ, Dan. Put. unus Behot. Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph.

NOTÆ

139 *Redimuntque moras*] Quasi accelerando redimerent tempus, quo in celebrandis ludis morati sunt.

142 *Jamque natant remi*] Hic versus duoque sequentes Guyeto suspecti.

145 *Inachias*] Argivas.

146 *Tyriam*] Thebanam.

147 *Et patrios reminiscitur ignes*] Quia Bacchus natus fuerat inter medios ignes quibus Semele mater ejus conflagravit.

Purpureum tristi turbatus pectora vultum :
Non crines, non serta loco, dextramque reliquit
Thyrsus, et intactæ ceciderunt cornibus uvæ.
Ergo ut erat lacrymis lapsoque inhonorus amictu
Ante Jovem (et tunc forte polum secretus habebat)
Constitit, haud unquam facie conspectus in illa,
(Nec causæ latuere patrem,) supplexque profatur:
Exscindisne tuas, Divum sator optime, Thebas?
Sæva adeo conjux? nec te telluris amatæ,
Deceptique laris miseret, cinerumque meorum?
Esto, olim invitum jaculatus nubibus ignem,
Credimus : en iterum atra refers incendia terris,

facies ejus commovetur e dolore cordis: non comæ, non coronæ manent in loco suo, et Thyrsus destituit dextram ejus, et uvæ corruerunt sponte sua ex cornibus ejus. Igitur, ut erat deformis fletu, et delapso vestitu, se constitit ante Jovem (et tunc is forte degebat solus in cælo) nunquam visus in eo vultu (nec causæ sunt ignotæ patri) et supplex sic loquitur: Diruisne Thebas tuas, pater Deorum optime? crudelis uxor adeo? nec miseraris dilectam civitatem, et circumventos penates, et cineres meorum? Esto, putavimus olim te ægro animo contorsisse fulmen e nubibus. En

Vide Oudendorp. ad Lucan. I. 462. et VIII. 364.—149 Dan. *non mitra loco.*—150 Unus Behot. *cecidere a cornibus.*—152 *Ante Jovem (tunc forte, &c.* Dan. Petav. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. et Gevart. *Ante Jovem, et tum* Put. et Venett. *Ante Jovem (et tunc* Lipsian. Lang. Laur. Buslid. Behott. 1. 2. Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph.—153 Barthiani codd. *in ista.*—155 *Exscindine* conjectabat Gronovius.—158 Dan. et Put. *invitus.* Behot. 1. Put. Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. et Gevart. *jaculatum.* Vide Gronov. Obss. ad III. 564.—159 Margo ed. Barth. *en iterata refers.*—160 *Nec Stygiæ*

NOTÆ

149 *Non serta loco, dextramque reliquit Thyrsus, et intactæ ceciderunt cornibus uvæ*] Repræsentabatur enim Bacchus cum thyrso in manu, et capite redimito hederis et uvis. *Cornibus*] Quia cornua gestabat Bacchus in fidem generis: nam ab Ammone originem trahebat, ut tradit Diodorus Siculus.

153 *Haud unquam facie conspectus in illa*] Solet enim Bacchus depingi hilari vultu. Virgilius: 'Adsis lætitiæ Bacchus dator.'

157 *Deceptique laris miseret*] Nota fabula, ut Semele fraude Junonis decepta est, cum ejus consilio petiit a Jove, ut ipse veniret ad se qua majestate solebat ad Junonem.

158 *Invitum jaculatus nubibus ignem*] Ægre enim indulserat Semele Jupiter, ut ad eam veniret cum suis insignibus, vimque fulminis diminuerat quantum potuerat.

159 *En iterum, &c.*] Semel intulisti cum Semele conflagravit, nunc iterum relaturus es.

Nec Styge jurata, nec pellicis arte rogatus.
Quis modus? an nobis pater iratusque bonusque
Fulmen habes? sed non Danaëia limina talis,
Parrhasiumque nemus, Ledæasque ibis Amyclas.
Scilicet e cunctis ego neglectissima natis
Progenies? ego nempe tamen qui dulce ferenti
Pondus eram: cui tu dignatus limina vitæ
Præreptumque iter, et maternos reddere menses.
Adde, quod imbellis, rarisque exercita castris
Turba meas acies, mea tantum prælia norunt,
Nectere fronde comas, et ad inspirata rotari
Buxa, timent thyrsos nuptarum, et prælia matrum.

denuo reportas patriæ atroces flammas, nec Styge teste vocata, nec inductus consiliis pellicis. Quis modus? an nobis parens infensus et benignus fulmen tenes? Sed non vades eodem modo ad ædes Danai, sylvamque Parrhasiam, et Amyclas Ledæas. Scilicet ego projectissima soboles e cunctis liberis? Nempe ego tamen sum, qui blandum onus eram tibi gestanti, cui tu dignatus es restituere aditum vitæ, viamque ademtam, et maternos menses. Adjice, quod est invalida caterva, paucisque indurata bellis, tantum noscunt meas acies, et mea certamina, evincire ramis hederæ crines, et circumagi ad inflatas tibias, reformidant thyrsos sponsarum, et matrum

ed. Lindenbrog. ex errore operarum, quem errorem propagavit etiam Cruceus.—161 Unus Behot. *ah nobis.*—162 Behot. 1. *Danaëia;* Behot. 2. *Daneia.* —167 Ita omnes codd. et libri impressi; Barthius tamen legit: *Præreptumque uterum.*—170 *Nectere fronle* Put.—172 Optimus Barthianus: *fervidus*

NOTÆ

160 *Nec Styge jurata*] Sicuti tunc, cum ad Semelen venisti cum fulmine. *Pellicis*] Semeles.

162 *Danaëia limina talis, Parrhasiumque nemus, Ledæasque ibis Amyclas*] Respicit fabulas, quibus dicitur Jupiter adiisse loca ibi designata, ut corrumperet Danaën, Calystonem Lycaonis filiam, et Ledam Tyndari uxorem. *Danaëia limina*] Regiam Danai apud Argos, in cujus turre servata Danaë. *Talis*] Infensus. *Parrhasium*] Arcadium, a Parrhasiis oppido Arcadiæ. *Ledæas Amyclas*] Amyclæ enim regia Tyndari Ledæ conjugis.

165 *Qui dulce ferenti Pondus eram*] Bacchus enim dicitur extractus ex utero matris ardentis, et Jovis femori insertus, ut legitimos menses expleret.

169 *Mea tantum prælia*] Id est, orgia in quibus Bacchæ furentes obvia quæque animalia dilaniabant. Vel alludit ad Agaven et Pentheum, quorum nota fabula.

170 *Ad inspirata rotari Buxa*] Noster Genethl. Lucani: 'Et tu Bassaridum rotator Evan.' Quia ad tibiæ cantum in orgiis Bacchi saltabant Bacchæ, ac in orbes varios circumagebantur.

171 *Timent thyrsos et prælia matrum*] Quomodo Thebani bella non timeant, qui Bacchantium matrum thyrsos et prælia timent?

Unde tubas Martemque pati? quin fervidus ecce
Quanta parat? quid si ille tuos Curetas in arma
Ducat? et innocuis jubeat decernere peltis?
Quinetiam invisos (sic hostis defuit?) Argos
Elicis: o ipsis, genitor, graviora periclis
Jussa, novercales ruimus ditare Mycenas.
Cedo equidem: quo sacra tamen, ritusque peremtæ
Gentis? et in tumulos, si quid male fœta reliquit
Mater, abire jubes? Thracen, sylvasque Lycurgi?

certamina. Unde didicerint buccinas Martemque perferre? Quin ardens ecce Mars quanta moliatur? Quid si ille excitet suos Curetas ad bellum? et imperet præliari cum pacificis parmis? Quin etiam (sic hostis defuit?) attrahis odiosos Argos: o mandata, pater, acerbiora ipso discrimine, perimus ut illustremus novercales Mycænas. Desino quidem queri. Quo sacra tamen, et cærimoniæ nationis excisæ commigrabunt? et vis redigi in acervos lapidum, si quid parens male gravida deseruit? Anne repetam Thraciam, ac nemora Lycurgi? Anne exul redeam ad de-

iste.—173 *Deos Curetas* Dan. Put. Petav. Lindenbrog. et Cruc. *tuos Curetas* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. &c.—176 *Eligis* Petrens. et ita legit Marklandus ad Sylv. II. 6. 58. *Elicis hoc ipsis* Dan.—177 Optimus codex Barthii, *ruimur;* quod ille probat.—181 In eo-

NOTÆ

172 *Martemque pati*] 'Didicerint' supple.

173 *Tuos Curetas*] Aliqui legunt *Deos Curetas.* Curetes autem sacerdotes Matris Deum, educationi Jovis ab eadem præpositi: ipsis enim jusserat, ut percuterent tympana, ne vagitus infantis Jovis posset audiri a Saturno, et ille Jovem devoraret, ut fecerat ceteros liberos. Quidam confundunt eos cum Corybantibus, Cabiris, Idæis, Dactylis, Telchinibus. Alii cognatos inter se dicunt et modico discrimine distinctos, referente Strabone. Vide Vossium de Idol.

174 *Peltis*] Pelta breve scutum, et fere quadratum, aut folii hederæ figuram præ se ferens, parma brevius, et mobilius, Amazonum propria. Thraciæ Peltæ autem erant quadrangulæ.

175 *Invisos Argos*] Propter Junonem quæ Argis favebat.

176 *O ipsis graviora periclis Jussa*] Nihil enim tam acerbum est, quam perire per professos hostes. Exactor pœnæ gravior interdum est ipsa pœna. Et Poëta videtur habuisse ante oculos illud Demosthenis in oratione de Corona: Πάντων ἀποστερεῖσθαι λυπηρόν ἐστι καὶ χαλεπὸν, ἄλλως τε κἂν ὑπ' ἐχθροῦ τῳ τοῦτο συμβαίνῃ. *Omnibus privari luctuosum admodum et grave, præsertim si hoc alicui ab hoste professo contingat.*

177 *Novercales Mycenas*] Ob eandem rationem quam supra diximus, de invisis Argis, quia Mycenæ erant in tutela Junonis novercæ Bacchi.

179 *Et in tumulos, si quid male fœta reliquit*] Id est, Semeles fulminatæ reliquias.

180 *Thracen, sylvasque Lycurgi*] Ly-

Anne triumphatos fugiam captivus ad Indos?
Da sedem profugo: potuit Latonia frater
Saxa (nec invideo) defigere Delon, et imis
Commendare fretis: cara summovit ab arce
Hostiles Tritonis aquas: vidi ipse potentem
Gentibus Eois Epaphum dare jura, nec ullas
Cyllene secreta tubas Minoave curat
Ida: quid heu tantum nostris offenderis aris?
Hic tibi (quando minor jam nostra potentia) noctes

bellatos Indos? Indulge locum exuli. Germanus potuit, nec lireo, sistere Delon Latonæ rupem, ac commendare profundo mari. Minerva Tritonia repulit undas hostiles a dilecta arce. Aspexi ipse florentem Epaphum imperare populis orientalibus. Tranquilla Cyllene ac Ide Minoa spernunt omnem clangorem buccinæ. Quid heu solum irasceris nostris altaribus? Hic tibi tamen (quando jam levior apud te

dem codice: *fugiam capiendus ad Indos.*—182 *Da profugo sedem* unus Behot. —187 *Cyllenes* Behot. 1. *Cyllene secura* optimus Barthianus. *Minoiave* Behott. 1. 2.—188 *Creta: quid, &c.* Petrens. *Unda, quid, &c.* Burm.—190 Lang. Laur.

NOTÆ

curgus rex Thraciæ Baccho infensissimus. Vide lib. IV. 381.

181 *Triumphatos Indos*] Vicerat enim Bacchus Indos, et primus triumphasse dicitur elephanto vectus. *Triumphatos*] In triumphum ductos. Horatius III. Ode 3. 'Triumphatisque possit Roma ferox dare jura Medis.' Virgilius Æneid. VI. 'Ille triumphata Capitolia ad alta Corintho Victor aget currum.' Lucanus lib. II. 'Nuda triumphati jacuit per regna Jugurthæ.'

182 *Potuit Latonia frater, &c.*] Virgilium imitatur Æneid. I. 'Pallasne exurere classem,' &c. Exaggerat hic quid alii fratres sui, et filii Jovis fecerint et potuerint, et quæ ab ipso Jove impetraverint.

183 *Delon*] Delos insula inter Cyclades, quam stabilem reddidit Apollo: dicitur *Latonia saxa*, quia in hac insula Latona peperit Apollinem et Dianam.

184 *Cara ab arce*] Acropoli Athenarum. *Chara*] Quia Athenæ in tutela Minervæ erant.

185 *Hostiles Tritonis aquas*] Diluvium a Neptuno inductum. De Athenis contendisse Minervam et Neptunum fabulantur Poëtæ, victumque Neptunum urbem aquis evertere conatum fuisse, Minervam vero aquas repulisse. *Tritonis*] Sive Tritonia, Minerva. Vide Theb. XII. 639.

186 *Eois*] Ægyptiis; Ægyptus enim ab antiquis Geographis Asiæ seu Orienti contributa. *Epaphum*] Epaphus, Jovis et Ius filius, colebatur ab Ægyptiis. Herodotus hunc confundit cum Apide: hoc etiam legas apud Ælianum lib. XI. Animalium cap. 10. Addit vero Ægyptios hunc sermonem aversari, ut mendacem, quia Epaphus multis post Apim sæculis extiterit.

187 *Cyllene*] Mons Arcadiæ Mercurio sacer. *Minoave Ida*] Ide mons Cretæ Jovis natalibus inclytus. *Minoa*] Quia Minos in Creta regnavit.

Herculeæ, placitusque vagæ Nycteidos ardor,
Hic Tyrium genus, et nostro felicior igne
Taurus: Agenoreos saltem tutare nepotes.
Invidiam risit pater, et jam poplite flexum,
Sternentemque manus tranquillus ad oscula tollit,
Inque vicem placida orsa refert: Non conjugis ista
Consiliis, ut rere, puer, nec sæva roganti
Sic expostus ego. Immoto deducimur orbe
Fatorum: veteres, seræque in prælia causæ.
Nam cui tanta quies irarum? aut sanguinis usus

nostra potentia est) noctes quibus Herculem genuisti, et gratus ignis profugæ Nycteidos, hic Tyria soboles, et taurus fortunatior nostra flamma: saltem protege posteros Agenoris. Genitor illusit invidiosam orationem, et placidus erexit ad osculum illum jam curvantem genua, et manus summittentem, et in vicem respondet mitia verba: Non hæc, ut existimas, fili, fiunt arte uxoris, nec ego sic facilis ei petenti atrocia. Rapimur immutabili fatorum ordine. Antiquæ sunt, et remotæ causæ in hoc bellum. Nam cui lenior indignatio, quam mihi? Aut quis minus

Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. unus Behot. Venett. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Gevart. Grasser. et Amstel. *placidusque vagæ;* alter Behot. optimæ Barthii membranæ, optimi codd. Gronovii et Petrens. *placitusque;* quod

NOTÆ

189 *Hic tibi noctes Herculeæ, &c.*] Ut Thebanis benevolentiam Jovis conciliet Bacchus, ipsi commemorat, quas Jupiter amaverit mulieres Thebanas, nimirum Alcmenam, Antiopam Nyctei filiam, et Europam. Notæ autem Herculeæ noctes.

190 *Placitusque* [*placidusque*] Rectius scripti: *Placitusque.* Nec velim aliter lib. x. 769. 'Si vos placita hostia juvi.' Etsi et scripti *placida,* et interpretentur, 'quæ non repugnavi.' *Placita* est probata, placens litansque. Silius lib. I. 'Placitam temerando rumpere vocem.' Ubi etiam fecerant 'placidam.' Lib. XII. eod. 'Integrare acies placitum.' Virgilius Æneid. x. 'Et placitum læti componite fœdus.' Georgic. II. 'Placitam pati nutritus olivam.' *Gronovius. Vagæ Nycteidos*] Antiopæ, quæ a Lyco expulsa propter Dircen, compressa fuit a Jove in taurum converso, unde orti dicuntur Zethus et Amphion.

191 *Hic Tyrium genus*] Thebani enim conditi erat a Cadmo Tyrio fratre Europæ. *Et nostro felicior igne Taurus*] Respicit ad fabulam Europæ, quæ rapta fuit a Jove in taurum mutato: dicit eam feliciorem matre sua, quia fulmine non est percussa. *Nostro*] Seu Semeles matris.

192 *Agenoreos nepotes*] Thebanos, oriundos a Cadmo Agenoris filio.

194 *Sternentemque manus*] Id est, in genua procumbentem, ut manibus terram premeret.

197 *Immoto deducimur orbe Fatorum*] Deos enim fatis etiam subditos veteres credebant.

199 *Nam cui tanta quies irarum*]

Parcior humani? videt axis, et ista per ævum
Mecum æterna domus, quoties jam torta reponam
Fulmina, quam rarus terris hic imperet ignis.
Quinetiam invitus magna ulciscendaque passis
Aut Lapithas Marti, aut veterem Calydona Dianæ
Expugnare dedi: meaque est jactura, pigetque
Tot mutare animas, tot reddere corpora vitæ.
Labdacios vero, Pelopisque a stirpe nepotes
Tardum abolere mihi: scis ipse, ut crimina mittam
Dorica, quam promtæ Superos incessere Thebæ.

effundit humanum sanguinem? Cernit polus, et istæ ædes mecum æternum permansuræ, quoties reponam jam jaculanda tonitrua, quam parum hæc flamma sæviat in terras. Quin etiam haud ultro concessi Marti et Dianæ, qui receperant atroces injurias et ultione dignas, perdendos Lapithas, et diripiendam antiquam Calydona. Meumque est damnum, et grave est mihi tot animas mutare, tot corpora luci restituere. Lentior quidem fui in delendis funditus posteris Labdaci ac Pelopis. Compertum est ipsi tibi, ut silentio prætercam Dorum scelera, quam Thebæ proclives ad

probat Marklandus ad Sylv. v. 5. 37.—201 Marklandus ad Sylv. p. 267. correxit: *jam certa reponam.* Vide Nic. Heins. in Advers. lib. IV. cap. 6. p. 610. —203 Unus Behot. *passus.*—204 *Aut Laphitas* Behott. 1. 2.—206 Iidem codd. cum Burm. Petrens. et Exc. Cantab. *tot corpora reddere vitæ.*—209 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Behott. 1. 2. et edd. vett. *quam*

NOTÆ

Theb. I. 'Quonam usque nocentum Exigar in pœnas? tædet sævire corusco Fulmine.'

202 *Quam rarus terris hic imperet ignis*] Peyraredus: *quam rarus terras hic impetet ignis.*

204 *Aut Lapithas Marti*] Mars iratus Pirithoo, quod in nuptiarum solennitate prætermissus fuerat ab eo, invitatis ceteris Diis, adeoque Centauris, immisit furorem Centauris ad disturbandas nuptias, et excidium Lapitharum. *Aut veterem Calydona Dianæ*] Diana ab Œneo Calydoniæ rege in sacrificio prætermissa, immisit aprum Calydonium, qui non fecit finem vastandæ Calydoniæ, donec a Meleagro in celebri illa venatione occideretur. Hunc autem locum imitatus est Noster a Virgilio: 'Mars perdere gentem Immanem Lapithum valuit: concessit in iras antiquam Ipse Deum genitor Calydona Dianæ.'

206 *Tot mutare animas*] Metempsychosin Pythagoricam respicit. Apud Claud. de Raptu Proserpinæ lib. I. 'Animæ mutantur in artus.' Pythagoras ipse apud Ovidium: 'Omnia mutantur, nihil interit.' *Tot reddere corpora vitæ*] Id est, pro mortuis corporibus nova substituere.

207 *Labdacios*] Id est, Eteoclem et Polynicem Labdaci pronepotes. *Pelopisque a stirpe nepotes*] Argivos seu Peloponnesios Theb. I. 'Nunc Geminas punire domos, quis sanguinis auctor Ipse ego, descendo: Perseos alter in Argos Scinditur, Aonias fluit hic ab origine Thebas.'

209 *Dorica*] Fabulam Tantali respicit, qui filium Diis epulandum præbuit.

Te quoque: sed, quoniam vetus excidit ira, silebo.
Non tamen aut patrio respersus sanguine Pentheus,
Aut matrem scelerasse toris, aut crimine fratres
Progenuisse reus, lacero tua lustra replevit
Funere: ubi fletus? ubi tunc ars tanta precandi?
Ast ego non proprio diros impendo dolori
Œdipodionidas: rogat hoc tellusque, polusque,
Et pietas, et læsa fides, naturaque, et ipsi
Eumenidum mores: sed tu super urbe moveri
Parce tua: non hoc statui sub tempore rebus
Occasum Aoniis: veniet suspectior ætas,
Ultoresque alii: nunc regia Juno queretur.
His ille auditis mentemque habitumque recepit.

offendendos Superos: te quoque læserunt, sed (quoniam antiqua ira deferbuit) prætermittam. Pentheus tamen non perfusus paterno cruore, aut sibi conscius incestasse nuptiis genitricem, aut procreasse flagitio fratres, replevit orgia tua laniato corpore. Ubi lacrymæ? ubi tunc preces tanto artificio concinnatæ? Verum ego non indulgeo propriis injuriis perdendos scelestos Œdipi filios. Hoc terra, cœlumque ac pietas, et fides violata, naturaque, atque ipsi Furiarum mores efflagitant. Sed tu desine turbari de tua civitate. Non decrevi in hoc tempore ruinam rebus Thebanis. Tempus periculosius veniet, vindicesque alii: nunc dolebit Regina Juno. Hæc ubi

promte.—213 Behott. 1. 2. *tua jussa.*—220 In duobus codd. legitur: *spectatior ætas.* Vide Burm. ad Val. Flac. I. 100. et VI. 149.—221 Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Grasser. *tunc regia.*—222 Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant.

NOTÆ

210 *Te quoque*] Supple læsum fuisse a Thebanis.

211 *Aut patrio respersus sanguine Pentheus, Aut matrem scelerasse toris, aut crimine fratres Progenuisse reus*] Quæ omnia fecit Œdipus.

213 *Lacero tua lustra replevit Funere*] Alludit ad fabulam, qua discerptus dicitur Pentheus a Bacchantibus. *Lustra*] Hic abusive sumit pro quibuslibet sacris, seu orgiis triennalibus Bacchi.

216 *Œdipodionidas*] Œdipi filios.

218 *Eumenidum mores*] Quibus mos scelera puniendi. *Urbe tua*] Thebis.

220 *Aoniis*] Thebanis.

221 *Ultoresque alii*] Vel intelligit Epigonos qui ad vindicandam mortem parentum everterunt Thebas: vel Alexandrum Magnum qui dirutis Thebis omnes cives sub corona vendidit. Nam hoc de Theseo intelligi non potest, qui non evertit Thebas, sed solum cæde Creontis, ac prælio, aut etiam pacto a Thebis obtinuit jus sepeliendi Argivos, qui in hac pugna ceciderant. *Nunc regia Juno queretur*] Argivus enim exercitus fusus fugatusque, ac occisi Argivi duces, et solus Adrastus sibi turpi fuga consuluit. *Regia*] Sic Ovid. Met. VI. 'Quam regia Juno In volucrem vertit.'

222 *Habitumque*] Alii legunt *animumque*, sed melius *habitum*, id est cultum.

Ut cum sole malo, tristique rosaria pallent
Usta Noto, si clara dies, Zephyrique refecit
Aura polum, redit omnis honos, emissaque lucent
Germina, et informes ornat sua gloria virgas.
Nuntius, attonitas jamdudum Eteoclis ad aures
Explorata ferens, longo docet agmine Graios
Ire duces; nec jam Aoniis procul abfore campis:
Quacumque ingressi tremere, ac miserescere cunctos
Thebarum, qui stirpe refert, qui nomine, et armis.
Ille metum condens, audire exposcit, et odit
Narrantem: hinc dictis socios stimulare, suasque
Metiri decernit opes: exciverat omnem
Aoniam, Eubœamque, et Phocidos arva propinquæ

ille audiit, resumsit animum, et cultum. Ut cum rosaria marcent tosta malefico sole, et noxio Noto; si lucida dies redit, et flatus Favonii recreaverit aërem, omnis decor iis revertitur, et exortæ gemmæ micant, et deformes surculi sua venustate ornantur. Nuntius, jamdudum certa reportans ad solicitas aures Eteoclis, narrat Græcos duces profectos cum ingenti exercitu; nec jam longe distare a limitibus Thebanis: omnes trepidare quæcumque sunt; ac misereri Thebarum. Memorat quo quisque genere sit, quod nomen, et quæ arma habeat. Ille, Eteocles, dissimulans timorem, expetit audire, et aversatur dicentem. Ille statuit comites verbis accendere, et recensere suas copias. Mars commoverat universam Bœotiam, Eubœamque ac agros

mentemque animumque.—225 'Pessime nugones quidam libri, *amissaque.*' Barth.—227 *Ethioclis* unus Behot.—229 Dan. Put. Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Behot. 1. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. et Cruc. *affore;* Behot. 2. Barthiani, et edd. recentt. *abfore;* Fr. Modius conj. *afore.*—233 Dan. Put. Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et edd. vett. *socios dictis;* Behott. 1. 2. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *dictis socios.*—234 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Behot. 1. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. et Gevart. *decrevit opes;* Behot. 2. optimi codd. Barthii, Venett. 3. 4. Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *de-*

NOTÆ

229 *Aoniis*] Thebanis. *Abfore*] Vel *afore*, ab 'absum, abes:' nam τὸ 'affore' potius ab 'adsum, ades,' ductum videtur, pro 'adfore.'

230 *Quacumque ingressi tremere, ac miserescere cunctos Thebarum*] Guyetus: Thebani tremunt, externi miserescunt. *Ingressi tremere*] Corrige, *ingressus*, supple, 'erat nuntius.' Parenthesi autem includi debent. *Peyraredus.*

231 *Qui stirpe refert, qui nomine, et armis*] Corrige, *qua stirpe refert, quo nomine;* quæ referenda sunt ad vocem supra *nuntius.* Lactantius hic Andabatarum more cum larvis videtur decertare. *Peyraredus.*

232 *Audire exposcit, et odit Narrantem*] Scilicet, ut apud Senecam in Œdipo, act. II. sc. 1. 'Ubi læta duris mista in ambiguo jacent, Incertus animus, scire cum cupiat, timet.'

235 *Aoniam*] Bœotiam. *Eubœamque*] Eubœa insula Maris Ægei, a

Mars: ita dulce Jovi. Longo fugit ordine velox
Tessera: propellunt acies, seseque sub armis
Ostentant, subeunt campo, qui proximus urbi
Damnatus bellis patet, expectatque furores.
Nondum hostis circa, trepido tamen agmine matres
Conscendunt muros, inde arma nitentia natis

vicinæ Phocidos; ita Jovi placuit. Celer tessera currit per longos ordines. Educunt copias, et sese monstrant sub armis, intrant campum, qui propior oppido offertur, destinatus prœliis, et præstolatur furores belli. Nondum inimicus circa: mulieres tamen trementi turba exsuperant mœnia, ex quibus ostendunt liberis fulgentia

cernit opes.—235 *Euboicamque* unus Behot.—239 Alter Behot. *expectantque furores.*—240 *Nondum hostis contra* Lang. Laur. Lipsian. Dan. Put. Petav. unus Behot. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. Gevart. Grasser. et Amstel. *circa* alter Behot. Buslid. codd. Gronoviani, Venett. 3. 4.

NOTÆ

Bœotia divisa tam modico Euripo interfluente, ut ponte jungatur: a Meridie promontoriis duobus, Geresto ad Atticam vergente, et ad Hellespontum Caphareo insignis, a Septemtrione Cæneo: nusquam latitudinem ultra 40. millia passuum extendit, nusquam intra 20. contrahit: sed in longitudinem universæ Bœotiæ ab Attica in Thessaliam usque prætensa in 150. millia passuum, circuitu vero trecenta sexaginta quinque, aquis calidis quæ 'Hellopiæ' vocantur nobilis: notior tamen marmore Carystio. Hæc Plinius lib. IV. cap. 12. *Phocidos*] Vide Theb. II.

237 *Tessera*] Hinc olim tessera data videtur sine voce. Silius: 'Tacitum dat tessera signum.' Erat breve lignum, cui nota inscripta erat, vel insculpta; unde Polybius πλατεῖον *tesseram* vocat. In bello autem frequenter usi tesseris maxime ad colligendum militem, ad excubias, ad pugnam. De tessera ad colligendum militem accipiendus Papinius hic, et Virgilius Æn. VII. 'Classica jamque sonant; it bello tessera signum.' De ea quæ ad excubias idem Papinius Theb. X. 'Dat tessera signum, Excubiis positæque vices.' De ea quæ ad pugnam exempla sunt obvia apud scriptores, ut Mario ad pugnam contra Cimbros, 'Mars:' Syllæ contra Marianos 'Delphicus Apollo:' Cæsari contra Pompeianos, 'Venus genitrix:' Philippensi acie Cæsari, et Antonio 'Apollo,' sed ea vocalis erat. Dabant plerumque nomina Deorum aut Heroum, ut proxime patet; quod usitatum etiam apud Græcos, ut colligitur ex Pausania in Phocicis: ubi 'Itonia Minerva' data Thessalis tessera, Phocensibus autem 'Phocus,' a quo nomen trahebant. Etiam apud Persas, si Xenophonti fides Cyropæd. VII. ubi a Cyro data tessera Ζεὺς σύμμαχος, καὶ ἡγεμὼν, aut Ζεὺς σώτηρ. Gallice, *le mot du guet.* Erat et 'tessera hospitalis.'

238 *Subeunt campo*] 'Dictæo' dicto.

240 *Nondum hostis circa* [*contra*] Scripti: *nondum hostis circa;* urbem videlicet aut in vicinia. *Gronovius.*

Et formidandos monstrant sub casside patres.
Turre procul sola nondum concessa videri
Antigone populis, teneras defenditur atra
Veste genas, juxtaque comes, quo Laius ibat
Armigero, tunc virgo senem regina veretur.
Quæ sic orsa prior: Spesne obstatura Pelasgis
Hæc vexilla, pater? Pelopis descendere totas
Audimus gentes: dic, o precor, extera regum
Agmina: nam video, quæ noster signa Menœceus,
Quæ noster gerat arma Creon, quam celsus aëna
Sphinge per ingentes Homoloidas exeat Hæmon.

arma, ac patres terribiles sub galeis. Antigone, quæ nondum exponebatur videnda hominibus, erat in remota turre; tegit molles genas nigro velo, et prope aderat senex, qui olim Laii armiger fuerat: tunc virgo domina reverentiam præstat ei, ut custodi. Illa sic prior incipit. Sperandumne est, pater, hæc signa posse resistere Græcis? Accepimus venire universos populos Peloponnesi. Edissere, oro, copias regum peregrinorum. Nam cerno, quæ noster Menœceus ferat insignia, quæ arma noster Creon, quam procerus Hæmon ænea Sphinge egrediatur per grandes

Gronov. Barth. et Veen.—246 Unus Behot. *nunc virgo.*—257 *Spinge* Behott.

NOTÆ

242 *Patres*] Qui erant extra urbem in campo Dictæo.

243 *Turre procul*] Hic Papinius noster imitatus videtur Euripidem in Phœnissis. *Nondum concessa videri*] Morem tangit, quo puellæ intra ædem manebant apud Græcos, nec ipsis domo egredi permittebatur. Observavit et in Achilleidos I. 'Palladi littoreæ celebrabat Scyros honorum Forte diem, placidoque satæ Lycomede sorores Luce sacra patriis (quæ rara licentia) muris Exierant, dare veris opes.'

244 *Antigone*] Filia Œdipi et Jocastæ, sororque Polynicis et Eteoclis, prædicata a Poëtis ob miram pietatem erga patrem, et fratrem Polynicem, ut videbimus Theb. XII.

245 *Juxtaque comes*] Phorbas vocabatur, ut videbimus infra. Hinc discimus, non solum pueris, sed virginibus custodes datos. De eadem Statius Theb. X. 'Senior comes hæret eunti.' Et Theb. XII. 'Olim hic virginei custos monitorque pudoris.' Lege Athenæum in Symposio.

247 *Pelasgis*] Argivis.

248 *Pater*] Vocat patrem, quia nutritor erat. Nutrices etiam matres vocabantur ab alumnis. Sicut contra hæ alumnos et alumnas filios et filias vocabant. *Pelopis gentes*] Peloponnesios, qui hoc nomen a Pelope trahunt.

250 *Menœceus*] Filius Creontis, qui se devovit pro salute patriæ, ut videbimus Theb. X.

251 *Creon*] Frater Jocastæ, qui successit Eteocli. *Aëna Sphinge*] Supra galeam scilicet.

252 *Homoloidas*] Portas Thebarum sic dictas. *Hæmon*] Ejusdem Creontis filius, et frater Menœcei.

Sic rudis Antigone: senior cui talia Phorbas:
Mille sagittiferos gelidæ de colle Tanagræ
Promovet ecce Dryas: hic, cui nivea arma tridentem
Atque auro rude fulmen habent, Orionis alti
Non falsus virtute nepos: procul, oro, paternum
Omen, et innuptæ vetus excidat ira Dianæ.
Jungunt se castris, regisque in nomen adoptant
Ocaleæ, Medeonque, et confertissima lucis
Nysa, Dionæisque avibus circumsona Thisbe.

Homoloidas. Sic Antigone inexperta loquebatur. Cui longævus Phorbas hæc respondit: Ecce Dryas producit mille sagittarios de colle frigidæ Tanagræ. Hic, cujus clypeus fert tridentem et fulmen auro asperum, est nepos haud indignus animo proceri Orionis. Longe, precor, præsagium sit paternum, et antiqua indignatio innuptæ Dianæ deferveat. Castra subeunt, et jurant in verba regis Ocaleæ, Medeon, ac Nysa, quæ habet nemora densissima, et Thisbe circumstrepens avibus Veneri

Sphynge in omnibus fere edd. *Homeloidas* Dan. *Homolaidis* Aldd. Colin. Gryph et Basil. *Homolaidas* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et Plant. *Homoloidas* Put. Petav. Lindenbrog. Cruc. et recentt.—260 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. et edd. vett. *consertissima.* Pro *lucis* Behot. 2. habet *dumis;*

NOTÆ

254 *Tanagræ*] Oppidum Bœotiæ Ptolemæo et Straboni, quæ vocatur hodie *Anatoria.* Scribit Lactantius esse urbem Eubœæ insulæ postea vocatam Penanoriam. Fuit et ejusdem nominis urbs in Perside.

255 *Dryas*] Dryas hic est, quem Diana transfixit sagittis ob interfectum Parthenopæum, ut videbimus Theb. IX. Dicitur Orionis nepos. *Tridentem Atque auro rude fulmen habent*] Dryas enim ferebat hæc in fidem generis; nepos enim erat Orionis, cujus patres Jupiter et Neptunus dicuntur.

256 *Orionis alti*] Pauper quidam nomine Hireus, cum liberos non haberet, petiit a Jove, Neptuno, et Mercurio, quos hospitio susceperat, ut sibi filium darent. Hi facta urina intra corium bovis, quem Hireus illis immolaverat, plicatoque corio, jusserunt, ut completis mensibus maternis solveretur; quo facto puer inventus est, cui datum nomen Orioni. Hic postea grandior factus venationi se dedit, repertæque per sylvas Dianæ vim inferre voluit, sed ab ipsa sagittis fuit confossus. Lucanus dicit serpente a Diana immisso periisse: tandem Deorum miseratione inter astra relatus est.

258 *Excidat ira Dianæ*] Ob acceptam, ut proxime diximus, ab Orione injuriam.

260 *Ocaleæ*] Bœotiæ oppidum. *Medeon*] Ejusdem Bœotiæ urbs: alia erat Phocidis, et alia Epiri. *Et confertissima lucis* [*sylvis*] In plerisque codicibus *jugis;* in uno *turbis.* Quidam ascriptum habent *lucis*, quam veram lectionem putamus. *Gronovius.*

261 *Nysa*] Nysa urbs Bœotiæ Baccho sacra teste Eustathio ad Iliad. B. Erat Nysa Thraciæ, Cariæ, Arabiæ, Ægypti, Armeniæ Minoris, et Indiæ.

Proximus Eurymedon, cui pastoralia Fauni
Arma patris, pinusque jubas imitatur equinas
Terribilis sylvis: reor et Mavorte cruento
Talis erit: dites pecorum comitantur Erythræ,
Qui Scolon, densamque jugis Etheonon iniquis,
Qui breve littus Hyles, Atalantæumque superbi
Schœnon habent, notique colunt vestigia campi.
Fraxineas vibrant Macetum de more sarissas:

sacris. Prope est Eurymedon, qui fert arma pastoralia genitoris Fauni, pinusque æmulatur foliis setas equinas, formidabilis nemoribus. Talis erit, ut puto, in sanguinea pugna. Erythræ abundantes pecoribus illum sequuntur, ac illi qui colunt Scolon, et Etheonon habentem multos arduos montes, iique, qui angustas ripas Hyles colunt, et ii, qui tenent gloriosi Schœnon Atalanta celebrem, et habitant vestigia illustris stadii. Quatiunt fraxineas lanceas Macedonum more, et peltas incapaces

multi codd. et edd. vett. *sylvis.* Vide Not. Var.—262 In quibusdam edd. *qui pastoralia,* correxit Barthius.—265 *Talis erat* unus Behot. *ericthæ* in eodem codice.—266 *Qui Colon* Dan.—267 *Atalantemque* Dan. Put. Petav. Lindenbrog. et Cruc. *Athalatemque* Behot. 1. *Athalanteamque* Behot. 2.—268 *Schiron* Behot. 1. *Sciron* Behot. 2. et pro v. l. *Scinon.*—269 *Macedum* uterque Behot. in altero tamen rescriptum, cum primum *Macetum* legeretur; sed ipsa ex-

NOTÆ

Thisbe] Thisbe urbs Bœotiæ. *Dionæis avibus*] Columbis. Lactantius scribit apud Thisben Venerem cultam, ibique Jovem dedisse responsa per columbas. Columbæ autem sacræ sunt Veneri, quæ et Dione. Ovidius: 'Quæ nunc Thisbæas agitat mutata columbas.' Hinc Homero πολυτρήρων Θίσβη.

262 *Pastoralia Arma*] Venabula.

263 *Pinusque jubas imitatur equinas*] Id est, rami Pini inserti sunt cassidi in modum jubæ equinæ, et hoc a patre, cui pinus sacra.

265 *Erythræ*] Oppidum Bœotiæ ad radices Cithæronis montis situm. Est et ejusdem nominis urbs in Ionia.

266 *Scolon*] Scolos mons Bœotiæ. *Etheonon*] Etheonos oppidum Bœotiæ. *Jugis iniquis*] Hinc Homero Iliad. B. πολύκνημος.

267 *Hyles*] Hyle locus in Bœotia, ut ex hoc loco et Strabone constat. Quidam tamen dicunt esse urbem Phocidis. Erat in Cypro urbs ejusdem nominis. *Atalantæumque superbi Schœnon habent*] Schœnos urbs Bœotiæ, a Schœno Atalante patre sic dictæ. Schœnos vero Plinio et Melæ Sinus maris Doridis. Strabo lib. IX. Schœnon χώραν τῆς Θηβαικῆς vocat, ubi et Hyle, et præcedentis proxime Scoli meminit. Fallitur Gevartius, qui Schœnon dicit esse Arcadiæ oppidum: nam Arcades sequebantur partes Argivorum, Schœni incolæ Thebanorum. Duas autem fuisse Atalantas constat, ut jam diximus: unam Arcadiam Parthenopæi matrem; alteram vero, ex urbe Schœno, quam Hippomanes cursu vicit.

268 *Notique colunt vestigia campi*] In quo scilicet solebat Atalanta cum procis cursu contendere.

269 *Macetum*] Macetæ seu Macedones populi Græciæ, solis Philippo

Sævaque difficiles excludere vulnera peltas.
Ecce autem clamore ruunt Neptunia plebes
Onchesti, quos pinigeris Mycalessos in agris,
Palladiusque Melas, Hecatæaque gurgite nutrit
Gargaphye: quorumque novis Haliartos aristis
Invidet, et nimia sata læta supervenit herba.
Tela rudes trunci, galeæ vacua ora leonum,
Arborei dant scuta sinus. Hos regis egenos
Amphion en noster agit, (cognoscere pronum,

ob brevitatem arcere crudeles plagas. Ecce autem Onchesti, populus a Neptuno ortus, veniunt cum ululatu, et ii, quos Mycalessos pascit in campis pinigeris, et ii, quos Melas Palladi sacer, ac fons Gargaphye Dianæ dicatus aquis alluunt, hique quorum Haliarthos livet novis segetibus, et strangulat copiosiore gramine feraces messes. His vice jaculorum sunt impoliti trunci, et loco cassidum inanes leonum rictus, arbores cavatæ suppeditant clypeos. En noster Amphion hos regit duce carentes, (facile

scriptoris manu. *de more Sarixas* Behot. 1. *de more sagittas* Behot. 2.—270 Dan. *vulnera norunt.*—271 *Neptunia pubes* in eodem libro.—272 *Mycalessus* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *Mycalesos* Dan. Put. Petav. Lindenbrog. et Cruc.—273 *Hecateiaque* in uno Behot.—274 *Gargaphile* Put.—275 In eodem codice: *et nivia sata.*—278 *Amphion agit*

NOTÆ

et Alexandro Magno notissimi. Macedonia vero, unde Macedones dicti, Europæ regio celebris est. Hanc ad Septemtrionem montana a Dalmatia Mœsiaque dirimunt; ab Occasu Mari Ionio, ab Ortu Ægæo alluitur. Meridianam oram Epiroticæ gentes, et ipsa Græcia excipit. Æmathia ante dicta fuit, Plinio et Trogo testibus. Pæoniam primo vocatam scribit Livius lib. XL. deinde Æmoniam: item Edonia et Pieria Solino: etiam Bœotiam quondam dictam Trogus docet. Ejus partem Μακετίαν Hesychius et Stephanus appellant, et inde totam regionem nomen traxisse refert Eustathius in Dionysium. Vide Plinium lib. IV. cap. 10. Livium lib. XL. et XLV. *Sarissas*] Lanceas Macedonum.

270 *Peltas*] Vide supra vs. 174. *Difficiles*] Ob brevitatem scilicet.

272 *Onchesti*] Oppidum Bœotiæ, sic dictum ab Onchesto Neptuni filio; unde dicitur *Neptunia plebes*. Homero dicitur *ἱερὸν Ποσιδήϊον, ἀγλαὸν ἄλσος. Sacrum Neptunium, clarum nemus.* Est et fluvius Thessaliæ ejusdem nominis.

273 *Palladiusque Melas*] Melas fluvius Bœotiæ sacer Palladi. *Hecatæaque Gargaphye*] Gargaphye nomen fontis in Bœotia Herodoto et Pausaniæ: obstructus fuit a Persis in bello Persico, mox a Platæensibus restitutus. Ovidius hoc nomen tradit toti valli: hic sacer est Dianæ, quæ et cum Hecate confunditur.

274 *Haliartos*] Haliartos urbs Bœotiæ.

275 *Et nimia sata læta*] Virgilius: 'Sata læta, boumque labores.' Hinc Homero 'Ἁλίαρτος ποιήεις, *herbosa Haliartos.*

Virgo,) lyra galeam tauroque insignis avito.
Macte animo juvenis, medios parat ire per enses,
Nudaque pro caris opponere pectora muris.
Vos etiam nostris, Heliconia turba, venitis
Addere rebus opem: tuque, o Permesse, canoris
Et, felix Olmie, vadis, armatis alumnos
Bellorum resides: patriis concentibus audis
Exultare gregem: quales, cum pallida cedit
Bruma, renidentem deducunt Strymona cycni.
Ite alacres, nunquam vestri morientur honores,
Bellaque perpetuo memorabunt carmine Musæ.

est eum agnoscere, o puella,) habet in galea lyram et taurum insigne avitum. Macte animo adolescens. Destinat ire per medios gladios, ac pectus objicere pro defensione dilectorum murorum. Vos etiam, o cohors Heliconia, venistis laturi auxilium rebus nostris, tuque, o Permesse, et tu Hormie fortunate aquis vocalibus, armatis incolas bello inassuetos. Audis turbam gestire patriis cantibus, tales, quales Cycni, cum tristis hyems abiit, comitantur Strymona spumis albentem. Pergite hilares, nunquam vestra gloria peribit, et Musæ consecrabunt æternis versibus pug-

en noster unus Behot.—279 Behot. 1. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *lyram galea;* Behot. 2. *lyram in galea.* Vide Gronov. ad Theb. II. 583.—282 Unus Behot. *venistis.*—283 *Permense* Put. Barthius correxit *Termesse.*—284 *Et felix Hormie* Dan. Put. Petav. Lindenbrog. et Cruc. *Et felix Ormige* Behot. 1. *Et felix herine* Behot. 2. *armastis alumnos* Put.—287 *Bruma renitentem* Dan. Put. Petav. Lindenbrog. et Cruc. *renitendem* Behott. 1. 2.—288 'In optimo libro diserte scriptum est *nostri;* sed invitis nobis.' *Barth.*—289 'In eodem libro nec vola nec vestigium est

NOTÆ

279 *Lyra galeam tauroque insignis avito*] Quia hic Amphion originem trahebat a prisco Amphione, qui Lyræ cantu Thebanos muros condidit, cujusque pater fuit Jupiter in taurum conversus. Unde nepoti Lyra Taurusque insignia gentilicia. Vide supra vs. 190.

282 *Heliconia turba*] Intelligit Lactantius Poëtas Heliconem montem sacrum Musis incolentes. Præstat accolas Heliconis populos intelligere, quos 'resides bellorum' vocat, quod arma non tractarent: quod omnibus fere Thebanis familiare erat, ut supra Bacchus notat. Iisdem vero fictione Poëtica concentus Noster tribuit, quasi populi illi Heliconiadum Musarum cantus imitentur.

283 *Permesse*] Permessus fluvius Bœotiæ, ortum habens in Helicone, per Bœotiam in Copaidem lacum influens, Phœbo et Musis sacer, Straboni lib. IX. Unde *canoris vadis* dicitur.

284 *Olmie* [*Hormie*] Hormius fluvius Bœotiæ, Musis sacer.

285 *Bellorum resides*] Armis inassueti, qui diu ab armis cessaverant.

287 *Strymona*] Strymon fluvius Thraciæ. *Deducunt cycni*] Quia apud Strymona multi sunt cycni. *Deducunt*] 'Deducuntur' vero cycni, non *deducunt*.

Dixerat, et paulum virgo interfata docenti:
Illi autem, quanam junguntur origine fratres?
Sic certe paria arma viris, sic exit in auras
Cassidis æquus apex: utinam hæc concordia nostris!
Cui senior ridens: Non prima errore videndi
Falleris, Antigone: multi hos (nam decipit ætas)
Dixerunt fratres: pater est, natusque; sed ævi
Confudere modos: puerum Lapithonia nympha
Dircetis, expertem thalami, crudumque maritis
Ignibus, ante diem cupido violavit amore,
Improba connubii: nec longum et pulcher Alathreus
Editus, ac primæ genitorem in flore juventæ
Consequitur, traxitque notas, et miscuit annos.
Et nunc sic fratres mentito nomine gaudent:

nas vestras. Dixerat, et virgo loquentem paulum interpellata ait. Illi autem germani, quo genere sociantur? Sic sane arma similia illis sunt: sic par fastigium galearum in aërem eminet. Utinam eadem nostris unanimitas foret. Cui subridens longævus ait: non prima deciperis, Antigone, visus errore. Multi (nam fallit ætas) hos germanos dixerunt. Genitor est, et filius, sed annorum discrimen miscuerunt. Dircetis Nympha Lapithonia, nimium cupida nuptiarum, vitiavit amore avido ante tempus adolescentulum exsortem matrimonii, et maritalibus flammis immaturum: nec longum tempus intercessit, et formosus Alathreus natus est, et consequitur patrem in decore primæ juventutis, sumsitque lineamenta ejus, et annos confudit. Et nunc sic germani lætantur simulato vocabulo: plus

hujus versus. Eum tamen nos minime projiciendum arbitramur.' *Idem.*—290 'Claris literis eædem et duæ aliæ membranæ referunt: *virgo interfata loquentem;* quod omnino Papinianum est.' *Idem.* Dan. Put. et Petav. exhibent *loquenti.*—296 Put. *sed ævo.*—297 Dan. *Lapithamia;* optimæ Barthii membranæ, *Lapithaona;* quod verum putat Barthius. Vide Not. Var.—298 *Decretis* Dan. *crudumque mariti* Dan. Put. Petav.—300 Dan. Put. Petav. *longum pul-*

NOTÆ

290 *Docenti*] Mss. *loquenti.* Quidam *docentem.*

291 *Illi*] Δεικτικῶς: eos enim manu designabat Antigone.

297 *Puerum Lapithonia*] Scripti: *Lapithaona.* Quod possumus interpretari nomen pueri, qui deinde pater Alathrei factus est. Sufficit ipsi, quod appellatur 'Dircetis,' 'Lapithes,' 'Lapithaon,' ut Chremetes, Chremetaon, quem hoc quoque libro habes. *Gronovius.* Sed ex Theb. XI. discimus patrem Alathrei vocari Eurymedonta. Unde *Lapithonia* forsan nomen hujus Nymphæ, et 'Dircetis' deductum a Dirce fonte Bœotiæ.

300 *Improba connubii*] Id est, nimium avida præmaturi connubii.

302 *Traxitque notas*] Similitudinem patris in suo vultu retulit, signavitque.

Plus pater, hunc olim juvat et ventura senectus.
Tercentum genitor, totidemque in prælia natus
Exercent equites: hi deseruisse feruntur
Exilem Glisanta, Coroniamque, feracem
Messe Coroniam, Baccho Glisanta colentes.
Sed potius celsos umbrantem hunc aspice late
Hypsea quadrijugos, clypei septemplice tauro
Læva, ter insuto servantem ingentia ferro
Pectora: nam tergo nunquam metus: hasta vetustum
Sylvarum decus, emissæ cui pervia semper

tunc genitor, hunc quondam et delectabit senectus futura. Pater exercet trecentos equites ad certamina, et totidem filius. Hi dicuntur reliquisse parvam Glisanta, et Coroniam, arantes segetum fertilem Coroniam, et vinearum Glisanta. Sed potius vide hunc Hypseum, late opacantem corporis proceritate altus quadrigas, et tegentem sinistram partem corporis scuto confecto ex septemplici corio, ac ampla pectora ter insuta ferro lorica: nam nunquam timuit tergo. Hasta erat antiquum sylvarum ornamentum, cui intortæ penetrabilia semper arma ac pectora sunt,

cher, omisso τῷ *et.*—303 *Et nunc si fratres* Dan.—304 'Corruptum in his verbis quidpiam jam olim arbitratus sum. Forte: *juvat una in utroque senectus*; vel: *hunc olim juvat unitura senectus*; vel: *una olim juvat eventura senectus.*—307 *Exilem Glissanta* scribendum putat Hermolaus Barbarus in Plin. pag. 70. *Exilem Clisanta* Dan. Put. Petav. *Choroniamque* unus Behot.—308 *Messe Choroniam* in altero Behot. *Coroneam* edd. vett. *Clisanta* Dan. Put. Petav. *Glissanta* Hermolaus Barbarus.—309. 310 Nic. Heinsius in Advers. lib. II. cap. 16. p. 341. legit: *hunc aspice currus Hypsea quadrijugos.*—311 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Behott. 1. 2. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. Gevart. Grasser. et Amstel. *servant ingentia.* Nic.

NOTÆ

304 *Plus pater*] Plus pater lætatur affinitate ætatis, quam filius. *Hunc*] Filium scilicet, qui cum senuerit, lætabitur ætatem fere æquam cum patre habere, sicque sperat illi morienti se non superfuturum. De iisdem Noster lib. II. 'Juvenemque patrem puer æquat Alathreus; Felices ambo, sed fortunatior ille Quem genuisse juvat.'

307 *Glisanta . . . Coroniam*] Glisas et Coronia oppida Bœotiæ.

311 *Læva*] Id est, lævam aut sinistram partem corporis. *Servantem* [*servant*] Lege *servat*, aut si hoc cæsuræ negas, *servantem*, ut jungatur cum *umbrantem*. Sensus vero totius hujus loci est: Ipse utique Hypseus dicitur late umbrare celsas quadrigas, ipse servare læva, seu lævam corporis partem, clypeo, ipse servare pectus triplici lorica. *Gronovius.*

312 *Nam tergo nunquam metus*] Sive quia nunquam fugiebat Hypseus, hinc nusquam metus vulnera posse tergo accipere, quæ erant indecora; sive quia vetus mos erat, ut lorica nisi pectus tegeret, ad tollendam spem fugæ pugnantibus, alias expositūris terga nudata insequentibus hostibus. *Hasta vetustum Sylvarum decus*] Id est, hasta confecta erat ex arbore quæ erat decus sylvarum.

Armaque, pectoraque, et nunquam manus irrita voti.
Asopos genuisse datur, dignusque videri
Tunc pater, abruptis cum torrentissimus exit
Pontibus, aut natæ tumidus cum virginis ultor
Flumina concussit, generum indignata Tonantem.
Namque ferunt raptam patriis Æginan ab undis
Amplexu latuisse Jovis: furit amnis, et astris
Infensus bellare parat; (nondum ista licebant
Nec Superis;) stetit audaces effusus in iras,
Conseruitque manus, nec quem imploraret habebat,

et manus nunquam spem frustratur. Asopus dicitur eum genuisse: tunc videtur dignus genitor ejus, cum rapidissimus ruit dejectis pontibus, aut cum turgens vindex injuriæ filiæ suæ factæ, commovit fluctus aspernatos generum Jovem. Nam dicunt Æginam abactam a flumine paterno, abditam fuisse a Jove ut cum ea concumberet. Fluvius ardet rabie, et iratus aggreditur inferre bellum cœlo; (nondum enim hæc, nec Diis permittebantur;) stetit exundans in superbam ultionem, et congressus est,

Heinsius l. l. legit: *servans ingentia.* Vide Not. Var.—314 *Armaque corporaque* nonnulli Barthiani, Buslid. Put. et Venett. probante Barthio. *irrita voto* Dan. Put. Petav. Lindenbrog. et Cruc.—316 Dan. Put. Petav. Behot. 1. *abreptis;* Behot. 2. *arreptis.*—317 *Fontibus* Dan. Put. Petav. Lindenbrog. et Cruc. *Pontibus* ceteri libri, et scripti et editi. Vide Nic. Heinsium in Advers. lib. III. cap. 7. p. 449.—321 Optimus Barthianus, *Infestus;* et sic etiam Lutatius. Dan. Put. Petav. Lindenbrog. et Cruc. *licebat.*—323 *Conseruitque ma-*

NOTÆ

314 *Nunquam manus irrita voti*] Id est, nunquam frustrata.

315 *Datur*] Pro 'dicitur.' 'Dare' pro 'dicere' sumtum. Virgilius Bucolicis Ecl. I. 'Sed tamen, iste Deus qui sit, da, Tityre, nobis.' Horat. Sat. VIII. 'Da, si grave non est, Quæ prima iratum ventrem placaverit esca.' *Dignusque videri Tunc pater*] Tanto animo erat Hypseus, tantosque spiritus habebat, ut Asopus tunc dignus illius pater videatur, cum aquis inflatur, aut cum justo dolore percitus Jovi bellum intulit. Asopus enim raptam a Jove filiam tam ægro animo tulit, ut concitas aquas in cœlum sustollere tentaverit, ut cum Jove confligeret, sed percussus fulmine temeritatis pœnas luit. Tetigerat et hanc fabulam Callimachus Hymno in Delum vs. 77. et 78. 'Ο δ' εἵπετο πολλὸν ὄπισθεν 'Ασωπὸς βαρύγουνος· ἐπεὶ πεπάλακτο κεραυνῷ. *Sequebatur et multo post Asopus tardigradus: quoniam fœdatus erat fulmine.* Ad quem locum vetus Callimachi Scholiastes hæc habet: 'Επεὶ τὴν θυγατέρα αὐτοῦ Αἴγιναν ἁρπαγῆναι ὑπὸ Διὸς ἀπήγγειλε Σίσυφος· ὁ δὲ ἤρξατο διώκειν αὐτήν. Ζεὺς δὲ ὀργισθεὶς ἐκεραύνωσεν αὐτόν. *Cum ipsi nuntiavit Sisyphus filiam ejus Æginam a Jove raptam fuisse; ille autem hanc insequi cœpit. Unde Jupiter iratus hunc fulmine percussit.* Fluvius autem iste Platæas et Tanagram præterfluit.

319 *Æginan*] Ægina filia Asopi genuit Jovi Æacum: dedit nomen Æginæ insula.

323 *Nec quem imploraret habebat*] Cum Jovi bellum inferret, a quo aux-

Donec vi tonitrus summotus, et igne trisulco
Cessit: adhuc ripis animosus gurges anhelis,
Fulmineum cinerem, magnæque insignia pœnæ
Gaudet, et Ætnæos in cœlum efflare vapores.
Talem Cadmeo mirabimur Hypsea campo,
Si modo placavit felix Ægina Tonantem.
Ducit Ithonæos et Alalcomenæa Minervæ
Agmina, quos Mide, quos humida suggerit Arne,
Aulida qui Græamque serunt, viridesque Platæas,
Et sulco Peteona domant, refluumque meatu

nec ei erat, quem invocaret, donec repulsus impetu tonitrus et fulmine trisulco destitit: generosus fluvius exultat adhuc exhalare fulmineum cinerem e flagrantibus littoribus, notas ingentis supplicii, et in cœlum emittere igneos halitus. Stupebimus talem Hypseum in campo Thebano, si modo fortunata Ægina leniit Jovem. Regit Itonæos, et copias Alalcomenarum Palladi sacrarum, et eos, quos Midee, quos uvida Arne mittit, et eos qui colunt Aulida, Græamque et virides Platæas, ac subigunt aratro Peteona, et Euripum reciproco æstu, qua nostras oras præterfluit, et eos

num Dan. Put. Petav. Lindenbrog. et Cruc.—324 *Donec vix tonitru* Petrens. Lang. Laur. Buslid. et edd. vett. *Donec vi tonitru* Taurin.—327 Aldd. Colin. Gryph. et Basil. *afflare vapores.* Correxit Bernartius.—328 *Cadmeio* unus Behot.—330 *Ducit Ithonæos atque Alchomene* edd. vett. *et Alcomena* Behot. 1. *et Alcemena* Behot. 2. et pro v. l. *et Aloëmena;* Put. *atque Alcomenia;* Dan. *atque Lalcomenia;* ceteri: *Alalcomenæ.*—331 *Mide et quos* Behot. 1. *Nude et quos* Behot. 2. *Midee quos* Dan. Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et edd. vett. *suggerit Erne* unus Behot.—332 *Creanque* Put. *Graiamque* Behot. 2.—

NOTÆ

ilium petitur.

327 *Ætnæos*] Similes Ætnæis. Ætna enim mons flammas vomit.

328 *Talem*] Id est, habentem eundem animum ac habuit Asopus, cum bellum Jovi indixit. *Cadmeo*] Quia campus iste, in quo commissum prælium, subjacebat Cadmeæ arci Thebarum. Ceterum Guyetus hanc totam fabulæ Asopi narrationem ineptam et inconcinnam, Statioque parum dignam, judicat.

330 *Ithonæos*] Incolas Ithones urbis Bœotiæ, Minervæ sacræ. *Alalcomenæa Agmina*] Id est, ex Alalcomenis, oppido Bœotiæ, Minervæ etiam sacro.

331 *Mide*] Oppidum Bœotiæ. *Arne*] Urbs Bœotiæ, postea 'Cheronæa' dicta, patria Plutarchi.

332 *Aulida*] Aulis urbs et Portus Bœotiæ, ex quo Græci solverunt euntes ad expeditionem Trojanam, duce Agamemnone.

333 *Peteona*] Peteon urbs Bœotiæ. *Refluumque meatu Euripum*] Euripus maris pars inter Eubœam insulam et Bœotiam, tam modico spatio, ut ponte jungantur: dicitur 'refluus,' quia septies die ac nocte reciprocat, ut refert Plinius lib. II. cap. 98. Strabo, aliique, quibus tamen refragatur Livius: 'Et fretum ipsum Euripi,' ait, 'non septies die, sicut fama fert, temporibus statis reciprocat, sed temere in modum venti, nunc huc, nunc illuc

Euripum, qua noster abit, teque ultima tractu
Anthedon, ubi gramineo de littore Glaucus
Poscentes irrupit aquas, jam crine genisque
Cœrulus, et mixtos expavit ab inguine pisces.
Glandibus et torta Zephyros incidere funda
Cura: Cydoneas anteibunt gesa sagittas.
Tu quoque præclarum forma, Cephisse, dedisses
Narcissum, sed Thespiacis jam pallet in agris

qui te colunt, Anthedon, quæ extrema nostræ ditionis es, ubi Glaucus insiluit ex herbida ripa in undas, quæ ipsum desiderabant, jam luteas habens comas faciemque, et exhorruit confusos pisces de inguine enatos. Studium est eis findendi ventos glandibus et funda rotata: gesa eorum præcedent sagittas Cretenses. Tu quoque, Cephisse, præbuisses ad bellum Narcissum pulchritudine insignem; sed jam ferus

333 Put. *refluuntque meatu.*—334 Dan. *habet teque;* Put. Petav. *abit quaque ultima.* Vide Not. Var.—336 Dan. Put. Petav. unus Behot. Lindenbrog. et Cruc. *irrumpit.*—337 Gronov. Observ. p. 142. legit: *ab inguine pristes.*—340 Dan. Heinsius ad Claudian. Bell. Get. 583. legit, *formæ;* ita quoque Dan.

NOTÆ

verso mari, veluti monti præcipiti devolutus torrens rapitur.' Hinc Euripus per similitudinem dictus exilior aquarum ductus. Cicero initio II. de Legibus sic sub Attici persona: 'Equidem qui nunc primum venerim, satiari non queo, magnificas villas, et pavimenta marmorea, et laqueata tecta contemno. Ductus vero aquarum, quos isti Nilos et Euripos vocant, quis non, cum hæc viderit, irriserit?'

334 *Qua noster abit*] Id est, qua nostram Bœotiam alluit. *Ultima*] Quia ultima Bœotiæ regionis post Salganea etiam Straboni. Hinc Homero ἐσχατόωσα dicitur, id est, *ultima.*

335 *Anthedon*] Urbs Bœotiæ Anthedon. *Glaucus*] Glaucus piscator Anthedonius, cum pisces captos posuisset in littore, hique herbarum tactu in mare resiluissent, rem miratus, herbas has etiam ipse gustavit, quo facto ipse in mare se projecit, mutatusque est in Deum marinum.

336 *Jam crine genisque Cœrulus*] Cœrulei enim Dii marini, a colore maris cœruleo.

337 *Et mixtos expavit ab inguine pisces*] Quia Dii marini superiori parte homines erant, inferiori vero in piscium caudas desinebant.

338 *Glandibus*] Innuit Anthedonios fuisse funditores peritos.

339 *Cydoneas*] Cretenses, a Cydone urbe Cretæ. Cretenses autem sagittandi peritissimi.

340 *Cephisse*] Cephissus fluvius Bœotiæ: ortum habet in Trinemiis, et præter Larymnam influit in agrum Atticum, hincque in sinum Phalaricum effunditur.

341 *Narcissum*] Narcissus puer formæ egregiæ fuit, qui, sua imagine in fontem conspecta, sui ipsius amore ita exarsit, ut, cum nulla facultas esset fruendi amoris, nimio desiderio contabuerit, et versus fuerit in florem sui nominis. Vide Ovidium Met. III. Scribit Pausanias sororem Narcisso geminam fuisse, cum oris specie omni ex parte similem, tum

Trux puer: orbata florem pater alluit unda.
Quis tibi Phœbæas acies, veteremque revolvat
Phocida? qui Panopen, qui Daulida, qui Cyparisson,
Et valles, Lebadea, tuas, et Hyampolin acri
Subnixam scopulo, vel qui Parnasson utrumque
Aut Cyrrham tauris, Anemoriamque supinant,

ephebus pallet in agris Thespiacis, et genitor irrigat orbata aqua florem, in quem conversus est. Quis tibi expediet copias Apollineas, et antiquam Phocidem, et eos qui colunt Panopen, qui Daulidem, qui Cyparisson, et tuas valles, o Lebadia, aut Hyampolim conditam in arduo scopulo, vel eos qui bobus moliuntur utrumque jugum

Put. Petav. Lind. et Cruc.—342 Behott. 1. 2. *abluit.*—343 Behot. 1. *revolvet;* Behot. *resolvet.*—344 *Phocida? quis Panopē? quis Aulida? qs. Cyparisson* Lang. Laur. Lipsian. et Buslid. et ita quoque edd. vett. *qui Panopen? quid Aulida?* unus Behot. unde postea correctum: *qui Daulida,* retracta litera *d* a priori dictione, et admota posteriori *καθ' ὑφὲν, quic iparissos.* In alio Behot. *quis Panopem, quis Daulida, quis Ciparissam.* Vide Not. Var.—345 *Lebadia* Behott. 1. 2. *Lebidia* Put. Petav. Lindenbrog. et Cruc. *Lebedia* Dan. *hiapolin* unus Behot.—346 *Submissam scopulo* Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant.—347 *Ænemoræam* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et edd. vett. *Anemoreiam* legit

NOTÆ

vero coma et vestitu nihil differenti. Solitos simul venari, et puerum sororis amore captum: ea cum mortua fuisset, solitum eum ventitare ad fontem: in quo cum suam imaginem intueretur, tanquam si non suam, sed sororis imaginem ante oculos habuisset, desiderii ex eo sui solatium aliquod capere consuevisse. *Thespiacis*] A Thespiis urbe Bœotiæ, Heliconi proxima, quæ imminet sinui Crissæo. Unde Musæ 'Thespiades' dictæ. *Pallet*] In florem mutatus.

342 *Florem*] Quia Narcissus in florem mutatus est. De Narcisso flore vide Plinium lib. XXI. cap. 5. et 19. *Pater*] Cephissus Narcissi pater.

343 *Phœbæas acies, veteremque revolvat Phocida*] Quia præcipua et nobiliora Phocidis loca Apollini consecrata erant, ideo Phocenses copias *Phœbæas* vocat. De Phocide vide Theb. I. 64.

344 *Qui Panopen, qui Daulida, qui Cyparisson, Et valles, Lebadea, tuas, et Hyampolin acri Subnixam scopulo*] Panope, Daulis, oppida Phocidis, quarum ultima erat olim sub ditione Terei Thracum regis; unde Philomela 'Daulias' dicitur, quod in ea urbe violata fuit a Tereo, et in avem sui nominis conversa. Cyparissos urbs Phocidis, circa Delphos ab ejus arboris frequentia vocata. Lebadia Nostro hic urbs Phocidis, Pausaniæ vero Bœotiæ, nisi sint duæ urbes ejusdem nominis, vel una solum, quæ nunc tribuatur Phocidi, nunc Bœotiæ. Erat autem sacra Apollini. Hyampolis oppidum Phocidis ad Parnassum montem. Est et Hyampolis altera Ptolemæo in Bœotia, non procul ab Orchomeno.

346 *Vel qui Parnasson utrumque*] Id est, duos vertices Parnassi, quorum unus Bacchi sacer, alter Apollini. Vel per *utrumque* intelligit populos qui Parnasson hinc et inde accolunt.

347 *Cyrrham*] Cyrrha urbs Phocidis, oraculo Apollinis celebris. *Anemoriamque*] Anemoria oppidum Phocidis. In hac autem urbium Phoci-

Coryciumque nemus? propellentemque Lilæam
Cephissi glaciale caput, quo suetus anhelam
Ferre sitim Python, amnemque avertere ponto.
Omnibus immixtas cono super aspice lauros,
Armaque vel Tityon, vel Delon habentia, vel quas
Hic Deus innumera laxavit cæde pharetras.
Iphitus acer agit, genitor cui nuper ademtus
Naubolus Hippasides, tuus, o mitissime Lai,
Hospes, adhuc currus, securaque lora tenebat,
Cum tua subter equos jacuit convulsa cruentis

Parnassi, et Cyrrham, Anemoriamque, ac sylvam Coryciam, et Lilæam urgentem tuum frigidum ortum o Cephisse, quo Python solitus erat portare languidam sitim, et detorquere flumen a mari. Omnibus cerne lauros innexus supra galeas, ac scuta gerentia pro insignibus Tityon, aut Delum, aut pharetras quas hic Deus vacuavit innumera strage. Eos ducit animosus Iphitus, cui pater Naubolus Hippasi filius nuper ereptus est, tuus, o Laii placidissime, auriga: regebat adhuc currus, et habenas nihil timentes, cum tuum jugulum apertum sanguineis vulneribus fuit prostra-

Barthius.—348 *Horiciumque nemus* Dan. *propellentemque Liceton* codd. Lindenbrogii.—351 Optimus Barthianus: *intextas.* Unus Behot. *laurus.*—353 *Hic Deus innumeras* Behot. 1. Put. et Dan.—354 *Iphytus* Dan. Put. Petav. Lindenbrog. et Cruc. *Hisphitus* unus Behot.—355 *Naubulus* Behott. 1. 2.—

NOTÆ

dis descriptione secutus est Homerum Papinius. Sic enim ille: Οἳ Κυπάρισσον ἔχον, Πυθῶνά τε πετρήεσσαν, Κρίσσαν τε ζαθέην, καὶ Δαυλίδα, καὶ Πανοπῆα, Οἵ τ' Ἀνεμώρειαν, καὶ Ὑάμπολιν ἀμφενέμοντο.

348 *Coryciumque nemus*] Sylva prope Parnassum. *Propellentemque Lilæam Cephissi glaciale caput*] Lilæa urbs Phocidis ubi Cephissus fontes habet. Homerus: Οἵ τε Λίλαιαν ἔχον πηγῆς ἐπὶ Κηφισσοῖο. Hic fluvius ad hanc urbem fontem concipit, Edylium, Parnassumque montem intersecat, et ipsam Bœotiam, priusquam mari misceatur, cuniculo demersus, occulto meatu labitur. Strabo, et Polycenus Macedo.

350 *Python*] Serpens quem Apollo occidit.

351 *Omnibus immixtas cono super aspice lauros, &c.*] Ita Phocenses se devotos Apollini demonstrabant, ut et lauro coronati incederent, gererent insculptum vel pictum scutis insigne aliquod facinus Apollinis, vel Tityon sagittis confossum ob vim illatam Latonæ matri, vel Delon insulam stabilem et immobilem redditam, vel Niobes liberos telis ejus confixos.

352 *Quas*] Corrige *queis*, i. e. prolem Niobes, in quam suas pharetras exausit. *Peyraredus.*

353 *Innumera cæde*] Liberi enim Niobes quatuordecim erant.

354 *Iphitus*] Nauboli filius, unus fuit ex Argonautis auctore Valerio Flacco. Sed Apollonio Iphitus ille, Argonautarum socius, filius erat Euryti Œchaliæ regis.

356 *Secura*] Quia tunc temporis nihil Laio timebat, quem ducebat.

357 *Cum tua convulsa cruentis Ic.*

Ictibus, o utinam nostro cum sanguine, cervix !
Dicentis maduere genæ, vultumque per omnem
Pallor iit, vocisque repens singultus apertum
Intercepit iter : refovet frigentis amicum
Pectus alumna senis : redit, atque exile profatur :
O mihi solicitum decus ac suprema voluptas,
Antigone ! seras tibi demoror improbus umbras,
Fors eadem scelera et cædes visurus avitas.
Donec te thalamis habilem, integramque resignem,
Hoc satis, et fessum vita dimittite, Parcæ.
Sed dum labor iners, quanti nunc ecce reviso
Transabiere duces. Clonium atque in terga comantes

tum subter equos, o utinam meo cum cruore. Genæ loquentis lacrymis humectatæ fuerunt, et pallor percucurrit totam faciem ejus, et subitus singultus interclusit patentem viam vocis ejus. Pupilla refocillat carum pectus frigentis senis: ille recipit se, et loquitur debili voce. O mihi anxium ornamentum, et ultimæ deliciæ, Antigone, differo propter te tardam mortem, nimium vivax, forsan aspecturus eadem crimina et avita funera. Hoc sufficiet mihi, dummodo restituam te maturam nuptiis, ac intemeratam, et Parcæ auferte vitam saturo. Sed dum linquor animo, quanti, nunc ecce considero, duces præteriere. Non ego numeravi Chthonium, et

356 Codd. Lindenbrogii : *lora terebat.*—359 *Dicenti* Put.—362 Unus Behot. *exile profatus.*—368 Barthius parenthesi inclusit verba : *nunc ecce reviso.*—369 *Chromim* Dan. Put. Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et edd. vett. *Clonin* Behot. 1. *Clomin* Behot. 2. additum *i* ut fieret *Clomini.* Vide Not.

NOTÆ

tibus cervix] Vide Theb. I. 'Secuique timentis Ora senis.'

362 *Alumna*] Antigone.

363 *O mihi solicitum decus*] Honori enim erat Phorbanti custodia Antigones, sed illa plena solicitudinis et curarum.

365 *Fors eadem scelera, &c.*] Ut quemadmodum Laium perire vidi manu proprii filii, sic et videam ejus nepotes mutua cæde perire.

366 *Integramque resignem*] Sicut accepi servandam virginitatem, sic et integram et illibatam nuptiis et sponso restituam.

368 *Sed dum labor iners*] Quia deliquium animi passus erat.

369 *In terga comantes Abantiadas*] Ex Homero: *ὄπιθεν κομόωντας, pone comantes.* Et dicuntur Abantes Eubœæ populi 'pone comantes,' quia anteriora capillorum resecabant. Eorum more tonsum Delphis Theseum narrat Plutarchus. Hoc vero observasse censet, quo minus pugnantes hostibus darent ansam capiendi, quod etiam factitasse Curetes scribit Antimachus Euboicus. Talem etiam fuisse *Ἑκτόρειαν κόμην* vult Isaacius Tzetzes, quam laudat Eustathius Il. Ψ. ex Lycophrone. At Homerus Il. Δ. Thracas vocat *ἀκροκόμους*; quod in summo vertice essent comati.

Non ego Abantiadas, non te, saxosa Caryste,
Non humiles Ægas, altumque Capharea dixi.
Et jam acies obtusa negat, cunctique resistunt:
Et tuus armatis jubet ecce silentia frater.
Vix ea turre senex, cum ductor ab aggere cœpit:
Magnanimi reges, quibus haud parere recusem
Ductor, et ipse meas miles defendere Thebas,
Non ego vos stimulare parem, (nam liber in arma
Impetus, et meritas ultro jurastis in iras,)
Nec laudare satis, dignasque rependere grates
Sufficiam: referent Superi, vestræque subacto

Abantiadas effusis in tergum capillis, non te, petrosa Caryste, non modicas Ægas, et excelsum Capharea. Et jam vigor oculorum hebetatus non potest quid distinguere, omnesque obstant numero suo, et jam frater imperat silentium exercitui. Vix ea longævus in turre dixerat, cum imperator Thebanus sic loquitur ab aggere cespititio: Fortes Reges, quibus ipse princeps non renuerem obsequi, et miles tutari Thebas meas, non ego nitar vos excitare, (nam voluntarius ardor vobis est in hoc bellum, et sponte præstatis juramentum in justa arma,) nec digne possem efferre vos debitis laudibus, et vobis agere debitas grates: Superi referent gratiam, et

Var.—371 *Egias* unus Behot. *Ægeas* margo ed. Barth. *Capherea* Behot. 1.—374 Dan. Put. Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et edd. vett. *cum rector;* Behott. 1. 2. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *cum ductor.*—380 Petrens. *re-*

NOTÆ

370 *Saxosa Caryste*] Caryste, seu Carystos, urbs Eubœæ, in qua, inquit Strabo, erant Carystiarum columnarum incisio, et templum Apollinis marmoreum: dicitur *saxosa* propter marmora. Lucanus: 'Qua maris angustat fauces saxosa Carystos.'

371 *Ægas*] Ægæ oppidum Eubœæ insulæ. *Altumque Capharea*] Caphareus promontorium Eubœæ insulæ, naufragio Græcorum ab excidio Trojano redeuntium celebre.

372 *Negat*] Id est, deficit, seu vix potest cernere. Sic Theb. II. 'Ast tamen illi Membra negant.' *Resistunt*] Id est, suo numero impediunt, quominus ipsos possim bene distinguere. Peyraredus vero explicat Gallice *font alte.*

374 *Ductor*] Eteocles. *Ab aggere*] Notat hic Bernartius consuetudinem Romanam, qua tribunal imperatoris semper in castris cespititium. Consuetudo hæc non prisca solum Rep. sed et tempore principum retenta. Noster Papinius Protreptico ad Crispinum: 'Hic suetus dare jura parens, hoc cespite turmas Affari.' Tacitus Ann. I. 'Simul congerunt cespites, exstruunt tribunal.' Vopiscus Probo: 'Ab omnibus acclamatum est: Probe Auguste, Dii te servent: deinde concursus et cespititium tribunal, appellatusque imperator.'

Hoste manus: urbem socia de gente subistis
Tutari, quam non aliis populator ab oris
Belliger, externave satus tellure, sed hostis
Indigena assultat, cui castra adversa regenti
Hic pater, hic genitrix, hic junctæ stirpe sorores,
Hic erat et frater. Cerne en ubicumque nefandus
Excidium moliris avis. Venere volentes
Aoniæ populi, nec sum tibi, sæve, relictus.
Quid velit ista cohors, et te sentire decebat.
Reddere regna vetant. Sic fatus, et omnia rite
Disponit, qui bella gerant, qui mœnia servent,
Quas in fronte manus, medio quas robore sistat.
Perspicuas sic luce fores, et virgea pastor
Claustra levat, dum terra recens: jubet ordine primos

vestræ manus domito inimico: suscepistis defendendam urbem confœderati populi, quam non hostis grassator ab aliis plagis, et oriundus peregrino solo aggreditur, sed civis adversarius, cui ducenti copias hostiles hic sunt genitor, hic mater, hic sorores genere connexæ, hic erat germanus quoque. Aspice, ecce sceleste, minaris ubicumque ruinam majoribus. Aoniæ gentes venere libentes, nec sum tibi desertus, dire: et conveniebat te intelligere, quid exercitus iste sentiat: prohibet me regnum restituere. Sic locutus est et administrat cuncta optime, qui prælientur, qui tutentur muros: quas disponat cohortes in prima acie, quas in media. Sic pastor tollit portas pervias luci, ac viminea clathra, dum terra adhuc humida est. Imperat rectores

ferant Superi.—384 'In duobus libris est: *adversa ferenti;* nihil mutamus.' *Barth.*—385 Behot. 1. *hac junctæ.*—386 In eodem codice, *nefunde*, cum glossa, 'o *nefande*.' Exc. Cantab. etiam *nefunde*. Optimus codex Barthii: *en cerne, ubicumque nefande;* Taurin. *nefundum.*—390 'Legendum: *Sic fatur, et,* cum optimis libris.' *Barth.*—392 'Scribe cum duobus libris: *quas corpore;* quæ

NOTÆ

386 *Hic erat et frater*] Quasi jam non esset. *Guyetus.* Corrige, *erit. Peyraredus.* *Nefandus Excidium moliris avis*] Corrige: *Nefanda Excidium moliris avi.* Horatius: 'Mala ducit avi domum.' *Peyraredus.* Sed male. Vulgata lectio optima, et ex veteri codice. Qui enim patriæ bellum infert, avis suis excidium parat, quorum tumuli ac cineres violabuntur.

388 *Aoniæ*] Bœotiæ.

390 *Reddere regna vetant*] Sic Theb. II. 'Nec ipsi patres Reddere regna sinent.'

393 *Perspicuas fores, et virgea Claustra*] Hæ sunt una eademque res. *Perspicuas*] Quia raritate virgarum lucem admittunt. Quidam codices *perspicua.*

394 *Dum terra recens*] Id est, dum terra recenti rore rigata est, quo tempore gratiora sunt pecoribus pascua.

Ire duces, media stipantur plebe maritæ :
Ipse levat gravidas, et humum tactura parentum
Ubera, succiduasque apportat matribus agnas.
Interea Danai noctemque diemque sub armis,
Noctem iterum rursusque diem (sic ira ferebat)
Ingeminant : contemta quies, vix aut sopor illis,
Aut epulæ fecere moram : properatur in hostem
More fugæ : nec monstra tenent, quæ plurima nectit
Prodigiale canens certi fors prævia fati.
Quippe ferunt diros monitus volucresque, feræque,
Sideraque, aversique suis decursibus amnes :

progredi primo ordine, matres vallantur medio grege : ipse erigit fœtas, et ubera matrum terram tangentia, et affert parentibus cadentes agnas. Interea Græci biduo duabusque noctibus continuant iter sub armis : (sic furor suadebat :) spreta quies, vix aut somnus aut cibus sumendus illos retardant. Accelerant in hostem, tanquam fugiant. Nec revocant ostenta, quæ fortuna prænuntia indubitati eventus jungit plurima, exitium minata. Aves enim et bestiæ, astraque et fluvii detorti

vox consonat cum frontis mentione.' *Idem.*—403 Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. *præscia ;* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. *fors prævia ;* Dan. Put. Petav. *sors præscia.*—404 *Quippe serunt diros monitus* Wakefieldus in Sylv. Crit. P. v. pag. 108.—405 Behot. 1. *aversisque ;* Behot. 2. *adversique.*—

NOTÆ

395 *Duces*] Arietes. *Maritæ*] Oves gravidas.

396 *Tactura*] Pondere lactis.

397 *Succiduas*] Succiduæ, quæ sub mamma sunt, seu ubere. *Guyetus.* Vel quæ succidunt ambulando, adeo teneræ sunt adhuc ; vel decidentes e vulva : oves enim pariunt incedendo. Affert igitur matribus, ut ipsis lac præbeant.

398 *Danai*] Argivi.

401 *Properatur in hostem More fugæ*] Supra : 'Præcipitant redimuntque moras.'

402 *Monstra*] Quævis ostenta, seu prodigia ac portenta, vocantur *monstra.*

404 *Quippe ferunt diros monitus, &c.*] Hæc omnia et similia prodigia solebant præcedere imminentes calamitates, eorumque veteres fuere observantissimi, diversaque instituerunt sacrificia ad ea procuranda. Exempla passim obvia apud Historicos, præsertim Livium. Sufficiet aliqua referre. 'Monitus' autem, et 'monere,' propria verba de auguriis, oraculis, prodigiis, ominibus, somniis. Silius : 'Huic Superos sentire monentes Ars fuit.' Lucanus : 'Monitus volitantis in aëre pennæ.' Valerius Flaccus : 'Monitu prænoscere Divum Omina.' *Volucresque, feræque*] Volucres enim feræque inauspicatæ erant, visæque, aut auditæ, dirum quid ac funestum portendebant, ut bubo, striges, &c.

405 *Sideraque*] Josephus tradit sidus Hierosolymis imminuisse, ac cometem per annum integrum visum,

Infestumque tonat pater, et mala fulgura lucent:
Terrificæque adytis voces, clausæque Deorum
Sponte fores: nunc sanguineus, nunc saxeus imber,
Et subiti Manes, flentumque occursus avorum.
Tunc et Apollineæ tacuere oracula Cyrrhæ,

a suis alveis dant horrendos monitus: Jupiter adversum tonat, et micant dira fulgura: terribilesque voces emittuntur e templorum penetralibus, ac delubra Deorum ex se clausa. Nunc pluit cruore, nunc lapidibus, umbræ mortuorum repente apparentes, et plorantes majores obvii facti. Tunc et responsa Cyrrhæ Apollini sacræ

NOTÆ

inter prodigia, quæ excidium ejusce urbis præcesserunt. *Aversique suis decursibus amnes*] Sic Plinius de Tiberi exundante lib. III. cap. 5. 'Quinimmo vates intelligitur potius ac monitor, auctu semper religiosus verius, quam sævus.'

406 *Infestumque tonat pater, et mala fulgura lucent*] Fulminum jactus, et fulgura inter omina posita. Cicero de Divinatione lib. I. et Oratione III. in Catilinam: 'Nam visæ sunt tempore nocturno faces, ardorque cœli, mota est terra, fulmina deciderunt.'

407 *Terrificæque adytis voces*] Ut cum bello Gallico vox Senonum adventum prædixit. Sic et narrat Josephus, paucis ante diebus quam Hierosolyma expugnarentur, auditos in templo strepitus quasi exeuntium, et auditas voces, 'migremus hinc.' *Clausæque Deorum Sponte fores*] Quasi precantes excluderent, quod signum erat inauspicatum. Sic e contra 'reclusæ templorum fores inter omina numeratæ,' ut de portis templi Hierosolymitani refert Josephus loco citato. Et infra Noster: 'Et templis Sparte præsaga reclusis Vidit Amyclæos (facinus!) concurrere fratres.'

408 *Nunc sanguineus, nunc saxeus imber*] Cicero de Divinatione II. 'Sanguine pluisse senatui nuntiatum est.' Livius lib. XI. 'Præter hæc,' inquit, 'relatum est in monumenta, inferiore cœlo lacte et sanguine pluisse.' Idem lib. VI. Belli Maced. 'Terracinæ et Amiterni nuntiatum est, lapidibus aliquando pluisse.' Idem lib. I. 'Nuntiatum regi patribusque est, in monte Albano lapidibus pluisse.

409 *Et subiti Manes, flentumque occursus avorum*] Vel quod ita res se habeat, vel quod in publicis calamitatibus metus ipse hæc menti oculisque quasi ingerat. Refert Dio in Tito, evomente flammas Vesuvio, homines giganteæ magnitudinis interdiu noctuque per urbes oberrasse. Dionysius Halicarnass. lib. VIII. sub finem scribit Romæ multa observata prodigia, Deorum iram portendentia, exauditas inauspicatas voces incerto auctore, obversatas oculis novas spectrorum facies, et hæc oculis atque auribus hominum sæpe oblata. Lucanus lib. I. 'Venientes cominus umbras.' Ovidius Fast. II. 'Vix equidem credo: bustis exisse feruntur, Et tacitæ questi tempore noctis avi. Perque vias urbis, Latiosque ululasse per agros Deformes animas, vulgus inane, ferunt.'

410 *Apollineæ Cyrrhæ*] Cyrrha urbs Phocidis. *Tacuere*] Hoc dicit, quia, ut ait Lactantius hic, in Cyrrha prospera dabantur tantum oracula; nam cui exitium imminebat, taciturnitate templi penitus damnabatur.

Et non assuetis pernox ululavit Eleusin
Mensibus, et templis Sparte præsaga reclusis
Vidit Amyclæos (facinus!) concurrere fratres.
Arcades insanas latrare Lycaonis umbras
Nocte ferunt tacita: sævo decurrere campo
Œnomaum sua Pisa refert. Acheloon utroque
Deformem cornu vagus infamabat Acarnan.

siluerunt, et vigil Eleusis mugiit insolitis temporibus, et præscia Lacedæmon aspexit delubris apertis fratres Amyclæos (monstrum!) contra se invicem dimicantes. Arcades produnt rabidos manes Lycaonis latrasse per silentium noctis. Pisa renuntiat Œnomaum suum decurrere in crudeli stadio, et errabundus Acarnam referebat Acheloum turpiter truncatum esse utroque cornu. Mycenæ implorant tris-



411 *Eleusis* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et edd. vett. *Eleusin* Dan. Put. et Petav. Vide Heinsium ad Ovid. Heroid. IV. 67. et Gronov. ad Theb. II. 382. Not. Var.—414 *Arcados insanas* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. et edd. vett. Vide Not. Var.—416 Behot. 2. *Acheloumque in utroque.*—

NOTÆ

411 *Et non assuetis pernox ululavit Eleusin Mensibus*] Eleusis civitas Atticæ, in qua Ceres religiose colebatur, ejusque sacra mensibus tantum fixis statisque celebrabantur. *Pernox*] Quia hæc sacra noctu fiebat. *Ululavit*] Quia hæc sacra Cereris magnis clamoribus et ejulatibus agebantur, ut in quibus repræsentabatur luctus Cereris de amissa Proserpina filia. Noster lib. XII. 'Noctivagumque gregem, quamvis sibi luget, Eleusin Flevit, et arcanos lugentibus extulit ignes.'

412 *Sparte*] Sparta caput Laconiæ.

413 *Amyclæos fratres*] Pollucem et Castorem oriundos ex Amyclis oppido Laconiæ regia Tyndari; quorum mira in se invicem pietas ac amicitia prædicatur. *Concurrere*] Signum hoc erat funestissimum, et portendebat Eteoclem et Polynicem contra se invicem dimicaturos. Templum enim Spartæ habebant Castor et Pollux.

414 *Arcades*] Priores editiones habent *Arcados.* Sed legendum esse *Arcades* bene observavit Gronovius. Ut enim omnes gentes, quæ bello Thebano intererant, signa ac prodigia viderant, quibus infelicem eventum hujusce belli expectare debebant; Sparte viderat reclusis templi foribus Castorem ac Pollucem concurrentes; Pisa Œnomaum currentem in suo stadio; Acarnan Acheloum privatum etiam altero cornu; sic Arcades referebant audisse latratus Lycaonis. Nota autem fabula Lycaonis in lupum conversi, quod puerum Jovi epulandum dederit.

416 *Œnomaum sua Pisa refert*] Hoc notum est ex præcedentibus. *Acheloon utroque Deformem cornu vagus infamabat Acarnan*] Omnes sciunt Acheloum, lucta ab Hercule victum, fuisse uno cornu truncatum: sed in hoc tempore Acarnan inter prodigia referebat truncatum altero cornu Acheloum. Notum etiam est, amnes taurino capite repræsentari. Sensus est aruisse alterum cornu seu ostium

Perseos effigiem mœstam exorantque Mycenæ
Confusum Junonis ebur: mugire potentem
Inachon agricolæ, gemini maris incola narrat
Thebanum toto planxisse Palæmona ponto.
Hæc audit Pelopea phalanx: sed bellicus ardor
Consiliis obstat Divum, prohibetque timeri.
Jam ripas, Asope, tuas, Bœotaque ventum
Flumina: non ausæ transmittere protinus alæ
Hostilem fluvium: forte et trepidantibus ingens
Descendebat agris, animos sive imbrifer arcus,
Seu montana dedit nubes, seu fluminis illa
Mens fuit, objectusque vado pater arma vetabat.

tem statuam Perseos, et effigiem eburneam Junonis mutatam vultu. Rustici referunt florentem Inachum ululare, et habitator duorum æquorum Thebanum Palæmona plorasse in toto pelago. Hæc accipit exercitus Argivus, sed Martius impetus resistit monitis Divum, et vetat formidari. Jam accesserant ad tua littora, O Asope, et fluvios Bœotiæ. Non statim turmæ tentarunt trajicere hostilem amnem. Forte et tumidus exundabat in trementes campos, seu pluviosus arcus cœlestis, seu montana nubes eum auxerant, seu illud fuit consilium amnis, et pater oppositus aquis bellum

423 'In alio libro est: *prohibetque dolore*, cum glossa: 'Id est: Sapere, ad se redire.' Nihil muto.' *Barth.*—424 *Boëtaque* unus Behot. Dan. Put. et Petav.—428 Markland. ad Sylv. v. 3. 171. legit: *Seu montana dedit tabes, seu*

NOTÆ

Acheloi, primo ab Hercule in plures rivos deducto et exsiccato. *Acarnan*] Vide lib. VI. 652.

418 *Perseos effigiem mœstam*] Perseus enim ab Argivis et Mycenensibus inter Deos relatus fuerat. *Effigiem mœstam*] Et hoc inter prodigia numeratum, si numinum effigies, alio vultu, quam quo solitæ, viderentur. Sic Hercule Epitrap. de Alexandro: 'Ille etiam, fatis magnos rumpentibus actus, Cum traheret letale merum, jam mortis opacæ Nube gravis, vultus alios in numine caro, Æraque supremis timuit sudantia mensis.'

419 *Confusum Junonis ebur*] Id est, statuam Junonis eburneam, quæ religiose culta ab Argivis. *Confusum*] Forte sudans, quod etiam inter ostenta habitum, ut mox vidimus ex Hercule Epitrapezio, et Theb. IV. 'Nam Tyrios sudasse lares.' *Mugire*] Hoc refertur ad taurinam speciem fluminum, de qua supra.

420 *Inachon*] Inachus fluvius Argolidis. *Gemini maris incola*] Id est, incola Isthmi, qui hinc et inde mari alluitur.

421 *Thebanum Palæmona*] De Palæmone vide supra pluribus in locis.

422 *Pelopea*] Peloponnesia.

424 *Asope*] Asopus fluvius Bœotiæ, cujus fabulam supra retulit Noster.

427 *Imbrifer arcus*] Arcus enim cœlestis portendit pluvias.

Tunc ferus Hippomedon magno cum fragmine ripæ
Cunctantem dejecit equum, ducibusque relictis
Gurgite de medio frænis suspensus, et armis,
Ite viri, clamat: sic vos in mœnia primus
Ducere, sic clausas voveo perfringere Thebas.
Præcipitant cuncti fluvio, puduitque secutos.
Ac velut ignotum si quando armenta per amnem
Pastor agit, stat triste pecus, procul altera tellus
Omnibus, et late medius timor: ast ubi ductor
Taurus init, fecitque vadum, tunc mollior unda,
Tunc faciles saltus, visæque accedere ripæ.
Haud procul inde jugum, tutisque accommoda castris
Arva notant, unde urbem etiam turresque videre
Sidonias: placuit sedes, fidique receptus,
Colle per excelsum patulo, quem subter aperto

prohibebat. Tunc ferox Hippomedon impulit cum ingenti fragmento littoris detrectantem equum, et ducibus pone relictis, vociferatur de medio alveo, elatis habenis, ac clypeo, Venite duces: sic spondeo vos primus agere in muros hostiles, sic perrumpere obseratas Thebas. Prosiliunt in amnem, et erubuerunt se secutos esse. Ut si quando pastor ducit gregem per fluvium incognitum, tristia animalia hærent, et ulterior ripa videtur cunctis longe remota, mediumque spatium sua latitudine metum injicit: at ubi taurus rector subiit flumen, et aperuit viam, tunc aqua minus timenda videtur, tunc proclivis saltus, visaque littora appropinquare. Animadvertunt non longe ab hoc loco collem, et campum idoneum ponendis securis castris, ex quo etiam cernere erat civitatem et turres Thebanas. Locus arrisit, et visi tuti receptus, tumulo ad ascensum facili, subter quem erant agri libero spatio, et nulli alii

numinis, &c.—434 Barthius ex codice manuscripto: *sic clausas moveo.*—439 'Optimus et alter *fecitque viam;* quod probo.' *Barth.*—442 'Optimi et alterius codicis lectio concinnior videtur, *viderent.*' Barth. *videre est* edd. vett. Vide Gronov. Obss. lib. II. cap. 14.—444 *Calle per excelsum patula quam sub-*

NOTÆ

432 *Frænis suspensus et armis*] Elatis habenis et clypeo. Ob profunditatem enim fluvii natare coactus est, et elevare habenas et clypeum, ne madefierent: amnis enim tunc tumidus et magnus erat.

435 *Puduitque secutos*] Id est, puduit eos quod secuti essent alium, neque duces fuissent aliis.

438 *Et late medius timor*] Id est, timor illis repræsentat medium fluvium latissimum.

440 *Visæque accedere ripæ*] Refert hoc ad opinionem armentorum, quibus, cessante timore, firmatisve exemplo tauri transeuntis, tunc videtur fluvii altitudo minor, et brevior latitudo.

443 *Sidonias*] Thebanas.

Arva sinu, nullique aliis a montibus obstant
Despectus: nec longa labor munimina durus
Addidit: ipsa loco mirum Natura favebat.
In vallum elatæ rupes, devexaque fossis
Æqua, et fortuito ductæ quater aggere pinnæ:
Cetera dant ipsi, donec sol montibus omnis
Erepsit, rebusque dedit sopor otia fessis.
Quis queat attonitas dictis ostendere Thebas?
Urbem in conspectu belli suprema parantem
Territat insomnem nox atra, diemque minatur.
Discurrunt muris: nil septum horrore sub illo,
Nil fidum satis, invalidæque Amphionis arces.
Rumor ubique altus, pluresque annuntiat hostes,

montes despiciunt, et imminent. Nec molesta opera adjecit longa propugnacula, adeo natura fecerat commodum locum. Scopuli erigebantur in modum valli; declivia supplebant vicem fossarum, et quatuor rupes in modum turrium pinnatarum formatæ erant fortuito aggere. Ipsi addunt reliqua, donec totus sol sensim reliquit montium cacumina, et somnus attulit quietem laboribus eorum. Quis possit verbis exprimere consternationem Thebanorum? nigra nox perculit formidine vigilem urbem, et se ad extrema parantem in conspectu hostium, et intentat diem. Discurrunt per mœnia. Nihil clausum est in illo pavore, nihil satis tutum, et arces Amphionis videntur infirmæ. Murmur ubique magnum, et metus refert plures hostes,

---

ter, &c. Dan.—445 *Arva situ* optimus Barthianus.—447 Optimus codex Barthii *loci;* quod ille probat. *murum* pro *mirum* unus Behot.—451 *Derepsit* correxit Nic. Heinsius in Advers. lib. II. cap. 19. p. 373.—453 Optimus Barthianus, *suprema paventem.* Vide Not. Var.—457 'Vera lectio est in

NOTÆ

445 *Nullique aliis a montibus obstant Despectus*] Id est, nulli montes altiores erant, qui despicerent hunc collem, et ex quibus infestari poterat. Gallice, *ne le commandoient point.*

449 *Et fortuito ductæ quater aggere pinnæ*] Rupes quatuor ductæ in modum turrium pinnatarum.

450 *Cetera dant ipsi*] Quæ deerant castrorum munitioni, manuum opere addebantur.

453 *Belli suprema parantem*] Sic et scripti. Bernartius conjicit *paventem.* Quod priusquam viderem, venerat in mentem: *in conspectu belli suprema parantis.* Quod ei parabat extrema. Apud Livium lib. VIII. Fabius senex ad Papinium dictatorem: 'Quando quidem apud te, nec auctoritas senatus, nec ætas mea, cui orbitatem paras, &c. valet.' *Gronovius.*

454 *Territat insomnem*] Nox auget timorem bellicum, ut nemo quiescere possit. *Diemque minatur*] Ut magis metuant venturam diem. Vel *diem* dicit hostium cum facibus et flammis adventum.

456 *Nil fidum satis*] Perterritis enim nihil satis tutum videtur.

457 *Rumor ubique altus*] Non placet ille *altus,* scribe *alius.* Sic notat

Majoresque timor: spectant tentoria contra
Inachia, externosque suis in montibus ignes.
Hi precibus, questuque Deos: hi Martia tela
Belligerosque hortantur equos: hi pectora fletu
Cara premunt, miserique rogos, et crastina mandant
Funera. Si tenuis demisit lumina somnus,
Bella gerunt: modo lucra moræ, modo tædia vitæ
Attonitis: lucemque timent, lucemque precantur.
It geminum excutiens anguem, et bacchatur utrisque
Tisiphone castris: fratrem huic, fratrem ingerit illi,
Aut utrique patrem. Procul ille penatibus imis,
Excitus implorat furias, oculosque reposcit.
Jam gelidam Phœben et caligantia primus

et bellicosiores. Cernunt ex opposito tentoria Argiva, et peregrinas flammas in suis montibus. Hi Deos votis et precibus fatigant: hi acuunt bellicas sagittas, et excitant equos bellatores: hi rigant lacrymis pectora carorum, et infelices præcipiunt busta et crastinas exequias sibi parari. Si levis sopor inclinavit palpebras, sibi videntur certare: nunc dilatio compendio est consternatis, nunc vita fastidio, et pavent diem ac exoptant diem. Tisiphone graditur, movens geminam serpentem, furitque in utrisque castris: huic monstrat fratrem, illi fratrem, aut utrique genitorem. Procul ille experrectus in infimis laribus, invocat furias et oculos desiderat. Jam prima lux hebetaverat frigidam lunam, et obscuraverat sidera, cum jam Oceu-

optimo nostro et Lindenbrogii, *ubique alios.*' Barth. Vide Not. Var. *Rumor ubique alius* legit Nic. Heinsius in Advers. lib. III. cap. 17. p. 550. *ubique alitus* conj. Burmannus. *plures adnunciat hostes* Exc. Cantab. omisso τῷ *que*.—466 Margo ed. Barth. *bacchatus*.—467 *Thesephone* unus Behot.—471 Edd.

NOTÆ

naturam rumorum, qui vanitate et mendaciis, ut aluntur, ita plerumque dissident secum, et inter auctores variantur. Claudianus in Rufinum lib. I. ' Dissensusque alitur rumor.' *Gronovius.*

459 *Inachia*] Argivas.

460 *Hi Martia tela, Belligerosque hortantur equos*] Hæc inepta et insititia videntur Guyeto; ideo post *questuque Deos*, legit *hi pectora fletu*, id est, planctu.

462 *Mandant Funera*] Commendant, vel sua vel suorum, si in hoc bello moriantur.

464 *Bella gerunt*] Videntur sibi bellare in somniis.

465 *Lucemque timent, lucemque precantur*] Quod proprie anxiorum est et perterritorum.

466 *Geminum anguem*] Propter duos fratres, ut unicuique eorum majus odium atque implacabile alterius immittat. Ceterum hic versus suspectus Guyeto una cum tribus sequentibus. Quid *geminus anguis*, ait, unde ἐπέχει.

469 *Excitus*] Insomnis, vigilans, experrectus. *Peyraredus.*

470 *Phœben*] Phœbe, luna, ut Phœbus, sol poëtis.

Hauserat astra dies, cum jam tumet igne futuro
Oceanus, lateque novo Titane reclusum
Æquor, anhelantum radiis subsidit equorum.
Ecce truces oculos sordentibus obsita canis
Exsanguesque Iocasta genas, et brachia planctu
Nigra ferens, ramumque oleæ cum velleris atri
Nexibus, Eumenidum velut antiquissima, portis
Egreditur, magna cum majestate malorum.
Hinc atque hinc natæ, melior jam sexus, aniles
Præcipitantem artus, et plusquam posset euntem
Sustentant. Venit ante hostes, et pectore nudo
Claustra adversa ferit, tremulisque ululatibus orat
Admitti: Reserare viam rogat impia belli
Mater: in his aliquod jus execrabile castris

nus inflatur ventura flamma, et late apertum mare, orto recens sole, detumescit radiis equorum obnitentium. Ecce Jocasta habens torva lumina obsepta squalida canitie, et gerens pallidas malas, et lacertos ictibus lividos, ac ferens frondem oleæ nigra lana involutam, velut vetustissima Furiarum, exit portis, cum magna dignitate calamitatum. Hinc et inde filiæ, innocentior jam sexus, sublevant eam accelerantem aniles passus, et progredientem celerius quam posset. Venit in conspectum hostium, et nudato pectore pulsat hostiles portas, et rogat introduci trepidis clamoribus. Aperite viam, orat profana causa belli. Aliquod jus abominandum ventri huic est in

vett. *et jam;* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Behott. 1. 2. Dan. optimi Barthiani, et Venett. *cum jam.*—475 *Exangues Iocasta* unus Behot. et meliores Barthii, quod ille probat.—482 *Castra adversa* Exc. Cantab.—483 'In melioribus libris *improba*, non *impia*, scriptum est: sed hoc malumus.' *Barth. reserate viam* Dan. Put. Petav. Lindenbrog. Cruc. et Delph. ut conjectabat Jor-

NOTÆ

471 *Igne futuro*] Solis orientis.

473 *Anhelantum*] Quia, ut ait Ovidius Met. II. 'Ardua prima via est, et qua vix mane recentes Enituntur equi.' Unde 'anhelant.' *Subsidit*] Oriente enim sole *subsidit*, seu detumescit ut plurimum mare, si agitatum est, aut inflatum.

476 *Ramumque oleæ cum velleris atri Nexibus*] Hoc, more supplicantium, qui ramum oleæ lana involutum ferebant. Græcis hic ramus εἰρεσιώνη vocabatur et ἱκετηρία, Æschylo ἱκετήριοι κλάδοι. Hinc Nostro alibi et Valerio Flacco: 'Supplex oliva.'

477 *Eumenidum velut antiquissima*] Alecto, quæ natu major erat.

478 *Magna cum majestate malorum*] Lucanus de Cornelia Pompeii: 'Nobilitate dolendi.'

479 *Melior jam sexus*] Quia filii impii.

483 *Reserare viam, &c.*] Hæc ineptissima judicat Guyetus, quare delet, et τὸ *Admitti* jungit cum *trepidi* versu 485.

484 *Jus execrabile*] Quia ex incestu cum filio genuerat Polynicem.

Huic utero est. Trepidi visam expavere manipli,
Auditamque magis. Remeat jam missus Adrasto
Nuntius: excipiunt jussi, mediosque per enses
Dant iter: illa duces ut primum aspexit Achivos,
Clamorem horrendum luctu furiata resolvit:
Argolici proceres, hei quis monstraverit hostem,
Quem peperi? quanam inveniam, mihi dicite, natum
Sub galea? venit attonitæ Cadmeius heros
Obvius, et raptam lacrymis gaudentibus implet,
Solaturque tenens, atque inter singula, matrem,
Matrem iterat, nunc ipsam urgens, nunc cara sororum
Pectora, cum mixta fletus anus asperat ira:
Quid molles lacrymas, venerandaque nomina fingis,
Rex Argive, mihi? quid colla amplexibus ambis,
Invisamque teris ferrato pectore matrem?
Tune ille exilio vagus? et miserabilis hospes?
Quem non permoveas? longe tua jussa cohortes
Expectant, multoque latus præfulgurat ense.

his castris. Pavidi cunei exhorruere aspectam, et plus auditam. Jam missus ad Adrastum nuntius redit. Admittunt ex imperato, et faciunt ei viam per medios gladios. Illa ut primum videt duces Argivos, dolore efferata, edidit terribilem ululatum: Optimates Argivi, hei, quis ostenderit hostem, quem genui? Quanam sub casside reperiam filium, mihi referte. Heros Cadmo oriundus venit in occursum consternatæ, eamque constrictam inter brachia perfudit exultantibus lacrymis, et permulcet amplectendo, et inter singula verba repetit genitricem, genitricem. Nunc stringit ipsam, nunc pectus blandientium sororum, cum vetula exacerbat lacrymas mixta indignatione: quid mihi simulas teneros fletus, et pia vocabula, rex Argive? Quid innectis amplexibus cervicem, et lædis loricato pectore odiosam parentem? Tune ille exilio errans et infelix advena? Cui non terrorem incuties? Exercitus multum præstolatur mandata tua, et latus tuum coruscat gladiis satellitum qui te

tinus.—488 Dan. *aspexit Achcos.*—490 Dan. Petav. et edd. vett. *heu quis;* Put. *ecquis;* Behott. 1. 2. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. *ei quis.*—501 *Quod non permoveas* in optimo codice Barthii.—502 'Vett. editiones, *perfulgurat*

NOTÆ

485 *Huic utero*] Fingitur uterum ostentans, aut manibus percutiens. *Vet. Schol.*

490 *Hei quis*] Alii codices, *ecquis;* alii, *heu quis.*

492 *Cadmeius heros*] Polynices.

494 *Matrem, Matrem*] Anadiplosis. Satiari enim non potest optatissimo nomine. *Vetus Schol.*

498 *Rex Argive*] Invidiose Argivum vocat, non Thebanum, quia copiis Argivis instructus, bellum patriæ inferebat.

501 *Quem non permoveas*] Quidam hunc locum sic interpretantur: Cui non miserationem commovebis?

Ah miseræ matres! hunc te noctesque, diesque,
Deflebam: si verba tamen, monitusque tuorum
Dignaris, dum castra silent, suspensaque bellum
Horrescit pietas, genitrix jubeoque, rogoque,
I mecum, patriosque Deos, arsuraque saltem
Tecta vide, fratremque, (quid aufers lumina?) fratrem
Alloquere, et regnum jam me sub judice posce.
Aut dabit aut ferrum causa meliore resumes.
Anne times, ne forte doli, et te conscia mater
Decipiam? non sic miseros fas omne penates
Effugiet: vix Œdipode ducente timeres.
Nupsi equidem, peperique nefas: sed diligo tales,
Ah dolor, et vestros etiamnum excuso furores.
Quod si adeo perstas, ultro tibi, sæve, triumphum

stipant. Ah matres infelices! Talem te plorabam cunctis diebus ac noctibus. Si tamen admittis dicta et consilia tuorum, dum tacent castra, et ambigua pietas bellum horrescit, mater, impero, obsecroque, veni mecum, saltem revise patria numina, et regiam cremandam, ac affare germanum (quid avertis oculos?) germanum, et jam pete imperium sub me arbitra. Aut illud reddet, aut rursus capies arma justiore jure. Anne metuis, ne forte fraudes subsint, et illarum mater gnara te circumveniam? Non sic tota justitia deseruerit infelices lares. Vix metueres Œdipo uxorem ducente. Nupsi equidem, et genui inceste, sed amo tales, ah dolor, et ignosco etiam furoribus vestris. Quod si adeo obstinatus es, sponte tibi, crudelis, concedimus vic-

auro; in plerisque manuscriptis libris, non tamen optimo, et ab eo secundo, legitur: *latus præfulgurat ense.* Ego illam lectionem præfero.' *Barth.*—504 *Deflebant* in optimo codice Barthii.—510 'Scribe cum optimis membranis: *resumas.*' Barth.—511 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. et edd. vett. *ne forte doli te conscia mater.*—512 *Decipiunt* edd. vett.—515 Put. *exosa*

NOTÆ

502 *Multoque latus præfulgurat ense*] Vere et eleganter: alludit enim ad morem Romanum, quo principibus nusquam non satellites aderant cum gladiis ad latus. Quidam codices habent *auro.*

503 *Hunc te*] Talem, seu exulem.

506 *Genitrix jubeoque, rogoque*] Et personam servat et tempus: jubet filio, exulem rogat iratum et armis instructum.

511 *Ne forte doli, et te conscia*] Ne forte subsint doli, et eorum mater conscia te decipiam.

512 *Non sic miseros*] Obtestatur se minime eum decepturam, quia amet suos filios, etiamsi ex incestu sint concepti per errorem, ideoque *miseros penates* dixit. *Fas omne*] Justitia fundata in natura. Nam secundum hanc mater amat filium, etsi in incestu genitum. *Vet. Scholiast.*

513 *Vix Œdipode ducente timeres*] Filius enim etiam jure sibi timere poterat ab Œdipo, qui et interfecerat patrem, mox matrem uxorem duxerat.

Detulimus: religa captas in terga sorores,
Injice vincla mihi: gravis huc utcumque feretur
Et pater. Ad vestrum gemitus nunc verto pudorem,
Inachidæ: liquistis enim parvosque senesque,
Et lacrymas has quisque domi, sua credite matri
Viscera: si vobis hic parvo in tempore carus,
(Sitque precor,) quid me, oro, decet? quidve ista, Pelasgi,
Ubera? ab Hyrcanis hoc Odrysisque tulissem
Regibus, et si qui nostros vicere furores.
Annuite, aut natum complexa superstite bello
Hic moriar. Tumidas frangebant dicta cohortes,
Nutantesque virum galeas, et sparsa videres
Fletibus arma piis: quales ubi tela virosque
Pectoris impulsu rapidi stravere leones;

torium, vinci captivas sorores retortis in terga manibus, innecte mihi catenas, grandævus genitor huc quoquomodo adducetur. Nunc, Argivi, converto querelas ad vestram verecundiam. Deseruistis enim quisque domi parvulos, senesque, et fletus similes meis, fidei matris sua committite pignora. Si vobis hic fuit carus in modico tempore, (sitque oro,) quid mihi precor, convenit? quidve istis mammis, Pelasgi? Impetrarem hoc ab Odrysis et Hyrcanis principibus, et si qui sunt qui nostram feritatem superaverunt. Assentite, aut hic occumbam complexa filium, remanente bello. Hæc oratio permovebat iratas copias, et aspexisses cassides militum trementes motu capitis, et arma perfusa piis lacrymis. Ut cum præcipites leones afflixerunt humi,

furores.—518 Dan. *gravis huic.*—519 Codices Barthii: *non verto.*—520 Wakefieldus in Sylv. Crit. P. IV. p. 213. ita distinguit: *liquistis enim parvosque senesque Et lacrymas has quisque domi; sua, credite matri, Viscera.*—522 Unus Behot. *parvo tempore*, omissa præpositione.—523 Edd. vett. *quodve ista;* Bernartius conj. *quid me ista, &c.*—530 Put. *rabidi stravere.*—534 *Ipse etiam*

NOTÆ

517 *Captas in terga*] Manibus in tergum revinctis.

518 *Gravis*] Annis scilicet, propter sequens *utcumque.*

520 *Inachidæ*] Argivi.

521 *Has*] Similes meis.

523 *Quid me, oro, decet*] Id est: Ego plus eum diligere debeo, quem peperi.

524 *Hyrcanis*] De Hyrcanis supra. *Odrysisque*] Id est, Thraciis. Odrysæ enim populi Thraciæ. Memorat hic Hyrcanos et Odrysios, tanquam immanes et barbaras gentes.

525 *Et si qui nostros vicere furores*] Et si qui sunt reges, qui feritate morum ac immanitate nostra scelera exsuperaverunt. Qui nostris sceleribus sunt severiores. *Guyetus.*

530 *Pectoris impulsu*] Quia summa vis leonis in pectore est. Plinius lib. VIII. cap. 16.

Protinus ira minor, gaudentque in corpore capto
Securam differre famem: sic flexa Pelasgum
Corda labant, ferrique avidus mansueverat ardor.
Ipse etiam ante omnes nunc matris ad oscula versus,
Nunc rudis Ismenes, nunc flebiliora precantis
Antigones, variaque animum turbante procella
Exciderat regnum: cupit ire, et mitis Adrastus
Non vetat: hic justæ Tydeus memor occupat iræ:
Me potius socii, qui fidum Eteoclea nuper
Expertus, (nec frater eram,) me opponite regi,
Cujus adhuc pacem egregiam, et bona fœdera gesto

pectoris impetu, jacula venatoresque; statim furor desævit, lætanturque differre jam tutam famem in capta præda: sic moti Pelasgorum animi nutant, et inhians cupido armorum restinguitur. Ipse etiam Polynices coram omnibus, nunc conversus ad oscula parentis, nunc simplicis Ismenes, nunc Antigones quæ orabat lamentabiliori modo, et diverso æstu cogitationum jactante suam mentem, obliviscebatur regnum. Vult ire, nec placidus Adrastus impedit. Hic Tydeus recordatus justi doloris prævenit: me potius comites, qui nuper sensi æquitatem Eteoclis, nec eram germanus, objicite tyranno; cujus adhuc porto in hoc pectore optimam pacem, et egregia pacta.

ante oculos Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. et Venett.—535 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Behott. 1. 2. et edd. vett. *nunc flebilis ora.*—538 *Vix vetat* optimi codd. Barth.—539 *Ethioclea* unus Behot.—542 *Corpore* in quibusdam

NOTÆ

531 *Protinus ira minor*] Leoni enim tantum ex feris clementia in supplices: prostratis parcit: et ubi sævit, in viros prius, quam in fœminas fremit, infantes non nisi magna fame. Credit Libya intellectum pervenire ad eos precum. Captivam certe reducem Getuliæ audivi, multorum in sylvis impetum a se mitigatum alloquio, ausam dicere se fœminam, profugam, infirmam, supplicem animalis omnium generosissimi, ceterisque imperantis, indignam ejus gloria prædam. Ita Plinius ibidem. Vide et Ælianum lib. IV. cap. 34.

532 *Securam differre famem*] Jam cibum paratum habentes, quem tamen non attingunt propter generositatem. Papinius enim fingit nobilitate animi etiam famem vincere et differre. *Pelasgum*] Argivorum.

535 *Flebiliora*] Quidam codices, *flebilis ora.*

537 *Regnum*] Regni cupido. *Cupit ire*] Ivisse Thebas Polynicem refert Euripides in Phœnicibus, Jocastamque frustra tentasse fratres reconciliare, eosque ex colloquio infensiores discessisse.

538 *Justæ iræ*] Quia contra jus gentium sibi insidiæ structæ fuerant ab Eteocle, quem nulla prius injuria læserat.

540 *Nec frater eram*] Nec tanti erat me occidi. Theb. II. 'Quas quæreret artes, Si fratrem, Fortuna, dares?'

Pectore in hoc: ubi tunc fidei, pacisque sequestra
Mater eras, pulchris cum me nox vestra morata est
Hospitiis? nempe hæc trahis ad commercia natum?
Duc illum in campum, vestro qui sanguine pinguis
Spirat adhuc, pinguisque meo: tu porro sequeris?
Heu nimium mitis, nimiumque oblite tuorum!
Scilicet infestæ cum te circum undique dextræ
Nudabunt enses, hæc flebit, et arma quiescent?
Tene ille, heu demens, semel intra mœnia clausum,
Possessumque odiis Argiva in castra remittet?
Ante hæc excusso frondescet lancea ferro,
Inachus ante retro, nosterque Achelous abibunt.
Sed mite alloquium, et sævis pax quæritur armis,

Ubi tunc eras genitrix sequestra fidei et concordiæ, cum nox vestra retardavit me egregiis hospitiis? Nempe allicis in has fraudes filium? Age eum in agrum, qui fumat adhuc opimus vestro meoque cruore. Tu porro sequeris illam? Heu nimium lenis, et nimium immemor tuorum. Nempe cum hostiles manus stringent circum te undique gladios, hæc plorabit, et arma cessabunt? Tene ille, heu insane, semel obseptum inter mœnia, vindictæque suæ obnoxium remittet in castra Argiva? Ante hæc lancea ramos emittet ademta cuspide, ante Inachus nosterque Achelous retro fluent. Sed placidum colloquium, et pax pe-

Barthianis.—543 Verbum *est* non habetur in Dan. Put. Petav. Lipsian. Lindenbrog. et Cruc.—548 Dan. Put. Petav. Lindenbrog. et Cruc. *dextra*.—

NOTÆ

542 *Pectore in hoc*] Δεικτικῶς, id est, meo, perfosso scilicet multis vulneribus. *Pacisque sequestra*] Hic Lactantius: 'Sequester dicitur qui certantibus medius intervenit, apud quem cujuscumque certaminis futuri pignora deponuntur. Hoc vocabulum ab obsequendo factum est; quod ejus, qui electus fuerit, utraque pars sequatur.' Vide Festum in 'sequester,' et Gellium lib. xx. cap. ultimo. Obvia ea vox apud Jurisconsultos. *Pacis* igitur *sequester*, id est, medius et arbiter. Arbitrum et sequestrum conjunxit Plautus Rudente: 'Tu isthunc hodie non feres, nisi das sequestrum aut arbitrum, Cujus hæc res arbitratu fiat.' Silius lib. VI. 'At nova Elissæi jurato fœdera patres Consultant mandare duci, pacisque sequestrem Mittere.' Lucan. lib. X. 'Orator regis pacisque sequester.' Græce: μεσίτης.

543 *Pulchris Hospitiis*] Ironice.

544 *Hæc ad commercia*] Ostendebat vulnera, quæ in insidiis nocte acceperat: quasi ad pares insidias trahere vellet filium Jocasta.

546 *Tu porro sequeris*] Convertit orationem ad Polynicem.

551 *Possessumque odiis*] Id est, in potestatem hostium tuorum reductum.

544 *Sed mite alloquium*] Objicit sibi Tydeus pacem hac ratione fieri posse, si fratres arbitris propinquis contro-

Hæc quoque castra patent: necdum meruere timeri.
An suspectus ego? abscedo, et mea vulnera dono.
Intret, et hic genitrix eadem, mediæque sorores.
Finge autem pactis evictum excedere regnis,
Nempe iterum reddes? Rursus mutata trahuntur
Agmina consiliis: subito ceu turbine cœli
Obvius adversum Boreæ Notus abstulit æquor.
Arma iterum, furiæque placent: fera tempus Erinnys
Arripit, et primæ molitur semina pugnæ.
Errabant geminæ Dircæa ad flumina tigres,
Mite jugum, belli quondam vastator Eoi
Currus, Erythræis quas nuper victor ab oris
Liber in Aonios meritas dimiserat agros.

titur crudeli bello: hæc castra sunt quoque aperta, nihilque adhuc commiserunt, unde metui debeant. An ego suspectus? abeo, et meas plagas remitto. Subeant et huc eadem mater, et sequestræ pacis sorores. Pone autem fratrem conventis satisfacientem regnum relinquere. Scilicet restitues denuo? Iterum copiæ versa sententia revocantur. Ut cum Notus occurrens repentino venti impetu arripuit Boreæ mare oppositum. Arma rursus et rabies cordi sunt. Atrox Erinnys capit occasionem, et dedit causas primi prælii. Duæ tigres vagabantur ad fluvios Dircæos, mansuetum par, junctum olim currui, qui confecerat Orientale bellum, quas nuper Liber triumphator ab Erythræis oris dimiserat jugo solutas in campos Aonios. Cohors numinis, et longævus sacerdos

553 *Achelous abibit* Put.—556 Pro *dono* nonnulli *pono*. Vide Nic. Heins. ad Ovid. Art. Am. p. 387.—557 *Intret et huc* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Behott. 1. 2. et edd. vett.—558 Uterque Behot. *Finge illum pactis.*—566 *Erycteis* edd. vett.—567 Edd. vett. et nonnulli codd. *demiserat.*

NOTÆ

versiam de regno dissolverent.

555 *Hæc quoque castra patent, &c.*] Respondit, castra Argiva patere, necdum meruisse timeri, nihil enim adhuc hostile gesserant: se vero abscedere, si securitatis Eteoclis intersit, ut exeat, suamque injuriam remittere.

557 *Mediæ*] Sequestræ, arbitræ.

559 *Nempe iterum reddes*] Rectius reddet. Non enim Tydeus juste persuadere potuisset Polynici, ut retineret regnum, si semel illo potiretur, manendo pactis, de quibus convenerant fratres; cum bellum Eteocli inferret, qui illud secundum eadem pacta reddere renuebat.

564 *Dircæa*] Bœotia, seu Thebana.

565 *Belli quondam vastator Eoi Currus*] Id est, junctæ currui qui confecerat Orientale seu Indicum bellum: Bacchus enim curru vectus oppugnaverat viceratque Indos. *Currus*] Imitatus est Virgilium, qui loquens de equis currui junctis Achillis, dixit Georg. III. 'Et magni currus Achillis.'

566 *Erythræis ab oris*] Id est, ab oris Maris Erythræi, seu Rubri.

567 *Aonios*] Thebanos, Bœotios.

Illas turba Dei, seniorque ex more sacerdos
Sanguinis oblitas, atque Indum gramen olentes,
Palmite maturo variisque ornare corymbis
Curat, et alterno maculas interligat ostro.
Jamque ipsi colles, ipsa has (quis credat?) amabant
Armenta, atque ausæ circum mugire juvencæ.
Quippe nihil grassata fames, manus obvia pascit,
Expectàntque cibos, fusoque horrenda supinant
Ora mero, vaga rure quies: si quando benigno
Urbem inicre gradu, domus omnis, et omnia sacris
Templa calent, ipsumque fides intrasse Lyæum.
Has ubi vipereo tactas ter utramque flagello
Eumenis in furias, animumque redire priorem
Impulit, erumpunt non agnoscentibus Argis:
Ceu duo diverso pariter si fulmina cœlo
Rupta cadant, longumque trahant per nubila crinem.

curat ex consuetudine ornare palmitibus maturis, et diversis uvis illas immemores cruoris, et olentes herbas Indicas, et internectit maculas alterna purpura. Jamque ipsi colles, et ipsi (quis putaret?) greges diligebant eas, atque vaccæ audebant mugire circum eas. Quippe nihil fames sæviebat, obvia manus eas alit, et opperiuntur escam, et invertunt diras fauces infuso vino, somnum in campis passim capiunt. Si quando intravere oppidum placido gressu, totæ ædes et tota delubra fumant sacrificiis, et credunt ipsum Bacchum venisse. At ubi Furia coëgit utramque contrectatam ter anguineo flagello resumere priorem furorem, et prius ingenium, irruunt Argivis non animadvertentibus. Ut si duo fulmina scissa labantur e diverso cœli tractu, et ducunt prolixam comam in aëre. Non aliter

—570 Behott. 1. 2. *variis ornare.*—572 Pro *ipsa has* edd. vett. *ipsas.*—575 Aldd. Colin. et Gryph. *crassata.*—581 Dan. *antris* pro *Argis.*—583 *Rupta*

NOTÆ

570 *Palmite maturo variisque ornare corymbis*] Hederis enim et palmitibus ornabantur, ut Baccho sacræ, cui dicatæ hederæ, palmitesque.

571 *Et alterno maculas interligat ostro*] Ad majorem gratiam maculis conciliandam, si et purpureæ maculæ intermiscerentur albis, nigrisque.

574 *Manus obvia*] Mansuetæ enim sunt feræ, quæ manu pasci consueverunt.

575 *Expectantque cibos*] Alii codices, *exceptantque.*

578 *Lyæum*] Bacchum, sic dictum ἀπὸ τοῦ λύειν, quod vinum *solvat* curas.

579 *Vipereo flagello*] Furiæ enim gestant manibus angues, quibus percusserant tigres has.

583 *Longumque trahant per nubila crinem*] Virgilius: 'Crinemque volantia sidera ducunt.' Crinis hic ignium flammæ. Æschylo in Prometheo vincto πυρὸς ἀμφήκης βόστρυχος. Vide quæ diximus ad Theb. v. 387.

Non aliter cursu rapidæ, atque immane frementes
Transiliunt campos, aurigamque impete vasto,
Amphiaraë, tuum (nec defuit omen, heriles
Forte is primus equos stagna ad vicina trahebat)
Corripiunt: mox Tænarium qui proximus Idam
Ætolumque Acamanta premunt: fuga torva per agros
Cornipedum, visa donec flammatus Aconteus
Strage virum, cui sueta feras prosternere virtus,
(Arcas erat,) densis jam fida ad mœnia versas
Insequitur telis, multumque hastile resumens
Ter, quater, adducto per terga, per ilia telo
Transigit: illæ autem longo cum limite fusi
Sanguinis, ad portas utrimque extantia ducunt
Spicula semianimes, gemituque imitante querelas,
Saucia dilectis acclinant pectora muris.
Templa putes, urbemque rapi, facibusque nefandis

præcipites cursu, et frendentes horrendo modo trajiciunt agros, et invadunt magna vi tuum aurigam, o Amphiaraë: (nec defuit præsagium, forte is primus ducebat equos domini ad proximas aquas:) mox urgent Idam Tænarium, qui prope erat, et Acamanta Ætolum. Trux fuga equorum fit per campos, donec Aconteus accensus ira, cæde hominum visa, cui solita erat dexteritas dejiciendis feris, (Arcas erat,) insequitur illas crebris sagittis jam redeuntes ad notos muros, et sumtis vicissim multis telis, ter quaterque illas transfixit, trajecto ferro per tergum et per ilia. Illæ autem semiexsangues ferunt ad portas jacula utrimque prominentia, cum longa semita sparsi cruoris, et gemitu æmulante questum, applicant vulnerata pectora caris muris. Crederes delubra civitatemque expugnari, et domos Thebanas comburi

cadunt unus Behot.—586 'Sola hæc verba (*nec defuit omen*) parenthesi claudenda sunt.' *Barth.*—589 *Athamanta* edd. vett. *Achamanta* Dan. Put. et Petav. *Adamanta* margo ed. Barth. ex codice manuscripto.—590 *Cornipedum visa est: donec, &c.* Dan. Put. Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et edd. vett. τὸ *est* non habent aliquot Barthiani et Behott. 1. 2. cum edd. Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph. 'Veritatem hoc loco restituit optimus librorum: *Cornipedum visu.*' Barth.—592 Aldd. Colin. Gryph. et Basil. *versa.* —594 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. et edd. vett. *per ilia ferro.* 'In aliis legitur *telo:* inscite; jam enim dixit *telis.*' Barth. *telo* exhibent Behott. 1. 2. Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph.—595 *Transicit*

NOTÆ

585 *Impete*] Pro impetu. Sic et Lucretius.

586 *Nec defuit omen*] Quia primus ducum periit Amphiaraus, ut infra videbitur.

592 *Arcas erat*] Arcades enim sagittandi peritissimi. *Fida ad mœnia*] Thebas. Sic infra 'dilectis muris.'

596 *Utrimque*] Supra et infra.

Sidonios ardere lares: sic clamor apertis
Exoritur muris: mallent cunabula magni
Herculis, aut Semeles thalamum, aut penetrale ruisse
Harmonies: cultor Bacchæus Acontea Phegeus
Jam vacuum telis, geminoque in sanguine ovantem
Cominus ense petit: subeunt Tegeæa juventus
Auxilio tardi: jam supra sacra ferarum
Corpora mœrenti juvenis jacet ultio Baccho.
Rumpitur et Graium subito per castra tumultu
Consilium: fugit externos Iocasta per hostes,
Jam non ausa preces: natas, ipsamque repellunt
Qui modo tam mites, et præceps tempore Tydeus

acerbis flammis. Sic ululatus editur dejectis mœnibus. Mallent cunas ingentis Herculis, aut conclave Semeles, aut regiam Harmoniæ cecidisse. Phegeus sacerdos Bacchi propius invadit stricto gladio Aconteum, jam telis exhaustum, et exultantem in duplici cæde. Adolescentes Tegeæi sero accurrunt ejus auxilio, jam adolescens procumbit supra sacra bestiarum corpora, vindicta tristi Baccho. Ecce concilium repente dirimitur magno in castris strepitu. Fugit Jocasta per peregrinos hostes, jam non freta precibus, et qui modo tam placidi erant, extrudunt ipsam et filias. Ardens Tydeus arripit occasionem. Ite agite, nunc concordiam

Put. et optimus Barthii; quod ille probat.—601 Lindenbrog. et Cruc. *manent* pro *mallent*.—603 *Hermonie* in quibusdam codd. *Hermione* Behot. 1. *Hermiones* Behot. 2. *Phlegeus* uterque Behot.—608 *Rumpitur ecce gravi* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Put. Petav. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *Rumpitur et Graium* Dan. optimus Barthianus, Behott. 1. 2. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *Rumpitur at Graium* conj. Barthius.—611 *Quæ modo* Aldd.

NOTÆ

600 *Sidonios*] Thebanos. *Apertis muris*] Urbe expugnata, captaque.

601 *Cunabula magni Herculis*] Thebis natus enim Hercules.

602 *Aut Semeles thalamum*] Supra: ‘et in tumulos, si quid male fœta reliquit Mater, abire jubes?’ Pausanias etiam in Bœoticis refert Thebanos suo adhuc tempore ruinas Semeles thalami monstrare, eumque ab hominum accessu custodire. Arsisse tamen dicitur ex fabula cum ipsa Semele, totaque regia. Vide Ovidium Met. III.

603 *Harmonies*] Uxoris Cadmi.

604 *Gemino in sanguine*] Id est, sanguine duarum tigrium.

605 *Tegeæa*] Arcadia.

606 *Auxilio tardi*] Quia jam Phegeus Aconteum occiderat. *Sacra corpora*] Duæ enim illæ tigres Baccho sacræ.

607 *Mœrenti Baccho*] Ob casum duarum tigrium. *Juvenis*] Aconteus.

608 *Rumpitur et Graium*] Nec dicas etiam Bœotos esse Græcos: nam quoniam hi toties *Tyrii* vocantur, merito his diversi κατ' ἐξοχὴν Graii statuuntur, et vocantur Peloponnesii. Notavit et Canterus. *Gronovius.*

611 *Qui modo tam mites*] Supra

Utitur. Ite age, nunc pacem sperate, fidemque
Nunc saltem differre nefas? potuitne morari
Dum genitrix dimissa redit? Sic fatus aperto
Ense vocat socios: sævus jam clamor, et iræ
Hinc atque inde calent: nullo venit ordine bellum:
Confusique duces vulgo, et neglecta regentum
Imperia: una equites mixti, peditumque catervæ,
Et rapidi currus: premit indigesta ruentes
Copia, nec sese vacat ostentare, nec hostem
Noscere: sic subitis Thebana, Argivaque pubes
Conflixere globis: retro vexilla, tubæque
Post tergum, et litui bellum invenere secuti.
Tantus ab exiguo crudescit sanguine Mavors.

expectate, fidemque, num saltem potuit retardare scelus? potuitne præstolari, dum mater dimissa revertitur? Sic locutus stricto gladio ciet comites. Crudelis jam fit ululatus, et furores hinc et inde exardescunt. Pugna geritur nulla disciplina, permixtique duces militi, ac jussa ducum spreta: una equites confusi, peditumque cunei, et præcipites currus: incondita multitudo proculcat cadentes, nec potest sese expedire, nec hostem agnoscere. Sic Thebana et Argiva juventus decertarunt repentinis manipulis. Pone signa et tubæ post tergum, et litui qui debebant præcedere, reperere certamen inchoatum. Tantum incalescit bellum a tam parvo cruore. Ut ventus primum

Colin. Gryph. et Basil.—613 Exc. Cantab. *Nc̃ saltem*, et supra *Nũ saltem;* Taurin. Aldd. et Colin. *Num saltem;* Behott. *Non saltem differte.* Nonnulli codd. *potuitve*, ut in Aldd. et Colin. alii vero *potuitque*, ut in Taurin.—619 *Et rapidi cursus* unus Behot.—622 'Legendum *Confluxere* cum optimis libro-

NOTÆ

enim: 'tumidas frangebant dicta catervas,' &c.

613 *Nunc saltem differre nefas*] Mallem *Num;* id est, num Eteocles potuit differre nefas, num potuit expectare, dum genitrix dimissa redit? Id est, tam promtus ad scelera est, ut quamvis mater sit in potestate hostium, non potest ea vel tantillum temporis differre. Hoc dicit, quia Aconteum Phegeus occidendo spem pacis omnem præcluserat.

623 *Et litui bellum invenere secuti*] Ut ostenderet pugnam tumultuose initam ac perversum ordinem exercitus, dicit post aciem esse vexilla, quæ solent præcedere militum cuneos, lituosque secutos pugnam, cum ipsi illam excitare soleant. Ex quo loco liquet non solum tubarum, sed etiam lituorum usum in bello fuisse. Exempla passim obvia. Seneca Thyeste: 'Jam silet murmur grave classicorum, Jam tacet stridor litui strepentis, Alta pax urbis revocata est lætæ.' Eleganti metaphora Cicero sumsit pro impulsore ad Atticum: 'Existimare Q. fratrem lituum meæ profectionis fuisse.' Vide A. Gellium lib. I. cap. 11. de veterum ritu in prælio.

624 *Ab exiguo sanguine*] Duarum

Ventus uti primas struit inter nubila vires
Lenis adhuc, frondesque, et aperta cacumina gestat:
Mox rapuit nemus, et montes patefecit opacos.
Nunc age, Pieriæ, (non vos longinqua sorores
Consulimus,) vestras acies, vestramque referte
Aoniam, (vidistis enim,) dum Marte propinquo
Horrent Tyrrhenos Heliconia plectra tumultus.
Sidonium Pterelan sonipes malefidus in armis
Rumpentem frænos diversa per agmina raptat
Jam liber; sic fessa manus: venit hasta per armos
Tydeos, et lævum juvenis transverberat inguen,
Labentemque affigit equo: fugit ille peremto
Consertus domino: nec jam arma, aut fræna tenentem

experitur vires suas inter nubes, placidus adhuc, et concutit ramos et patentia juga: mox sylvas eradicat, et denudat umbrosos montes. Nunc agite, Musæ, (non enim a vobis remota postulamus,) narrate vestra agmina, et Bœotiam vestram, (nam aspexistis,) dum bello vicino lyræ Heliconiæ expavent clangores Tuscos. Equus malefidus in acie, jam imperio solutus, tollit per varios manipulos Pterelam Sidonium, frangentem habenas nisu retrahendi; sic fatigata est manus equitis; hasta Tydei penetrat per armos juvenis, et ei transfodit sinistrum inguen, affigitque equo cadentem. Fugit ille equus connexus hero interfecto, et vehit adhuc eum, nec tenen-

rum, non *Conflixere*, ut vulgo.' *Barth.*—626 'In optimo libro est *cacumina portat;* quod præfero ut Virgilianum.' *Idem.*—632 *Sidonium phaleram* unus Behot. *malefidus in arvis* codex manuscriptus Lindenbrogii ; *in armos* nonnulli

NOTÆ

tigrium scilicet, ac Achamantis, Idæ, et Acontei. *Crudescit*] Efferatur. Noster lib. II. 'Et asperso crudescit sanguine Gorgon.' Virgil. Æn. XI. 'Dejecta crudescit pugna Camilla.' Servius: 'Crudelior fit cæde multorum.' Val. Flac. lib. II. 'Ecce ducem placitæ furiis crudescere pugnæ, Surgentemque toris stupet.'

626 *Gestat*] Id est, quatit; inde 'gestatio,' corporis motus tum valetudinis, tum etiam voluptatis causa factus. Vide Plinium Juniorem Ep. lib. I. 3. et lib. II. Epist. 17. et Seniorem Nat. Hist. lib. II. cap. 3.

628 *Pieriæ sorores*] Musæ. Vide Theb. I. 3.

630 *Aoniam*] Bœotiam.

631 *Tyrrhenos tumultus*] Id est, sonitum tubarum, quas Tyrrhenos invenisse fama est.

632 *Sidonium*] E Sidone, vel Thebanum.

633 *Rumpentem frænos*] Nimio scilicet conamine, ut sisteret equum, qui illum raptabat.

634 *Jam liber*] Ruptis nempe habenis. *Per armos*] Equi scilicet.

635 *Tydeos*] Ille genitivus Græcus refertur ad *τὸ hasta.* *Hasta* scilicet *Tydeos.*

Portat adhuc: ceu nondum anima defectus utraque
Cum sua Centaurus moriens in terga recumbit.
Certat opus ferri: sternuntque alterna furentes
Hippomedon Sybarin Pylium, Periphanta Menœceus,
Parthenopæus Ityn: Sybaris jacet ense cruento,
Cuspide trux Periphas, Itys insidiante sagitta.
Cæneos Inachii ferro Mavortius Hæmon
Colla rapit: cui dividuum trans corpus hiantes
Truncum oculi quærunt, animus caput: arma jacentis
Jam rapiebat Abas: cornu deprensus Achiva
Dimisit moriens clypeum hostilemque, suumque.
Quis tibi Bacchæos, Eunæe, relinquere cultus,
Quis lucos, vetitus quibus emansisse sacerdos,

tem amplius arma, aut habenas. Sicut centaurus nondum privatus utraque anima cadit occumbens in suum tergum. Fervet prælium. Ardentes fundunt vicissim Hippomedon Sybarim, Menœceus Periphantem Pylium, Parthenopæus Ityn ; Siburis cadit sanguineo gladio, ferox Periphas hasta, Itys telo doloso. Bellicosus Hæmon secat gladio cervicem Cæneos Inachii, cujus aperti oculi trans divisum corpus quærunt truncum, animus caput quærit. Jam Abas legebat arma prostrati, sed correptus hasta Achiva reliquit occumbens scutum hostis, suumque. Quis te exhortatus est, Eunæe, deponere ornatus Bacchi? quis saltus? e quibus antistes exire prohibetur, et mutare rabiem assue-

Barthiani.—641 *Sabarin* unus Behot. 'Libri meliores *Menestheus* clare referunt.' *Barth.* *Menaceus* unus Behot. *Capaneus* unus Lindenbrogii.—642 *Parthenopeus* unus Behot.—645 Heinsius in Advers. lib. I. cap. 3. p. 22. legit: *cui deciduum, &c.*—646 Dan. *arma jacenti.*—647 *Achivo* unus Behot. postrema litera exarata in litura; *achivo* habent etiam Aldd. Colin. Gryph. et Basil. 'Mihi non gentis, sed viri nomen hic Papinio scriptum persuasum est.' *Barth.* —650 Put. *vetitos;* quod melius putat Lindenbrogius.—654 Lang. Laur.

NOTÆ

638 *Anima utraque*] Humana et equina: Centauri enim homines et equi.

640 *Certat opus ferri*] Fervet prælium. *Sternuntque alterna furentes, &c.*] Diversorum mortes describit hic Noster, ut Virgilius, sed non tam feliciter.

641 *Menœceus*] Supra in catalogo ducum Thebanorum.

643 *Insidiante sagitta*] Sagittæ enim vix evitari possunt.

644 *Mavortius Hæmon*] Vide supra catalogum ducum Thebanorum. *Mavortius*] Quia e Spartis originem trahebat, qui orti erant e dentibus serpentis Marti sacræ.

646 *Jacentis*] Quidam codices: *jacenti.*

650 *Vetitus quibus emansisse sacerdos*] *Emanere*, id est, extra manere, seu egredi. Utitur eadem voce Modestinus. Et hinc discimus, vetitum fuisse sacerdotibus Bacchi exire e lucis huic Deo consecratis.

Suasit, et assuetum Bromio mutare furorem?
Quem terrere queas? clypei penetrabile textum
Pallentes hederæ, Nysæaque serta coronant.
Candida pampineo subnectitur instita pilo:
Crine latent humeri: crescunt lanugine malæ,
Et rubet imbellis Tyrio subtemine thorax:
Brachiaque in manicis, et pictæ vincula plantæ,
Carbaseique sinus, et fibula rasilis auro
Tænariam fulva mordebat iaspide pallam;

tam Baccho. Quem poteris consternare? Pallidæ hederæ, et coronæ Nysææ ambiunt textum scuti pervium, et alba fasciola subligatur thyrso pampinis ornato: humeri teguntur comis: lanugo inserpit genis, et effœminata lorica rubet sub subtemine Tyrio: brachia tibi in manicis, et pedum calceamenta acu picta erant, et sinus carbasei, et fibula auro affabre facta connectebat fulva iaspide chlamydem Tænariam,

Buslid. Lipsian. et edd. vett. *purpureo;* Dan. Put. Petav. optimus Barthianus, alii, cum Lindenbrog. Cruc. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *pampineo.* Behot. 1. optimus Barthianus, Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et edd. vett. *filo;* Behot. 2. Dan. Put. Petav. alii, *pilo.*—656 Dan. Petav. Lang. Laur.

NOTÆ

651 *Et assuetum Bromio mutare furorem*] In orgiis enim Bacchi furore corripiebantur; sed hic furor multum alienus erat a martio seu bellico. Sic Theb. IV. 'En urges: alium tibi Bacche furorem Juravi.'

653 *Nysæa serta*] Uvæ, et pampini, quibus coronabantur Bacchi ministri.

654 *Candida pampineo subnectitur instita pilo*] Pampineus pilus, thyrsus. In Achilleide: 'Ego pampineis diffundere brachia thyrsis.' Virgilius Æneid. VII. 'Pampineasque gerunt incinctæ pellibus hastas.' Macrobius I. Saturn. 19. 'Colitur apud Lacedæmonios simulacrum Liberi patris hasta insigne, non thyrso. Sed et cum thyrsum tenet, quid aliud quam latens telum gerit, cujus mucro hedera labente protegitur?' *Instita*] Hic significat fasciam, quæ circa pilum pampinis ornatum innectebatur. Et bene *candida,* quia candidæ fasciæ sacerdotum, ut jam alibi diximus Quidam legunt hunc versum sic: 'Candida purpureo subnectitur instita filo.' Lactantius per 'institam,' intelligit fasciam, quæ imam vestem suo pingit ornatu, et confirmat ex Horatio: 'Quarum subsuta talos tegit instita veste.' Guyetus intelligit de clypeo, cujus orbem instita candido et purpureo filo contexta circuit.

655 *Lanugine*] Ad opinionem retulit, quia per pilos videntur malæ crescere.

657 *Brachiaque in manicis*] Hoc etiam tanquam molle et effœminatum arguitur in Phrygibus apud Virgilium: 'Et tunicæ manicas, et habent redimicula mitræ.'

658 *Carbaseique sinus, et fibula rasilis auro Tænariam fulva mordebat iaspide pallam*] Virgilius: 'Sinusque crepantes Carbaseos fulvo in nodum collegerat auro.' Retulit vero Po-

Quam super a tergo velox corytus, et arcus,
Pendentesque sonant aurata lynce pharetræ.
It lymphante Deo media inter millia longum
Vociferans: Prohibete manus, hæc omine dextro
Mœnia Cyrrhæa monstravit Apollo juvenca.
Parcite, in hæc ultro scopuli venere volentes.
Gens sacrata sumus: gener huic est Jupiter urbi,
Gradivusque socer: Bacchum haud mentimur alumnum,

super quam a tergo levis corytos, arcusque, ac suspensæ pharetræ pelle aurata lyncis tectæ crepitant. Vadit, Deo eum in furorem vertente, inter media millia, multum exclamans: Reprimite manus; Apollo monstravit hos muros prospero præsagio per juvencam Cyrrhæam. Abstinete ferro, lapides sponte et libenter se admoverunt his muris construendis. Natio sacra sumus: Jupiter sumsit uxorem ex hoc oppido, et Mars collocavit filiam in hoc oppido: haud falso asserimus cives nostros Bac-

Buslid. et edd. vett. *sub tegmine.*—660 Dan. Petav. unus Behot. et edd. vett. *corytos.*—661 *Splendentesque* in quibusdam codd.—662 Unus Behot. pro *longum* habet *longe.*—664 *Apollo juventa* Put.—665 'Scribendum *volantes* cum optimis libris.' *Barth.*—666 Unus Behot. *gener est huic Jupiter.*—

NOTÆ

ëta ad mollitiem et luxuriam 'carbaseos sinus' (quia carbasus sericum est, vel linum tenue) ac pulchritudinem fibulæ: erat enim foraminibus multis exornata, quas vulgo interrasas appellant. *Lactantius. Iaspide*] Vide Theb. IV. 270. *Tænariam*] Laconicam, a Tænaro Laconiæ urbe et promontorio.

660 *Velox corytus*] Corytus propriè theca arcus; *velox* hic levem explico; et credo Poëtam habuisse ante oculos hunc versum Æneid. X. 'Corytique leves humeris et letifer arcus.' Lactantius dicit esse hypallagen, pro sagittis velocibus.

661 *Aurata lynce*] Pelle lyncis aurata. Sic Theb. I. 'Leonem' pro pelle leonis, et Theb. VI. 'Tigrin' pro pelle tigridis, sumit Noster.

664 *Cyrrhæa monstravit Apollo juvenca*] Alludit ad fabulam, qua dicitur Apollo oraculo monuisse Cadmum, ut bovem sequeretur, urbemque conderet eo loco quo consisteret. Quod et fecit Cadmus, regionemque ex bovis nomine Bœo jam nominavit. *Cyrrhæa*] Id est, Cyrrhæo oraculo designata. Nam Cyrrhæ erat Apollinis oraculum.

665 *In hæc ultro scopuli* [*lapides*] *venere volentes*] Alludit etiam ad fabulam, qua lapides dicuntur cantu Amphionis se admovisse construendis Thebarum muris.

666 *Gener huic est Jupiter urbi*] Per Semelem scilicet, Antiopam, et Alcmenam matronas Thebanas, quas adamavit, et ex quibus liberos genuit.

667 *Gradivusque socer*] Per Harmoniam filiam, Cadmo nuptam. *Bacchum haud mentimur alumnum, Et magnum Alciden*] Thebæ enim duorum numinum, Liberi patris et Herculis, patria credita. *Alciden*] Herculem, ab Alceo avo materno.

Et magnum Alciden. Jactanti talia frustra
Turbidus aëria Capaneus occurrit in hasta.
Qualis ubi primam leo mane cubilibus atris
Erexit rabiem, et sævo speculatur ab antro
Aut cervam, aut nondum bellantem fronte juvencum;
It fremitu gaudens, licet arma, gregesque lacessant
Venantum: prædam videt, et sua vulnera nescit.
Sic tunc congressu Capaneus gavisus iniquo
Librabat magna venturam mole cupressum.
Ante tamen, Quid fœmineis ululatibus, inquit,
Terrificas, moriture, viros? utinam ipse veniret,
Cui furis! hæc Tyriis cane matribus: et simul hastam
Expulit: illa volans, ceu vis non ulla moretur
Obvia, vix sonuit clypeo, et jam terga reliquit.
Arma fluunt, longisque crepat singultibus aurum,

chum, et ingentem Herculem. Vecors Capaneus cum veloci jaculo obviam venit ei talia incassum dicenti. Ut cum leo mane excitavit primum furorem ex atrocibus lustris, et prospicit acrudeli caverna aut cervam, aut juvencum nondum cornibus armatum; progreditur fremitu exultans, licet tela et agmina venatorum eum infestent: cernit prædam, et ignorat plagas suas. Sic tunc Capaneus lætus impio conflictu quatiebat hastam cupressinam, profecturam magno impetu. Ante tamen ait, quid periture consternas viros muliebribus clamoribus? Utinam ipse adesset, cujus furore raperis: hæc jacta matronis Tyriis, unaque hastam emisit. Hæc profecta ceu nullum obstaculum eam retardet, incussa scuto vix crepuit, et jam exierat per tergum. Arma cadunt, et aurum sonat longo crepitu, et sanguis vi egressus exsuperat sinum vestis.

670 Dan. *cubilibus acris;* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *cubilibus altis;* Behott. 1. 2. Put. Petav. Venett. Lindenbrog. Cruc. et recentt. *cubilibus atris.*—671 Put. *spectatur.*—672 *Aut cervum* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. uterque Behot. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. et Gevart.—674 *Venatum* unus Behot.—675

NOTÆ

669 *Aëria in hasta*] Id est, cum hasta, vel per hastam. *Aëria*] Veloci.

671 *Erexit rabiem*] Imitatus Claudianus de Raptu Pros. lib. II. 'Nudataque viscera fodit Unguibus, et rabiem totos erexit in armos.'

674 *Vulnera nescit*] Major cupiditas prædæ est ei, quam timor mortis; nec cavet, ut vitet exitium, sed festinat, ut rapiat.

675 *Iniquo*] Impio, utpote contra sacerdotem Dei; Capaneus enim ubique depingitur contemtor Deorum.

676 *Venturam cupressum*] Hastam ex cupresso. Theb. IV. de eadem hasta Capanei: 'Atque uni missilis illi Cuspide præfixa stat frondibus orba cupressus.' *Venturam*] Majori impetu, quam pro tali hoste.

679 *Hæc*] Supple, quæ dixerat Eunæus. *Tyriis*] Thebanis.

Eruptusque sinus vicit cruor: occidis audax,
Occidis Aonii puer altera cura Lyæi.
Marcida te fractis planxerunt Ismara thyrsis,
Te Tmolos, te Nysa ferax, Theseaque Naxos,
Et Thebana metu juratus in Orgia Ganges.
Nec segnem Argolicæ sensere Eteoclea turmæ,
Parcior ad cives Polynicis inhorruit ensis.
Eminet ante alios jam formidantibus arva
Amphiaraus equis, ac multo pulvere vertit

Occumbis, temerarie ephebe, occumbis alteræ deliciæ Bacchi Thebani. Ebria Ismara te flerunt ruptis thyrsis: te Tmolos, te fertilis Nysa, et Naxos Theseia, et Ganges, qui timore juravit in sacra Thebana, te flerunt. Nec copiæ Argivæ expertæ sunt imbellem Eteoclem, gladius Polynicis parcit civibus. Amphiaraus emicat ante alios, equis jam agros paventibus, et miscet multo pulvere irascentem cam-

Sic tum in eodem codice.—683 *Erumpensque sinus* Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *Eructasque sinus* unus Behot. ab alia manu; *Eruptusque sinus* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Venett. Lindenbrog. Cruc. et recentt.—685 *Martia* unus Behot. *plauserunt* in eodem codice; *plausere* Behot. 2.—686 *Te Tmolus* Put. *Te Thimolos* unus Behot. *Te molos* in altero Behot. li-

NOTÆ

682 *Arma fluunt*] Guyetus delet hunc versum ut superfluum et adulterinum.

683 *Audax*] Quia inter medios hostes irruerat, vix armatus.

684 *Altera cura*] Post tigres forsan. *Aonii Lyæi*] Bacchi Thebani.

685 *Ismara*] Mons Thraciæ Baccho sacer.

686 *Tmolos*] Lydiæ mons sacer etiam Baccho. *Te Nysa ferax*] Plures Nysæ erant, ut supra vidimus. *Naxos*] Una ex Cycladibus insulis, sacra Baccho. Oppidum habebat: hæc prius 'Strongyle,' dein 'Dia,' mox 'Dionysias' a vinearum fertilitate vocata. Alii 'Siciliam minorem,' aut 'Callipolim' appellarunt. Patet circuitu 75. millia passuum, dimidioque major est quam Paros. Fons in ea insula vino fluit. *Thesea*] Quod Ariadne, illic relicta a Theseo, nupsit Baccho, donataque fuit corona postea inter astra relata.

687 *Ganges*] Fluvius Indiæ. Est in altissimis montibus regni Thebet, perpetua nive candentibus, ingens lacus, maximorum totius Indiæ fluminum hydrophylacium, ex quo Ganges, Indus, Ravi, Athec, natales suos ducunt; Ganges per rupes altissimas horrendo strepitu præcipitatus in profundissima valle sui cursus primordia ducit: Indus, ceterique per radices montium suum sortiuntur exitum. Ita Kircherus, China illustrata. Vide Theb. I. vs. 686. *Thebana juratus in Orgia*] Quia Indi Gangis accolæ subacti a Baccho, Thebanos ritus, sacraque, recipere coacti fuerant.

690 *Formidantibus arva*] Fatalia, scilicet, in quibus perituri erant.

Campum indignantem: famulo decus addit inane
Mœstus, et extremos obitus illustrat Apollo.
Ille etiam clypeum, galeamque incendit honoro
Sidere: nec tarde fratri, Gradive, dedisti,
Ne qua manus vatem, ne quid mortalia bello
Lædere tela queant: sanctum, et venerabile Diti
Funus erat: talis medios infertur in hostes
Certus et ipse necis: vires fiducia leti
Suggerit: inde viro majoraque membra, diesque
Lætior, et nunquam tanta experientia cœli,
Si vacet: avertit morti contermina Virtus.
Ardet inexpleto sævi Mavortis amore,
Et fruitur dextra, atque anima flagrante superbit.
Hic hominum casus lenire, et demere fatis
Jura frequens, quantum subito diversus ab illo,

pum. Tristis Apollo præbuit vanos honores ministro suo, et nobilitat supremum ejus interitum. Ille etiam inflammat decoro splendore scutum ejus, et cassidem: nec tu, Gradive, lente indulsisti fratri Apollini, ne qua manus, ne quid arma humana possint in acie augurem offendere. Sacræ et reverendæ erant exequiæ Plutoni. Talis irruit in medias hostium phalanges, exploratum habens se hic moriturum. Certitudo mortis subministrat illi robur; inde viro grandiores sunt artus, et dies alacrior, et nunquam tanta fuit scientia cœli, si vacaret: virtus leto vicina eum avocat ab illa cognitione. Flagrat insatiabili cupidine crudelis Martis, et satiat cædibus dextram, et gloriatur ardente anima. Hic qui sæpe demulcebat hominum calamitates, auferebatque fatis plurimum potestatis, quantum repente dissimilis ab

teris interpolatis.—692 Put. *abdidit omen.*—698 *Funus eat* Put. *Funus erit* nonnulli Bernartiani; *Munus erat* unus Behot. *aufertur in hostes* Put.—709

NOTÆ

692 *Campum indignantem*] Amphiarao.

693 *Mœstus*] Ob proximum obitum Amphiarai, quem diligebat.

695 *Fratri*] Apollini.

697 *Sanctum, et venerabile*] Id est, inviolatum manibus hominum; res enim sacras tangere vetitum est. Vide Theb. III. 623.

699 *Certus et ipse necis*] Præviderat enim suam mortem Amphiaraus augurio. Vide Theb. III.

700 *Inde viro majoraque membra, diesque Lætior*] Sic Livius de Decio immittente se in medios hostes: 'Conspectus,' ait, 'ab utraque acie aliquanto augustior humano visu.'

704 *Et fruitur dextra*] Id est, cæde se satiat.

705 *Casus lenire*] Prædictionibus et consiliis. *Et demere fatis Jura frequens*] Mala enim prævisa prædictaque facile caventur et evitantur.

Qui tripodas, laurusque sequi, qui doctus in omni
Nube salutato volucrem cognoscere Phœbo.
Innumeram ferro plebem, ceu letifer annus
Aut jubar adversi grave sideris, immolat umbris
Ipse suis: jaculo Phlegyam, jaculoque superbum
Phylea, falcato Chromin, et Cremetaona curru,
Cominus hunc stantem metit, hunc a poplite sectum,
Cuspide demissa Chromin, Iphinoumque, Sagenque,
Intonsumque Gyan, sacrumque Lycorea Phœbo
Invitus: jam fraxineum dimiserat hastæ
Robur, et excussis apparuit infula cristis:
Alcathoum saxo, cui circum stagna Carysti

eo, qui vacabat tripodi et lauro, qui adorato Apolline peritus erat in omni nube cognoscere quid portenderet avis. Ipse ferro mactat umbris suis innumerabilem vulgum, velut noxius annus, aut acerbus ardor contrarii astri. Occidit jaculo Phlegyam, jaculoque audacem Phylea, Chromin, et Cremetaona falcibus axe currus extantibus, cominus hunc stantem, illum excisum per genua, mucrone inclinato Chromin, et Iphinoum, Sagemque ac intonsum Gyan, et Lycoreum Apollinis antistitem haud sponte: jam inclinaverat molem fraxineæ hastæ, et visa est infula deturbatis cristis: Alcathoum lapide, cui et casa et uxor filiique assueti ripis erant circum lacus

Behott. 1. 2. *plebem ferro.*—710 *Aut juvat* unus Lindenbrogii.—711 *Phlegeam* Behot. 1. *Phlegiam* Behot. 2.—712 *Pilea* Behot. 1. *Cremeteona* in eodem codice.—714 *Cuspide non missa* codd. Lindenbrogii. *et Phinoemque Segunque* Dan. Put. Petav. *Iphinoemque Sagunque* Behott. 1. 2. Vide Not. Var.—716 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. et edd. vett. *demiserat;* Behott. 1. 2. *dimiserat.*—718 Gevartius edidit: *stagna Caystri.*—723 *Asopeus*

NOTÆ

707 *Tripodas, laurusque sequi*] Quia Amphiaraus erat augur et minister Apollinis, cui tripodes, laurique dicatæ.

710 *Aut jubar adversi grave sideris*] Sirium seu caniculam intelligit.

712 *Falcato curru*] Bellicum hoc vehiculum vocabatur Currodrepanus voce hybrida. Ejus pars postica cultris in ordinem extantibus armabatur, videlicet ne cuiquam facilis a tergo esset ascensus, falces vero duæ acutissimæ totidem axis extremitatibus aptabantur, ansulas habentes, quibus innexi funes, pro arbitrio aurigantis equitis, laxati quidem explicabant, repressi erigebant falces. Auctor tractatus de rebus bellicis, et Stevechius ad Vegetium.

713 *Hunc stantem metit*] Idem lib. IX. 'Nec opinaque ferro Colla metens.' Eandem quoque significationem habet τὸ θερίζειν apud Græcos. Sic Anthologiæ lib. III. in Epigrammate Agathiæ in perdicem a fele interfectam: σὴν κεφαλὴν ἄλουρος ἀπέθρισε.

716 *Invitus*] Quia nesciebat hunc Apollinis esse sacerdotem.

717 *Infula*] Insigne sacerdotii.

718 *Carysti*] Carystos urbs Eubœæ insulæ.

Et domus et conjux, et amantes littora nati.
Vixerat ille diu pauper scrutator aquarum:
Decepit tellus: moriens hyemesque Notosque
Laudat, et experti meliora pericula ponti.
Aspicit has longe jamdudum Asopius Hypseus
Palantum strages, ardetque avertere pugnam:
Quanquam haud ipse minus curru Tirynthia fundit
Robora, sed viso præsens minor augure sanguis.
Illum armis, animisque cupit: prohibebat iniquo
Agmine consertum cunei latus: inde superbus
Exeruit patriis electum missile ripis.
Ac prius, Aonidum dives largitor aquarum,
Clare Giganteis etiamnum, Asope, favillis,
Da numen dextræ: rogat hoc natusque, tuique
Quercus alumna vadi: fas et me spernere Phœbum,

Carysti. Egerat diu pauperem vitam, urinator undarum: terra fefellit eum; occumbens prædicat ventos procellasque ac minora discrimina explorati pelagi. Asopi filius Hypseus jamdudum videt has longe cædes palantium, flagratque in se avocare pugnam: etsi non minus ipse sternat copias Tirynthias, sed cruor illarum ipsi vilior visus est aspecto vate. Optat eum animo ferroque: condensum manipuli latus arcebat eum ab atroci congressu. Hinc superbia inflatus depromsit spiculum assumtum ad paterna littora, et ante sic est locutus: Opulente distributor undarum Bœotiarum, Asope, illustris adhuc Giganteis cineribus, indulge mihi vires divinæ tuæ manus: hoc filius precatur, et ista hasta quernea, quæ crevit in tuo alveo. Licet et mihi Phœbum con-

nnus Behot.—725 Unus Behot. *fundat;* Put. *fundens.*—729 Put. *ejectum missile.*—733 Nonnulli codd. ut Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Taurin. et edd. vett. *fas et mihi;* alii: *fas est mihi;* Behot. 1. *fas et me sternere;* Behot. 2. *fas et mihi sternere;* ubi suprascriptum *spernere*, lineari dictioni subjectis punctis. Exc. Cantab. habet: *fas et* $\overset{i}{m}$ *spernere*, i. e. *mi*, vel *mihi;* Petrens. vero ut in

NOTÆ

722 *Meliora pericula*] Ut quibus non perierat.

723 *Asopius Hypseus*] Hunc enim Asopi filium supra dixit Poëta.

725 *Haud ipse minus*] Non minus Amphiarao Hypseus.

726 *Augure sanguis*] Id est, cupiens pugnare cum Amphiarao, ceteros quasi ignavos dedignabatur occidere.

729 *Patriis*] Asopi scilicet. Vide supra.

730 *Aonidum*] Thebanarum, seu Bœotiarum.

731 *Clare Giganteis, &c.*] Alludit ad id quod supra retulerat de fulminato Asopo. Notum etiam Gigantes bellum Diis intulisse.

733 *Fas et me spernere Phœbum, Si, &c.*] Dicit filio fas esse contemnere Phœbum, si pater congressus est cum Jove, qui Deorum pater et fortissimus.

Si tibi collatus Divum sator: omnia mergam
Fontibus arma tuis, tristesque sine augure vittas.
Audierat genitor: vetat indulgere volentem
Phœbus, et aurigam jaculum detorquet in Hersen.
Ille ruit. Deus ipse vagis succedit habenis,
Lernæum falso simulans Aliagmona vultu.
Tunc vero ardenti non ulla obsistere tentant
Signa, ruunt solo terrore, et vulnera citra
Mors trepidis ignava venit: dubiumque tuenti
Presserit infestos onus, impuleritne jugales.
Sic ubi nubiferum montis latus, aut nova ventis
Solvit hyems, aut victa situ non pertulit ætas;
Desilit horrendus campo timor, arma, virosque
Limite non uno, longævaque robora secum
Præcipitans, tandemque exhaustus turbine fesso,

temnere, si genitor Deorum tecum dimicavit. Obruam tuis aquis cuncta arma, et vittas mæstas sine vate. Pater assenserat. Apollo prohibet cupientem concedere, et avertit missile in Herseum aurigam. Ille Herseus cadit. Numen ipsum excepit errantes frænos, fingens Aliagmona Lernæum simulata facie. Tunc vero nulla vexilla audent se opponere flagranti: cadunt solo pavore, et plagæ haud necessariæ sunt. Imbelle letum invadit trepidos: ambiguumque fuit videnti, an pondus numinis plus oneraverit, an acceleraverit infestos equos. Sic cum aut recens procella laxavit vi ventorum excelsum montis latus, aut ætas cedens senio non amplius sustinuit; proruit terribilis metus agris, abripiens secum arma, hominesque ac arbores, non eadem via, et tandem consumtus cessante impetu, aut effodit vallem, aut inter-

textu.—737 Dan. Put. Petav. *jactu detorquet;* Behott. 1. 2. *jaculo detorquet.* Dan. et Behot. 1. *inertem;* Behot. 2. *in hostem;* et pro v. l. *ertem*, ut fieret *inertem.* In duobus Barthianis: *in Harphen;* in optimo: *in Arsen*, vel *Assen.* —743 *Presserit insessos* unus Behot. Dan. et codd. Nic. Heinsii, quod ille probat in Advers. lib. IV. cap. 3. p. 583. *sonus* pro *onus* in Put.—744 *Sic ubi nubiferi* legit Marklandus ad Sylv. III. 4. 103.—746 Behott. 1. 2. Buslid. et Venett. *arva virosque;* et ita scribendum putat Barthius.—748 Optimus Barth-

NOTÆ

741 *Ruunt solo terrore, et vulnera citra*] Sine vulneribus solo terrore Amphiarai moriuntur, caduntque.

742 *Ignava*] Sine ferro. *Dubiumque tuenti Presserit infestos onus, impuleritne jugales*] Dubium erat videntibus, utrum Apollinis pondere tardatus esset currus, an velocior factus. *Infestos*] Ex Barthii, Lindenbrogii, et Behotii libris lege *insessos.*

744 *Sic ubi nubiferum montis latus, &c.*] Sic Pleurium oppidum Rhætorum obrutum fuisse casu montis dicitur.

746 *Campo timor*] Montis ruina, quæ de altis saltibus cadit.

Aut vallem cavat, aut medios intercipit amnes.
Non secus ingentique viro magnoque gravatus
Temo Deo, nunc hoc, nunc illo in sanguine fervet.
Ipse sedens telis, pariterque ministrat habenis
Delius: ipse docet jactus, adversaque flectit
Spicula, fortunamque hastis venientibus aufert.
Sternuntur terræ Menalas pedes, Antiphus alto
Nil defensus equo, genitusque Heliconide Nympha
Æthion, cæsoque infamis fratre Polites,
Conatusque toris vittatam attingere Manto
Lampus: in hunc sacras Phœbus dedit ipse sagittas.
Et jam cornipedes trepida ac moribunda reflantes
Corpora, rimantur terras, omnisque per artus

cludit medios fluvios. Non aliter currus onustus magno heroë, et ingenti numine, nunc ardet in hoc cruore, nunc in illo. Ipse Delius sedens servit æqualiter emittendis sagittis, ac regendis frænis. Ipse dicit, in quem jactus dirigi debeant, et detorquet hostilia jacula, et adimit successum hastis venientibus. Funduntur in terram pedes Menalas, Antiphus nihil protectus ab equo procero, Æthionque natus Nympha Heliconia, et Polites cæde fratris infamis, ac Lampus molitus vim inferre pudicitiæ Manthus infulatæ. Ipse Apollo direxit in hunc sancta tela. Et jam equi reflantes palpitantia ac moribunda corpora, quærunt loca per quæ transeant, omnisque via est

ianus: *exhausto turbine fessus;* et ita vetus Interpres.—749 *Aut vallem vacuat* in eodem codice; unde Barthius: *Aut vallem vacuam.*—750 *Non secus ingentique Deo, magnoque gravatur* in eodem codice.—751 Unus Behot. *illo sanguine*, omissa præpositione.—753 Behott. 1. 2. *aversaque.*—755 In quibusdam codd. et edd. vett. *terra.* Dan. Put. Petav. unus Behot. omnesque Barthiani, *Menaleus;* Behot. 2. *Menales;* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. et edd. recentt. *Menalas;* Lindenbrog. et Cruc. *Menalus.*—758 Aldd. Colin. Gryph. et Basil. *vitatam.*—759 *Lamphus* optimus Barthianus.—761 Unus Behot. *mirantur terras.*—763 Dan. *at illos.*—764 ' In

NOTÆ

752 *Ipse sedens telis, pariterque ministrat habenis*] Id est, Armigeri et aurigæ vicem supplet.

754 *Fortunam*] Casum felicem, sive successum. *Venientibus*] In Amphiaraum.

755 *Menalas*] Optimi quique: *Melaneus.* Hoc nomine utitur Ovidius Met. v. 'Sternitur et Melaneus Perseia castra secutus.' Et lib. xii. 'Et Pholus et Melaneus.' Sic et is vocatus, a quo in Eubœa Μελανῆις Eretria. *Gronovius.*

758 *Mantho*] Filiam Tiresiæ. *Vittatam*] Quia Mantho etiam erat sacerdos Apollinis.

759 *In hunc sacras Phœbus dedit ipse sagittas*] Rationem affert superiori versu, quia Lampus vim inferre Mantho tentaverat.

761 *Rimantur terras*] Per quas scilicet incedant, toto campo mortuorum corporibus repleto.

Sulcus, et incisis altum rubet orbita membris.
Hos jam ignorantes terit impius axis, at illi
Vulnere semineces (nec devitare facultas)
Venturum super ora vident: jam lubrica tabo
Fræna, nec insisti madidus dat temo, rotæque
Sanguine difficiles, et tardior ungula fossis
Visceribus: tunc ipse furens in morte relicta
Spicula, et e mediis extantes ossibus hastas
Avellit: stridunt animæ, currumque sequuntur.
Tandem se famulo summum confessus Apollo,
Utere luce tua, longamque, ait, indue famam,
Dum tibi me junctum mors irrevocata veretur.
Vincimur: immites scis nulla revolvere Parcas

per membra, et rotæ rubent elisis profunde artubus. Improbus currus jam proculcat hos inscios, at illi semimortui plaga (nec effugiendi facultas) cernunt eum imminentem suis capitibus. Jam habenæ præ sanie teneri non poterant, nec temo respersus sanguine præbet locum ad sedendum; rotæque graves sunt ob cruorem, et ungula est lentior excavatis visceribus. Tunc ipse rabidus extrahit e mediis ossibus jacula, quæ restabant in occisis, ac prominentes hastas: animæ crepitant, ac sequuntur currum ejus. Tandem Apollo se Deum prodens ministro suo: Fruere, inquit, tua die, et concipe prolixam famam, dum inexorabilis mors reformidat me tibi propinquum. Superamur. Compertum habes crudeles Parcas nulla revocare pensa.

uno libro est: *nec enim vitare:* in altero: *nec jam vitare.* Eligat lector, nihil enim interest. Nos vulgatam lectionem retinemus.' *Barth.*—769 Unus Behot. *et in mediis.*—770 In eodem codice: *stridunt animæ.*—771 *Tandem se fa-*

NOTÆ

766 *Nec insisti madidus dat temo*] Ergo per temonem incedebant. Epith. Stellæ: 'Jungit amor, lætamque vehens per nubila matrem Gemmato temone sedet.' *Insisti*] Ob copiam sanguinis.

770 *Stridunt animæ, currumque sequuntur*] Veteres credebant gemere et indignari animas, quod invitæ de hac luce discedant, hancque indignationem gemitumque stridore quodam testari, ac exprimere. Homerus: *Ψυχὴ δ' ἐκ ῥεθέων πταμένη ἄϊδόσδε βεβήκει, Ὃν πότμον γοόωσα, λιποῦσ' ἀδροτῆτα καὶ ἥβην. Tunc anima ad manes de membris mœsta volavit, Interitumque suum lugens, et robur, et annos.* Petronius: 'Ecce inter tumulos atque ossa carentia bustis Umbrarum facies diro stridore minatur.' Noster Theb. II. de Tænaro: 'Stridor ibi, et gemitus pœnarum, atroque tumultu Fervet ager.' Et Theb. IX. 'Nuda, aut flebilis umbra Stridebit vestros Tydeus inhumatus ad ignes.' Non enim animæ vocem distinctam proferre possunt, cum careant organo corporeo.

771 *Summum*] Ego Deum interpretatus sum: ignorare enim poterat Amphiaraus Apollinem in locum occisi aurigæ successisse. Quidam explicant ad ultimum.

774 *Immites scis nulla revolvere Parcas Stamina*] Seneca Herc. Fur. 'Du-

Stamina: vade diu populis promissa voluptas
Elysiis, certe non perpessure Creontis
Imperia, aut vetito nudus jaciture sepulcro.
Ille refert contra, et paulum respirat ab armis:
Olim te, Cyrrhæe pater, peritura sedentem
Ad juga (quis tantus miseris honor?) axe trementi
Sensimus: instantes quonam usque morabere manes?
Audio jam rapidæ cursum Stygis, atraque Ditis
Flumina, tergeminosque mali custodis hiatus.
Accipe commissum capiti decus, accipe laurus
Quas Erebo deferre nefas: nunc voce suprema,
Si qua recessuro debetur gratia vati,
Deceptum tibi, Phœbe, larem, pœnasque nefandæ

I, diu promissæ deliciæ Elysiis gentibus, certe non perlature jussa Creontis, vel nudus condende prohibito tumulo. Ille respondet contra, et aliquantulum a pugna respirat. Jamdudum, Pater Cyrrhæe, agnovimus axis trepidatione te sedere ad peritura juga: (quæ tanta gloria infelicibus?) usque quo retardabis urgentes umbras? jam audio cursum celeris Stygis, nigrosque fluvios Plutonis, ac triplices latratus diri janitoris. Sume commissos capiti ornatus, sume laurus quas non licet portare in Inferos. Tunc, si quod beneficium debetur abeunti auguri, commendo tibi novissimis

mulum Aldd. Colin. Gryph. et Basil.—775 'Ita editi omnes, et scripti plerique; sed vetus codex ex collegio Emanuelis clare ibi exhibet, et recte opinor: *campis promissa voluptas.*' Bentl. ad Hor. I. Epist. 6. 59.—777 Lang. Laur. Bnslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. et edd. vett. *haud vetito.*—782 Put. *jam trepide.*—784 Dan. *accipe laurum.*—789 *Dissiluit* unus Behot.—792 *Stat*

NOTÆ

ræ peragunt pensa sorores, Nec sua retro fila revolvunt.' Silius lib. II. de Penelope: 'Fallacis toties revoluto stamine telæ.' Nostro Theb. VIII. 'Iterata pensa sororum.' Lucano: 'Repetita sororum fila.' 'Retexere' dixit Ovidius Met. X. 'Eurydices, oro, properata retexite fila.' Et 'renere' in Fastis.

776 *Non perpessure Creontis Imperia*] Creon enim, qui Eteocli successit, edictis vetuit, ne corpora Argivorum in acie occisorum sepultura afficerentur.

779 *Cyrrhæe pater*] Apollo, qui Cirrhæ oraculum habebat.

782 *Stygis*] Fluvii Inferorum.

783 *Tergeminos mali custodis hiatus*] Id est, Cerberi, qui tria habebat capita, triaque ora.

784 *Commissum capiti decus*] Infulam vittasque, insignia sacerdotii. *Laurus Quas Erebo deferre nefas*] Quia sacræ Apollini, et sicut Diis fas non erat ingredi Inferos, ita nefas illuc portare res ipsis consecratas.

787 *Nefandæ Conjugis*] Ut quæ prodiderat maritum latitantem spe potiundi monilis Argiæ. Vide Theb. III.

Conjugis, et pulchrum nati commendo furorem.
Desiluit mœrens, lacrymasque avertit Apollo.
Tunc vero ingemuit currusque, orbique jugales.
Non aliter cæco nocturni turbine Cori
Scit peritura ratis, cum jam damnata sororis
Igne Therapnæi fugerunt carbasa fratres.

precibus traditam domum meam, et supplicium scelestæ uxoris, ac pium furorem filii. Tristis Apollo descendit, et repressit fletus. Tunc vero currus et equi destituti defensore doluerunt. Non aliter agnoscit navis se perituram cæca vi nocturni venti, cum jam addicta exitio sidere sororis fratres Therapnæi reliquerunt vela. Et jam

peritura Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et edd. vett. *Scit peritura* Dan. Put. Petav. Lindenbrog. Cruc. et edd. recentt. et ita legit Nic. Heinsius in Advers. lib. II. cap. 7. p. 259.—793 *Therampnei* Behot. 1. *Tereupnei* Behot. 2.

NOTÆ

788 *Et pulchrum nati commendo furorem*] Supra diximus lib. II. Alcmæonem jussu patris Amphiarai matrem occidisse; qua de causa Furiis correptus fugiens Argis, commigravit Psophidem, sperans mutatione loci solatium suo malo inventurum. Sed cum illi melius non esset e morbo, consuluit oraculum, quo monitus fuit, ut terram peteret, quæ non existeret eo tempore, quo manus materno sanguine polluisset: neque enim eo maternas umbras eum insecuturas. Nactus itaque terram enatam Acheloi illuvione, ibi consedit, duxitque uxorem Callirhoën, quæ, audita fama Eriphylæi monilis, coëgit Alcmæonem etiam invitum redire Psophidem ad recuperandum illud monile, quod Alphesibœæ priori uxori dederat. Verum Temenus et Axion fratres ejus, cognita profectionis Alcmæonis causa, eum structis in via insidiis occiderunt, illudque monile Delphico Apollini dedicàrunt. *Pulchrum furorem*] In laude enim positum injuriam patri illatam ulcisci. Odyss. II. Telemachus loquens de Oreste, qui ultus erat necem patris: Καί οἱ Ἀχαῖοι Θήσουσι κλέος εὐρὺ καὶ ἐσσομένοισιν ἀοιδήν. *Achæi deferent ei magnam gloriam, et posteris præconium.* Orestes enim matrem occiderat; cujus nomine absolutus fuit in Areopago, Palladis judicio, ut videre est apud Demosthenem in Aristocratem.

791 *Cori*] Corus nomen venti, 'Argestes' Græcis dictus, flat ob occasu Solstitiali.

792 *Scit peritura ratis*] Hellenismus, pro scit se perituram. Virgilius Æneidos II. 'Sensit medios delapsus in hostes.' *Cum jam damnata sororis Igne, Therapnæi fugerunt carbasa fratres*] Jactatis gravissima tempestate navibus, si una stella in velis appareat, funestissimum signum est, et prænuntium imminentis naufragii, ut nautæ referunt, illaque veteribus Helena appellabatur: si vero duæ appareant, signum est quam proximæ serenitatis, tempestatemque mox sedandam: hæque dicebantur esse Castor et Pollux, fratres ipsius Helenæ, qui *Therapnæi* dicuntur a Therapnis oppido Laconiæ, in quo colebantur. De iis Plinius ita scribit: 'Geminæ salutares, et prosperi cursus prænuntiæ, quarum adventu fugari illam diram ac minacem appellatam Helenam

Jamque recessuræ paulatim horrescere terræ,
Summaque terga quati; graviorque effervere pulvis
Cœperat: inferno mugit jam murmure campus.
Bella putant trepidi, bellique hunc esse fragorem,
Hortanturque gradus: alius tremor arma, virosque,
Mirantesque inclinat equos: jam frondea nutant
Culmina, jam muri, ripisque Ismenos apertis
Effugit: exciderunt iræ, nutantia figunt
Tela solo, dubiasque vagi nituntur in hastas
Cominus, inque vicem viso pallore recedunt.
Sic ubi navales miscet super æquora pugnas
Contemto Bellona mari; si forte benigna

dehiscentes terræ cœperant paulatim tremere, et suprema superficies agitari, ac pulvis acerbior exæstuare. Jam ager personat inferno tumultu. Pavidi milites credunt esse bellum, et hunc strepitum esse pugnæ; excitantque pedes ad progrediendum. Alius tremor inclinat arma, bellatoresque, ac stupefactos equos. Jam arborum cacumina, jam mœnia concutiuntur. Jam Ismenus relinquit patentes ripas. Furores desævierunt: pangunt terræ trepidantia spicula, et innituntur, alii aliis permixti, instabilibus hastis, et dirimuntur ab invicem, aspecto cominus mutuo pallore. Sic ubi Bellona conserit supra mare navalia certamina spreto pelago; si forte favens pro-

Theramnæi edd. vett.—798 ‘In optimo libro fuit: *Obfirmant pedem*; sed erasum apparet.’ *Barth. altus tremor* edd. vett. *alius tremor* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Lindenbrog. Cruc. Gevart. Grasser. Gronov. Barth. Veen. et Delph. et ita Nic. Heinsius in Advers. lib. III. cap. 17. p. 550. —800 ‘Melius legatur *opertis*; sed et illud suum sensum habet.’ *Barth.*—801 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *exciderant iræ*. ‘Omnino legendum, ut optimæ membranæ referunt, *exciderunt*; et ita conjectura voluit Joannes Levineius, in minime spernendis Notis, licet ultimam manum non receperint, ad Propertium lib. III. Eleg. 10.’

NOTÆ

ferunt, et ob id Polluci et Castori id nomen assignant, eosque in mari Deos invocant.’ Noster Propemtico Metii Celeris: ‘Proferte benigna Sidera, et antennæ gemino considite cornu Œbalii fratres: vobis pontusque polusque Luceat. Iliacæ longe nimbosa sororis Astra fugate, precor, totoque excludite cœlo.’

796 *Mugit*] Sonitus qui sub terra fiunt ea tremente mugitus imitantur. Id ab inclusis exhalationibus percussis vel percutientibus fieri scribit Aristoteles Meteor. lib. II. cap. 8.

798 *Alius tremor*] Id est, secundus. Quidam codices, *altus*.

799 *Frondea Culmina*] Vertices montium sylvis et arboribus amicti.

800 *Ismenos*] Ismenus fluvius Bœotiæ. *Ripis apertis*] Dehiscente enim terra, fiebant hiatus in alveo Ismeni, quo confluentes aquæ ripas apertas seu detectas aquis relinquebant.

805 *Contemto Bellona mari*] Bellona præses bellorum. *Contemto mari*] Hinc exclamat Tibullus: ‘Quis furor immiti geminare pericula ponto!’ *Benigna*] Certantes enim dirimit.

Tempestas; sibi quisque cavent, ensesque recondit
Mors alia, et socii pacem fecere timores.
Talis erat campo belli fluitantis imago.
Sive laborantes concepto flamine terræ
Ventorum rabiem, et clausum ejecere furorem;
Exedit seu putre solum, carpsitque terendo
Unda latens; sive hac volventis machina cœli
Incubuit; sive omne fretum Neptunia movit
Cuspis, et extremas gravis mare torsit in oras;
Seu vati datus ille fragor, seu terra minata est
Fratribus; ecce alte præceps humus ore profundo
Dissilit, inque vicem tremuerunt sidera, et umbræ.

cella exoritur, sibi quisque prospiciunt, letum aliud tegit vagina gladios, et communes metus fœdus sanciunt. Talis erat in campo facies navalis pugnæ. Sive fatiscens tellus inclusis flatibus expulit furorem ventorum, et intrusam rabiem; sive occulta aqua erodit putrem terram, et hausit cavando; sive fabrica mobilis orbis hac illapsa fuit; sive tridens Neptuni concussit omnia maria, et impulit violentius fluctus in ultimas plagas; sive ille tumultus concessus gloriæ auguris; seu tellus minata est exitium fratribus Eteocli et Polynici, ecce terra profunde abrupta dehiscit alto hiatu,

Barth.—806 Behott. 1. 2. et edd. vett. *cavet.* Behot. 1. *ensemque.* Vide Gronov. ad Theb. II. 158.—808 Unus Behot. *fluctantis imago.*—811 Dan. Put. Petav. et unus Behot. *carpsitque ferendo.*—814 Dan. *torsit in aras.*—815 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. et edd. vett. *datur.*—817 ' Lindenbrogius male edidit, *timuerunt*, cum libri omnes meliores et editi et manu-

NOTÆ

807 *Mors alia*] Per undas scilicet recipienda, non per ferrum, ut antea.

809 *Sive laborantes, &c.*] Quærit Poëta causas hujusce terræ motus, innuitque causam hujus assignandam, vel ventis in ea inclusis et exitum quærentibus, vel aquis latentibus contentis in terræ visceribus, sensimque erodentibus interiores ejus partes, quo fit, ut superiores, nihil habentes amplius, quo sustineantur, sidere cogantur, vel impactæ in hanc partem mundi machinæ, vel violentæ impulsioni a Neptuno factæ: denique tandem dicit hoc forte Deos fecisse ad augurem honorandum, vel ipsam terram tremuisse ad omen fratribus perituris, Eteocli scilicet et Polynici.

813 *Neptunia Cuspis*] Tridens. *Movit*] Hinc Neptunus σεισίχθων et ἐννοσίγαιος, id est, *succutiens terram*, dictus.

815 *Vati*] Amphiarao.

816 *Fratribus*] Eteocli et Polynici. *Ore profundo*] Ex terræ enim tremore vasti fiunt hiatus et χάσματα.

817 *Inque vicem tremuerunt sidera, et umbræ*] Discedente enim terra, aperti sunt Inferi: unde vicissim sidera horruerunt visis umbris, et umbræ visis sideribus: utraque enim sibi invicem quam maxime odiosa.

Illum ingens haurit specus, et transire parantes
Mergit equos: non arma manu, non fræna remisit:
Sicut erat, rectos defert in Tartara currus,
Respexitque cadens cœlum, campumque coire
Ingemuit: donec levior distantia rursus
Miscuit arva tremor, lucemque exclusit Averno.

astraque et Manes se invicem metuerunt. Magna vorago absorbet illum, et haurit equos volentes præterire. Non reliquit arma manu, nec habenas: ut erat ducit rectos currus ad Inferos, et ruens contemplatus est cœlum, et doluit humum coalescere, donec minor tremor junxit iterum diremtos agros, et fugavit diem ab Inferis.

scripti *tremuerunt* referant.' *Barth.*—818 Unus Behot. *parantis.*

NOTÆ

818 *Illum ingens, &c.*] Pausanias tamen Atticis, et Philostratus Vitæ Apollonii lib. II. tradunt Amphiaraum non fuisse absorptum terræ hiatu in acie, sed cum reverteretur Thebis in via.

821 *Respexitque cadens cœlum*] Præ desiderio scilicet lucis. Silius Italicus: 'Ecce trahebatur, lucemque (heu dulcia cœli Lumina!) captivus, lucem inter vincla petivit.'

P. PAPINII STATII

THEBAIDOS

LIBER VIII.

ARGUMENTUM.

Amphiaraus cum armis curruque vectus in Inferos delabitur. Turbantur umbræ hoc novo spectaculo, et Pluto ira exardescit, quod leges Inferorum vivo hospite immisso violatæ fuerant. Argivi autem rati terram ipsos etiam absorpturam, fugam capiunt, quos Thebani acriter urgent; sed nox prælium dirimit. Non eadem fuit utrisque: nam fracti animo Argivi lugendo Amphiarao et sua sorte deploranda illam transmittunt: e contra Thebani belli successu exultantes, hanc in conviviis consumunt, et cantandis hymnis in honorem Deorum et præcipue Herculis et Bacchi suorum civium, Tiresiamque vatem laudibus in cœlum extollunt. Exorta die Adrastus concilium convocat ad substituendum aliquem in locum Amphiarai. Thiodamas omnium suffragiis electus, sacerdotii insignia, quæ recusabat, sumere cogitur. Ille facto sacrificio Tellurem placat. Cum hæc apud Argivos geruntur, Thebani portis effusi aciem instruunt. Tardius prodeunt tristes Argivi, tandemque utroque exercitu mixto, atrox committitur certamen. Hæmon inter Thebanos eminet, cui favebat Hercules, inter Argivos Tydeus, quem Minerva animabat. Hercules Minervæ reverentia prælio cedit ac Hæmonem deserit. Itaque eum Tydeus fugat, illumque occidisset hasta quam emiserat, nisi Pallas ipsa ictum detorsisset. Plurimos interfecit, inter quos Atys Ismenes sponsus. Tandem Eteoclem agnitum in certamen provocat. Eteocles in eum hastam emittit, qua vitata Tydeus telum in hostem intorquet, quo finis belli; nisi obstitisset Tisiphone, ac Eteoclem fratri Polynici reservasset. Hic gravis pugna, Thebanis suum regem fortiter defendentibus. Tydeus innumeris adhuc hostibus occisis et funeribus circumdatus, a Menalippo Astaci filio letaliter vulneratur, quem cadens telo misso perimit. Extractus acie amicos rogat, sibi Menalippum apportent. Currit Capaneus, ferroque sibi via per medios hostes aperta, Menalippum adhuc palpitantem ad Tydeum affert. Caput illius abscidi jubet Tydeus, sibique porrigi; traditum immaniter dentibus dilacerat. Minerva vero illi honores immortalitatis a Jove ob ingentia me-

rita concessos afferebat, sed ut enm vidit humano sanguine os consceleran-tem, fugit morientem aversata, nec prius ingressa est cœlum, quam oculos tæda mystica et Ilissi amnis aqua lustravisset.

UT subitus vates pallentibus incidit Umbris,
Letiferasque domos, orbisque arcana sepulti
Rupit, et armato turbavit funere Manes;
Horror habet cunctos, Stygiis mirantur in oris
Tela et equos, corpusque novum: neque enim ignibus artus
Conditus, aut mœsta niger adventabat ab urna;

Ut repentino casu augur delapsus est in pallidos Inferos, et effregit mortiferas sedes, et secreta mundi reconditi, ac consternavit umbras armatis exequiis; horror invadit omnes. Stupent in inferis plagis arma et equos, corpusque vivum; neque enim crematus fuerat vates feralibus flammis, aut ater adveniebat a tristi urna:

Hoc Argumentum præbent nonnulli codd. et edd. antiq.

Tunc graviter superos objurgat rector Averni,
Ipsumque Amphiaraum terret, cui pauca furenti,
Jam tenui voce, et pavidus, supplexque profatur
Conjugis infandæ indicium, subitamque ruinam.
Anxius Inachidas vatis dolor angit amissi.
Sidonii exultant, memorantque insignia gentis,
At Graium proceres similem, pietatis honore,
Theodamanta legunt, vatis qui munera servet.
Hic Thebana phalanx, illic ruit Inacha pubes.
Vulnera vulneribus geminant, funduntque vicissim
Corpora magna virum: tunc multa in cæde furentem
Tydea dejectum telis Tritonia flevit.

Versu 2. Membranæ clarius: *qui pauca.* Vs. 3. Behott. 1. 2. *supplexque revolvit.* Vs. 5. 'Corruptus transpositione, sic restituendus: *Amissi Inachidas vatis dolor anxius angit.*' Barth. *Inachias* unus Behot. *anget* in eodem codice. Vs. 7. *simile* in eodem. Vs. 8. *Theiodamanta* Behot. 1. *Theodomanta* Behot. 2. 'Membranæ melius, *munia.*' Barth. Vs. 9. Behott. 1. 2. *Hinc Thebana.*

1 *Ut subitus augur* duo Barthiani.—5 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Petav. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Gevart. et Delph. *neque enim ignibus atris;* Put. *neque enim ignibus astris;* Behot. 1. *nec ignibus artus;* Behot. 2. *nec enim ignibus atris;* Amstel. Gronov. Barth. et Veen. *neque enim ignibus*

NOTÆ

2 *Orbis sepulti*] Inferi.

3 *Et armato funere*] Inciderat enim armatus et sicut erat in acie Amphiaraus.

5 *Novum*] Id est, insolitum, seu vivum. *Neque enim ignibus artus [atris] Conditus, &c.*] Cremabantur enim corpora mortuorum, collectaque ossa et cineres recondebantur ac servabantur in vasis 'urnis' dictis.

Sed belli sudore calens, clypeumque cruentis
Roribus, et scissi respersus pulvere campi.
Necdum illum aut trunca lustraverat obvia taxo
Eumenis, aut furvo Proserpina poste notarat
Cœtibus assumtum functis: quin cominus ipsa
Fatorum deprensa colus: visoque paventes
Augure, tunc demum rumpebant stamina Parcæ.
Illum et securi circumspexere fragorem
Elysii, et si quos procul inferiore barathro
Altera nox, aliisque gravat plaga cæca tenebris.
Tunc regemunt pigrique lacus, ustæque paludes,

sed accensus sudore pugnæ, et habens scutum perfusum sanguineo imbre, et pulvere perrupti campi. Nec etiam Eumenis ei occurrerat, et expiaverat illum mutila tæda taxea, aut Proserpina inscripserat in nigro poste illum receptum in numerum mortuorum. Quin ipsa colus fatorum propius intercepta fuerat, et Parcæ consternatæ aspecto vate, tum demum secabant pensa vitæ illius. Quieti Elysiorum incolæ audierunt illum fragorem, et si qui sunt, quos altera nox procul inferiore voragine, et atra regio vexat aliis nubilis. Tunc torpentia stagna, ac spatiosi lacus queruntur,

artus.—10 Put. *aut fulvo.*—13 Unus Behot. *tunc primum.*—15 Dan. Put. Petav. Lindenbrog. et Cruc. *ulteriore barathro;* et sic cum scriptis suis præstantioribus legit Nic. Heinsius in Advers. lib. III. cap. 17. p. 545.—17 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. unus Behot. et edd. vett. *ustæque paludes;* Dan. Put. Petav. Lindenbrog. et Cruc. *vastæque paludes.* Pro *istæque* in ed. Barth. lege

NOTÆ

7 *Cruentis Roribus*] Sanguine.

9 *Trunca lustraverat obvia taxo Eumenis, aut furvo Proserpina poste notarat*] Lactantius: 'Asserunt Poëtæ mortuorum capita Furiarum lampade lustrari, et eorum nomina a Proserpina in poste Inferorum conscribi.' *Taxo*] Faces enim Furiarum erant ex hac arbore, quia noxia et letifera. Vide Theb. VI. 102. *Proserpina*] Regina Inferorum. *Furvo poste*] Sic 'furvæ Leti plagæ' eidem Statio Pietate Abascantii, sic 'furva Proserpina' Horatio II. Od. 13. Poëtisque aliis, cum de Inferis loquuntur.

12 *Deprensa colus*] Amphiaraus enim advenit, nondum discisso filo vitæ suæ, adhuc id ducentibus Parcis.

13 *Tunc demum rumpebant stamina Parcæ*] Tres erant Parcæ, ut jam diximus, quarum prima colum ferebat; secunda nendo humanæ vitæ designabat finem; tertia filum secabat, hoc est, vitam tempore statuto abrumpebat: his varia nomina dabantur, ut liquet ex Pausania pluribus in locis.

14 *Securi*] Quieti, quia nihil potest camporum Elysiorum quietem turbare, ibique perpetua pax regnabat.

15 *Elysii*] Id est, incolæ Elysiorum. *Barathro*] Diversa enim variaque receptacula erant apud Inferos, noxque ac caligo nigrior, et hoc pro pœnarum diversitate.

Umbriferæque fremit sulcator pallidus undæ,
Dissiluisse novo penitus telluris hiatu
Tartara, et admissos non per sua flumina Manes.
Forte sedens media regni infelicis in arce
Dux Erebi, populos poscebat crimina vitæ,
Nil hominum miserans, iratusque omnibus umbris.
Stant Furiæ circum, variæque ex ordine Mortes,
Sævaque multisonas exercet Pœna catenas.
Fata ferunt animas, et eodem pollice damnant.
Vincit opus: juxta Minos cum fratre verendo

et pallidus portitor umbriferi fluvii indignatur Inferos penitus patuisse recenti hiatu, et receptas fuisse umbras non per suos amnes. Forte rex Inferorum sedens in media arce miseri imperii repetebat a gentibus scelera anteactæ vitæ: nullo modo misertus hominum, et infensus omnibus mortuis. Eumenides adsunt circum, et serie Mortes diversæ, et crudelis Pœna adhibet in usum valde crepantia vincula. Parcæ sistunt animas ante tribunal, et eodem pollice pœnis addicunt. Opus superat.

ustæque.—18 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *premit sulcator;* Dan. Put. Petav. Behott. 1. 2. Lindenbrog. Cruc. Gevart. Grasser. Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *fremit sulcator.*—26 *Fata serunt* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. unus Behot. omnes Barthiani, Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. et sic legit Dan. Heinsius ad Claudian. Rapt. Proserp. I. 59. *Fata ferunt* Dan. Put. Petav. alter Behot. Lindenbrog.

NOTÆ

18 *Sulcator pallidus*] Charon.

20 *Et admissos non per sua flumina Manes*] Ipsi enim vivi qui Inferos ingressi fuerant, ut Orpheus, Hercules, Pirithous, et Theseus, cymba Charontis transvecti fuerant.

22 *Dux Erebi*] Pluto.

24 *Variæque ex ordine Mortes*] Una quidem communisque omnibus est mors, sed dissimilis varietate pœnarum.

26 *Fata*] Parcæ. *Et eodem pollice damnant*] Pollex veteribus et favoris et alieni animi index: si faverent, pollicem promebant, ut Plinius ait lib. VIII. cap. 11. et ex hoc Horatii versu colligi potest: 'Fautor utrumque tuum laudabit pollice ludum.' Itaque 'pollicem vertere' damnantis erat, quod a Politiano optime explicatum est; et in muneribus gladiatoriis, qui volebat eum, qui succubuerat adversario occidi, jugularique, 'pollicem vertebat,' ut munerarius. Juvenalis Sat. III. 'Et verso pollice vulgi Quem libet occidunt populariter.' Et Prudentius de Vestalibus, quæ gladiatores in podio spectabant, qui honor virginitati habitus: 'Pectusque jacentis Virgo modesta jubet converso pollice rumpi.' *Eodem*] Id est, eodem quo neverunt eorum vitam.

27 *Vincit opus*] Sensus: Parcarum stamina morientium multitudine superari. Ita Lactantius: ut Lucanus: 'Lassant rumpentes stamina Parcas.' Parcarum *opus*, seu stamina *vincunt*: plures enim nasci, quam mori necesse est, alioqui deficerent homines: et

Jura bonus meliora monet, regemque cruentum
Temperat: assistunt lacrymis atque igne tumentes
Cocytos Phlegethonque: et Styx perjuria Divum
Arguit. Ille autem supera compage soluta,
Nec solitus sentire metus, expavit oborta
Sidera, jucundaque offensus luce profatur:
Quæ Superum labes inimicum impegit Averno
Æthera? quis rumpit tenebras? vitæque silentes
Admovet? unde minæ? uter hæc mihi prælia fratrum?

Prope clemens Minos cum venerando fratre suadet ei mitiorem justitiam, et mitigat atrocem principem. Phlegethon et Cocytus adsunt inflati fletibus et ira, ac Styx damnat perjuria Deorum. Ille autem Pluto superiori coagmentatione laxata, nec assuetus experiri timorem, exhorruit subito apparentia sidera, et læsus amæno lumine, hæc dicit: Quæ terræ ruina illisit Inferis hostem ætherem? Quis effregit caliginem? et mortuos vitæ admovet? unde minæ? uter fratrum intentat mihi hoc

Cruc. Gronov. Barth. Veen. et Delph. Vide vs. 93.—28 'Libri nonnulli *movet;* sed illud Papinianum est.' *Barth.*—30 Jortinus conj. *et quæ perjuria Divum.*——33 Behott. 1. 2. *jocundaque.*—35 Dan. Put. et Petav. *silentis.*—36 *Admonet* unus Behot. et Put. *Amovet* Dan. *unde hæc* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et

NOTÆ

opus de morte minus proprie dici potest. *Peyraredus.* Et vero sic explicandum censeo. Videtur hic Poëta inducere Parcas munere fungentes sistendi mortuos ad tribunal Plutonis, ut mercedem recipiant anteactæ vitæ, dicitque tot judicandos adhuc restare, ut iis sistendis lassentur Parcæ, *opusque vincere,* quia licet immensi jam judicati sint, plures tamen adhuc judicandi supersint. Potest et intelligi *Fervet opus* ex Virgilio. *Minos cum fratre verendo*] Rhadamantho. Minos enim et Rhadamanthus fratres erant, Jovis ex Europa filii, et judices Inferorum crediti: assessorem habebant Æacon filium etiam Jovis. Qui honor illis redditus post mortem, quod juste regnaverint.

28 *Regemque cruentum*] Plutonem.

30 *Cocytos Phlegethonque: et Styx perjuria Divum Arguit*] Cocytos, Phlegethon, et Styx fluvii Inferorum. *Perjuria Divum Arguit*] An perjuria in Divos commissa, an ipsa Deorum perjuria, quod verius est: sanctissimum enim erat Diis juramentum per Stygem. Qua pœna autem afficiebatur is, qui per aquam Stygiam pejerasset, vide apud Hesiodum in Theogonia.

36 *Unde minæ? uter*] Nihil mutandum. Sic etiam interdum Virgilius et Ovidius usurpant. Noster lib. IV. 'Tenero unde improba virtus.' Et lib. IX. 'Cum fluctivago Ergino.' *Uter hæc mihi prælia fratrum*] Jupiterne an Neptunus? ille enim motu capitis sæpe cœlum, sidera, terram, ac mare concutit, et hic σεισίχθων ac ἐννοσίγαιος, id est, *terram concutiens.* Ex terræ autem tremoribus hiatus vasti et χάσματα. Cum itaque numini utrique hæc potestas attribuatur, merito ambigit, uter hoc sibi bellum veluti indicat. *Gronovius.*

Congredior: pereant agedum discrimina rerum.
Nam cui dulce magis? magno me tertia victum
Dejecit fortuna polo, mundumque nocentem
Servo: nec iste meus, dirisque en pervius astris
Inspicitur. Tumidusne meas regnator Olympi
Explorat vires? habeo jam quassa Gigantum
Vincula, et æthereum cupidos exire sub axem
Titanas, miserumque patrem: quid me otia mœsta
Sævus, et implacidam prohibet perferre quietem?

bellum? Confligo. Eia discrimen rerum tollatur. Nam cui hoc magis gratum est? Tertia sors deturbavit me superatum ab ingenti cœlo, et obtineo sontem orbem, nec iste meus est. En penetrabilis invisis sideribus cernitur. Superbusne moderator cœli prætentat meam potentiam? Possideo jam ruptas catenas Gigantum, et Titanas avidos egrediendi sub cœlestem plagam, et infelicem patrem. Quid me vetat immitis tolerare tristem tranquillitatem, et inamœnam desidiam? et habere

edd. vett. Vide Not. Var.—37 'Male nonnulli codd. *Congrediar.*' Barth. Ita unus Behot.—40 Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *diris en,* omisso τῷ *que.* —44 'In optimo libro melius legitur: *otia mœstum.*' Barth.—45 'In nonnullis libris *implacitam* legitur, quod forte verius.' *Idem.* Nonnullæ Barthii

NOTÆ

38 *Nam cui dulce magis*] Deterior enim pars, in divisione orbis facta inter fratres Jovem, Neptunum, et Plutonem, obtigerat Plutoni; et propter hoc mox se *victum* queritur: unde sibi spes, si omnia miscerentur, meliorem partem quandoque habiturum.

39 *Mundumque nocentem*] Inferos, nocentium receptaculum.

40 *Nec iste meus*] Quia in illum jus sibi vindicant alii Dii.

42 *Habeo jam quassa Gigantum Vincula*] Nota fabula de Gigantibus victis fulminatisque a Diis, conjectisque in vincula, et in Tartarum detrusis.

44 *Titanas*] Titanes erant filii Titanis, Cœli, et Vestæ filii, fratris Saturni, qui Titan, quamvis major natu esset, cessit regnum Saturno, ea lege, ut nullam sobolem masculam tolleret, ut post mortem ejus imperium ad suos liberos rediret: verum cum animadvertisset Jovem, Neptunumque, ac Plutonem, Saturno natos, nec tamen sublatos, arma fratri intulit recuperaturus imperium, victumque Saturnum in vinculis habuit. Jupiter autem grandior factus, collecto exercitu, patrem liberavit, et superatos Titanas in Tartarum conjecit. *Miserumque patrem*] Saturnum. Hunc enim a filio victum, catenisque oneratum, in Tartara præcipitatum fabulantur Poëtæ. Quod tamen aliqui sic interpretantur, quod cum Jupiter sibi fecisset cognominem stellam, fecerit et cognominem patri stellam ulteriorem in profundissimo æthere, quam segnissime progredientem; intelligentes, ut Lucanus, per 'Tartarum' altitudinem aëris ingentem.

Amissumque odisse diem? pandam omnia regna,
Si placet, et Stygio prætextam Hyperiona cœlo.
Arcada nec Superis (quid enim mihi nuntius ambas
Itque reditque domos?) emittam, et utrumque tenebo
Tyndariden. Cur autem avidis Ixiona frango
Vorticibus? cur non expectant Tantalon undæ?
Anne profanatum toties Chaos hospite vivo

odio perditam lucem? Aperiam universa regna, si cordi est, et obscurabo solem Stygia caligine, nec remittam superis Arcadem, (quid enim mihi nuntius ultro citroque discurrit per utramque ditionem?) et retinebo ambos Tyndari filios. Cur enim lacero Ixionem irrequietis gyris? Cur non aquæ præstolantur Tantalum? Anne

membranæ et Behot. 1. *perferre.*—46 'Non est librariorum, sed omnino Papinii ipsius scriptio, quæ servatur a nostris optimis membranis: *pandam intima regna.*' Barth. 'Quænam hæc *omnia regna*? ex sensu manifestum est Plutona de Tartaro hic loqui; lege igitur *orrida*, i. e. *horrida regna:* 'pallida regna' vocat Virgil. VIII. 245. 'regna opaca' Noster Theb. I. 294. 'horrifera regna' Seneca Hippol. vs. 932. vel saltem *invia regna.*' Ita scribit Marklandus ad Sylv. IV. 1. 14.—47 Behott. 1. 2. Dan. Put. Petav. Lindenbrog. et Cruc. *prætexam.*—48 *Arcada nunc* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et edd. vett. *Arcada* *Superis* Behot. 1. voce *nec* vel *nunc* erasa; in altero vero Behot. vox *nec* scripta erat in alterius vestigiis.—51 *Verticibus* in

NOTÆ

47 *Hyperiona*] Solem. *Stygio cœlo*] Pluto dicit se immissis tenebris solem et numina turbaturum. *Cœlo*] Id est, tenebris, quibus apud Inferos cœlum prætexitur. Nam et Inferi suum cœlum habebant. Posset et legi *cœno.*

48 *Arcada*] Id est, Mercurium natum in Arcadia, qui nunc apud Superos est, nunc apud Inferos; unde natum proverbium κοινὸς Ἑρμῆς, *communis Mercurius.* Et nunc atra, nunc aurea facie depictus.

49 *Itque reditque domos*] Hinc Mercurius Apuleio dicitur: 'Ille Superum commeator et Inferum.' *Utrumque tenebo Tyndariden*] Id est, Pollucem et Castorem, Tyndari filios, qui tanto amore se invicem dilexerunt, ut Pollux, qui immortalis natus erat, partem suæ immortalitatis cum fratre communicaverit Castore, qui erat mortalis; quo facto alternis mori traduntur et reviviscere. Virgilius Æn. VI. 'Si fratrem Pollux alterna morte redemit, Itque reditque viam toties.' Cui fabulæ locum dedit Geminorum natura, quorum altero oriente, ut vulgo creditur, alter occidit, et e contrario. Sed Empiricus mavult, id quod de Dioscuris traditum est, intelligere de duobus Hemisphæriis, cum ipsis geminis non competat in parvo spatio, quod occupant, ut uno oriente alius occidat, occidente oriatur.

50 *Ixiona*] Tangit fabulam Ixionis, rotæ, quæ semper convertitur, alligati. Vide Theb. IV. 539.

51 *Cur non expectant Tantalon undæ*] Vide ibid. vs. 538.

52 *Hospite vivo*] Hercule, Orpheo, Pirithoo, et Theseo, qui vivi Inferos ingressi sunt.

Perpetiar? me Pirithoi temerarius ardor
Tentat, et audaci Theseus juratus amico:
Me ferus Alcides, tunc cum custode remoto
Ferrea Cerbereæ tacuerunt limina portæ.
Odrysiis etiam pudet heu patuisse querelis
Tartara: vidi egomet blanda inter carmina turpes
Eumenidum lacrymas, iterataque pensa sororum.
Me quoque: sed duræ melior violentia legis.

feram toties Tartarum violari a vivente advena? Audax libido Pirithoi, et Theseus nimium fidelis temerario amico me lacessunt. Me dirus Alcides; tunc cum abducto janitore ferreæ fores ostii Cerberei siluerunt. Heu pudet Inferos etiam reclusos fuisse luctui Orphei Thracii. Ego ipse aspexi fœdos fletus Furiarum inter dulces cantus, et renovata sororum stamina. Me etiam commotum sensi. Sed vigor se-

uno Behot.—56 *Cerbereæ patuerunt* Lang. Laur. Buslid. Dan. Put. Petav. Behott. 1. 2. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. et Gevart. *tacuerunt* Lipsian. optimæ Barthii membranæ, Amstel. Gronov. Barth. Veen.

NOTÆ

53 *Me Pirithoi temerarius ardor Tentat*] Respicit fabulam, qua dicitur Pirithous sibi in animum induxisse rapere Proserpinam, et in hoc adjutus fuit a Theseo: sed Pirithous fuit occisus, Theseus vero catenis oneratus.

54 *Juratus amico*] Amicitia enim intra æquitatis limites coërceri debet, nihilque amicis promitti debet, in quo jus fasque violetur. Quod non fecit hic Theseus, sed amico etiam uxorem alterius rapturo operam pollicitus est. Unde *juratus* dicitur.

55 *Alcides*] Hercules dictus *Alcides*, ab avo materno Alceo. Tangit hic fabulam, qua dicitur Hercules descendisse in Inferos, et abduxisse Cerberum.

56 *Tacuerunt*] Id est, latratibus non sonuerunt abducto Cerbero. Quidam codices: *patuerunt*.

57 *Odrysiis*] Thraciis. Tangit fabulam Orphei Thracis, qui dicitur descendisse in Inferos ad repetendam uxorem Eurydicem, ac Plutonem Furiasque dulcedine cantus sui flexisse, atque ab iis obtinuisse reditum uxoris.

59 *Iterataque pensa sororum*] Ut novum stamen ducerent pro Eurydice.

60 *Me quoque*] Flexum scilicet cantu Orphei. *Sed duræ melior violentia legis*] 'Legem' hic interpretatur Lactantius conditionem impositam Orpheo, ne respiceret uxorem, antequam ad Superos perveniret. Mentem igitur esse: Melior fuit lex, quam ego ipse Pluto; nam dulcedine cantus victus sum, ut Orpheo conjugem redderem; ut concessam perderet, inclementia legis obtinuit. Ego vero credo per 'duram legem' intelligi legem, qua omnibus hominibus, ut semel mortui sunt, interdictum est ad vitam redire. Mentem igitur esse: Licet Orpheus a me obtinuerit reditum uxoris, fortior tamen fuit lex communis, effectumque est ea, ut quod ego injuste permiseram, non contingeret, Eurydicem scilicet ad vitam redire.

Ast ego vix unum, nec celsa ad sidera, furto
Ausus iter, Siculo rapui connubia campo:
Nec licuisse ferunt; injustæque ab Jove leges
Protinus, et sectum genitrix mihi computat annum.
Sed quid ego hæc? i, Tartareas ulciscere sedes,

veri juris fortior fuit. Verum ego ausus semel egredi, non ut tamen adorirer sublimia astra, rapui conjugem in agris Siculis; nec fas fuisse dicunt: statim injusta edicta a Jove veniunt, et mater mecum partitur annum. Sed quid hæc ego vane jacto! Vade, Tisiphone, vindica Tartareum regnum, et, si quando fuisti atrocissima

et Delph.—65 *Sed quid ego hæc ita* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Behott. 1. 2. Aldd. Colin. Gryph.' Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. et Gevart. 'Inepta nec Papiniana scriptura, quam tamen libri plerique defendunt. Vera est, quam jam olim doctissimus Gul. Canterus Novar. Lect. lib. II. cap. 8. vidit: *Sed quid ego hæc? I, Tartareas, &c.* Nisi quis malit

NOTÆ

61 *Ast ego vix unum, nec celsa ad sidera furto Ausus iter, Siculo rapui connubia campo*] Alludit ad fabulam, qua Pluto dicitur rapuisse Proserpinam in Sicilia, cum flores legeret. Hanc fabulam fuse describit Cicero in Verrem VII. Ovidius Met. v. et Claudianus tribus libris. Id cur confictum, discimus ex Firmico lib. de Mysteriis et Erroribus Profanarum Religionum cap. 7. Plures procos habuisse Proserpinam, et inter eos divitem quendam rusticum, nomine Plutonem; qui cum amoris impatiens moram non ferret, inventam vesperi, in Ennæ finibus prope Percum lacum amœnissimum, vehiculo super impositam avexit: raptorem cum armatorum turmis Ceres persequitur; qui vitæ suæ timens, et prædæ retinendæ spem abjiciens, equos per medium lacum impulit, cujus profundis voraginibus uterque demersus interiit. Postea solatio matris, Ennenses ab Inferorum Plutone raptam finxerunt. *Nec celsa ad sidera*] Nihil ausus contra sidera. *Siculo campo*] Pausanias tamen in Atticis scribit, locum quendam esse juxta Cephisum amnem in Bœotia 'Caprificum' nominatum, qua fama erat, Plutonem cum rapta Proserpina in Inferos descendisse.

64 *Et sectum genitrix mihi computat annum*] Ceres, ubi comperit Plutonem filiam rapuisse, questa est apud Jovem de injuria sibi facta, et rogavit illum, ut sibi filia redderetur: ille respondit justum esse, ut illi filia redderetur, si nihil degustasset in Inferis; sic enim fatis decretum esse: cum autem testimonio Ascalaphi cognitum fuisset, hanc aliquot mali punici grana comedisse, spes ejus reditus matri interclusa videbatur: sed Jupiter æqua sententia statuit, ut Proserpina quotannis sex menses cum Plutone, sexque cum matre esset. Ovidius Met. v. 'At medius fratrisque sui mœstæque sororis Jupiter, ex æquo volventem dividit annum: Nunc Dea regnorum numen commune duorum Cum matre est totidem, totidem cum conjuge menses.' Unde *injustæ ab Jove leges.*

65 *Sed quid ego hæc*] Supple, Queror. Frequens aposiopesis Poëtis. Noster Theb. XI. 'Quod innumero Lethæa examine gaudet Ripa, meæ vires, mea læta insignia: sed quid

Tisiphone, et, si quando novis asperrima monstris,
Triste, insuetum, ingens, quod nondum viderit æther,
Ede nefas, quod mirer ego, invideantque sorores.
Atque adeo fratres, (nostrisque hæc omina sunto
Prima odiis,) fratres alterna in vulnera læto
Marte ruant: sit, qui rabidarum more ferarum
Mandat atrox hostile caput, quique igne supremo
Arceat exanimes, et manibus æthera nudis
Commaculet: juvet ista ferum spectare Tonantem.
Præterea ne sola furor mea regna lacessat,
Quære Deis qui bella ferat, qui fulminis ignes,

recentibus flagitiis, committe scelus mæstum, insolitum, immane, quod cœlum nondum aspexerit, quod ego stupeam, et sorores liveant. Atque adeo germani (et hæc sint prima præsagia inimicitiis nostris) concurrant grato duello in mutuas plagas. Sit, qui furens edat cerebrum adversarii more furiosarum belluarum, et alter, qui summoveat mortuos ab ultimis flammis, et polluat aërem nudis cadaveribus. Hoc spectaculo fruatur barbarus Jupiter. Præterea ne rabies infestet solum meum imperium, quære aliquem, qui bellum indicat Diis, qui fumante clypeo rejiciat flam-

optimi nostri libri: *Sed quid ego hæc? tu Tartareas.* Magis tamen illud Papinianum spirat.' *Barth.*—66 'Vocula *et* in nullo nostrorum exemplarium visitur. Placet omitti.' *Idem.* Deest etiam in utroque Behot.—69 Dan. Put. Petav. Lindenbrog. et Cruc. *nostrique.* Aldd. Colin. Gryph. et Basil. *hæc omnia sunto.*—71 Unus Behot. *rapidarum.*—75 In eodem codice, *lacesset.*

NOTÆ

Hæc ego?' Idem Theb. IV. 'Sed quid ego hæc? fessosque optatis demoror undis?' Ovid. Heroid. Ep. XIII. 'Sed quid ego hæc? lævum revocaminis omen abesto.' Ausonius Præfatione Septem Sapientum: 'Sed ego quid isthæc? non hac causa huc prodii.'

66 *Asperrima*] Supple fuisti. *Novis monstris*] Novis et insolitis flagitiis.

68 *Invideant*] Quod excogitasti novum scelus, quod ipsis non venerit in mentem, unde causa invidiæ.

69 *Fratres*] Eteocles et Polynices.

70 *Odiis*] Inter me et Jovem. *Læto Marte ruant*] Id est, gaudeant hoc duello. Sive *læto Marte,* id est, cum gaudio spectante utroque exercitu Argivo et Thebano. Dicit enim lib. XI. utrumque exercitum primo motum misericordia ergo fratres, ac eos pugnantes voluisse dirimere, sed mox arma placuisse, et mutata sententia voluisse spectare.

72 *Mandat atrox hostile caput*] Designat Tydeum, qui moriens caput Menalippi qui illum letaliter vulneraverat, mandit, ut videbimus sub finem hujusce libri. *Quique igne supremo Arceat exanimes*] Intelligit Creontem, qui, ut sæpius diximus, vetuerat, ne Argivi in acie occisi sepulturæ mandarentur. Vide Theb. XI.

74 *Juvet ista ferum spectare Tonantem*] Dicit Pluto se voluptatem capturum, si Jupiter etiam videret aliqua, quæ ipsi displicerent.

Infestumque Jovem clypeo fumante repellat.
Faxo haud sit cunctis levior metus, atra movere
Tartara, frondenti quam jungere Pelion Ossæ.
Dixerat: atque illi jamdudum regia tristis
Attremit oranti, suaque, et quæ desuper urget,
Nutabat tellus: non fortius æthera vultu
Torquet, et astriferos inclinat Jupiter axes.
At tibi quos (inquit) Manes, qui limite præceps
Non licito per inane ruis? Subit ille minantem
Jam tenuis visu, jam vanescentibus armis,
Jam pedes: extincto tamen interceptus in ore

mas fulminis, et iratum Jovem. Faciam, ut non sit minor pavor, omnibus, irritare nigros Inferos, quam imponere Pelion sylvosæ Ossæ. Locutus erat. Atque jamdudum, illo dicente, mœsta aula trepidat, et terra quæ ei paret, et illa quæ premit desuper, tremebat. Jupiter non validius concutit vultu cœlum, et deprimit cœlestes polos. At tibi, quas pœnas reservo, qui rapidus delaberis per vacuum via prohibita? Ille Amphiaraus accedit ad iratum, jam exilis aspectu, jam evanescentibus armis, jam pedes:

—82 'Codex optimus, *Adnutat;* quod Papinianum omnino existimo; nec deterrere debet voculæ *ad* repetitio.' *Barth.*—87 'Quomodo *interceptus,* si *perdurat?* Vitiata lectio, cui ex parte succurrunt libri nostri, præferentes,

NOTÆ

76 *Qui bella ferat*] Capaneum innuit, qui impietatis pœnas solvit, fulmine percussus a Jove, ut videre est sub finem Theb. x.

79 *Frondenti quam jungere Pelion Ossæ*] Memorat bellum Gigantum. Gigantes enim, cum vellent ascendere in cœlum, bellum Diis illaturi, Pelion, montem Thessaliæ, Ossæ, ejusdem Thessaliæ monti, imposuerunt. Tanto autem pavore perculsi sunt Dii in hoc Gigantum bello, ut omnes se in varias animalium figuras converterent. Notissima fabula.

80 *Jamdudum regia Attremit*] Ut Jovis sermoni cœlum attremere fingunt alii Poëtæ. Imitatus est Claudianus in suo Dite, de Raptu Pros. lib. I. 'Tunc talia celso Ore tonat; tremefacta silent, dicente tyranno, Atria.' *Attremit*] Nutat ad vocum pondus et clamoris amplitudinem. Ita lib. III. 'Terras cœlumque fretumque Attremere oranti.'

84 *Tibi*] Convertit Pluto sermonem ad Amphiaraum. *Manes*] Hic pro pœnis, ut Virgilius: 'Quisque suos patimur manes.' *Limite Non licito*] Vivus enim in Inferos descenderat.

86 *Tenuis visu*] Simulacra enim mortuorum vix in visum cadunt. Lib. IV. 'Et angustam centeni Ægæonis umbram.'

87 *Jam pedes*] Evanuerat enim currus, quo vectus descenderat in orcum Amphiaraus. Vel descenderat e curru, ut supplex accederet ad Plutonem.

Augurii perdurat honos, obscuraque fronti
Vitta manet, ramumque tenet morientis olivæ.
Si licet, et sanctis hic ora resolvere fas est
Manibus, o cunctis finitor maxime rerum,
At mihi, qui quondam causas, elementaque noram,
Et sator! oro, minas, stimulataque corda remulce,
Neve ira dignare hominem, et tua jura timentem.
Nam nec ad Herculeos (unde hæc mihi pectora?) raptus,
Nec Venerem illicitam (crede his insignibus) ausi
Intramus Lethen: fugiat nec tristis in antrum
Cerberus, aut nostros timeat Proserpina currus.

decus tamen superstes sacerdotii remansit in extenuato vultu, et umbrosa infula duravit in fronte, et tenet frondem marcidæ olivæ. Si fas est, et conceditur hic religiosis umbris os aperire, o omnibus maxime consumtor et procreator rerum, sed et mihi, qui olim sciebam causas ac primordia rerum, depone minas, precor, et leni commotum pectus, nec judica dignum tuo furore virum, et reverentem tuas leges. Non enim subiimus Inferos ad rapiendum, sicut Hercules, (unde hic mihi animus?) nec ausi prohibitam libidinem, (fidem adhibe his ornamentis,) nec mœstus Cerberus in cavernam se recondat, aut Proserpina expaveat currus nostros. Vates nuper carissimus

indeceptus. Vera lectio est, *indecerptus.*' Barth.—95 Put. *mihi prælia.*—110

NOTÆ

88 *Obscuraque fronti Vitta manet*] Non vitta, sed vestigium vittæ. Superiori enim libro eas Apollini reddidisse Amphiaraus dicitur: 'Accipe commissum capiti decus.'

89 *Ramumque tenet morientis olivæ*] Ramus olivæ insigne supplicum. Vide lib. superiori vs. 476.

91 *O cunctis finitor maxime rerum*] Ovidius: Omnia debentur morti, 'sedem properamus ad unam, Tendimus huc omnes, hæc est domus ultima cunctis.'

92 *At mihi*] Lactantius legit *Ast ego.* Varietas illa suspectum mihi facit versum, qui alioquin inutilis videtur, sed ἐπέχω. *Guyetus.*

93 *Et sator*] Supra facit Plutonem cunctis 'finitorem,' nunc 'satorem.' Nam per Plutonem terram intelligebant veteres, in quam omnia resolvuntur, et ex qua procreantur. Varro de Lingua Latina lib. IV. 'Diespiter, infimus aër qui est conjunctus terræ, ubi omnia oriuntur, ubi aboriuntur, quorum finis 'orcus' dictus.' Diespiter enim idem erat ac Pluto, ut omnes sciunt. Vel *sator* ob Parcas, quæ vitas hominum nent. *Guyetus.*

94 *Neve ira dignare hominem, et tua jura timentem*] Non decet enim Deum homini irasci, et multo minus, pio.

95 *Nam nec ad Herculeos raptus*] Tangit quod supra dixerat Pluto de Cerbero ab Hercule abducto vs. 55. *Pectora*] Alii codices *prælia.*

96 *Nec Venerem illicitam*] Ut Pirithous supra vs. 54.

97 *Lethen*] Lethe fluvius Inferorum, per quem Inferos designat. *Fugiat nec tristis in antrum Cerberus*] Vide supra.

Augur Apollineis modo dilectissimus aris,
Testor inane Chaos, (quid enim hic jurandus Apollo?)
Crimine non ullo subeo nova fata: nec alma
Sic merui de luce rapi: scit judicis urna
Dictæi, verumque potest deprendere Minos.
Conjugis insidiis, et iniquo venditus auro,
Argolicas acies, unde hæc tibi turba recentum
Umbrarum, et nostræ veniunt quoque funera dextræ,
Non ignarus ini: subito me turbine mundi
(Horret adhuc animus) mediis e millibus hausit
Nox tua: quæ mihi mens, dum per cava viscera terræ
Vado diu pendens, et in aëre volvor operto?
Hei mihi! nil ex me sociis, patriæque relictum,

Phœbi altaribus, juro per vacuam caliginem, (quid enim hic obtestarem Apollinem?) novo mortis genere occumbo nullo meo scelere: nec peccavi, ut sic avellerer a grato lumine. Urna quæsitoris Cretensis id novit, Minosque potest veritatem cognoscere. Proditus conjugis fraude, et scelesto auro, non inscius conjunxi me copiis Argivis, unde hæc multitudo recens animarum, et exequiæ etiam nostræ manus, intrarunt regnum tuum. Caligo tua (mens adhuc horrore percellitur) absorpsit me repentina vertigine orbis e mediis millibus. Quis mihi fuit animus, dum eo per cavas partes telluris, diu suspensus, et versor in recondito aëre? Heu me, nihil remanet ex me

Lang. Laur. Buslid. Lipsian. unus. Behot. optimi Barthiani, Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *aperto;* Dan. Put. Petav. Lindenbrog. Cruc. et recentt. *operto;* ita quoque legit Nic. Heinsius in Advers. lib. IV. cap. 3. p. 583. Dan. Heinsius item ad Claudian. Rapt. Proserp. I. 171.—111 Behot. 2. *relinquo,* et pro v. l. *relictum;* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav.

NOTÆ

98 *Aut nostros timeat Proserpina currus*] Alludit ad Pirithoum, qui Proserpinam rapere aggressus fuerat. Vide supra.

100 *Inane Chaos*] Inferos designat. Supra lib. IV. 'Panditur Elysium Chaos.' Et 'inane severæ Persephones.'

101 *Nova fata*] Quod vivus, non mortuus, ut ceteri homines, in Inferos venerat.

102 *Judicis urna Dictæi*] Judex Dictæus, Minos, sic dictus a Dicte monte Cretæ: Minos enim Cretensis erat. *Urna*] Vide quæ diximus ad Theb. IV. 530. 'Arbiter hos dura versat Gortynius urna.'

104 *Iniquo venditus auro*] Eriphyle enim, ut jam vidimus, prodiderat maritum latitantem, spe habendi monile Argiæ. Vide Theb. III.

106 *Nostræ veniunt quoque funera dextræ*] Amphiaraus enim ingentem hostium numerum occiderat, ut videre est lib. sup.

107 *Non ignarus ini*] Præviderat enim se in hoc bello periturum. Theb. VI. 383. 'Scis miser, et nostræ pridem cecinere volucres.' Vide Theb. III.

111 *Nil ex me sociis, patriæque relictum*] Quia vivus, et cum toto cor-

Vel captum Thebis: non jam Lernæa videbo
Tecta, nec attonito saltem cinis ibo parenti.
Non tumulo, non igne miser, lacrymisque meorum
Productus, toto pariter tibi funere veni,
Nil istis ausurus equis: nec deprecor umbram
Accipere, et tripodum jam non meminisse meorum.
Nam tibi præsagi quisnam super auguris usus,
Cum Parcæ tua jussa trahant? sed pectora flectas,
Et melior sis, quæso, Deis: si quando nefanda
Huc aderit conjux, illi funesta reserva
Supplicia: illa tua, rector bone, dignior ira.
Accipit ille preces, indignaturque moveri.

comitibus, patriæque, vel quod sit captivum Thebis. Non jam cernam culmina Argiva, nec revertar, saltem coactus in cinerem, ad mærentem patrem Œcleum. Non infelix conditus tumulo, non flammis busti, non fletibus meorum, adii te cum totis exequiis, nihil attentaturus istis equis. Nec recuso accenseri mortuorum numero, nec amplius recordari tripodum meorum. Quisnam usus jam tibi potest esse præscii vatis, cum Parcæ ducant decreta tua? Sed places animum, precor, et mitior sis erga Superos. Si quando scelesta uxor huc advenerit, reserva ei atroces pœnas; illa dignior, princeps optime, furore tuo. Ille exaudiit obsecrationem, et irascitur

et edd. vett. *relictum est.*—112 *Non captas Thebas* unus Behot. et pro v. l. *Non captum Thebis.*—114 Put. *non ipse miser.*—118 'Rectissime optimi libri et emendatores, *quis jam;* quod non attendit correctio Gevartiana, et jactatrix illa plurimorum librorum.' *Barth.* Ita Dan. Put. Petav. Behott. 1. 2. Lip-

NOTÆ

pore, absorptus fuerat: unde nulli ejus cineres, qui in patriam portarentur.

112 *Vel captum Thebis*] Optabilius mihi enim fuisset capi a Thebanis. *Lernæa*] Argiva.

113 *Parenti*] Œcleo.

114 *Lacrymisque meorum*] Lacrymæ enim propinquorum et amicorum Manibus gratissimæ erant, ut quibus dolorem, quem ex morte propinqui aut amici habebant, significarent. Et veteres putabant mortuo dedecori esse, si a suis superstitibus non plorarentur. Vide Epicedium Pileti vs. 92.

115 *Productus*] 'Producere' verbum ad funera pertinens. Turn. lib. xix. cap. 17. 'Producere' interpretatur προτιθέναι, quod est mortuos ante ædes ad exequias proponere. Papinius tamen Epicedio in Glauciam videtur hoc verbum sumere pro, procedentem funus comitari, quæ verior significatio est.

116 *Ausurus*] Ut alii, nimirum Hercules et Pirithous. *Nec deprecor umbram Accipere*] Id est, non recuso umbris accenseri.

119 *Trahant*] Tanquam pensum.

120 *Et melior sis, quæso, Deis*] Supra enim Pluto Diis, seu Superis, atrocia minatus fuerat.

123 *Indignaturque moveri*] Irascitur se in misericordiam flecti.

Ut leo Massyli cum lux stetit obvia ferri,
Tunc iras, tunc arma citat: si decidat hostis,
Ire super satis est, vitamque relinquere victo.
Interea vittis, lauruque insignis opima
Currus, et egregiis modo formidatus in armis,
Luce palam fusus nulli, nullique fugatus
Quæritur: absistunt turmæ, suspectaque tellus
Omnibus: infidi miles vestigia campi
Circumit, atque avidæ tristis locus ille ruinæ
Cessat, et inferni vitatur honore sepulcri.
Nuntius hortanti diversa in parte maniplos
Adrasto, vix ipse ratus vidisse, Palæmon
Advolat, et trepidans (steterat nam forte cadenti

se flecti. Ut leo, cum fulgor Massylæ cuspidis suis oculis offertur, tunc exstimulat furorem, tunc ungues; si vero corruat inimicus, contentus est transire supra, et vitam relinquere superato. Interea currus conspicuus infulis et gloriosa lauru, et modo metuendus ob illustria arma, indagatur in medio die, a nullo inversus, fugatusque. Copiæ recedunt, et terra suspecta est cunctis: miles obit circum hanc partem infesti agri, et ille mæstus locus, quo absorptus est augur, non calcatur, et evitatur in honorem inferni tumuli. Index Palæmon, vix ipse putans id aspexisse, currit cito ad Adrastum excitantem copias in alia parte, et tremens (nam forte pro-

sian. Lindenbrog. et Cruc.—125 Put. cum uno Behot. *si decidit.*—127 *Interea victis* Behott. 1. 2. sed in utroque correctum *vittis.* Unus Behot. Put. Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et edd. vett. *lauroque.*—128 Unus Behot. *arvis*, et pro v. l. *armis.*—129 Put. *fusus media, nullique fugatus.*—132 *Circuit* Petrens. et Exc. Cantab. Vide Broukhus. ad Propert. II. 4. 26. et

NOTÆ

124 *Massyli*] Massyli Mauritaniæ populi, quorum regio leonibus abundat.

125 *Arma*] Ungues. Lucanus: 'Tum demum movet arma leo.'

126 *Ire super satis est, vitamque relinquere victo*] Noster aspexit aut transcripsit ista Ovidii Trist. III. 5. 'Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni: Pugna suum finem, cum jacet hostis, habet.' Claudianus Epigr. 'Mortisque facultas Emollit rabiem prædæ, torvique leones Quæ stravisse valent, ea mox prostrata relinquunt.' 'Prostratis' enim 'parcit leo,' ait Plinius lib. VIII. cap. 16. 'Leoni tantum ex feris clementia in supplices: prostratis parcit: et ubi sævit, in viros prius, quam in fœminas fremit, infantes non nisi magna fame. Eum vero, qui telum miserit, sed tamen non vulneraverit, correptum raptatumque sternit, nec vulnerat.'

128 *Egregiis modo formidatus in armis*] Ob magnam hostium stragem, quam fecerat.

133 *Et inferni vitatur honore sepulcri*] Quia locus sepulcrorum sacer, et ab usu hominum summotus.

Proximus) inspectoque miser pallebat hiatu.
Verte gradum: fuge, rector ait; si Dorica saltem
Terra loco, patriæque manent, ubi liquimus, arces.
Non armis, non sanguine opus: quid inutile ferrum
Stringimus in Thebas? currus humus impia sorbet,
Armaque bellantesque viros: fugere ecce videtur
Hic etiam, quo stamus, ager: vidi ipse profundæ
Noctis iter, ruptaque soli compage ruentem,
Illum heu, præsagis quo nullus amicior astris,
Œcliden, frustraque manus cum voce tetendi.
Mira loquor, sulcos etiamnum rector equorum,
Fumantemque locum, et spumis madida arva reliqui.
Nec commune malum est: tellus agnoscit alumnos,
Stat Thebana acies: stupet hæc, et credere Adrastus
Cunctatur; sed Mopsus idem, trepidusque ferebat
Actor idem: nam fama novis terroribus audax

pinquus erat labenti Amphiarao) et infelix pallebat viso hiatu. Reflecte gressus: fuge, inquit, rex, modo Dorica tellus, et patriæ turres restent eo loco, quo illas deseruimus. Non opus est armis, nec cruore. Quid educimus vanos enses in Thebas? Profana tellus haurit currus, arma, et milites: en videtur quoque ipse campus, in quo sumus, recedere. Aspexi ipse viam altarum tenebrarum, et effracta terræ structura, heu cadentem illum Œclei filium, quo nullus erat carior sideribus futura denuntiantibus, et incassum porrexi ei cum clamore manus. Mira dico, o princeps, deserui quoque orbitas equorum, locumque exhalantem, et agros humidos spuma. Nec eadem omnibus clades est; terra sentit indigenas: stant copiæ Thebanæ. Adrastus hæc miratur, et dubitat fidem adhibere; sed Mopsus idem, et festinus Actor idem narrabat: nam fama audax recentibus pavoribus renuntiat non solum

Ciofan. ad Ovid. Met. VIII. 748.—146 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Behott. 1. 2. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. et Gevart. *tetendit.*—147 Unus Behot. *etiamnunc rector.*—148 In quibusdam codd. *reliquit.* Vide Not. Var.—149 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et edd. vett. *cognoscit.*—152 *Actorides* codd. Bernartii, Lindenbrog. et Cruc. *Autor idem* Aldd. Colin. et Gryph. *Actor idem* optimæ Barthii membranæ, ut olim

NOTÆ

138 *Dorica*] Peloponnesiaca, a Doribus, qui postea Peloponnesum occuparunt cum Heraclidis.

146 *Œcliden*] Amphiaraum, Œcli filium.

147 *Rector*] Adraste.

148 *Fumantemque locum*] Fortasse, *lacum*, id est, hiatum. Sic Equo Max. de Lacu Curtio: 'Cujus sacrata vorago, Famosique lacus.' Iterum: 'Terque ardua mersit Colla lacu.' Sic et legerim infra vs. 338. 'Quo ruis, ille adytis melior lacus.' *Gronovius.*

152 *Fama novis terroribus audax*] Noster Theb. IV. 'Accumulat cre-

Non unum cecidisse refert: sponte agmina retro
Non expectato revocantum more tubarum
Præcipitant: sed torpet iter, falluntque ruentes
Genua viros, ipsique (putes sensisse) repugnant
Cornipedes, nulloque truces hortamine parent,
Nec celerare gradum, nec tollere lumina terra.
Fortius incursant Tyrii: sed Vesper opacus
Lunares jam ducit equos: data fœdere parvo
Mœsta viris requies, et nox auctura timores.
Quæ tibi tunc facies, postquam permissa gemendi
Copia? qui fletus galeis cecidere solutis?
Nil solitum fessos juvat: abjecere madentes,
Sicut erant, clypeos: nec quisquam spicula tersit,
Nec laudavit equum, nitidæ nec cassidis altam

unum corruisse. Manipuli ultro accelerant retro gradus, haud expectata consuetudine tubarum receptui canentium; sed segniter vadunt, et poplites destituunt festinantes viros. Ipsi equi (crederes sensum habere) resistunt, et efferati nullis obsequuntur vocibus, nec audent fugam maturare, nec oculos levare ab humo. Thebani acrius urgent. Sed umbrosus Vesper jam agit equos lunæ. Concessa militi brevibus induciis tristis requies, et nox auctura metus. Quæ tunc tibi facies, postquam data licentia dolendi? Quæ lacrymæ fluxerunt ademtis cassidibus? Nihil suetum placet fatigatis. Projecerunt scuta cruenta, sicut erant: nec quisquam mundavit tela, nec equum permulsit, nec pexit comsitque excelsas cristas fulgentis galeæ:

correxerat Gul. Canterus Novar. Lect. lib. II. cap. 8.—154 Put. *revocatum more ferarum.*—156 Behott. 1. 2. *ruuntque*, sed in Behot. 2. expunctum, ascriptumque *repugnant.*—159 *Fortius incumbunt Tyrii* Petrens. *incursant* ceteri omnes libri, et scripti et impressi.—160 Unus Behot. *fædere parvo.*—162 *Quæ tibi nunc* Put. *remissa gemendi* Dan. Put. Petav. Lindenbrog. et Cruc.—165 Unus Behot. *spicula torsit.*—166 In eodem codice: *nec cassidis unquam;*

NOTÆ

bros turbatrix fama pavores.'

154 *Non expectato revocantum more tubarum*] Flagitium enim erat acie excedere, priusquam dux receptui cani jussisset. Unde refertur de quodam duce, qui cum fugientes suos videret, receptui cani jussit, ut fugam eorum tegeret.

159 *Tyrii*] Thebani, ut jam sæpius dictum est. *Opacus*] Ob tenebras noctis.

161 *Et nox auctura timores*] Solemus enim per noctem res majores ac graviores nobis fingere ac repræsentare.

162 *Quæ tibi tunc facies*] Admirative ex persona Poëtæ. *Tibi* ibi *παρέλκει*, ut 'ecce tibi' dictum est. Legit Barthius: *Tunc ibi quæ facies.*

164 *Nil solitum fessos juvat*] Id est, nihil eorum quæ juvare solebant. *Guyetus. Nil solitum*] Id est, fieri post pugnam et per noctem. *Peyraredus.*

Comsit adornavitque jubam: vix magna levare
Vulnera, et efflantes libet internectere plagas.
Tantus ubique dolor: mensas alimentaque bello
Debita nec pugnæ suasit timor: omnia laudes,
Amphiaraë, tuas, fœcundaque pectora veri
Commemorant lacrymis, et per tentoria sermo
Unus, Abisse Deos, delapsaque numina castris.
Heu ubi laurigeri currus? solenniaque arma?
Et galeæ vittatus apex? hoc antra, lacusque
Castalii? tripodumque fides? sic gratus Apollo?
Quis mihi sidereos lapsus, mentemque sinistri
Fulguris, aut cæsis saliat quod numen in extis,
Quando iter, unde moræ, quæ sævis utilis armis,

vix juvat abluere ingentes plagas, et consuere hiantia vulnera. Tantus ubique erat luctus. Nec metus hortatur sternere mensas, nec sumere cibum reficiendis viribus ad primam pugnam. Omnes concelebrant fletibus præconia tua, o Amphiaraë, et pectora imbuta vero, et eadem verba audiuntur per tentoria, recessisse Deos, et numina emigrasse castris. Heu ubi laureati currus? armaque sacra, et infulatus vertex cassidis? Hæ speluncæ, fontesque Castalii? hæc certitudo tripodis? Sic Apollo memor suorum? Quis mihi explicabit astrorum casus, et quid lævum fulgur portendat, aut quis Deus saliat in extis victimarum: quis dicet, quando proficis-

sed pro v. l. *altam.*—167 Petrens. Exc. Cantab. Taurin. Burm. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. omnes Barthiani, Venett. Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. Gevart. Grasser. et Amstel. *vix magna lavare;* soli Gronov. Barth. Veen. Delph. et Bip. *levare.*—172 Barthius legit: *it per tentoria.*—173 Edd. vett. et multi codd. *dilapsaque.*—174 *Heus ubi* in quibusdam codd. improbante Nic. Heinsio ad Ovid. Met. p. 31. Vide ad Theb. IX. 385.—175 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. Gevart. et Grasser. *hæc antra.*—178 Optimæ Barthii membranæ; *aut cæcis.*—183 'Melius

NOTÆ

168 *Internectere*] Metaphoram traxit a medicis, qui solent vulnerum labra suere.

169 *Alimentaque bello*] Reficiendis viribus scilicet ad primam pugnam.

170 *Omnia*] Pro omnes.

175 *Antra*] Hæc vocat Theb. I. 'Obscuros recessus.' Vide ibid. vs. 509. *Lacusque Castalii*] Castalius enim fons erat fatidicus. Vide Theb. I. 565.

176 *Sic gratus Apollo*] Erga famulos suos, supple.

178 *Aut cæsis saliat quod numen in extis*] Vide quæ diximus ad Theb. V. 176. 'Et in nullis spirat Deus integer extis.'

179 *Quando iter, &c.*] Hæc enim omnia non suscipiebant, nisi prius consultis Diis per auguria, et per exta pecudum, quorum interpretes erant vates, ut hic Amphiaraus.

Quæ pacem magis hora velit, quis jam omne futurum
Proferet? aut cum quo volucres mea fata loquentur?
Hos quoque bellorum casus nobisque, tibique,
Præscieras, et (quanta sacro sub pectore virtus?)
Venisti tamen, et miseris comes additus armis.
Et cum te tellus, fatalisque hora vocaret,
Tu Tyrias acies, adversaque signa, vacasti
Sternere: tunc etiam media de morte timendum
Hostibus, infestaque abeuntem vidimus hasta.
Et nunc te quis casus habet? poterisne reverti
Sedibus a Stygiis, altaque erumpere terra?
Anne sedes hilaris juxta tua numina Parcas?
Et vice concordi discis ventura, docesque?
An tibi felices lucos miseratus Averni
Rector et Elysias dedit inservare volucres?

cendum, unde cunctandum; quod tempus magis accommodum atroci bello, quod magis pacem postulet: quis jam renuntiabit omnes res eventuras? aut cum quo aves canent meam sortem? Præviderus quoque et nobis, et tibi hæc eventa armorum, et (quanta fortitudo erat in religioso animo?) profectus es tamen, et socius adjunctus infelici bello. Et cum te terru, et fatale momentum appellaret, tu ultro operam dedisti profligandis copiis Tyriis, ac hostilibus vexillis. Tunc quoque aspeximus te metuendum inimicis in medio leto, et descendentem intentata hasta. Et nunc quæ sors tibi contigit? valebisne regredi ex locis infernis, et emergere e profunda tellure? Anne sedes lætus prope Parcas tuas Deas? et vice unanimi erudiris futuris, erudisque? Anne princeps Inferorum flexus concessit tibi fortunatas sylvas, et observare Elysias



membranæ: *Præscieras; (pro quanta s. s. p. virtus!) &c.'* Barth.—186 Dan. Put. Petav. Lindenbrog. et Cruc. *vocasti;* ita etiam Behott. 1. 2. sed Behot. 2. habet pro v. l. *vacasti.*—187 ' Præstat sequi optimi exemplaris scripturam: *nunc etiam media te morte, &c.'* Barth.—190 Optimæ Barthii membranæ: *aliaque evadere terra;* Lang. Laur. uterque Behott. Buslid. Lipsian. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *aliaque erumpere terra;* Dan. Put. Petav. Lindenbrog. Cruc. Gevart. Grasser. Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *altaque erumpere terra.*—191 Put. *hilares.* Dan. Put. Petav. Lindenbrog. et Cruc. *numina parcus;* Behott. 1. 2. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Gevart. Grasser. Amstel. Gronov. Barth. Veen.

NOTÆ

191 *Juxta tua numina Parcas*] Quia ut augur prævidebat quicquid singulis contingere debebat secundum decreta Parcarum.

193 *Felices lucos*] In quos veteres credebant mitti Heroës, piosque, ut perpetua ibi quiete fruerentur.

194 *Elysias dedit inservare volucres*] Vide lib. VI. 935. Et notandum hîc Poëtas tribuere mortuis eadem studia quæ habebant dum vivebant.

Quicquid es, æternus Phœbo dolor, et nova clades
Semper eris, mutisque diu plorabere Delphis.
Hic Tenedon, Cyrrhamque dies, partuque ligatam
Delon, et intonsi cludet penetralia Branchi.
Nec Clarias hac luce fores, Didymæaque quisquam
Limina, nec Lyciam supplex consultor adibit.
Quin et cornigeri vatis nemus, atque Molossi

ares? Quicquid es, perpetuus luctus eris, et semper recens damnum Apollini, et diu lugebere in tacitis Delphis. Hæc dies obserabit Tenedon, Cyrrhamque, et Delon stabilem puerperio factum, et adyta intonsi Branchi. Nec quisquam posthac supplex consultor petet postes Clarios, et fores Didymæas, nec Lyciam. Quin

et Delph. *numina Parcas.*—196 Unus codex Lindenbrogii : *multisque diu.*—197 *Hic Tenodon* Lindenbrog. *Chrisenque dies* Put.—200 Behott. 1. 2. *nec supplex Lyciam.*—201 *Molosso* Dan. Put. Petav. Lindenbrog. et Cruc. ita Behott. 1. 2. sed corrupta postrema litera suppositum in utroque *Molossi.*—205

NOTÆ

195 *Et nova clades Semper eris*] Recentes quippe et novæ clades acerbiores esse solent.

196 *Delphis*] Oppido Phocidis, in quo erat illud notissimum Apollinis oraculum.

197 *Tenedon*] Tenedos insula adjacens Sigæo promontorio in Troade, in qua erat Apollinis oraculum. *Cyrrhamque*] De Cyrrha pluribus locis diximus. *Partuque ligatam Delon*] De Delo etiam pluribus in locis. Ideo vero *ligatam* et defixam Delum dicit, quod in ea Apollinem et Dianam Latona peperisset, et ob id stabilem fecisset.

198 *Branchi*] Vide Theb. III. 479.

199 *Nec Clarias fores*] Intelligit templum et oraculum Apollinis apud Claron Ioniæ oppidum, juxta Colophonem, quod oraculum Manto Tiresiæ filia dicitur condidisse: hinc 'Apollo Clarius.' Responsa edebantur aqua prius epota, breviore tamen vita bibentium. Tacitus Ann. II. 'Non fœmina illic, ut apud Delphos, sed certis e familiis, et ferme Mileto accitus sacerdos, numerum modo consultantium audit: tum in specus degressus, hausta fontis arcani aqua, ignarus plerumque literarum et carminum edit responsa, versibus compositis super rebus, quas quis mente concepit.' Est et Clarus insula in mari Myrtoo, et ipsa Apollini sacra, de qua nonnulli intelligunt illud Ovidii Met. I. 'Mihi Delphica tellus, Et Claros, et Tenedos, Patareaque regia servit.' *Didymæaque limina*] Erat et templum et oraculum Apollinis cognomento Didymæi apud Miletum, quod prius oraculum Branchidarum appellatum est Plinio. Vide Theb. III. 479.

200 *Nec Lyciam supplex consultor adibit*] Notat oraculum Apollinis apud Pataram Lyciæ urbem. Vide Theb. I. 696. et Theb. III. 477.

201 *Quin et cornigeri vatis nemus*] Intelligit Jovis Ammonis oraculum, de quo vide Theb. III. 476. *Cornigeri*] Quia Jovis Ammonis simulacrum arietina cornua habebat: unde Phæsto κερατηφόρος, sicut Luciano κριοπρόσωπος. Hoc oraculum Bacchus constituisse dicitur, ut habetur

Quercus anhela Jovis, Trojanaque Thymbra tacebit.
Ipsi amnes, ipsæque volent arescere laurus.
Ipse nihil certum sagis clangoribus æther
Præcinet, et nulla ferientur ab alite nubes.
Jamque erit ille dies, quo te quoque conscia fati
Templa colant, reddatque tuus responsa sacerdos.

et sylva cornuti auguris, et quercus anhela Jovis Molossi, et Thymbra Trojana obmutescent. Ipsi fluvii volent siccari, et ipsæ laurus marcescere. Ipse aër nihil prædicet indubitatum doctis vocibus avium, nec nubes pulsabuntur ab ulla alite. Jamque illud tempus veniet, quo tu quoque coleris in templis ubi futura prædicentur,

Dan. Put. Petav. Lindenbrog. et Cruc. *feriuntur.*—207 *Templa colent, reddetque* Dan. Put. Petav. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. et Cruc. *Templa colant, reddatque* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Behott. 1. 2. Venett.

NOTÆ

apud Hyginum volumine secundo in Ariete, cum siti confectus peragrando Libyam, magnam aquæ copiam nactus fuisset, duce ariete quem obvium habuerat. Et cum ille aries subito evanuisset, templum eodem loco Jovis Ammonis cum arietinis cornibus simulacro facto condidit, et arietem inter sidera figuravit. Eadem refert Germanicus ex Nigidio ad Arati arietem. Diodorus vero Siculus templum ejus ab Ægyptio Danao conditum scribit. Idem Ammonem Libyæ regem fuisse tradit, usumque in bello galea, cujus insigne fuit caput arietis, et quosdam affirmare natura in utroque tempore parvula habuisse cornua, ideoque filium ejus Dionysium pari fuisse aspectu: posterisque traditum, Deum hunc cornua gestasse. Extantque hodie nummi, in quorum una parte caulis laserpitii impressus est, in altera corniger Ammon. Hinc Alexander Macedo, qui filius Ammonis existimari volebat, arietinis cornibus in capite depingi ac cudi voluit ad fidem generis: unde ab Arabibus *Zoulcarnaïn*, seu habens duo cornua vocatus est. Quod et ceteri Macedoniæ reges fecere, ut cornua gestarent in galea.

Molossi Quercus anhela Jovis] Innuit oraculum Jovis Dodonæi in Molossia Epiri provincia. Vide Theb. III. 475. Elegantissime autem 'anhelam' dixit per similitudinem vatum, qui Deo pleni et anhelantes responsa dabant. Virg. Æn. VI. 'Sed pectus anhelum Et rabie fera corda tument.'

202 *Trojanaque Thymbra tacebit*] Innuit oraculum Apollinis Thymbræi prope Trojam. Vide Theb. I. 698. Ceterum Guyetus hos sex versus præcedentes suspectos habet. Quare τὸ *Delphis* cum *ipsi amnes* ei annectendum videtur.

203 *Ipsi amnes*] Id est, fluvii Apollini sacri, quorum haustus faciunt Poëtas et Vates. *Laurus*] Quia Apollini sacræ.

204 *Ipse nihil certum, &c.*] Mortuo scilicet Amphiarao interprete.

206 *Jamque erit ille dies, quo te quoque conscia fati. Templa colant, &c.*] Relatus enim fuit Amphiaraus inter Divos, eique templum erectum eo loco quo absorptus fuit, qui ob id Harma, hoc est, currus, vocatus fuit.

Talia fatidico peragunt solennia regi,
Ceu flammas, ad dona rogo, tristesque rependant
Exequias, mollique animam tellure reponant.
Fracta dehinc cunctis, aversaque pectora bello.
Sic fortes Minyas subito cum funere Tiphys
Destituit, non arma sequi, non ferre videtur
Remus aquas, ipsique minus jam ducere venti.
Jam fessis gemitu paulatim corda levabat

tuusque antistes dabit oracula. Peragunt talia solennia in honorem ducis vatis, ceu rogum accendant, et munera injiciant, ac faciant triste funus, atque condant animam in lenem terram. Dehinc animi conciderunt omnibus, et alienati sunt a bello. Sic cum Tiphys deseruit inopina morte magnanimos Minyas, nautica instrumenta videntur non fungi officio suo, et remus dedignari aquas, et ipsi venti jam agere minori velocitate. Jam mæstitia sedata colloquiis pacabat animos fatigatos

Rom. et edd. recentt.—209 'In duobus libris male scriptum est, *reprendant*.' Barth.—215 Put. *et corda levabat*.—223 'Unum hoc verbum, *exordine*, uno

NOTÆ

Ceterum oracula reddebat Amphiaraus per somnia: vaticinans enim immittebat somnia petentibus. Vide Philostratum in vita Apollonii lib. II. et Pausaniam in Atticis et Corinthiacis, ubi referunt ritus qui observari debebant, antequam somnia immitterentur. Vide et Plutarchum in opusculo de oraculis deficientibus, et Ciceron. de Divinatione lib. I. ubi hæc scribit: 'Amphiaraum sic honoravit fama Græciæ, Deus ut haberetur, atque ab eo ejus solo, in quo est humatus, oracula peterentur.'

210 *Mollique animam tellure reponant*] Veteres mortuorum cineres ac ossa terra tegebant, animamque eodem sepulcro una cum corpore condi credebant: unde nata fausta, et solennis bene precandi defunctis, quibus bene volebant, formula: 'Sit tibi terra levis,' tumulisque inscripta. S. T. T. L. et precabantur tenuem, et sine pondere terram, levem cespitem, aut cippum, et ut molliter ossa cubarent; putantes animam quæ eodem sepulcro cum corpore continebatur, sic facilius ultro citroque redituram ad sepulcrum in parentalibus. Quibus vero male volebant, terram gravem et tumulum onerosum imprecabantur, quo anima depressa tarde aut ægre devolaret.

212 *Minyas*] Argonautas. Vide Theb. v. *Subito cum funere Tiphys Destituit*] Valerius Flaccus testatur Argon. lib. v. Tiphyn clavum tenentem manu subito mortuum fuisse, dum Mariandynum in Bithynia, Acherusio antro celebrem, appelleret, ibidemque sepultus est. Non constat tamen, an id antequam Colchos pervenirent Argonautæ, an in reditu, quia Nymphis et Herodorus variant, ut docet Scholiastes Apollonii lib. II.

213 *Arma*] An nautica, vela, rudentes.

Exhaustus sermone dolor, noxque addita curas
Obruit, et facilis lacrymis irrepere somnus.
At non Sidoniam diversa in parte per urbem
Nox eadem: vario producunt sidera ludo
Ante domos, intraque: ipsæque ad mœnia marcent
Excubiæ: gemina æra sonant, Idæaque terga,
Et moderata sonum vario spiramine buxus.
Tunc dulces Superos, atque omne ex ordine alumnum
Numen, ubique sacri resonant Pæanes, ubique
Serta, coronatumque merum: nunc funera rident

luctu, et nox adveniens allevavit solicitudines, et sopor serpsit facile flentibus oculis. Verum in alia parte nox non est similis apud Thebas. Protendunt noctem diversis oblectationibus, ante ædes et intra; ipsæque stationes ad muros languent ebrietate aut somno. Instrumenta ærea duplicia, et Idæa tympana, ac tibia buxea, temperans sonum diverso foramine, perstrepunt. Tunc ubique religiosi hymni laudant propitia numina, et serie omnes Deos cives suos, ubique serta et coronatum vinum. Nunc

tenore scriptum reperio in omnibus nostris libris. Pariter etiam in optimis et antiquissimis Virgilii membranis.' *Barth. omnem ex ordine* in quibusdam

NOTÆ

216 *Exhaustus sermone dolor*] Noster lib. v. 'Sub nocte dieque Assiduis ægre lacrymis solantia miscent Colloquia.'

217 *Et facilis lacrymis irrepere somnus*] Seneca: 'Et fessa fletu lumina oppressit sopor.' Quintilianus in Declamationibus: 'Gravior est quies, quibus ex lassitudine calamitatum venit.' Longus Sophista: 'Εκ τῶν δακρύων καὶ τῆς λύπης ὕπνος βαθὺς καταλαμβάνει. *Ex lacrymis et mœrore profundus somnus venit.*

218 *Sidoniam urbem*] Thebas.

221 *Gemina æra*] Cymbala. *Idæaque terga*] Tympana, quorum etiam usus in sacris Cybeles; unde *Idæa*, quia hæc Dea maxime colebatur in Phrygia, cujus mons Ida. Vel Cretensia, ab Ide Cretæ monte.

222 *Vario spiramine*] Ob varia tibiæ foramina. Virgilius: 'Biforem dat tibia cantum.'

223 *Alumnum Numen*] Bacchum et Herculem, quorum Thebæ patria. *Alumnum* vero *numen*, sicut Horatio 'Deus alumnus,' Arte Poët. et Avienus Descript. Orbis: 'Dant hi quoque maxima templa Amphitryoniadæ, numenque verentur alumnum.'

224 *Pæanes*] Hymni in Deorum honorem compositi.

225 *Serta*] Vide Theb. II. 76. *Coronatumque merum*] Notat morem veterum, quo soliti erant poculis coronas imponere. Virgilius Æn. I. 'Crateras magnos statuunt, ac vina coronant.' Et Æneid. III. 'Tum pater Anchises magnum cratera corona Induit.' Ad quem morem respexit et Tibullus: 'Coronatus stabit et ipse calix.' Plectebant autem, ex hedera vel apio coronas ad significandam hanc, quæ conviviis inesse debet, hilaritatem ac jucunditatem.

Auguris ignari, contraque in pectore certant
Tiresiam laudare suum: nunc facta revolvunt
Majorum, veteresque canunt ab origine Thebas.
Hi mare Sidonium, manibusque attrita Tonantis
Cornua, et ingenti sulcatum Nerea tauro:
Hi Cadmum, lassamque bovem, fœtosque cruenti
Martis agros: alii Tyriam reptantia saxa
Ad chelyn, et duras animantem Amphiona cautes:

illudunt mortem inscii auguris, et e contra contendunt in hac occasione prædicare suum Tiresiam. Nunc memorant res gestas avorum, et canunt primordia antiquarum Thebarum. Hi Phœnicium æquor, et cornua Jovis attenuata manibus puellæ, et mare navigatum a magno tauro: hi Cadmum, fatigatamque bovem, ac gravida arva sanguinei belli: alii motos lapides ad cantum testudinis Tyriæ, et Amphionem

libris, improbante Nic. Heinsio ad Ovid. Met. p. 92.—226 Exc. Cantab. *in pectore*, et supra *tempore*. Vide Not. Var.—227 Lang. Laur. Lipsian. Dan. Put. Petav. Bebott. 1. 2. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. et Cruc. *nunc fata;* Buslid. Gevart. Grasser. Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *nunc facta.*—230 In quibusdam codd. Lindenbrogii: *et immiti.*—233 *Ad chelyn et duras cantantem* Behot. 1. at suprascriptum *animantem; Ad chelyn,*

NOTÆ

226 *Contraque in pectore* [*tempore*] *certant*] Quid hic certare, ait Gronovius, *in tempore?* tres habeo sub oculis scriptos codices, in quibus est *in pectore*, non *tempore*. Ex quibus optimus supra scriptum habet 'divinatione.' Alter: 'ratione scientiæ in pectore infixæ.' Eandem lectionem reperi in Britannicarum membranarum unius contextu, duarum oris, eamque unam, quam elegans est, tam veram esse statuo. Scilicet hanc sedem faciunt Poëtæ numinis vim divinandi subjicientis. Apud nostrum ipse Tiresias lib. IV. 'Priusquam Obruit ora Deus, totamque in pectora lucem Detulit.' Virgilius Æn. VI. 'Sed pectus anhelum Et rabie fera corda tument.' Ovidius Met. II. 'Incaluitque Deo, quem clausum pectore habebat.' Valerius Flaccus lib. IV. 'Mea quod vates insedit Apollo Pectora.' *Gronovius.* Mihi vero vulgata lectio *in tempore* verior videtur, et supplendum est: 'hoc,' 'in hoc tempore,' seu illa occasione, ut interpretatur Guyetus.

227 *Facta*] Alii codices, *fata.*

229 *Hi mare Sidonium, &c.*] Tangit fabulam raptæ Europæ a Jove in taurum converso, et usque in Cretam vectæ.

230 *Nerea*] Mare a Nereo Deo marino.

231 *Cadmum*] Conditorem Thebarum. *Lassamque bovem*] Oraculi enim jussu Cadmus secutus est bovem eo usque consisteret, ibique Thebas condidit, et regionem a bove Bœotiam nominavit. *Fœtosque cruenti Martis agros*] Hoc dicit propter eos qui e satis draconis dentibus nati sunt.

232 *Tyriam*] Thebanam. *Reptantia saxa, &c.*] Innuit fabulam murorum Thebanorum, ad lyræ Amphionis cantum constructorum.

Hi gravidam Semelen: illi Cythereia laudant
Connubia, et multa deductam lampade fratrum
Harmoniem: nullis deest sua fabula mensis.
Ceu modo gemmiferum thyrso populatus Hydaspen,
Eoasque domos, nigri vexilla triumphi
Liber, et ignotos populis ostenderet Indos.
Tum primum ad cœtus, sociæque ad fœdera mensæ,
Semper inaspectum, diraque in sede latentem,
Œdipoden exisse ferunt, vultuque sereno
Canitiem nigram squalore, et sordida fusis
Ora comis laxasse manu, sociumque benignos

dantem sensum duris saxis: hi prægnantem Semelen: illi prædicant conjugium filiæ Veneris, et Harmoniam comitatam multis facibus fratrum suorum ad domum sponsi: nullæ mensæ carent sua fabula. Ut si modo Bacchus deprædatus thyrso Hydaspem gemmiferum, et plagas Orientales, traduceret ante ora civium signa atri triumphi et incognitos Indos. Tunc dicunt Œdipum, semper invisum antea, et abditum in horrendo loco, primum prodiisse ad conventus et ad sacra communis mensæ, et placida facie comsisse manu canos atros colluvie, et genas squalidas sparsis supra

et subitas Dan. Heinsius ad Claudian. Rapt. Proserp. III. 386.—236 *Harmonien* Dan. Put. Petav. *Hermionum* Behot. 1. *Hermionen* Behot. 2. *nullis deest* Petrens. et Behot. 1. *nullisque deest* Dan. et Behot. 2. *nullis jam deest* Put. Petav. Exc. Cantab. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Gevart. Grasser. Lindenbrog. et Cruc. Vide Gronov. ad Theb. II. 551. *nullis quin deest* pro v. l. in uno Behot. *nullis deerat* codex Burmanni, cum glossa 'deficiebat.'—239 Dan. Put. et Petav. *ostenderit.*—241 *Semper in aspectum* Aldd. Colin. Gryph. et Basil.—242 Lindenbrog. *exisse*

NOTÆ

234 *Gravidam Semelen*] A Jove. *Cythereia laudant Connubia*] Respexit ad conjugium Cadmi et Hermiones filiæ Veneris, quæ Cytherea dicitur a Cythera insula, ad quam vecta concha appulit.

235 *Et multa lampade*] Facibus enim deducebantur novæ nuptæ domum maritorum. *Fratrum*] Suorum nempe, id est, Amorum seu Cupidinum, qui dicuntur filii Veneris.

237 *Thyrso*] Thyrsus insigne Bacchi et Bacchantium. *Hydaspen*] Hydaspes fluvius Indiæ influens in Indum. Optima autem in ejus alveo gemmarum ac lapidum genera repeEriuntur, veluti Lychnis, Adamas, Beryllus, Achates, et alii innumerabiles; unde 'gemmifer.'

238 *Nigri vexilla triumphi*] Indi enim debellati a Baccho, et in triumphum ducti: ideo dicit *nigri triumphi* ob Indos, qui nigriore sunt vultus colore.

240 *Sociæque ad fœdera mensæ*] Quia simul unaque epulabantur, et mensæ credebantur sacræ. Arnobius lib. II. 'Sacras facitis mensas salinorum appositu, et simulacris Deorum.'

241 *Semper inaspectum, &c.*] Vide Theb. I. 46. et seq.

Affatus, et abacta prius solatia passum:
Quin hausisse dapes, insiccatumque cruorem
Dejecisse genis: cunctos auditque, refertque,
Qui Ditem, et Furias tantum, et si quando regentem
Antigonen, mœstis solitus pulsare querelis.
Causa latet: non hunc Tyrii fors prospera belli;
Tantum bella juvant: natum hortaturque, probatque,
Nec vicisse velit; sed primos cominus enses
Et scelerum tacito rimatur semina voto.
Inde epulæ dulces, ignotaque gaudia vultu.
Qualis post longæ Phineus jejunia pœnæ,
Nil stridere domi volucres ut sensit abactas,

capillis, et pertulisse gratos sermones civium, et repulsa prius levamenta. Quin cibum cepisse, et detersisse e malis arefactum sanguinem. Et qui assueverat tantum obtundere tristi luctu Plutonem, Eumenidesve, et si quando Antigonem, quæ eum ducebat, audit omnes, alloquiturque. Ignoratur causa. Non favens fortuna prælii Thebani ei placet; solum placent bella. Excitat filium, et laudat; nollet hunc victorem; verum propius contemplatur occulta spe primos gladios et causas scelerum. Inde grati cibi, et inassueta lætitia in facie. Ut cum Phineus, post longum famis supplicium, audit aves non amplius clangere in ædibus, (dubitat adhuc

ferum.—250 Multi codd. et edd. vett. *sors prospera.*—251 *Quantum bella juvant* Dan. Put. Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. et Gevart. *Tantum bella juvant* Behot. 1. et Petrens. ut edidere Gronov. Barth. Veen. et Delph.—256 Lipsian. *volucresque ut sensit;* Behot. 1. *volucresque et sensit;* Behot. 2. *volucres*

NOTÆ

246 *Quin hausisse dapes, &c.*] Hic versus et 24. sequentes Guyeto suppositi et adulterini videntur. Dixit enim 'Tunc primum ad cœtus,' &c.

248 *Qui Ditem, Furias*] Vide Theb. I. 56. et seq. *Regentem*] Unde vocatur Antigone 'regimen' patris initio Thebaidis apud Senecam. Sic et apud Sophoclem in Œdipo Coloneo.

252 *Nec vicisse velit*] Ut quem potius una cum fratre perire velit. *Sed primos cominus enses, &c.*] Sperat eo rem adduci posse, ut fratres contra se invicem dimicent: inde materia lætitiæ Œdipo: nihil enim nisi atrox velle poterat.

255 *Phineus*] Phineus rex Thraciæ, vel Arcadiæ, vel, ut alii volunt, Paphlagoniæ, cum filios excæcasset, vel, ut ipse ait apud Valerium Flaccum lib. IV. cum hominibus Deorum secreta prodidisset, a Diis in pœnam ipse oculis privatus fuit, immissæque Harpyiæ quæ ejus cibos turpissime fœdarent: unde cibum sumere impediebatur: hinc dicit 'post longæ jejunia pœnæ.' Tandem fugatæ fuerunt Harpyiæ a Calai et Zethe filiis Boreæ, et abactæ in Strophadas insulas.

256 *Volucres*] Harpyias. Quæ monstra virgineo erant vultu, manusque uncas ac alas habebant: unde vocat *volucres.*

(Nec dum tota fides) hilaris, mensasque, torosque,
Nec turbata feris tractavit pocula pennis.
Cetera Graiorum curis armisque jacebat
Fessa cohors: alto castrorum ex aggere Adrastus
Lætificos tenui captabat corde tumultus,
Quanquam æger senio; sed agit miseranda potestas
Invigilare malis: illum æreus undique clamor
Thebanique urunt sonitus, et amara lacessit
Tibia, tum nimio voces marcore superbæ,
Incertæque faces, et jam male pervigil ignis.
Sic ubi per fluctus uno ratis obruta somno
Conticuit, tantique maris secura juventus
Mandavere animas; solus stat puppe magister
Pervigil, inscriptaque Deus qui navigat alno.

fugatas fuisse,) lætus tetigit et mensas, lectosque, ac crateras non infectos ab acerbis alis. Reliqua multitudo Græcorum fatigata solicitudinibus et labore belli dormiebat. Adrastus ex excelsa castrorum crepidine excipiebat anxio pectore exultantem strepitum, quanquam invalidus sit senectute; sed infelix dominatio eum cogit malis attentum ducere insomnem noctem. Illum cymbalorum undique clangor, et sonitus Thebani excruciant, et molesta angit tibia, tum clamores nimia ebrietate insolentes, et ambiguæ lucernæ, ac jam male pernox ignis. Sic cum per undas navis oppressa pari sopore obmutuit, et pubes nihil solicita de tam infido æquore sopivere animas; nauta solus stat in puppe vigilans, et numen navi inscriptum, quod transfretat.

et sensit.—258 Codd. Lindenbrogii *pinnis.*—264 *Thebanique ruunt* Put.—267 Nonnulli codd. *imo ratis.* Vide Dan. Heinsium ad Claudian. in Eutrop. II. 285. Pro *obruta* Put. habet *obvia.*—268 'In optimis membranis aperte scriptum est: *tacitique maris;* quod non ausim damnare, licet eadem

NOTÆ

257 *Nec dum tota fides*] Metuebat enim ex longa consuetudine redituras. *Vet. Schol.* Pulchre de eodem Valerius Flaccus lib. v. 'Ipse inter medios, ceu dulcis imagine somni Lætus ad oblitæ Cereris suspirat honorem.' Somniare enim sibi, non rem certam videre, videbatur.

259 *Curis armisque*] Ob infelicem pugnæ successum, et horribile portentum.

261 *Lætificos tumultus*] Scilicet quos Thebani edebant.

262 *Miseranda potestas*] Quo quis enim majori dignitate præditus est, eo pluribus curis agitatur.

263 *Illum æreus, &c.*] Ex superioribus repetita. *Illum*] Adrastum.

266 *Male pervigil ignis*] Id est, non pervigilans, quia contemtu Argivorum Thebani vigilias non curabant.

269 *Mandavere*] 'Mandare' hic nota significatione est, committere. Eleganter itaque mandare animas dicuntur navigantes cum dormiant, siquidem committunt vitam nauclero vigilanti. *Cruceus.* Forsan subintelligitur, quieti. Lucret. IV. 'Et fessum corpus mandare quieti.'

Tempus erat, junctos cum jam soror ignea Phœbi
Sentit equos, penitusque cavam sub luce parata
Oceani mugire domum, seseque vagantem
Colligit, et moto leviter fugat astra flagello.
Concilium rex triste vocat: quæruntque gementes,
Quis tripodas successor agat: quo prodita laurus
Transeat, atque orbum vittæ decus. Haud mora, cuncti
Insignem fama, sanctoque Melampode cretum
Thiodamanta volunt; quicum ipse arcana Deorum
Partiri, et visas uni sociare solebat
Amphiaraus aves, tantæque haud invidus artis
Gaudebat dici similem, juxtaque secundum.

Tempus venerat, cum jam flammea soror Phœbi sentit jugatos solis equos, et cavas ædes Oceani prorsus stridere exorto lumine, et cogit sese errantem, et sidera expellit verbere leviter incusso. Rex advocat mæstam concionem: et quærunt dolentes, quis hæres sufficeretur tripodibus: in quem deserta laurus et viduatum infulæ ornamentum transferatur. Sine cunctatione omnes postulant celebrem Thiodamantem ortum e religioso Melampode; quocum ipse Amphiaraus solitus erat communicare secreta Deorum, et participare inspectas aves, et haud æmulus tantæ scientiæ lætabatur se

vox præcedenti insit.' *Barth.*—272 Lipsian. et Venett. *cava sub luce paratam.*—276 Behot. 1. *successus*, et æquæva manu pro v. l. *successor.* Put. *prodigia laurus;* unus Behot. *tradita laurus*, et pro v. l. *prodita.*—277 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et editiones veteres: *vitæ decus.*—278 *Melampade* in uno Behot.—279 *Thiodemanta* in eodem codice. *quo cum ipse secreta* Behot. 2. *cum*

NOTÆ

270 *Inscriptaque Deus qui navigat alno*] Intelligit Deos navibus inscriptos in quorum tutela erant, præsertim Dioscuros. Sic navis in qua erat Paulus Apostolus habebat παράσημον Dioscuros.

271 *Tempus erat, &c.*] Descriptio orientis solis. *Soror ignea Phœbi*] Luna.

272 *Equos*] Supple solis. *Cavam*] Ob devexitatem, et convexitatem, spatiumque hinc inde sphæricam faciens figuram.

273 *Oceani mugire domum*] Ob strepitum, quem sol oriens edere existimabatur emergendo ex Oceano, ut putabant veteres. *Domum*] 'Oceani domus,' ut domus cœli, Olympi, et aliorum Deorum, apud Virgilium et ceteros Poëtas.

274 *Flagello*] Cum Poëtæ dent currum Lunæ, dant etiam ipsi flagellum quo equos acceleret.

275 *Triste*] Ob infelicem successum pugnæ, et amissum Amphiaraum.

276 *Tripodas*] Vide Theb. I. 509. *Laurus*] Insigne sacerdotii Phœbi, una cum infula.

277 *Orbum*] Mortuo Amphiarao.

278 *Sanctoque Melampode cretum*] De Melampode vide Theb. III.

Illum ingens confundit honos, inopinaque turbat
Gloria, et oblatas frondes summissus adorat,
Seque oneri negat esse parem, cogique meretur.
Sicut Achæmenius solium gentesque paternas
Excepit si forte puer, cui vivere patrem
Tutius, incerta formidine gaudia librat,
An fidi proceres, ne pugnet vulgus habenis;
Cui latus Euphratæ, cui Caspia limina mandet.

prope æqualem haberi, et proximum. Illum hæc magna gloria perturbat, et subitus honor percellit, et summissus veneratur oblatum ramum, ac inficiatur se capacem esse tanti ponderis, et dignus fuit qui adigeretur. Sicut si Achæmenius puer forte succedit solio, et regno paterno, cui utilius esset patrem degere inter vivos, pensat lætitiam ancipiti pavore, an optimates stent in fide, ne plebs resistat imperio: cui committat limites Euphratæ, cui Caspias portas. Tunc timet capere arcus, et gra-

qua ipse arcana Dan.—287 *Achimenius* in uno Behot. *Achemeniis* Dan. Putean. Petav.—289 *An fidi proceres, an pugnet* Dan. Putean. Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. Gevart. et Grasser. *ne pugnet* Behott. 1. 2. Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph.—

NOTÆ

284 *Oblatas frondes*] Laurus.

285 *Cogique meretur*] Eodem modo Cicero Philip. v. 'Tantum ab ambitu sepositus sit (Magistratus), ut quæratur cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat; sola illi suffragetur necessitas excusandi. Profecto indignus is est publica dignitate, nisi fuerit ordinatus invitus.' Lampridius in Alexandro Severo: 'Invitos non ambientes in republica collocandos esse referebat.'

286 *Achæmenius*] Id est, Persarum rex, quia Persiæ reges originem trahebant ab antiquissimo rege Achæmene, ut videre est apud Herodotum. Vide Theb. I. 718.

290 *Euphratæ*] Euphrates Mesopotamiæ fluvius, cujus fontes Strabo collocat in Niphate Armeniæ monte, magnus, profundus, et citissimus, evolvitur in sinum Persicum, prius tamen Babyloniam per medium scindit, et Tigri conjunctus Mesopotamiam facit. Ptolemæus vero docet ipsum dividi in eum alveum, qui per Babyloniam labitur, et eum qui per Seleuciam, quorum medius vocatur *βασίλειος ποταμὸς*, Polybio *ἡ βασιλικὴ διῶρυξ*, Arabibus *Almelec*, seu regius, Chaldæis *neharmalca*, id est, fluvius regius: sic dictus, ut ait Ammianus Marcellinus, quia regia cura effossus fuit. *Caspia limina*] Caspiæ portæ aliæ sunt a portis Caucasiis seu Ibericis, hæ enim sunt in Albaniæ confinio, ingens naturæ opus, montibus repente interruptis, ubi fores obditæ ferratis trabibus, subter medias amne Dynodori fluente, auctore Plinio lib. VI. cap. 11. et Strabone lib. XI. Caspiæ vero sunt ad Mare Caspium Caspiis gentibus junctæ, interruptis angusto transitu jugis, ita ut vix singula meent plaustra, longitudine octo millium passuum, toto opere manu facto, ut refert Plinius lib. VI. cap. 14. Opus hoc autem dicitur Alexandri magni. Nam cum transitus foret per has fauces, angus-

Sumere tunc arcus, ipsumque onerare veretur
Patris equum, visusque sibi nec sceptra capaci
Sustentare manu, nec adhuc implere tiaram.
Atque is ubi intorto signavit vellere crinem,
Convenitque Deis, hilari per castra tumultu
Vadit ovans: ac, prima sui documenta, sacerdos
Tellurem placare parat: nec futile mœstis

vare ipsum equum parentis, nec sibi videtur portare sceptrum perita manu, nec adhuc implere cydarim. Atque ille Thiodamas, ut ornavit comas tortis infulis, et numinibus probatus est, it exultans per castra læto strepitu. Et antistes, primo sui specimine, accingit se ad mitigandam terram: nec id vanum paruit tristibus Græcis.

291 *Sumere tunc artus* edd. vett. Bernartius ex codd. correxit. *onerare videtur* Put.—296 Unus Behot. *tunc* pro *ac.*—299 Put. *cespite texti.*—301 *Et tumulos*

NOTÆ

tiasve in Mediam et Persidem, scribit Gregorius Abulfaragius, Alexandrum, ut præcluderet iter Scythis, ne effunderentur in Asiam, mandasse construi aggerem, dictum aggerem Jajugi, cubitos duodecim longum, octo latum: Persarumque reges ei exstruendo animum applicuisse, et non perfecisse, nisi tempore Cosroæ Nuchirauvani, qui ipsum firmiter exstructum fastigiis adjunxit, deinde in mare per milliaris spatium produxit, portisque ferreis clausit, post annum et amplius ejus ædificationi impensum; adeo ut a centum hominibus custodiretur, cum antea ne centies mille virorum exercitus illi custodiendo sufficerent. Permisitque præfecto ibi constituto, solio aureo insidere, unde partium istarum dux solii rex appellatur. Nunc vocantur Turcice *Demir capi*, id est, ferreæ portæ. Vide et Procopium lib. I.

291 *Sumere tunc arcus*] Respexit ad mores Persarum, apud quos arcus erat insigne regium. Dio lib. XLIX. de Phraate Persarum rege, ad quem Antonius legatos miserat: 'Aurea sella sedens,' *καὶ τὴν νευρὰν τοῦ τόξου ψάλλων, ac nervum arcus pulsans.* Unde Poëtæ, cùm de Xerxe ac regibus Persarum loquuntur, eos vocant 'Pharetratos reges.' *Ipsumque onerare veretur* [*videtur*] *Patris equum*] Id etiam videtur fuisse ex consuetudine orientali, ut successor insideret defuncti equo, ac se populis præberet videndum. Legimus enim Salomonem vectum paterna mula, cum declaratus est rex Israëlis, et hujusce rei exempla quædam videntur in historia Arabum Elmacini.

293 *Implere tiaram*] Id est, habere caput satis firmum sustinendis regni curis ac oneribus. *Tiaram*] Tiara, ornamentum capitis Persicarum primum mulierum, quod postea sumserunt reges et sacerdotes.

294 *Intorto signavit vellere crinem*] Hinc infulis tortis fuisse usos sacerdotes discimus.

295 *Conventique Deis*] Placuit, sive, dignus hoc munere judicatus a numinibus fuit.

297 *Tellurem placare parat*] Ut quæ eis irata videbatur absorpto Amphiarao.

Id visum Danais: geminas ergo ilicet aras
Arboribus vivis, et adulto cespite texi
Imperat, innumerosque Deæ sua munera flores,
Et cumulos frugum, et quicquid novat integer annus
Addit, et intacto spargens altaria lacte
Incipit: O hominum Divumque æterna creatrix,
Quæ fluvios, sylvasque, animarum et semina mundi
Cuncta, Prometheasque manus, Pyrrhæaque saxa
Gignis, et impastis quæ prima alimenta dedisti,
Mutastique vices, quæ pontum ambisque, vehisque,

Statim itaque jubet duo altaria texi ex virentibus arboribus, et adulto gramine, et adjicit numini flores omnis generis, sua dona, et acervos segetum, et quicquid rediens annus renovat, et perfundens aras novo lacte orditur: O sempiterna genitrix hominum et Deorum, quæ procreas flumina, nemoraque, et omnia semina animantium mundi, et genus humanum a Prometheo fictum, et reparatum a Pyrrha lapidum jactu, et quæ prima præbuisti pabula impastis, et mitiores reddidisti homines mitiore cibo, quæ amplecteris mare portasque, mansueti pecudum greges, feri-

frugum edd. vett. correxit Bernartius. *impiger annus* Put.—304 Dan. et Put. *animarum semina mundo;* Behot. 1. *animarum et semina mundi;* Behot. 2. *animas et semina mundi;* Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et edd. vett. *animasque et semina mundi.*—305 *Prometheæque manus* Gronov. Obss. III. 7.—307 *Mutastique viros* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Behott. 1. 2. et edd. ante Gronov. Vide Not. Var. *Mutastique cibos* optimæ Barthii mem-

NOTÆ

299 *Arboribus vivis*] An semper virentibus, ut cupresso, aut lauro: aut certe viridibus, id est, nuper abscissis.

300 *Deæ*] Terræ. Terra enim seu Tellus veteribus Dea credita: cetera etiam elementa culta.

303 *Hominum Divumque æterna creatrix*] Homerus, Hymno in Terram, eam vocat matrem Deorum. Orpheus etiam in suis Hymnis eam vocat Deorum Hominumque matrem, ut etiam facit Apollonius Argon. lib. III. Confundebatur enim cum Rhea, quæ mater Deorum appellabatur.

304 *Et semina mundi Cuncta*] Id est, ex quibus res omnes gignuntur.

305 *Prometheasque manus*] Id est, homines a Prometheo fictos: Prometheus enim ex limo terræ hominem formasse dicitur. *Pyrrhæaque saxa*] Fabulantur Poëtæ Pyrrham jactu lapidum humanum genus diluvio extinctum reparasse. Vide Ovidium Met. I.

307 *Mutastique vices* [*viros*] An ut ex feris mitiores fierent, mitiori cibo pasti? Membranæ omnium optimæ: *Impastis quæ prima alimenta dedisti, Mutastique vices.* Quod sincerum judico. Vices sunt alimentorum, cum glandibus et ceteris nullo cogente creatis, mitiores cibos manu culta substituit, et succedere jussit. Virgilius Georg. 'Vestro si munere tellus Chaoniam pingui glandem mutavit arista.' Ovidius Fast. IV. 'Homine ad meliora alimenta vocato

Te penes et pecudum gens mitis, et ira ferarum,
Et volucrum requies, firmum atque immobile mundi
Robur inoccidui! te velox machina cœli
Aëre pendentem vacuo, te currus uterque
Circumit: o rerum media, indivisaque magnis
Fratribus! ergo simul tot gentibus alma, tot altis
Urbibus, ac populis, subterque, ac desuper una
Sufficis, astriferumque domos Atlanta supernas
Ferre laborantem, nullo vehis ipsa labore,
Nos tantum portare negas? nos, Diva, gravaris?

tasque belluarum, et lenitas volucrum sunt in tua potestate: vis stabilis et immota orbis, quæ non occidit, ut cœlum. Celer fabrica cœli, et uterque currus movetur circum te suspensam in libero aëre. O media mundi, et non partita ab ingentibus fratribus. Ergo æqualis nutrix tot nationum, sufficis sola tot florentibus civitatibus ac gentibus, quæ super ac desuper te sunt, et ipsa nullo labore fers cœliferum Atlanta fatigatum portando superas ædes? Recusas nos tantum ferre? nos Dea

branæ, quod ille probat.—312 *Circuit* Petrens. et Exc. Cantab. Vide ad vs. 132.—315 'Vox *astriferum* in optimo libro sic scripta est, ut aliam prius fuisse delineatam appareat. An scripsit Papinius, *astrigerum*, aut *astriregum?* id

NOTÆ

Mutavit glandes utiliore cibo.' *Gronovius.* Homines enim primi, nondum inventis a Cerere frumentis, glandibus ceterisque sponte nascentibus vescebantur. *Quæ pontum ambisque, vehisque*] Terra enim ambit et fert Oceanum, ut et ab Oceano cingitur,ferturque.

309 *Firmum atque immobile mundi Robur inoccidui*] Terra enim non movetur, nec occidit secundum communiorem opinionem, sed cœlum.

311 *Aëre pendentem vacuo*] Manilius: 'Est igitur tellus mediam sortita cavernam Aëris, et toto pariter suspensa profundo.' *Te currus uterque*] Solis scilicet et Lunæ, quibus currus dant Poëtæ.

312 *O rerum media*] Res pro universo, quod et rerum universitas. *Peyraredus. Indivisaque magnis Fratribus*] Jupiter, Neptunus, et Pluto orbem inter se partiti, terram indivisam reliquisse dicuntur.

313 *Tot gentibus alma*] Tellus enim Dea depingebatur cum multis mammis.

314 *Subterque*] Intelligit Antipodas. *Desuper*] Nos, qui sumus in hac parte terræ, quæ superior nobis videtur, ut ea in qua sunt Antipodes inferior.

315 *Atlanta supernas Ferre laborantem*] Atlas cœlum humeris portare dicitur.

317 *Nos, Diva, gravaris*] 'Gravari,' moleste ferre. Idem Surrentino: 'Assuetaque tecta gravati.' Et Achilleid. II. 'Sed longa sagaci Nox Ithaco, lucemque cupit, somnosque gravatur.' Male vulgo, 'somnoque,' et contra sensum. Apud Lucanum lib. V. 'Regnorum injusta gravari.' Et lib. VII. 'Dominos gravari.' Silio lib. II. 'Abrumpunt vitam, lucemque gravantur.'

Quod, precor, ignari luimus scelus? an quia plebes
Externa Inachiis huc adventamus ab oris?
Omne homini natale solum: nec te, optima, sævo
Tanquam humiles populos deceat distinguere fine,
Undique ubique tuos: maneas communis, et arma
Hinc atque inde feras: liceat, precor, ordine belli
Pugnaces efflare animas, et reddere cœlo.
Ne rape tam subitis spirantia corpora bustis,
Ne propera: veniemus enim, quo limite cuncti,
Qua licet ire via: tantum exorata Pelasgis
Siste levem campum, celeres neu præcipe Parcas.
At tu care Deis, quem non manus ulla, nec enses
Sidonii, sed magna sinu Natura soluto,
Ceu te Cyrrhæo meritum tumularet hiatu,

dedignaris? Cujus vero sceleris, oro, pœnas inscii pendimus? an quia peregrina natio huc advenimus a regionibus Argivis? Tota terra patria est homini, nec tibi conveniat, optima, nos undique et ubique tuos discernere crudeli limite, velut viles gentes. Æqua sis omnibus, et hinc atque illinc portes arma. Fas sit, oro, lege belli expirare bellatrices animas ac restituere cœlo. Ne auferas viventia corpora tam repentinis funeribus. Ne festina. Nam omnes ibimus, qua semita, quo fas est vadere itinere. Solum placata Græcis firma incertum campum, nec præveni veloces Parcas. At tu amate numinibus, quem nulla manus, nec gladii Thebani occiderunt, sed quem magna natura amplexa dehiscenti gremio, ita se rursus junxit, ut si te dig-



est Deorum, qui regunt astra.' *Barth.*—319 *Externi Inachiis huc adventamus ab arvis* codex Dan. Heinsii, quem vide ad Claudian. Rapt. Proserp. II. Præf. 9.—321 Aldd. Colin. Gryph. et Basil. *distinguere finem;* correxit Bernartius ex codd.—322 *Undique ubique tuis* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Petav. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Gevart. Grasser. et Amstel. *ubique tuos* Dan. Put. Behott. 1. 2. Petrens. Exc. Cantab. Gronov. Barth. Veen. et Delph. Vide Not. Var.—327 ' In optimo librorum claris literis scriptum est:

NOTÆ

319 *Inachiis*] Argivis.

321 *Tanquam humiles populos*] Non enim tam viles et abjecti sumus, ut tam sævo fine ab aliis distingui debeamus. Hoc dixit propter hiatum terræ, quo Amphiaraus absorptus est.

322 *Maneas communis*] Id est, neutrius populi partes foveas.

323 *Ordine belli*] Id est, ferro et armis, non hiatu terræ.

324 *Et reddere cœlo*] Unde descendunt. Theb. II. 63.

325 *Subitis bustis*] Properatis mortibus, quas busta consequi ex more solent. Cadavera enim mortuorum cremabantur.

328 *Siste levem campum*] Firma, ne iterum discedat.

329 *Tu*] Amphiaraë scilicet.

330 *Sidonii*] Thebani.

331 *Cyrrhæo hiatu*] Id est, Cyrrhæo antro. Non enim decebat Amphiaraum, tam celebrem vatem, in

Sic amplexa coit, hilaris des, oro, precatus
Nosse tuos, cœloque, et vera monentibus aris
Concilies, et quæ populis proferre parabas,
Me doceas: tibi sacra feram præsaga, tuique
Numinis interpres, te Phœbo absente vocabo.
Ille mihi Delo Cyrrhaque potentior omni
Quo ruis, ille adytis melior locus. Hæc ubi dicta,
Nigrantes terra pecudes, obscuraque mergit
Armenta, ac vivis cumulos undantis arenæ
Aggerat, et vati mortis simulacra rependit.
Talia apud Graios, cum jam Mavortia contra
Cornua, jam sævos fragor æreus excitat enses.

num sepeliret in antro Cyrrhæo, lætus concedas, precor, scire preces tibi gratas, et nos reducas in gratiam cum cælo ac altaribus verum nuntiantibus, et instruas me his, quæ destinabas dicere gentibus. Tibi offeram victimas, quibus divinare possis, et interpres divinitatis tuæ, implorabo te, Phœbo non respondente. Locus ille, quo absorptus es, venerabilior mihi erit Delo, ac tota Cyrrha, ille potior omnibus sacrariis. Hæc ubi prolata sunt, infodit in terram pecudes vivas atri velleris, et furva armenta, ac iis accumulat congeriem copiosæ arenæ, et exsolvit auguri imaginarium funus. Hæc gerebantur apud Pelasgos, cum jam ex altera parte bellica cornua, jam tubarum clangor instigant crudeles enses. Dira

Qua decet.' Barth.—332 Put. Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et edd. vett. *hilares des;* Dan. Behott. 1. 2. et omnes fere codd. Gronovii *hilaris des.* Vide Not. Var. ' Aliter hæc exhibet vetustissimus liber, et solus, puto, veritatem hoc nobis loco servavit, scribendo: *hilaris Deus, oro, &c.*' Barth.—333 *Nosce tuos* margo ed. Barth. ex codice manuscripto.—335 *Me moneas* nonnulli codd. Barthiani.—339 *Nigrantes terræ* unus Behot.—343 In eodem codice: *fragor æneus.* Sed vide Marklandum ad Sylv. I. 1. 51. et Bentl. ad Hor. II.

NOTÆ

alio sepulcro humari, quam in Cyrrhæo antro seu Delphico, ubi Apollinis oraculum erat.

332 *Hilaris*] Alii legunt *hilares. Des, oro, precatus Nosse tuos*] Id est, doce nos modum te precandi: certæ enim erant precum formulæ.

335 *Præsaga*] Quibus divinare possis, id est, sacrificio denuntiare.

337 *Delo Cyrrhaque*] Delos et Cyrrha loca Apollinis oraculo notissima, ut jam sæpius diximus.

338 *Quo ruis*] Hoc enim loco templum Amphiarao erectum est, ut supra diximus.

339 *Nigrantes terra pecudes, obscuraque mergit Armenta, &c.*] Victimæ nigri velleris offerebantur Diis Inferis, ex quorum numero Tellus erat, et vivæ infodiebantur terræ, ut hic refert Poëta.

341 *Mortis simulacra*] Imaginarium funus. Virgilius: ' Tunc egomet tumulum Rhetæo in littore inanem Constitui.' Vocabatur et Cenotaphium, cujusmodi repræsentabantur busta, et tumuli, ubi ipsa cadavera non erant.

Addit acerba sonum Theumesi e vertice crinem
Incutiens, acuitque tubas et sibila miscet
Tisiphone: stupet insolito clangore Cithæron
Marcidus, et turres carmen non tale secutæ.
Jam trepidas Bellona fores, armataque pulsat
Limina, jam multo laxantur cardine Thebæ.
Turbat eques pedites, currus properantibus obstant,
Ceu Danai post terga premant: sic omnibus alæ
Arctantur portis, septemque excursibus hærent.
Ogygiis it sorte Creon, Eteoclea mittunt
Neitæ, celsas Homoloidas occupat Hæmon,
Hypsea Prœtides; celsum fudere Dryanta
Electræ, quatit Hypsistas manus Eurymedontis,

Tisiphone adjicit stridorem, commovens comam e jugo Theumesi, exasperatque buccinas, et jungit sibila. Ebrius Cithæron, et turres non ad talem cantum admotæ, mirantur insolitum sonum. Jam Bellona percutit trementes portas, et armatas fores. Jam Thebæ solvuntur multo repagulo. Eques turbat pedites: currus impediunt festinantes, ceu Græci urgeant post terga: sic turmæ comprimuntur ad omnes portas, et sistuntur septem eruptionibus. Creon sortito egreditur ex Ogygiis; Neitæ effundunt Eteoclem; Hæmon potitur sublimibus Homoloidibus; Prœtides emittunt Hypseum; Electræ ingentem Dryanta; cohors Eurymedontis

Sat. 3. 183. In nonnullis codd. Barth. *incitat enses*, cum glossa, 'exacuit, promovet.'—344 *Theumesi a vertice* unus Behot.—346 *Thesiphone* Behot. 1. *Tesiphone* Behot. 2.—352 *Artantur portus* Behott. 1. 2.—353 In iisdem codd. *it forte*.—354 *Neistæ* Behot. 1. *Nehistæ* Behot. 2. *emoloidas* in eodem codice; *celsas Homoloidas* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Gevart. et Grasser. *occupat Emon* Behot. 1. *occupat hemon* Behot. 2. *Æmon* in edd. vett.—355 *Prœtiæ* Behot. 1. *Propethie* Behot. 2. *fudere Drianta* Behot. 1. *fudere Arianta* Behot. 2.—356 *Eleuctræ*

NOTÆ

343 *Cornua*] Supple, sonant. *Fragor æreus*] Sonitus tubarum ærearum.

344 *Theumesi*] Theumesus mons Bœotiæ.

346 *Cithæron Marcidus*] Cithæron mons Bœotiæ; dicitur *Marcidus*, quia orgia Bacchi cujus proprium est epitheton *Marcidus*, in hoc monte celebrabantur.

347 *Et turres carmen non tale secutæ*] Sed cantum lyræ Amphionis, ut supra diximus.

349 *Thebæ*] Id est, Thebarum portæ.

351 *Danai*] Argivi.

352 *Septemque excursibus hærent*] Quia per septem portas egrediebantur, et præ multitudine comprimebantur ad portas, unde 'hærent.' Nomina septem portarum sequentibus versibus comprehenduntur, Ogygiæ scilicet, Neitæ, Homoloides, Prætides, Electræ, Hypsistæ, Dircææ.

Culmina magnanimus stipat Dircæa Menœceus.
Qualis ubi adversi secretus pabula cœli
Nilus, et Eoas magno bibit ore pruinas,
Scindit fontis opes, septemque patentibus arvis
In mare fert hyemes: penitus cessere fugatæ
Nereides, dulcique timent occurrere ponto.
Tristis at inde gradum tarde movet Inacha pubes,
Præcipue Elææ, Lacedæmoniæque cohortes,
Et Pylii: subitum nam Thiodamanta sequuntur

pulsat Hypsistas; fortis Menœceus munit tecta Dircæa. Ut cum occultus Nilus absorbet ingenti alveo alimenta tractus meridionalis, et nebulas orientales, partitur divitias fluenti sui, et evolvit in mare septem ingentibus ostiis aquas impetuosas: abactæ Nereides prorsus fugerunt, et metuunt occurrere dulcibus aquis. Sed inde mæsta juventus Inacha lente profert pedem, maxime manipuli Elæi, Spartanique et Pylii: nam privati vate sequuntur Thiodamanta repente factum ducem, nec ad-



unus Behot. *quatit hissatas* Behot. 2. *quatit hipsistas* Behot. 1.—358 *Qualis ubi adversi* Gronovius ad Achill. I. 539. et ad Senec. Tragœd. p. 444.—360 Gruterus ex codice Palatino legit: *patentibus alveis*, improbante Dan. Heinsio ad Claudian. Eidyll. VI. 11. Vide Not. Var.—363 *Inacha plebes* unus Behot.—365 'Turbat hanc omnium ceterorum exemplarium ille optimus noster

NOTÆ

358 *Adversi*] Meridiani. *Secretus*] Ob fontem tunc incognitum: fontes enim Nili veteribus incogniti.

359 *Eoas pruinas*] Theb. IV. 'Eoæ liquentia pabula brumæ.' Vide ibidem.

360 *Scindit fontis opes*] Quia in plures alveos dividitur. *Septemque patentibus arvis*] Nilus enim septem ostiis in Mare Ægyptium effunditur, unde *ἑπτάστομος* a Græcis dicitur: quæ omnia ejus ostia his nominibus nuncupantur: primum vocatur 'Pelusiacum,' quod est orientalius: secundum 'Taniticum,' quod aliis 'Saiticum:' tertium 'Mendesium:' quartum 'Phatmeticum,' et 'Phatnicum' vel 'Phatniticum:' quintum 'Sebenniticum' vel 'Sybenniticum:' sextum 'Bolbitinum,' quod 'Bucolicum' etiam vocatur: septimum et ultimum 'Heraclium,' etiam 'Canopicum' et 'Naucraticum.' *Arvis*] Legendum *Alveis*. Theb. V. 'Populataque gurgitis alvum.' Lib. IX. 'Solito tunc plenior alveo, Signa mali, magna se mole Ismenos agebat.' Via Domitiana: 'Qui me vallibus aviis refusum... Recti legibus alvei ligasti.'

361 *Hyemes*] Aquas impetuosas satis insolenter pro aquis fluvialibus.

362 *Dulci ponto*] Quod mare dulce factum est Nili aquis.

363 *Inde*] Ex hoc tempore, scilicet. *Inacha*] Argiva.

364 *Elææ, Lacedæmoniæque cohortes, Et Pylii*] Hi enim populi Amphiarao parebant. Vide Theb. IV.

365 *Subitum*] Inopinate electum: successerat enim Amphiarao una voce.

Augure fraudati, nec dum accessere regenti.
Nec tua te, princeps tripodum, sola agmina quærunt:
Cuncta phalanx sibi deesse putat: minor ille per alas
Septimus extat apex: liquido velut æthere nubes
Invida Parrhasiis unum si detrahat astris
Truncus honor plaustri, nec idem nitet igne reciso
Axis, et incerti numerant sua sidera nautæ.
Sed jam bella vocant: alias nova suggere vires
Calliope, majorque chelyn mihi tendat Apollo.
Fatalem populis ultro poscentibus horam
Admovet atra dies: Stygiisque emissa tenebris
Mors fruitur cœlo, bellatoremque volando
Campum operit, nigroque viros invitat hiatu,

huc accommodavere animos moderanti. Nec solæ copiæ tuæ te poscunt, interpres Tripodum: omnis exercitus credit te se deseruisse. Illud septimum fastigium apparet humilius inter tentoria. Ut si nubes molesta adimat fluido cœlo unam e Stellis Parrhasiis, decus currus mutilatum est, nec polus micat eodem modo detracto jubare, et ancipites nautæ recensent astra sua. Sed jam bella citant. Calliope nova subministra mihi aliud robur, fortiorque Apollo accommodet mihi citharam. Nigra dies adducit fatale momentum gentibus sponte petentibus, et Mors egressa ex umbris infernis orbe supero regnat, et tegit volando bellicum campum, et vocat bella-

liber, referendo *loquuntur.*' Barth.—371 *Truncus honos* unus Behot. *haud solitum nitet* in quibusdam, ex glossa.—376 *Admonet* uterque Behot.—377 *Mors cœlo fruitur* optimæ Barthii membranæ.—378 Edd. vett. et nonnulli codd.

NOTÆ

369 *Septimus*] Septem enim erant duces Argivi.

370 *Parrhasiis astris*] Intelligit utramque Ursam Majorem et Minorem: quia Callisto et ejus filius Arcas in hæc duo sidera conversi sunt, ut volunt Poëtæ. *Parrhasia* vero, a Parrhasiis urbe Arcadiæ: Callisto enim et Arcas erant Arcades.

371 *Plaustri*] 'Quia septem lucidiores Ursæ Majoris stellæ currus figuram referunt.

372 *Axis*] Seu potius polus, id est, extremitas axis mundi, quæ est prope Ursam Majorem. *Et incerti numerant sua sidera nautæ*] Nautæ enim observabant Ursam in dirigenda sua navigatione. *Incerti*] Cum sex tantum stellas videant, an sit septemtrio, dubitantes. In Septemtrionali enim Plaustro septem sunt stellæ.

373 *Alias nova suggere vires Calliope*] Poëtarum mos, ut de novo invocent Musas et Apollinem, cum quid grande et inexpectatum dicere aggrediuntur.

375 *Fatalem, &c.*] Hunc versum et septem sequentes aliqui condemnant ut adulterinos, et Statio prorsus indignos.

377 *Mors fruitur cœlo*] Id est, toto orbe supero regnat.

378 *Nigroque viros invitat hiatu* [*amictu*] Alludit forte Poëta ad morem

Nil vulgare legens: sed quæ dignissima vita
Funera, præcipuos annis animisque cruento
Angue notat; jamque in miseros pensum omne sororum
Scinditur, et Furiæ rapuerunt licia Parcis.
Stat medius campis etiamnum cuspide sicca
Bellipotens, jamque hos clypeum, jam vertit ad illos,
Arma ciens, aboletque domos, connubia, natos.
Pellitur et patriæ, et qui mente novissimus exit,
Lucis amor: tenet in capulis, hastisque paratas
Ira manus, animusque ultra thoracas anhelus

tores nigra veste, nihil plebeium eligens: sed signat sanguinea serpente ad letum, eos qui magis merebantur vivere, conspicuos ætate et animo. Jamque totum stamen sororum rumpitur in infelices, et Furiæ vi abstulerunt fila Parcis. Mars quoque Deus armorum stat in medio campo, mucrone nondum cruento, et convertit scutum jam ad hos, jam ad illos, excitans bellatores, deletque e memoria cædes, uxores, liberos: patria etiam abigitur, et cupido vitæ, quæ ultima cedit ex animo. Furor habet manus expeditas in capulis et hastis, et corda micantia impellunt ipsas

invitat. amictu ; Dan. Put. Petav. Behott. 1. 2. Lipsian. Venett. 3. 4. et recentt. *invitat hiatu ;* et sic legit Joannes Boccatius Geneal. Deor. lib. I. cap. 32.—381 *Uugue notat* optimæ Barthii membranæ, ut conjectabat Marklandus ad Sylv. II. 1. 143.—383 Unus Behot. *etiamnunc.*—384 *Armipotens* Dan. Petav. edd. vett. *Bellipotens* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Put. Fabr. Behott. 1. 2. omnes Barthiani, Petrens. Exc. Cantab. Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *jamque ad hos* membranæ Collegii Emanuelis Oxon. metro obstante. —386 Conjunctio *et* post Penthemimerin non habetur in edd. vett. primus restituit Lindenbrogius.—388 Codex Lindenbrogii: *animoque ultra thoracas*

NOTÆ

ducum, qui, die quo pugnare decreverant, solebant mane erigere supra tentorium suum russam tunicam, ut signum futuræ pugnæ: sed mors nigrum erigit, quia hic color ipsi proprius est. Legit Gronovius *hiatu.*

379 *Nil vulgare legens: sed quæ dignissima vita Funera*] Consonat illud apud Ciceronem Phil. XIV. 'Mars fortissimum quemque in acie pignerari solet.' Item illud: Ἄρης οὐκ ἀγαθῶν φείδεται, ἀλλὰ κακῶν. *Mars non parcit fortibus, sed ignavis.*

381 *Angue notat*] Ut non fallatur, cum acies committentur.

383 *Cuspide sicca*] Ut quæ sanguine neutrius partis nondum tincta fuerat. Ita et 'sicci sanguine dentes' Silio lib. VII. et lib. VIII. 'Cæde sine ulla Insolitum sibi bella geri, siccasque cruoris Inter tela sui Mavortis hebescere dextras.' Ita 'sicca mors' Juvenali Sat. X.

384 *Bellipotens*] Mars.

385 *Aboletque domos*] Delet memoriam suorum, &c.

388 *Animusque ultra thoracas anhelus Conatur*] Notavit e suo Lindenbrogius: *animoque ultro thoracas anhelo Conatur.* Sane a nobis comparati omnes, *Conatur,* non *Conantur,* ut aliæ editiones nullo sensu; nihil præterea mutant: tollunt solum post *anhelus* distinctionem: *Animusque ultra tho-*

Conatur, galeæque tremunt horrore comarum.
Quid mirum caluisse viros? flammantur in hostem
Cornipedes, niveoque rigant sola putria nimbo,
Corpora ceu mixti dominis, irasque sedentum
Induerint: sic fræna terunt, sic prælia poscunt
Hinnitu, tolluntque armos, equitemque supinant.
Jamque ruunt, primusque virum concurrere pulvis
Incipit, et spatiis utrimque æqualibus acti
Adventant, mediumque vident decrescere campum.
Jam clypeus clypeis, umbone repellitur umbo,
Ense minax ensis, pede pes, et cuspide cuspis.
Sic obnixa acies pariter suspiria firmant,

loricas, et cassides trepidant arrectis comis. Quid mirum bellatores exarsisse? equi etiam in hostem accenduntur, et humectant cœnosam terram candido imbre, seu conjuncti fuerint dominis corpore, et sumserint rabiem equitum: sic mandunt lupata, sic hinnitu efflagitant certamen, erigunt armos, et excutiunt sessores. Jamque incurrunt, priorque pulvis militum incipit confligere, et delati ex intervallis utrimque paribus accurrunt, et cernunt minui medium campum. Jam scutum rejicitur scuto, umbo umbone, minax gladius gladio, pes pede, et mucro mucrone. Sic prope oppositæ copiæ æquuliter retinent spiritus et splendent cristæ inductæ

anhelo; Barthius conj. *animisque u. t. anhelis.*—389 *Conantur* Behott. 1. 2. Dan. Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et edd. vett. *Conatur* unus Lindenbrogii, et omnes Gronoviani, cum edd. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *honore comarum* Dan. Put. Petav. et edd. vett.—392 Optimus codex Barthii: *ceu mixti dominorum, irasque sequentum.*—394 Buslid. *equitemque fatigant.*—395 Optimus Barth. *primusque utrimque concurrere;* unde ille: *primus quorum concurrere.*—397 *Advenitant* nonnulli Barth. et opt.—400 'Vera scriptura: *suspiria fumant:* nihil certius.' *Barth.* Ita Dan. Put. Petav. Lindenbrog. et Cruc. *suspiria ducunt* unus Behot. *suspiria firmant* alter Behot. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Gevart. Grasser. Gronov.

NOTÆ

racas anhelus Conatur. Vult incitatis ad prælium tanto motu cor micare, ut ipsos thoracas impellere, ac quodammodo perrumpere velle videatur. Ovidius Met. II. 'Et tanto penitus traxit suspiria motu, Ut pariter pectus positamque in pectore forti Ægida concuteret.' Noster lib. XII. 'Uterque minax globus et conatur uterque Longius.' *Gronovius.* Guyetus vero hæc ut spuria delet, jungitque τὸ *ira manus* cum *Galeæque* sequentis versus. Peyraredus corrigit: *Conique galeæque.*

391 *Niveo nimbo*] Spuma.

395 *Jamque ruunt*] Exercitus scilicet.

397 *Mediumque vident decrescere campum*] Sibi invicem appropinquando scilicet.

398 *Clypeus clypeis*] Unus pluribus, ut in concursu inordinato. Imitatur et Homerum Il. N. Φράξαντες δόρυ δουρὶ, σάκος σάκεϊ.

400 *Firmant*] Quidam codices *fumant.* Ex ardore scilicet pugnantium.

Admotæque nitent aliena in casside cristæ.
Pulcher adhuc belli vultus: stant vertice coni,
Plena armenta viris, nulli sine præside currus,
Arma loco, splendent clypei, pharetræque decoræ,
Cingulaque, et nondum deforme cruoribus aurum.
At postquam rabies, et vitæ prodiga Virtus
Emisere animos, non tanta cadentibus Hædis
Aëriam Rhodopen solida nive verberat Arctos,
Nec fragor Ausoniæ tantus, cum Jupiter omni
Arce tonat, tanta quatitur nec grandine Syrtis,
Cum Libyæ Boreas Italos niger attulit imbres.
Exclusere diem telis, stant ferrea cœlo
Nubila, nec jaculis arctatus sufficit aër.

quasi in hostili galea. Grata adhuc facies Martis: cristæ prominent in apicibus galearum; equis insidunt sessores; nulli currus sine rectore, arma in suo loco sunt: scuta fulgent, pulchræque pharetræ ac baltei, et arma aurea nondum fædantur sanguine. At postquam furor, et fortitudo contemtrix vitæ projecere animas, Septemtrio non tantum Hædis occidentibus ferit dura nive excelsam Rhodopen, nec tantus est stridor Ausoniæ, cum Jupiter tonat ex omnibus partibus cœli, nec Syrtis verberatur tanta grandine, cum ater Boreas invexit in Africam pluvias Italas. Expulere lucem sagittis: pendent ferreæ nubes in cœlo, nec aër angustatus telis

Barth. Veen. et Delph.—404 Barthius legit: *nulli sine præside currus Armato.* —408 Behott. 1. 2. *solita nive.*—413 In iisdem codd. *nec jaculis artatus.*—414

NOTÆ

401 *Admotæque nitent aliena in casside cristæ*] Id est, videntur infixæ esse, et insertæ alienæ cassidi, et in ea nitere, non in sua.

403 *Plena armenta viris*] Satis insolenter pro, equi rectores suos adhuc ferunt.

407 *Emisere animos*] Metaphora a Circo. Virgilius: 'Emissamque hyemem sensit.' *Cadentibus Hædis*] Vide Theb. III. 25.

408 *Rhodopen*] Thraciæ montem. *Solida nive*] Grandine.

409 *Ausoniæ*] Italiæ. Italia enim 'Œnotria,' 'Hesperia,' et 'Ausonia' vocata. Est regio totius Europæ nobilissima, cujus urbs primaria Roma caput orbis. Italia autem habet formam cruris, inter Adriaticum et Tuscum Mare, a jugis Alpium dorsoque Apennini porrecta usque ad fretum Siculum: in extrema sui parte scinditur in duo cornua, quorum alterum spectat Mare Ionium, alterum Siculum.

410 *Syrtis*] Vide Theb. I. 687.

411 *Libyæ*] Vide Theb. V. 737. *Boreas niger*] *Niger* ab effectu. Virg. Æn. V. 'Fluctusque atros aquilone secabat.' 'Melanboreios' vocatur apud Joppen Palæstinæ oppidum. Josephus Belli Judaici lib. III.

Hi pereunt missis, illi redeuntibus hastis:
Concurrunt per inane sudes, et mutua perdunt
Vulnera, concurrunt hastæ, stridentia fundæ
Saxa pluunt, volucres imitantur fulgura glandes,
Et formidandæ non una morte sagittæ.
Nec locus ad terram telis: in corpora ferrum
Omne cadit: sæpe ignari perimuntque, caduntque,
Casus agit Virtutis opus: nunc turba recedit,
Nunc premit, ac vicibus tellurem amittit, et aufert:
Ut ventis nimbisque minax cum solvit habenas
Jupiter, affligitque alterno turbine mundum.
Stat cœli diversa acies, nunc fortior Austri,
Nunc Aquilonis hyems, donec pugnante procella
Aut nimiis hic vicit aquis, aut ille sereno.
Principium pugnæ turmas Asopius Hypseus
Œbalias (namque hæ magnum et gentile tumentes

sufficit. Hi moriuntur vibratis hastis, illi revertentibus: sudes concurrunt per vacuum aërem, et amittunt reciprocas plagas: hastæ concurrunt: fundæ emittunt crepitantes lapides: celeres glandes æmulantur fulgura, et sagittæ non uno leto metuendæ sunt. Nec locus ad humum sagittis: totum ferrum labitur in corpora. Sæpe inscii sese obtruncant, corruuntque: casus edit facinora fortitudinis: nunc acies refert pedem, nunc urget, et perdit adimitque vicibus campum. Ut cum Jupiter iratus laxavit fræna ventis pluviisque, et contristat orbem flatibus alternis; exercitus cœli stant oppositi: nunc procella Austri validior, nunc Boreæ, donec decertante tempestate, aut hic superat nimiis imbribus, aut ille serenitate. Hypsæus Asopi filius, qui primus prælium inierat, retrudit cohortes Œbalius (nam hæ valde et more patrio

Optimus liber Barthii in litura: *pereuntibus hastis.*—418 In eodem codice: *non una in morte;* ita etiam in utroque Behot.—419 Exc. Cantab. *Nec locus ad terram jaculis.*—420 Lang. Laur. Buslid. et edd. vett. *sese ignari;* Dan. Put. Petav. Lipsian. Behott. 1. 2. Lind. Cruc. Gevart. Grasser. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *sæpe i.*—424 Dan. Put. Petav. et edd. vett. *alternoque affligit.* 'In vetustissimo libro: *alterno qui affligunt:* nihil muto.' *Barth.*—428 Unus Behot. *belli turbas Asopeus;* alter Behot. *belli turmas Asopeus.*—431 In

NOTÆ

415 *Et mutua perdunt Vulnera*] Ob concursum scilicet telorum.

418 *Et formidandæ non una morte sagittæ*] Quia ferro et veneno occidunt.

420 *Sæpe*] Alii legunt *sese.*

427 *Nimiis aquis*] Auster enim multum humidus et pluviosus. *Sereno*] Aquilo enim fugat nubes ac discutit.

428 *Asopius*] Asopi filius. Vide lib. VII.

429 *Œbalias*] Lacedæmonias, ab Œbalo Laconiæ rege.

Euboicum duris rumpunt umbonibus agmen)
Repulit erepto cunei ductore Menalca.
Hic et mente Lacon, crudi torrentis alumnus
(Nec turpavit avos) hastam intra pectus euntem
(Ne pudor in tergo) per et ossa et viscera retro
Extrahit, atque hosti dextra labente remittit
Sanguineam: dilecta genis morientis oberrant
Taygeta, et pugnæ, laudataque verbera matri.

superbæ frangunt asperis scutis copias Euboicas) sublato Menalca duce agminis. Hic et animo Spartanus erat, et discipulus bellicosi fluminis, (nec dehonestavit majores) retrahit per et costas et præcordia jaculum intra pectus receptum (ne dedecus foret in tergo) et retorquet illud cruentum manu cadente in inimicum. Cara Taygeta, luctæque ac verbera matri probata observantur oculis pereuntis. Amyntas Dircæus

eodem codice: *erecto cunei;* optimus Barthianus pro v. l. habet: *erepto conei.* —433 *Nec turbavit avos* conjectabat Barthius. *ultra pectus* Put.—437 Unus

NOTÆ

432 *Crudi torrentis*] Eurotæ fluvii, ad cujus ripas ludis gymnicis exercebantur Lacones.

434 *Ne pudor in tergo*] In tergo enim recipere vulnera, pro flagitio habebatur, quia fugæ signum. Menalcas igitur retraxit hastam, antequam in tergum penetraret.

436 *Dilecta genis morientis oberrant Taygeta*] Imitatur Virgil. Æn. II. 'Et dulces moriens reminiscitur Argos.' Quicquid enim in vita carissimum habuimus, redire nobis solet in mentem, cum morimur. *Genis*] Pro oculis Nostro, ut sæpe alibi. *Taygeta* autem, seu Taygetus, mons Laconiæ.

437 *Laudataque verbera matri*] Intelligit διαμαστίγωδιν. Nota enim Spartanorum animi fortitudo, ac patientia in tolerandis plagis: quibus a teneris etiam in ore seu conspectu parentum assuefacta, tantum non occalueratjuventus Lacedæmonia. Tertullianus ad Martyras cap. IV. 'Nam quæ hodie apud Lacedæmonios solennitas est maxima, διαμαστίγωσις, id est flagellatio, non latet. In quo sacro ante aram nobiles adolescentes affliguntur, astantibus parentibus, et propinquis, et uti perseverent adhortantibus. Ornamentum enim et gloria deputabitur majore quidem titulo, si anima potius cesserit plagis, quam corpus.' Plutarchus: Οἱ παῖδες παρὰ αὐτοῖς (Laced.) ξαινύμενοι μάστιξι δι' ὅλης ἡμέρας ἐπὶ τοῦ βωμοῦ 'Ορθίας 'Αρτέμιδος, μεχρὶ θανάτου πολλάκις διακαρτεροῦσιν ἱλαροὶ καὶ γαῦροι, κ. τ. λ. Καλεῖται δὲ ἡ ἅμιλλα διαμαστίγωσις. *Pueri apud Lacedæmonios verberibus lacerati per totam diem supra aram Orthiæ Dianæ sæpe perseverant usque ad mortem læti et gestientes, &c. Vocatur autem hæc probatio, flagellatio.* Seneca de Divina Providentia: 'Numquid tu invisos esse Lacedæmoniis liberos suos credis, quorum experiuntur indolem, publice verberibus admotis? ipsi illos patres adhortantur, ut ictus flagellorum fortiter perferant, ac laceros et semianimes rogant, perseverent vulnera præbere vulneribus.' Horatius I. Od. 'Me nec tam patiens Lacedæmon.' Martialis: 'Vel

Phædimon Iasiden arcu Dircæus Amyntas
Destinat: heu celeres Parcæ! jam palpitat arvis
Phædimus, et certi nondum tacet arcus Amyntæ.
Abstulit ex humero dextram Calydonius Agreus
Phegeos: illa suum terra tenet improba ferrum,
Et movet: extimuit sparsa inter tela jacentem
Progrediens, truncamque tamen percussit Acetes.
Iphin atrox Athamas, Argum ferus impulit Hypseus:
Stravit Abanta Pheres: diversaque vulnera flentes,
[Guttur Iphis, latus Argus, Abas in fronte cruorem,]
Iphis eques, pedes Argus, Abas auriga jacebant.

direxit arcum in Phædimum Iasidem. Heu fata velocia! jam Phædimus agit extremum spiritum in campo, et nondum silet arcus certi Amyntæ. Agreus Calydonius abscidit ex humero dextram Phægeos. Illa animosa tenet humi ensem suum, et movet: Acetes expavit illam prostratam inter sparsas sagittas procedens, et abscissam tamen ferit. Trux Athamas Iphin, acer Hypseus fudit Argum, Pheres Abanta dejecit, Iphis dolet guttur, Argus latus, Abas sanguinolentam frontem, et plorantes diversas plagas, eques Iphis, pedes Argus, auriga Abus prosternebantur. Argivi

Behot. *vulnera matris;* Put. *pectora matri.*—438 *Dircitus Amyntas* unus Behot.—441 In eodem codice *Calidoneas.*—442 *Phlegios* in eodem. 'In alio libro est: *suum retinet tamen improba ferrum;* quod non recipimus.' *Barth.*—444 'Omnes, optimusque libri *Prægrediens* habent: bene.' *Idem. truncumque* in eodem codice et edd. vett.—447 Hic versus non extat in Petrens. Exc. Cantab. Taurin. Burm. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Behott.

NOTÆ

non cæsus adhuc matre jubente Lacon.' Vide Xenophontem in Politia Lacedæmoniorum, Plutarchum Lycurgo, Lucianum Icaromenippo, Arrianum Dissert. Epict. lib. I. cap. 2. Tullium Tusc. Quæst. II. Hujus moris originem causamque refert Philostratus lib. VI. cap. 10. Apollonii vitæ, quem vide, et Lactantium in hunc Papinii locum, et Pausaniam in Laconicis, ubi multa.

438 *Iasiden*] Argivum ab Iasio rege Argivorum. *Dircæus*] Thebanus.

439 *Jam palpitat arvis Phædimus, et certi nondum tacet arcus Amyntæ*] Sic Silius Italicus lib. II. 'Ille procul campo linquentem retia cervum Vulnere sistebat, rueretque inopina sub ictu Ante fera incauto, quam sibila poneret arcus.' Prudentius in Hamartigenia: 'Nec stridor nuntiat ante Adventum leti, quam pectoris abdita rumpat.'

441 *Calydonius*] Ætolus.

444 *Truncamque tamen percussit Acetes*] Hyperbole Poëtica. Post hunc versum inseritur: *Guttur Iphis, latus Argus, Abas in fronte cruorem,* sed diverso charactere, in editione Gronovii, quem omnino delere suadet. A Guillelmi Canteri codice provenit.

Inachidæ gemini geminos ex sanguine Cadmi
Occultos galeis (sæva ignorantia belli!)
Perculerant ferro: sed dum spolia omnia cæsis
Eripiunt, videre nefas, et mœstus uterque
Respicit ad fratrem, pariterque errasse queruntur.
Cultor Ion Pisæ cultorem Daphnea Cyrrhæ
Turbatis prostravit equis: hunc laudat ab alto
Jupiter, hunc tardus frustra miseratur Apollo.
Ingentès Fortuna viros illustrat utrimque
Sanguine in adverso. Danaos Cadmeius Hæmon
Sternit, agitque furens: sequitur Tyria agmina Tydeus.
Hunc Pallas præsens, illum Tirynthius implet.
Qualiter hyberni summis duo montibus amnes
Franguntur, geminaque cadunt in plana ruina.
Contendisse putes, uter arva, arbustaque tollat,
Altius aut superet pontes: ecce una receptas

gemini occiderant geminos ex stirpe Cadmi, coopertos cassidibus: crudelis inscitia belli! Sed dum detrahunt peremtis totas exuvias, agnovere errorem, et uterque tristis retorquet visum ad germanum, et pariter dolent peccasse. Minister Jovis Pisæi dejecit ex attonitis equis Daphneum ministrum Apollinis Cyrrhæi: hunc Jupiter probat ab excelso cœlo, hujus infortunio Apollo sero et incassum tangitur. Fortuna decorat ex utraque parte magnanimos viros in hostili cruore. Cadmeius Hæmon fundit Græcos, versatque; rabidus Tydeus urget manipulos Thebanos: hunc præsens Minerva animat, illum Tirynthius Hercules. Ut cum duo torrentes hyemales scinduntur e summis montium jugis, et ruunt in planitiem duplici strage; crederes certare uter abripiat agros arboresque, aut transcendat cel-

1. 2. et Barthianis; nec in edd. vett. Vide Not. Var.—458 ‘Distinctio læsa sic est restituenda; *Danaos Cadmeius Æmon Sternit agitque: furens sequitur, &c.*’ Barth. Unus Behot. *Cadmeius heros;* et sic etiam Dan.—463 Put. *arbustaque tollant.* Edd. vett. comma ponunt post *ruina*, vs. 462. et colon post

NOTÆ

451 *Sed dum spolia omnia cæsis*] In pugna geminorum Virgilium et Lucanum superare voluit Statius, qui duo geminorum paria commisit inter se, et πάθος certe miserabile finxit. Porro cæsos solebant spoliare.

453 *Pariterque errasse queruntur*] Quia et se geminos esse meminerunt.

454 *Pisæ*] Id est, Olympii Jovis, qui prope Pisas colebatur. *Cyrrhæ*] Id est, Apollinis, cujus oraculum apud Cyrrham.

458 *Danaos*] Argivos. *Cadmeius*] A Cadmo originem ducens, vel Thebanus.

459 *Tyria*] Thebana.

460 *Hunc*] *Tydeum.* Favebat enim Tydeo Pallas. *Illum*] Hæmonem. *Tirynthius*] Hercules.

Confudit jam vallis aquas: sibi quisque superbus
Ire cupit, pontoque negant descendere mixti.
Ibat fumiferam quatiens Onchestius Idas
Lampada per medios, turbabatque agmina Graium,
Igne viam rumpens: magno quem cominus ictu
Tydeos hasta feri, discussa casside fixit.
Ille ingens in terga jacet, stat fronte superstes
Lancea, collapsæ veniunt in tempora flammæ.
Prosequitur Tydeus: Sævos ne dixeris Argos:
Igne tuo, Thebane, rogum concedimus, arde.
Inde velut primo tigris gavisa cruore
Per totum cupit ire pecus; sic Aona saxo,

sius pontes: ecce una vallis jam permiscet admissas undas: suis undis quisque tumidus optat progredi, et renuunt confusi influere in pontum. Idas Onchestius movebat tædam ardentem per medios ordines, et percellebat copias Græcorum, aperiens sibi iter flammis; quem hasta ferocis Tydei fodit propius ingenti ictu, dejecta galea. Ille procerus in dorsum procumbit, stat lancea erecta in fronte, cadentes ignes corruunt in tempora. Tunc dicit Tydeus: ne voces Argos crudeles, Thebane, indulgemus tibi rogum; flamma tua cremare. Inde sicut tigris læta primo sanguine optat percurrere omnem gregem; sic transfodit saxo Aona, gladio Pholum,

Altius, vs. 464. Correxit Bernartius.—465 Exc. Cantab. Taurin. Burm. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Behott. 1. 2. Venett. Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Gevart. Grasser. Lindenbrog. et Cruc. *Confundit;* Petrens. Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *Confudit.* Optimus codex Barthii pro v. l. exhibet: *uterque superbus.*—467 *Conchestius* Behot. 1. *Cochestius* Behot. 2. sed in utroque *c* deleta.—469 Duo codd. Bernartii: *cominus actu.*—470 Put. *dispulsa casside.*—471 Unus Behot. *fronte superstans.*—473 *Et sequitur Tydeus* Dan.—476 Unus Behot. *sic Caona saxo.*—

NOTÆ

467 *Onchestius*] Ex Onchesto Bœotiæ oppido.

468 *Lampada*] Facibus utebantur veteres in præliis, ut ex Scriptoribus discimus. Noster lib. x. 'Pars ad fastigia missas Exultant hæsisse faces.' Sic Fidenates, quia pares non erant ferro ad terrorem movendum, facibus armati, et discoloribus serpentum in modum vittis, furiali more processerant contra Romanos, sed tamen victi, et suo igne cremati. Florus lib. I. cap. 12.

469 *Magno quem cominus ictu*] Bernartius, et Buslidianus codex: *quem comminus actu.* Quod esset agitatione et impetu, Silius: 'Qua mole sonantes exigit ille trabes?' Alibi pro eodem dicit 'turbine.' *Gronovius.*

473 *Sævos ne dixeris Argos: Igne tuo, Thebane, rogum concedimus, arde*] Quia mortuorum corpora cremabantur, sævitiæque accusati, qui hostium corpora sepulturæ mandare prohibebant.

Ense Pholum, Chromin ense, duos Helicaonas hasta
Transigit, Ægeæ Veneris quos Mæra sacerdos
Ediderat, prohibente Dea: vos præda cruenti
Tydeos: it sævas etiamnum mater ad aras.
Nec minus Herculeum contra vagus Hæmona ducit
Sanguis: inexpleto rapitur per millia ferro,
Nunc tumidæ Calydonis opes, nunc torva Pylenes
Agmina, nunc mœstæ fundens Pleuronis alumnos:
Donec in Olenium fessa jam cuspide Buten
Incidit: hunc turmis obversum, et abire vetantem

gladio Chromin, jaculo duos Helicaones, quos Mœra antistita Veneris Ægeæ pepererat invita Dea. Vos estis præda Tydei sanguinei: parens vestra vadit adhuc ad surda altaria. Nec segnius errabundus ardor agit Herculeum Hæmona contra: fertur cum insatiabili gladio per hostium millia; nunc sternens copias superbæ Calydonis, nunc truces manipulos Pylenes, nunc incolas afflictæ Pleuronis, donec incurrit in Buten Olenium hebetato jam mucrone. Adoritur hunc versum in

478 *Egrea Veneris* Behot. 1. *Egee Veneris* Behot. 2. *Ageæ Veneris* Lindenbrogius.—486 Dan. Put. Petav. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. et Cruc. *obsessum;* Behott. 1. 2. Petrens. Exc. Cantab. Lipsian. Taurin. Lang. Laur. Buslid. Venett. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *ob-*

NOTÆ

478 *Ægeæ Veneris*] Hujus Veneris mentionem nullam facit Pausanias: meminit solum Areæ et Ascreæ Veneris, quarum hæc in agro Trœzenio, illa vero prope Spartam colebatur: hæ autem urbes partes Argivorum sequebantur. Hic vero filii Mœræ hujusce Ægeæ Veneris sacerdotis dicuntur a Tydeo occisi, unde a Thebanis stabant.

479 *Prohibente Dea*] Oportebat forsan, ut sacerdos hujusce Veneris virginitatem servaret.

480 *Sævas aras*] Aras sævæ Veneris, quæ preces illius non exaudit, quia sacerdotis impudicitiam morte liberorum punire volebat. *Mater*] Orans pro vestra salute.

481 *Herculeum*] Quia illum præsens Hercules implebat. Vide supra.

483 *Calydonis*] Ætoliæ oppidi. *Pylenes*] Oppidi ejusdem Ætoliæ.

484 *Pleuronis*] Urbis Ætoliæ. Vide lib. IV. Catalogum copiarum Tydei. Dicitur 'mœsta' ob rationem eodem libro allatam: 'Fletaque fraternis avibus Meleagria Pleuron.'

485 *Olenium*] Ex Oleno Ætoliæ oppido.

486 *Hunc turmis obversum*] Intelligit versum fuisse in suos, et laborasse retinendo illos, ut locum servarent, nec præ metu aut cederent, aut fugerent. Itaque aggressus illum a tergo Hæmon: eique ignaro incidit Thebana bipennis. Lib. IX. 'Inque eadem sese vestigia semper Obversus cunctis profert.' *Abire*] An *obire*, id est, oberrare, circumvagari: quia dicitur supra: 'Nec minus Herculeum contra vagus Hæmona ducit Sanguis.'

Aggreditur: puer ille, puer, malasque comamque
Integer, ignaro cui tunc Thebana bipennis
In galeam librata venit: finduntur utrimque
Tempora, dividuique cadunt in brachia crines,
Et non hoc metuens inopino limite vita
Exsiluit: tunc flavum Hypanin, flavumque Politen,
(Ille genas Phœbo, crinem hic pascebat Iaccho.
Sævus uterque Deus;) victis Hyperenora jungit
Conversumque fuga Damasum: sed lapsa per armos
Hasta viri trans pectus abit, parmamque tenenti
Excutit, et summa fugiens in cuspide portat.
Sterneret adversos etiamnum Ismenius Hæmon
Inachidas, (nam tela regit, viresque ministrat
Amphitryoniades,) sævum sed Tydea contra

suas copias, easque fugere prohibentem. Ille admodum adolescens erat, et intonsis adhuc genis ac capillis; cui tunc inscio securis Thebana suspensa incidit in cassidem. Discinduntur utrimque tempora, et partitæ comæ labuntur in lacertos. Et anima ejus, non hoc timens, migravit inexpectata via. Tunc obtruncat flavum Hypanim, et flavum Politem ille alebat barbam Phœbo, hic comam Baccho: immite utrumque numen. Addit superatis Hyperenora, et Damasum terga dantem fuga: sed hasta incidens per humeros ejus, exsilit trans pectus, dejecitque scutum tenenti, et fugiens fert illud in summo mucrone. Hæmon Ismenius funderet adhuc oppositos Inachidas, (nam Hercules dirigit sagittas, et commodat robur,) sed Minerva impellit adversus illum atrocem Tydeum. Jumque cominus

versum.—487 Behott. 1. 2. *malasque comasque.*—489 Edd. vett. *funduntur;* Dan. *strinduntur;* Put. Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Venett. Gevart. Grasser. Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *finduntur.*—492 Unus Behot. *flavum Hispanum;* optimus Barthianus: *flavum Hypanum flaucumque Polyten.*—494 *Hyperiona jungit* Dan. Put. Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et edd. vett. *Hiperenora* unus Behot. Vide Not. Var.—496 *Hasta viri per pectus* conj. Bernartius.—498 *Ismenius heros* Dan. Heinsius ad Claudian. Epigr. XXVII. 10. *Ismenius hemon* unus Behot. *Ismenius*

NOTÆ

492 *Flavumque Politen*] Supple, interficit.

493 *Ille genas Phœbo, crinem hic pascebat Iaccho*] Tetigimus supra hunc morem, quo veteres alebant crinem barbamque in honorem Dei alicujus. *Iaccho*] Baccho.

494 *Sævus uterque Deus*] Injurias enim sibi factas graviter ulciscebantur. *Hyperenora*] Thebis fuit inter Spartos Hyperenor. Et Homero Πανθοΐδης Ὑπερήνωρ. Quare non et Ætolo nomen id esse potuerit. Editiones veteres habent: *Hyperiona.*

498 *Ismenius*] Thebanus, ut sæpius diximus.

499 *Inachidas*] Argivos.

500 *Amphitryoniades*] Hercules ab Amphitryone patre.

Pallas agit: jamque adverso venere favore
Cominus, et placido prior hæc Tirynthius ore:
Fida soror, quænam hunc belli caligine nobis
Congressum Fortuna tulit? num regia Juno
Hoc molita nefas? citius me fulmina contra
(Infandum) ruere, et magno bellare parenti
Aspiciat: genus huic: sed mitto agnoscere, quando
Tu diversa foves: nec si ipsum cominus Hyllum
Tydeos hasta tui, Stygioque ex orbe remissum
Amphitryona petat. Teneo, æternumque tenebo
Quantum hæc diva manus, quoties sudaverit ægis
Ista mihi, duris famulus cum casibus omnes

accessere opposito studio numinum, et prior Tirynthius ait hæc leni voce: fida germana, quinam casus fuit causa hujusce nostri congressus in belli pulvere? Num regia Juno excogitavit hoc scelus? potius me cernat præcipitem ferri (quod impium esset) adversus fulmina, et certare cum magno genitore. Origo huic Hæmoni, Thebana, sed nolo animadvertere, quando tu sequeris diversas partes. Nec, etiam si hasta tui Tydei propius invaderet ipsum Hyllum, aut Amphitryona reductum ex infernis locis, me opponerem. Mente memor sum et in æternum ero, quantum hæc sacra manus, quoties ista Ægis pro me laboraverit, cum servus aspera sorte

Æmon edd. vett.—506 *Infantum* unus codex Barthii.—511 Uterque Behot. *quotiens sudaverit.*—512 Optimæ Barthii membranæ : *famulus duris cum casi-*

NOTÆ

503 *Belli caligine*] 'Caliginem belli' vocat hunc tumultum, quo quid agendum cuique sit omnis ignorat, nec amicum ab hoste dignoscere potest.

504 *Num regia Juno Hoc molita nefas*] Quia semper obstabat gloriæ ac consiliis Herculis. *Regia*] Junonis epitheton.

505 *Citius me fulmina contra (Infandum) ruere*] Minus ex decoro hæc, sed hæc luxuriantis ac lascivientis sæculi licentia. Pejora Lucanus et magis impia in oratione militis ad Cæsarem lib. I.

506 *Magno parenti*] Jovi. Ex Jove enim natum Herculem putabunt veteres.

507 *Genus huic*] Id est, Hæmoni, Thebanum. Nam et Thebanus Hercules.

508 *Hyllum*] Hyllus filius Herculis ex Dejanira.

511 *Ægis*] Ægis nunc Jovi, nunc Minervæ tribuitur. Servius ad hunc Virgilii versum: 'Ægidaque horrificum turbatæ Palladis;' hæc dicit: Ægis proprie est munimentum pectoris æreum, habens in medio Gorgonis caput; quod munimentum, si in pectore numinis fuerit, vocatur ægis: si in pectore hominis, sicut in antiquis imperatorum imaginibus videbimus, lorica dicitur.' Sumitur etiam pro Palladis clypeo.

512 *Famulus*] Imperatum enim fuerat Herculi ab oraculo, ut Eurystheo pareret, ac exequeretur quicquid ipsi præciperet. Noti vero labores Herculis.

Lustro vagus terras: ipsa heu comes invia mecum
Tartara, ni Superos Acheron excluderet, isses.
Tu patrem, cœlumque mihi: quis tanta relatu
Æquet? habe totas, si mens exscindere, Thebas.
Cedo equidem, veniamque precor. Sic orsus abibat.
Pallada mulcet honos: rediit ardore remisso
Vultus, et erecti sederunt pectoris angues.
Sentit abisse Deum: levius Cadmeius Hæmon

errans obirem universam tellurem: ipsa heu socia adiisses mecum invia Tartara, si Acheron admitteret Divos. Tu conciliasti mihi cœlum et parentem. Quis verbis exponere poterit tanta beneficia? Concedo, ut totas Thebas evertas, si tibi propositum est: cedo equidem, et peto veniam. Sic locutus discedebat. Honorifica oratio lenit Palladem, et facies ejus mitescit soluto belli calore, et elatæ serpentes pectoris sederunt. Hæmon Cadmeius agnoscit migrasse numen: segnius torquet jacula, et

bus.—513 *Lustravi terras* Behot. 1. sed in margine: *Lustro vagus* exscriptoris manu; nihil tamen deletum erat, nihil expunctum.—515. 516 *Tu patrem cœlumque mihi* (*quis tanta relatu Æquet*) *habe, totas, si mens exscindere Thebas* edd. vett. Interpunctio nostra debetur Bernartio. Vide Not. Var.—520 *Sensit abiisse* margo ed. Barth. ex codice manuscripto. 'Concinnius hæc proponuntur in uno omnium optimo exemplari: *Sentit abiisse Deum levius, Cad-*

NOTÆ

513 *Ipsa heu comes*] Minerva semper Herculi in subeundis periculis affuisse dicitur, ac ille ejus patrocinio, ex tot et tantis ad quos adigebatur ab Eurystheo laboribus, semper gloriosior evasit: non enim tot ac tantos labores exantlare potuisset, nisi comite prudentia, cujus Minerva symbolum est.

514 *Ni superos Acheron excluderet*] Interdictus enim Superis in Inferos descensus.

515 *Tu patrem, cœlumque mihi*] Supple, concilias ex Virgilio: 'Tu sceptra Jovemque concilias.'

516 *Habe exscindere*] Id est, sit tibi, liceat, concedo ut exscindas. Varro de Re Rust. lib. I. 'Quare quoniam emisti fundum, quem bene colendo fructuosum conficere velis, meque ut id mihi habeam curare, roges; experiar.' Silius lib. VI. 209. 'Lætus habe nostros intrare penates.' Valerius Flaccus: 'Seu volvitur axis Ut superum sic staret opus tollique vicissim Pontus habet.' Hellenismus est. Euripides Alcesti: 'Εγὼ μὲν οὐκ ἔχοιμ' ἂν οὗ λέγειν τύχειν. Tertulliano familiaris loquendi modus.

519 *Vultus*] Ejus genuina venustas, quæ ante ab ira corrupta erat, seu decor, quem ira paulo ante mutaverat. *Pectoris angues*] Ægidis Medusææ scilicet. In media Ægide, ut supra diximus, erat Gorgonis, seu Medusæ caput, quæ capillorum loco angues habebat.

520 *Sentit abisse Deum*] Hæc ad Hæmonem referenda. *Levius Cadmeius Hæmon Tela rotat*] Destitutus enim erat patrocinio auxilioque Herculis. Exemplo Maronis de Turno, abeuntibus pariter Divis: 'Sed neque currentem se, nec cognoscit euntem, Tollentemve manu, saxumque

Tela rotat, nulloque manum cognoscit in ictu.
Tunc magis, atque magis vires animusque recedunt,
Nec pudor ire retro: cedentem Acheloius heros
Impetit, et librans uni sibi missile telum,
Direxit jactus, summæ qua margine parmæ
Ima sedet galea, et juguli vitalia lucent.
Nec frustrata manus, mortemque invenerat hasta;
Sed prohibet, paulumque humeri libare sinistri
Præbuit, et merito parcit Tritonia fratri.
Ille tamen nec stare loco, nec cominus ire
Amplius, aut vultus audet perferre cruenti
Tydeos: ægra animo vis, ac fiducia cessit.
Qualis setigeram Lucana cuspide frontem

nullo in vulnere sentit manum suam. Tunc plus et plus robur animusque illius deficiunt; nec pudet referre pedem. Heros Acheloius invadit retrocedentem, et vibrans jaculum a se uno emittendum, destinat illum ferire, qua ima pars cassidis insidet oræ summi scuti, et vitalia gutturis patent; nec aberravit manus, et hasta repererat letalem locum: sed Tritonia impedit, et concessit perstringere paulum humeri sinistri, et eum servavit gratia meriti germani. Ille Hæmon nec audet permanere in eo loco, nec propius accedere, aut sustinere faciem sanguinei Tydei. Mæstus vigor et confidentia discesserunt ex ejus corde. Ut aper, cui hirsuta

maius Æmon, Tela rotans, &c.' Barth.—523 *Nec pudet ire* Behott. 1. 2. et Lip-

NOTÆ

immane moventem.' Sentit vim suam sibi non amplius adesse, agnoscit se viribus deteriorem. *Cadmeius*] Vide supra vs. 457.

523 *Acheloius heros*] Tydeus, sic cognominatus ab Acheloo fluvio Ætoliæ.

524 *Uni sibi missile*] Quod ipse solus possit excutere.

526 *Juguli vitalia lucent*] Quia omne vulnus in jugulo letale est. Vel quia in hac parte patebat jugulum vulneri.

527 *Frustrata*] Passive.

529 *Tritonia*] Pallas. *Fratri*] Herculi. *Merito*] Quia Hercules summo cultu Minervam semper veneratus est, ut laborum sociam.

533 *Qualis, &c.*] Mira et egregia comparatio, sicut et aliæ Statii, quibus ille maxime stat, et palmam reliquis forte, et in quibusdam Virgilio eripuit. *Peyraredus. Lucana*] A Lucanis, Italiæ seu Magnæ Græciæ populis. Et bene *Lucana*, nam venatu celebres olim Lucani. Justinus lib. XXIII. 'Quippe ab initio pubertatis in sylvis inter pastores habebantur Lucani: cibus his præda venatica. Sic ad labores bellicos indurabantur.' Horatius II. Sat. 3. de Venatore aprario: 'In nive Lucana dormis ocreatus, ut aprum Cœnem ego.'

Strictus aper, penitus cui non infossa cerebro
Vulnera, nec felix dextræ tenor, in latus iras
Frangit, et expertæ jam non venit obvius hastæ.
Ecce, ducem turmæ, certa indignatus in hostem
Spicula, felici Prothoum torquere lacerto
Turbidus Œnides, una duo corpora pinu,
Cornipedemque equitemque ferit: ruit ille ruentem
In Prothoum, lapsasque manu quærentis habenas
In vultus galeam, clypeumque in pectora calcat,
Saucius extremo donec cum sanguine frænos
Respuit, et juncta domino cervice recumbit.
Sic ulmus vitisque, duplex jactura coloni,
Gaurano de monte cadunt: sed mœstior ulmus
Quærit utrumque nemus, nec tam sua brachia labens,
Quam gemit assuetas, invitaque proterit uvas.
Sumserat in Danaos Heliconius arma Chorœbus,
Ante comes Musis, Stygii cui conscia pensi

frons decerpta fuit mucrone venabuli Lucani; nec tamen ictus penetravit in cerebrum, nec fortunatus fuit impetus dextræ venatoris, consumit furorem in latus, nec amplius occurrit hastæ quam jam sensit. Ecce ferox Œnei filius, iratus Prothoum jaculari fortunato brachio tela haud frustrata in adversarium rectorem alæ equitum, transfodit eodem jaculo duo corpora, equum equitemque: ille equus cadit in cadentem Prothoum, et atterit cassidem in faciem, scutumque in pectus equitis, repetentis habenas, quæ exciderant manu sua, donec vulneratus evomit frænos extremo cum cruore, et recidit capite juncto domino. Sic ulmus et vinea, geminum damnum cultoris, corruunt de monte Gaurano: sed tristior ulmus se quærit et vitem, nec cadendo tam deflet suos ramos, quam hospitales, et ægre proculcat uvas. Corœbus Heliconius ceperat arma adversus Græços, ante socius Musarum, cui Urania,

sian.—534 'Dicas *penito* scriptum fuisse, cum in optimo libro scriptum sit glossema: 'Id est, intimo, vitali.' Nescio tamen an hac voce uti voluisse dicam Papinium, Plauto quam Maroni aptiore.' *Barth.*—537 Put. *indignantur in hostem.*—545 Unus codex Lindenbrogii: *jactura colenti.*—546 *Gargano de monte* unus Behot.—547 *Quærit utrimque* Put.—549 Dan. Put. Petav. et

NOTÆ

535 *Dextræ*] Venatoris scilicet. *In latus iras*] Horatius: 'Obliquum meditari ictum.'

539 *Œnides*] Tydeus ab Œneo patre.

546 *Gaurano de monte*] Gaurus, seu Gauranus, mons Campaniæ propinquus Massicis et Surrentinis, in quo nascitur vinum præcipuæ bonitatis. *Sed mœstior ulmus*] Hæc enim arbor vitium amicitia notissima, præsertim in Italia.

547 *Utrumque nemus*] 'Nemus,' pro arbore satis audacter.

549 *Danaos*] Argivos.

550 *Stygii pensi*] Parcæ enim col-

Ipsa diu inspectis letum prædixerat astris
Uranie: cupit ille tamen, pugnasque virosque
Forsitan ut caneret: longa jacet ipse canendus
Laude, sed amissum mutæ flevere sorores.
Pactus Agenoream primis Atys ibat ab annis
Ismenen (Tyrii juvenis non advena belli,
Quamvis Cyrrha domus: soceros nec tristibus actis
Adversatus erat) sponsam, cui castus amanti
Squalor, et indigni commendat gratia luctus.

gnara Stygiæ colus, præcecinerat mortem observatis diu sideribus. Ille tamen optat ire ad bellum, forsitan ut prælia bellatoresque celebraret: ipse perit celebrandus longo præconio, sed multæ sorores ploraverunt extinctum. Juvenis Atys, qui sponsaverat a tenera ætate Ismenen Agenore ortam, non externus veniebat ad bellum Thebanum, licet Cyrrha oriundus: nec aspernatus fuerat soceros ob infelices casus; cui pudicæ sordes, et venustus immeriti luctus amanti conciliabant sponsam. Ipse

Behott. *arma Corymbus.*—551 *Ipsa diu potis* Lipsian. unde V. D. quidam: *diu positis;* quod exhibent aliquot membranæ Barthii, unæ Lindenbrogii, Petrens. Exc. Cantab. Gevart. Gronov. Barth. et Veen. *Ipsa diu inspectis* Dan. Petav. Behott. 1. 2. Buslid. Lang. Laur. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. et Delph.—552 ‘In optimo codice clare scriptum est: *cupit ire tamen.*’ Barth.—554 *Musæ flevere sorores* Dan. Put. Petav. Behott. 1. 2. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et edd. vett. *innuptæ flevere sorores* Exc. Fabri; *mutæ flevere sorores* septem codd. Gronovii, Petrens. Exc. Cantab. Venett. Gronov. Barth. Veen. et Delph.—557 Bernartius legit: *socerum nec tristibus actis.*—558 *Aversatus erat* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Behott. et edd. vett. *Adversatus erat* Petrens. Exc. Cantab. Dan. Put. Petav. Linden-

NOTÆ

locantur in Inferis, ubi Styx fluvius, et vitam cujuscumque nere dicuntur.

551 *Inspectis*] Ms. *positis*, et refertur ad thema natalitium.

552 *Uranie*] Una ex Musis, Jovis et Mnemosynes filia, cui inventio Astrologiæ tribuitur, unde et nomen traxit: *οὐρανὸς* enim Græce *cælum* significat.

554 *Mutæ*] Nimius enim dolor obmutescit, et vocem includit. Papinius Epiced. in Patrem: ‘Stant circum attonitæ vatem et nil dulce sonantes Nec digitis nec voce Deæ. Dux ipsa silenti Fulta caput cithara, qualis post Orphea raptum Astitit.’ Veteres editiones habent, *Musæ.*

555 *Agenoream Ismenen*] Ismene filia Œdipi et Jocastæ. *Agenoream*] Quia referebat genus ad Agenorem regem Phœniciæ, patrem Cadmi.

556 *Tyrii*] Thebani. Imitatur Virgilium, qui Chorœbum induxit sponsum Cassandræ.

557 *Cyrrha*] Urbs Phocidis. *Soceros*] Œdipum et Jocastam. *Tristibus actis*] Ille enim, ut sæpius jam diximus, patrem occiderat, et matrem uxorem duxerat: hæc vero proprio filio nupserat.

559 *Indigni*] Quo illa indigna erat, quæ meliore sorte digna erat.

Ipse quoque egregius: nec pectora virginis illi
Diversa, inque vicem, sineret Fortuna, placebant.
Bella vetant tædas, juvenique hinc major in hostes
Ira: ruit primis immixtus, et agmina Lernæ
Nunc pedes ense vago, prensis nunc celsus habenis,
Ceu spectetur, agit: triplici velaverat ostro
Surgentes etiamnum humeros, et levia mater
Pectora: tunc auro phaleras, auroque sagittas
Cingulaque, et manicas (ne conjuge vilior iret)
Presserat, et mixtum cono crispaverat aurum.
Talibus heu fidens vocat ultro in prælia Graios.
Ac primum faciles grassatus cuspide turmas
Arma refert sociis, et in agmina fida, peracta
Cæde, redit: sic Hyrcana leo Caspius umbra

quoque eximia specie, nec animus puellæ alienus ab eo, sibique invicem, si sors permitteret, cordi erant. Bellum differt nuptias, inde furor acrior erat adolescenti in inimicos. Fertur impetu, inserens se primis, et nunc pedes gladio erranti, nunc in equo sublimis, seu cernatur ab Ismene, versat copias Argivas. Genitrix texerat veste ter tincta purpura scapulas ejus adhuc crescentes et juvenile pectus. Tunc oneraverat auro phaleras, et auro sagittas, balteosque et manicas, (ne iret indignior sponsa,) et formaverat conum auro undatim ducto. Heu fretus talibus, sponte provocat Græcos ad certamen. Ac primum populatus mucrone cedentes manipulos, cæde confecta reportat arma comitibus, et revertitur in cuneos suorum. Sic Caspius leo in Hyrcana sylva,

brog. Cruc. Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph.—563 Put. *primisque immixtis et agmine.*—566 *Surgentes etiamnunc* Behot. 1. *Surgentes adhuc* Behot. 2.—571 Put. *grassatur cuspide.*—576 *Aut procul* in eodem codice.—584

NOTÆ

563 *Lernæ*] Id est, Argiva.

564 *Prensis nunc celsus habenis*] Vel vectus equo, vel curru equis juncto.

565 *Ceu spectetur*] Ab Ismene scilicet.

566 *Surgentes*] Crescentes, quia adhuc puer erat.

570 *Talibus heu fidens*] Non suspicione vacat hic versus quibusdam, et insertus videtur.

572 *Arma refert sociis*] Claret mos hinc vetus pugnandi, Heroibus nimirum ante agmina sua procurrentibus, et redeuntibus partis spoliis, aut peracta cæde, ad turmas suas. Quo animadverso multa apud Homerum, eumque sequentes Poëtas alios, minus inepta videbuntur. *Barthius.*

573 *Hyrcana leo Caspius umbra*] Caspias gentes hic confundit cum Hyrcanis, ob vicinitatem. Caspiæ vocantur quæ accolunt Mare Caspium ad occidentem, Colchida et Iberiam versus, unde Caspiæ portæ: Hyrcani vero accolebant idem mare ad meridiem, Persidem versus.

Nudus adhuc, nulloque jubæ flaventis honore
Terribilis, magnique etiamnum sanguinis insons,
Haud procul a stabulis captat custode remoto
Segne pecus, teneraque famem consumit in agna.
Mox ignotum armis, ac solo corpore mensus
Tydea non timuit: fragilique lacessere telo
Sæpius infrendentem aliis, aliosque sequentem
Ausus erat: tandem invalidos Ætolus ad ictus
Forte refert oculos, et formidabile ridens:
Jamdudum video, magnum cupis, improbe, leti
Nomen, ait: simul audacem non ense, nec hasta
Dignatus, leviter digitis imbelle solutis
Abjecit jaculum: latebras tamen inguinis alte
Missile, ceu totis intortum viribus hausit.
Præterit haud dubium fati, et spoliare superbit
Œnides: Neque enim has Marti, aut tibi, bellica Pallas,
Exuvias figemus, ait: procul arceat ipsum

nudatus adhuc, nulloque torvus decore flavæ jubæ, et qui nondum fuderat magnum cruorem, observat non longe a caulis timidum gregem absente pastore, et satiat famem in parvula agna. Deinde Atys non metuit Tydeum tectum armis, respiciens ad solam exiguitatem corporis, et ausus erat sæpius provocare eum furentem in alios, urgentemque alios. Tandem forte Tydeus Ætolus flectit visum ad infirmos ictus, et horrende ridens: Jampridem cerno, inquit, quæris, imprudens, ingentem famam mortis. Unaque judicans hunc temerarium indignum hasta aut gladio, emisit leviter jaculum digitis segniter laxatis: hastile tamen perfodit alte recessus inguinis, seu emissum fuisset toto conatu. Œnei filius transmittit illum proculdubio periturum, et exuere superbe spernit. Neque enim hæc appendemus spolia Marti, aut tibi, animosa Minerva. Verecundia deterreat me ipsum ab iis gestan-

'In vetustissimo optimoque codice scriptum est: *simul audasse;* quomodo et aliorum unus. Putes aliquid aliud Papinio relictum; quod tamen non putamus inquirendum, non displicituro illo.' *Barth. necesse nec hasta* edd. vett. correxit Bernartius.—586 'Hæc vera scriptura est; majorem enim quam pro mente Poëtæ vim habet, quod in aliis codd. legitur: *Objecit jaculum.*'

NOTÆ

581 *Ætolus*] Tydeus.

583 *Magnum cupis, improbe, leti Nomen*] A fortibus enim vinci et occidi magna laus.

588 *Et spoliare superbit*] An spoliare spernit, vel potius illum spoliando superbiebat.

589 *Œnides*] Tydeus. *Neque enim has Marti, aut tibi, bellica Pallas, Exuvias figemus*] Tangit morem, quo veteres appendebant arma hostibus erepta numinibus bellicis, ut Marti et Palladi.

590 *Ipsum*] Supple, me, meipsum.

Ferre pudor: vix si bellum comitata relictis
Deiphile thalamis, illi illudenda tulissem.
Sic ait: et belli majora ad præmia mente
Ducitur: innumeris veluti leo forte potitus
Cædibus imbelles vitulos, mollesque juvencas
Transmittit: magno furor est in sanguine mergi,
Nec nisi regnantis cervice recumbere tauri.
At non semianimi clamore Menœcea lapsus
Fallit Atys: prævertit equos, curruque citato
Desilit: instabat pubes Tegeæa jacenti,
Nec prohibent Tyrii. Pudeat, Cadmea juventus,
Terrigenas mentita patres, quo tenditis, inquit,
Degeneres? meliusne jacet pro sanguine nostro
Hospes Atys? tantum hospes adhuc, et conjugis ultor
Infelix nondum iste suæ: nos pignora tanta
Prodimus? insurgunt justo firmata pudore

dis: vix portarem habenda ludibrio Deiphile ipsi, si deserta domo venisset ad bellum. Sic inquit, et rapitur animo ad nobiliorem fortitudinis suæ mercedem. Ut leo forte edita innumera strage præterit invalidos vitulos, et teneras juvencas, rabies est se ingurgitare in superbum cruorem, nec recumbere nisi supra collum dominantis tauri. At non Atys cadens semimortua voce latuit Menœceum. Ille anteit equos, et devolat e celeri curru. Juventus Tegeæa imminebat prostrato, nec obstabant Thebani. Erubescat, ait, Menœceus, Cadmea pubes falso jactans terrigenas majores, quo fugitis, ait, ignavi? Atys advena debuitne potius sterni pro nostris partibus? tantum adhuc hospes, et infortunatus vindex sponsæ nondum suæ. Nos prodimus liberos et conjuges. Accenduntur digno pudore excitati manipuli, et suæ

Idem. *Adjecit jaculum* conj. Bernartius.—592 *Deiphyle* Gronov. Obss. II. 20. *Deipyle* margo ed. Barth. et unus codex Lindenbrogii.—605 Put. *non pignora.*—606 Marklandus ad Sylv. v. 2. 120. legit: *justo flammata pudore.*—610

NOTÆ

592 *Deiphile*] Uxor Tydei. Vide Theb. II. *Illudenda*] Quasi arma morientis ipso cultu ita fuerint deformia, ut vel mulieribus etiam ludibrio haberentur.

593 *Sic ait: et belli majora ad præmia mente Ducitur: innumeris*] Guyetus jungit τὸ *ait* cum *innumeris*, cetera delet.

600 *Pubes Tegeæa*] Arcadia, a Tegea Arcadiæ oppido.

601 *Tyrii*] Thebani. *Cadmea*] Thebana a Cadmo conditore.

602 *Terrigenas mentita patres*] Thebani enim referebant genus ad illos Spartos, qui ex serpentis satis dentibus orti erant.

604 *Conjugis ultor*] Nondum erat conjux, sed sponsa.

605 *Pignora tanta*] Conjuges, liberos.

Agmina, cuique suæ rediere in pectora curæ.
Interea thalami secreta in parte sorores,
Par aliud morum, miseriquc innoxia proles
Œdipodæ, varias miscent sermone querelas.
Nec mala quæ juxta, sed longa ab origine fati,
Hæc matris tædas, oculos ast illa paternos,
Altera regnantem, profugum gemit altera fratrem,
Bella ambæ: gravis hinc miseri cunctatio voti.
Nutat utroque timor, quemnam hoc certamine victum,
Quem vicisse velint: tacite præponderat exul.

necessitudines unicuique revertuntur in mentem. Interea sorores, alterum par morum, et innocens soboles infelicis Œdipi, miscent secum invicem colloquendo diversos questus in semoto loco conclavis; nec solum deplorant præsentes calamitates, sed incipientes a longo initio malorum, hæc deflet conjugium matris, illa vero cæcitatem paternam, hæc dominantem fratrem, altera exulem, ambæ bellum: hinc acerba dubitatio infelicis desiderii, metus libratur pro utroque, quemve optent superari in hoc bello, quem superare: tacite propendent in profugum. Sic aves Pandioniæ,

'Melius puto quod in optimo alioque uno libro legitur: *vario miscent sermone.*' Barth.—612 Unus codex Lindenbrogii: *oculos gemit illa.*—614 *Diræ ambæ* in eodem codice. 'Inepta lectio: *gravis hinc miseri;* quam tamen solus ille optimus liber corrigit, et veritatem reducit, scribendo: *gravis hinc misti cunctatio voti.* Cui nimirum ex fratribus feliciorem eventum voveant, cunctantur, misto voto: i. e. Amore nihil remittente in altero, ut in alterum inclinet votum. Pariter Claudianus loquitur alibi: 'Mistaque tremit formidine votum.'' *Barth.*—615 Put. *Mutat utroque.* Behot. 1. *quemnam certamine.* —616 Put. *veteresque exordia fati.*—620 Marklandus ad Sylv. v. 1. 245. legit

NOTÆ

607 *Curæ*] Uxores, liberi, sponsæ, vel quælibet cariora pignora.

609 *Par aliud morum*] Id est, diversum a suis fratribus, qui impii.

610 *Varias miscent sermone querelas, &c.*] Imitatio Ovidii Met. IV. 'Dum prima retractant Fata, domus, releguntque suo sermone labores.'

612 *Tædas*] Nuptias, quia tædæ nuptiis adhibitæ. *Oculos paternos*] Cæcitatem paternam.

613 *Regnantem*] Eteoclem. *Profugum*] Polynicem.

614 *Gravis hinc miseri cunctatio voti*] Nesciunt, dubitant, hæsitant, cui faveant, et in ea dubitatione cruciantur. Legit Barthius ex optimo codice et corrigit: *gravis hinc misti cunctatio voti.* Cui nimirum ex fratribus feliciorem eventum voveant, cunctantur *misto voto*, id est, amore remittente nihil in altero, ut in alterum inclinet votum. Pariter Claudianus: 'Mistaque tremit formidine votum.'

615 *Nutat utroque timor*] Neutram in partem inclinant illarum affectus misericordia pleni. Quidam cod. *Mutat.*

616 *Tacite præponderat exul*] Exprimit pulchre affectum humanum, qui erga miseros semper pronior est. Theb. II. 'Seu quos movet exul, et hæsit Tristibus aucta fides.' Jocasta apud Senecam in Theb. 'Utrumque quamvis diligam affectu pari; Quo

Sic Pandioniæ repetunt ubi fida volucres
Hospitia, atque larem bruma pulsante relictum,
Stantque super nidos, veterisque exordia fati
Enarrant tectis, et truncum ac flebile murmur
Verba putant; voxque illa tamen non dissona verbis.
Atque ibi post lacrymas, et longa silentia rursus
Inchoat Ismene: Quisnam hic mortalibus error?
Quæ decepta fides? curam invigilare quieti,
Claraque per somnos animis simulacra reverti?
Ecce ego, quæ thalamos, nec si pax alta maneret,
Tractarem sensu, (pudet heu!) connubia vidi
Nocte, soror: sponsum (unde?) mihi sopor attulit amens
Vix notum visu: semel his in sedibus illum,
Dum mea nescio quo spondentur fœdera pacto,

cum redeunt ad caras domos, et ædes, quas deseruerant fugante hyeme, et stant super nidos, et narrant culminibus historiam antiquorum malorum, et arbitrantur lacerum ac lamentabilem garritum esse sermonem; sonus tamen ille non multum discrepat ab humanis dictis. Atque hic Ismene denuo incipit post fletus et longam taciturnitatem: Quinam error turbat animos hominum? quæ fides delusa? sollicitudinem invigilare somno, et claras imagines dormiendo redire in mentes? Ecce ego, quæ nequidem agitarem animo conjugium, etsi res tranquillæ forent, (erubesco heu!) aspexi nuptialem apparatum per noctem, germana, unde mihi sponsum vix visu cognitum somnus immisit. Semel vidi illum casu, non ultro, germana, in iis

et distinguit: *it truncum ac flebile murmur: Verba putant, &c.*—622 *Atque ubi* unus Behot.—626 Put. *si pars alta.*—627 *Tractarem: sensi et (pudet heu) connubia* optimæ Barthii membranæ.—628 Unus Behot. *sopor unde mihi sponsum intulit;* Lang. Laur. Bnslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. et edd. vett. *sopor*

NOTÆ

causa melior, sorsque deterior trahit, Inclinat animus, semper infirmo favens Miseros magis fortuna conciliat suis.'

617 *Pandioniæ volucres*] Hirundines, quia Philomela filia Pandionis Athenarum regis conversa fuisse dicitur in hirundinem. Nota fabula. Vide lib. IV. Theb. vs. 56.

619 *Veterisque exordia fati*] Aliqui legunt *veteres* sine *que*, et jungunt cum voce *nidos*, quia dicuntur hirundines nidos priores repetere.

620 *Truncum murmur*] Ob præcisam scilicet linguam.

624 *Quæ decepta fides*] Falsa enim sunt, quæ videmus in somniis.

626 *Ecce ego, quæ thalamos*] Decori semper observantissimus, ut hic, Papinius videtur. Excusat se Ismene, ne aliquo voluptatis sensu tangi crederetur, quod illa videre dicimur in somniis, quæ maxime optamus.

628 *Sponsum*] Atym, de quo supra.

630 *Nescio quo spondentur fœdera pacto*] Casta puella vix audet has voces proferre. Eleganter exprimit virginis affectum Poëta.

Respexi non sponte, soror: turbata repente
Omina cernebam, subitusque intercidit ignis,
Meque sequebatur rabido clamore reposcens
Mater Atyn. Quænam hæc dubiæ præsagia cladis?
Nec timeo, dum tuta domus, milesque recedat
Doricus, et tumidos liceat componere fratres.
Talia nectebant, subito cum pigra tumultu
Expavit domus, et multo sudore receptus
Fertur Atys, servans animam jam sanguine nullo,
Cui manus in plaga, dependet languida cervix
Exterior clypeo, crinesque a fronte supini.
Prima videt, caramque tremens Iocasta vocabat
Ismenen: namque hoc solum moribunda precatur

locis, dum nescio quibus conditionibus nuptiæ meæ promittebantur. Videbam cuncta subito turbata, et repentinæ faces extinctæ sunt, et genitrix ejus me insequebatur, repetens a me furiosa voce Atym. Nescio, quid mali hoc portendat. Nec metuo, modo domus sit in tranquillo, copiæque Doricæ abeant, et liceat reconciliare inter se iratos fratres. Hæc dicebant, cum quieta domus exhorruit repentino strepitu, et Atys reportatur, recuperatus multo labore, retinens animam, jam exhausto toto sanguine; cui manus supra vulnus erat, languidum collum pendet extra clypeum, comæque inversæ a fronte erant. Jocasta prima aspexit, et trepida appellabat dilectam Ismenen: namque vox moribundi generi poscit hoc solum: hoc solum nomen

intulit.—633 Unus Behot. *rapido clamore.*—635 Dan. Put. Petav. *milesque superstes.*—637 *Talia jactabant* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. et edd. vett. *Talia nectebant* Exc. Cantab. Behot. Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph. Vide Dan. Heinsium ad Claudian. p. 24. *cum nigra tumultu* Exc. Cantab.—640 Put. *defendit.*—641 Edd. vett. *a fronte superni;* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Behott. 1. 2. Lindenbrog. Cruc. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *a fronte supini.*—642 Dan. Put. et Petav. *claramque tremens.*—643 Edd. vett. *hanc solam;* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Behott. 1. 2. Lindenbrog. Cruc. Amstel. Gronov. Barth. Veen. et

NOTÆ

631 *Respexi non sponte, soror*] Dixit, casu se respexisse, aberrantibus oculis, non sponte.

632 *Subitus ignis*] Turbatum viderat in somno omnem nuptiarum apparatum, et nuptiales faces extinctas.

636 *Doricus*] Peloponnesius.

637 *Pigra*] Attonita, ab effectu.

640 *Cui manus in plaga*] Manus enim ad partes corporis, quæ dolent, solemus ferre.

641 *Exterior clypeo*] Ad morem priscum alludit, quo duces in prælio vulnerati, aut occisi, in clypeo referebantur. Noster infra: 'Gemina latera inclinantia parma.' Virgilius Æn. x. 'Impositum scuto referunt Pallanta.' Lib. IX. 'Ast Lausum exanimem socii super arma ferebant.'

643 *Hoc solum*] Alii legunt, *hanc solam.*

Vox generi: solum hoc gelidis jam nomen inerrat
Faucibus: exclamant famulæ: tollebat in ora
Virgo manus: tenuit sævus pudor: attamen ire
Cogitur, indulgent summum hoc Iocasta jacenti,
Ostenditque offertque: quater jam morte sub ipsa
Ad nomen visus, dejectaque fortiter ora
Sustulit: illam unam neglecto lumine cœli
Aspicit, et vultu non exsatiatur amato.
Tunc quia nec genitrix juxta, positusque beata
Morte pater, sponsæ munus miserabile tradunt,
Declinare genas: ibi demum teste remoto
Fassa pios gemitus, lacrymasque in lumina fudit.

jam versatur in frigido ore. Ancillæ ejulant. Puella levavit manum ad vultum suum, severa verecundia hanc retinuit: attamen adigitur propius accedere. Jocasta impertit hoc extremum morituro, monstratque et præsentat hanc ei. Jam sub ipsum momentum mortis, quater erigit animose oculos et demissam faciem ad nomen Ismenes: illam solam contemplatur, spreta luce cœli, nec saturatur spectaculo dilecti vultus. Tunc, quia nec mater ejus aderat, et mortuus pater erat felici leto, cedunt sponsæ deplorandum munus ei claudendi oculos. Ibi tandem omnibus recedentibus, testata est pium dolorem, et rigavit fletibus lumina. Dum autem hæc geruntur apud

Delph. *hoc solum.*—646 Dan. Put. Petav. *sævos.*—649 Exc. Fabri Behot. 1. et Venett. *delectaque;* sed in Behot. 1. emendatum *dilectaque;* Behot. 2. habet, *dijectaque.*—650 Put. *illa unam.*—655 Edd. vett *in vulnera;* et ita legit Nic. Heinsius ad Ovid. Heroid. Epist. XI. 125. *in vulnere* in quibusdam codd. *in lumina* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Behot. 1. Lindenbrog. Cruc. Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *in lumine* Behot. 2. Cf.

NOTÆ

646 *Tenuit sævus pudor*] Vel quia virginibus aspici ab hominibus non licebat: ut Andromeda apud Ovidium Persei conspectum etiam in extremo periculo vix tulit: 'Primo silet illa, nec audet Appellare virum virgo, manibusque modestos Celasset vultus, si non religata fuisset.' Vel quia timebat ne, exorto in vultu signo, pudor suus lædi posset. *Sævus*] Quia hoc solatium amanti negabat.

649 *Fortiter ora*] Cum ei diceretur præsens esse Ismene.

650 *Illam unam neglecto, &c.*] Sic Abascantii Pietate: 'Nec sole supremo Lumina, sed dulci mavult satiare marito.'

652 *Positus*] Id est, compositus, seu sepultus, ut apud Horatium, Persium, et alios observare licet.

654 *Genas*] Id est, palpebras. Ennius enim, referente Festo, genas pro palpebris sumsit hocce versu: 'Pandite sulti genas et corde relinquite somnum.' Ceterum munus illud claudendi oculos mortuorum spectabat ad propinquos ac carissimos parentes.

655 *In lumina*] Alia lectio, *in vulnera.*

Dumque ea per Thebas, aliis serpentibus ardens
Et face mutata bellum integrabat Enyo.
Arma volunt, primos veluti modo cominus ictus
Sustulerint, omnisque etiamnum luceat ensis.
Eminet Œnides; quamvis et arundine certa
Parthenopæus agat, morientumque ora furenti
Hippomedon proculcet equo, Capaneaque pinus
Jam procul Aoniis volet agnoscenda catervis.
Tydeos illa dies: illum fugiuntque, tremuntque,
Clamantem: Quo terga datis? licet ecce peremtos

Thebas, Enyo flagrans aliis anguibus, et sumta alia tæda restaurabat bellum. Efflagitant pugnam, velut si non inflixerint primos propius ictus, et omnis gladius adhuc fulgeat. Œnei filius emicat ante alios; quamvis et Parthenopæus certet haud frustratis sagittis, et Hippomedon proterat rabido equo vultus intereuntium, et hasta Capanei jam longe exeat sentienda phalangibus Thebanis. Illa dies erat Tydei: fugiunt illum, paventque vociferantem: Quo fugitis? En licet vindicare

Theb. III. 130.—658 *Arma volant* Dan. Put. Petav. Behot. 1. et edd. vett. *Arma volunt* Behot. 2. Behot. 1. pro v. l. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Venett. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *cominus enses* unus Behot.—659 In eodem codice: *etiamnunc.*—661 Edd. vett. *ora furentis.*—662 Optimus Barth. *propulset equo.*—664 Put. *illum feriuntque premuntque.*—668 Dan. Put. Petav.

NOTÆ

656 *Per Thebas*] Supple, geruntur. *Aliis serpentibus*] Recentioribus, quasi priores defecissent.

657 *Et face mutata*] Nova face assumta, priori jam consumta. *Enyo*] Bellona, cui facem dant Poëtæ. Vide Theb. IV.

658 *Arma volunt*] Cædes et sanguinem spirant, velut jam primum inciperent bellare et pugnare. *Vet. Schol.* Ex quo scholio, ipsaque rei veritate clarum, perperam facere, qui *volant* hic edendum maluerunt. Et sic Virg. Æn. XII. 'Arma volunt fœdusque precantur Infectum.' *Barthius.* Hunc versum expungit Guyetus cum quinque sequentibus.

659 *Luceat ensis*] Nullo sit fœdatus sanguine.

660 *Œnides*] Tydeus.

664 *Tydeos illa dies*] Veteres olim dies illos, quibus aut singularem quandam voluptatem receperant, aut alias memorabile ac gloriosum facinus ediderant, 'suos' appellabant. Unde formula: 'Hic meus est dies.' Cornelius Severus apud Senecam Rhet. Suas. II. de militibus epulantibus: 'Stratique per herbam, Hic meus est, dixere, dies.' Martialis lib. X. Epigr. 59. 'Hic mihi, quando dies meus est, jactamur in alto Urbis, et in sterili vita labore perit.' Seneca Medea: 'Perfruere lento scelere: ne propera, dolor; Meus dies est, tempore accepto utimur.' Huic formulæ finitima est appellatio 'Fortunæ hujusce diei.' De qua Plinius lib. XXXIV. cap. 8. 'Fuit,' inquit, 'et alius Pythagoras Samius, cujus signa ad ædem Fortunæ hujusce diei sunt seminuda.'

Ulcisci socios, mœstamque rependere noctem.
Ille ego inexpletis solus qui cædibus hausi
Quinquaginta animas: totidem, totidemque gregati
Ferte manus: nulline patres, nulline jacentum
Unanimi fratres? quæ tanta oblivia luctus?
Quam pudet Inachias contentum abiisse Mycenas!
Hinc super Thebis? hæc robora regis? ubi autem
Egregius dux ille mihi? simul ordine lævo
Ipsum exhortantem cuneos, capitisque superbi

occisos cives et rependere tristem noctem. Ille ego sum qui solus insatiatis necibus occidi quinquaginta viros: totidem totidemque conferti admovete manus. Nulline mortuorum parentes? nulline fratres amantissimi? Quæ tanta oblivio doloris? quam pudet rediisse contentum ad Mycenas Inachias? Talesne pro Thebis? hæ vires regis? ubi autem mihi eximius ille tyrannus est? Statim cernit illum excitantem copias in sinistro cornu, et conspicuum regio diademate, quo caput cingeba-

Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. et Gevart. *gregatim;* Behott. 1. 2. Petrens. Exc. Cantab. Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *gregati.*—669 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. et edd. vett. *nullique jacentem;* Behott. 1. 2. Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *nulline jacentem.*—670 *Unanimes fratres* Dan. Put. Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et edd. vett. *Unanimi fratres* Behott. 1. 2. Petrens. Exc. Cantab. et omnes Barthiani, cum edd. Gronov. Barth. Veen. et Delph.—671 *Quam pudet Inachidas* unus Behot. *contemtum*

NOTÆ

666 *Mœstamque rependere noctem*] Qua scilicet illos, qui sibi Argos revertenti insidias struxerant, interfecit. Vide Theb. II.

667 *Ille ego inexpletis, &c.*] Hic versus sequensque nothi videntur Guyeto. *Inexpletis cædibus*] Quia sua virtus par erat aliis militibus, nec tam pauciores cædes suam fortitudinem explere vel exhaurire potuerunt.

671 *Quam pudet Inachias contentum abiisse Mycenas*] Hic versus etiam spurius videtur Guyeto. *Contentum*] Quasi dicat Tydeus, pudet pigetque contentum cæde illorum quinquaginta insidiatorum discessisse. Debui protinus redire Thebas, ipsumque regem aggredi, urbemque invadere facile fuisset, quando non alios propugnatores illis residuos feceram, quam quorum ignaviam jam experimur. Noster lib. XI. 'Ut cum Massyla per arva Armenti reges magno leo fregit hiatu, Et contentus abit.' Aliæ editiones habent *contemtum:* cujus etiam sensus optimus; quasi queratur Tydeus, quod tunc temporis contemtus fuisset ab Eteocle, nec eam de ipsius fortitudine opinionem concepisset quam debuerat, cum quinquaginta armatos ad ipsum vincendum ac interficiendum sufficere putavit. *Mycenæ*] Urbs Argolidis.

672 *Hinc super Thebis*] Talesne, et tam ignavi Thebanis supersunt?

673 *Egregius*] Ironice. *Dux*] Eteocles.

674 *Capitisque superbi Insignem ful-*

Insignem fulgore videt: nec segnius ardens
Accurrit, niveo quam flammiger ales olori
Imminet, et magna trepidum circumligat umbra.
Tunc prior: Aoniæ rex o justissime gentis,
Imus in arma palam, tandemque ostendimus enses?
An noctem et solitas placet expectare tenebras?
Ille nihil contra, sed stridula cornus in hostem
It referens mandata ducis, quam providus heros
Jam jam in fine viæ percussam obliquat, et ipse
Telum ingens avide, et quanto non ante lacerto
Impulit: ibat atrox finem positura duello
Lancea: convertere oculos utrimque faventes
Sidonii Graiique Dei: crudelis Erinnys
Obstat, et infando differt Eteoclea fratri.
Cuspis in armigerum Phlegyam peccavit, ubi ingens
Pugna virum: stricto nam sævior irruit ense

tur. Nec lentius advolat fervidus, quam aquila, quæ portat fulmen, instat candido cycno, et circum tegit illum trementem ingenti umbra. Tunc primus: O rex æquissime Thebani populi, clara luce certamus, tandemque monstramus gladios? An juvat præstolari noctem et assuetas umbras? Ille Eteocles nihil ad hæc respondit, sed sonora hasta in hostem fertur, reportans ducis responsa, quam solers heros detorquet, jamjam repulsam in fine jactus; et ipse promte emittit ingens jaculum, et quanto non antea brachio: dira lancea ibat confectura atrox bellum. Amica utrique parti Tyria ac Pelasga numina illo tulerunt visus, sed immitis Erinnys prohibet, et reservat Eteoclem scelesto germano. Mucro erravit in Phlegyam armigerum; ubi acre certamen virorum gestum est: nam ferocior Ætolus irrumpit nudo gladio,

Dan. Petav. et edd. vett. *contentum* Put. et Behott. 1. 2. Vide Not. Var.—676 *Occurrit* unus Behot.—679 *Imus ad arma* in quibusdam codd. sed vide Nic. Heinsium ad Ovid. Heroid. Epist. III. 136.—680 *A noctem* optimus et alter Barthii.—685 Dan. Put. Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et edd. vett. *finem impositura duello;* Behott. 1. 2. Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph.—689 *Cuspis in armiferum* unus Behot. *ibi ingens* Lang. Laur. Buslid.

NOTÆ

gore] Id est, regio diademate.

676 *Flammiger ales*] Aquila, quæ fulmen gerit.

678 *Aoniæ*] Thebanæ. *Rex o justissime*] Ironice.

679 *Imus in arma palam*] Tangit occulte, quod illi insidiatus sit. Ovidius Am. I. El. 9. ‘Hector ab Andromaches complexibus ibat in arma.’

680 *An noctem*] Exprobrat illi insidias.

688 *Et infando differt Eteoclea fratri*] Quod tandem perfecit, ut videbimus Theb. XII. Fratres enim mutuis se vulneribus conciderunt.

Ætolus, retroque datum Thebana tegebant
Arma ducem: sic densa lupum jam nocte sub atra
Arcet ab apprenso pastorum turba juvenco:
Improbus erigitur contra, nec cura vetantes
Impetere, illum, illum, semel in quem venerat, urget.
Non secus objectas acies, turbamque minorem
Dissimulat, transitque manu: tamen ora Thoantis
Pectora Deilochi, Clonii latus, ilia torvi
Perforat Hippotadæ: truncis sua membra remittit
Interdum, galeasque rotat per nubila plenas.
Et jam corporibus sese, spoliisque cadentum
Clauserat: unum acies circum consumitur, unum
Omnia tela vovent: summis hæc ossibus hærent,
Pars frustrata cadunt, partem Tritonia vellit,
Multa rigent clypeo: densis jam consitus hastis

sed clypei Thebani tutabantur regem retrocedentem. Sic conferta pastorum cohors repellit jam sub obscuram noctem lupum a capto juvenco: atrox ille assurgit contra, nec curat aggredi prohibentes: premit illum, solum in quem primo irruerat. Non aliter Tydeus fingit se non videre opposita agmina, et manu transmittit plebem viliorem. Transfixit tamen vultum Thoantis, pectus Deilochi, latus Clonii, et lumbos trucis Hippotadæ. Reddit truncis suos artus interdum, et torquet in aërem cassides plenas capitibus. Et jam sese cinxerat cadaveribus exuviisque morientium. Exercitus Thebanus occupatur circa unum: omnes sagittæ in unum emittuntur. Hæ infiguntur supremis ossibus, pars irrita labitur, Tritonia extrahit partem, multæ horrent in scuto. Clypeus jam confixus spissis hastis movet ferream sylvam. Pel-

Lipsian. Dan. Put. Petav. Barthiani, et Venett.—691 Multi codd. et edd. vett. *regebant;* Behott. 1. 2. Lang. Laur. Buslid. et Lipsian. *tegebant.*—693 *Arcet ab oppresso* Behot. 1. Dan. Put. Petav. Lang. Laur. et Buslid. *Arcet ab apprẽso,* vel *apprenso* Lipsian. Behot. 2. Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *Arcet ab imprenso* optimus Barthii; *Arcet ab impresso* alter ejusdem. —698 *Cthonii* Put. *Cronii* unus Behot. *Chonii* nonnulli Barth.—699 *Hippodatæ* Put. *sua membra cruentat* nonnulli Barthiani.—703 *Omnia tela movent* Behot. 2. sed correctum *vovent;* Dan. Put. Petav. habent etiam *movent.*—704 'Omnino scribendum cum duobus melioribus codd. *Tritonia pellit.*' Barth.—705 Put. *constitit hastis.*—708 *Gloria quippe apicem* Lang. Laur.

NOTÆ

698 *Clonii*] Alii legunt *Chthonii.*

699 *Truncis sua membra*] Id est, sua capita.

700 *Galeasque rotat*] Abscissis scilicet capitibus. *Plenas*] Capitibus eorum, quibus amputaverat.

702 *Unum acies circum consumitur*] Sic Theb. III. 'Heu segnes quorum labor hæret in uno.'

703 *Summis hæc ossibus hærent, &c.*] Omnia adulterina hæc Guyeto, quare τὸ *vovent* præcedens cum τῷ *densis* connectendum putat.

704 *Tritonia*] Pallas.

Ferratum quatit umbo nemus, tergoque fatiscit
Atque humeris gentilis aper: nusquam ardua coni
Gloria, quique apicem torvæ Gradivus habebat
Cassidis, haud lætum domino ruit omen: inusta
Temporibus nuda æra sedent, circumque sonori
Vertice percusso volvuntur in arma molares.
Jam cruor in galea, jam saucia proluit ater
Pectora permixtus sudore, et sanguine torrens.
Respicit hortantes socios, et Pallada fidam,
Longius opposita celantem lumina parma:

lis apri Calydonii perforatur in tergo, et in humeris. Nusquam celsum ornamentum coni apparet, et Martis simulacrum, quod occupabat fastigium terribilis galeæ, cadit, infaustum domino præsagium. Æra galeæ, dejecto ornamento, hærent compressa temporibus eaque perurunt, et saxa circum stridentia rotantur, capite verberato, in clypeum. Jam sanguis in casside fluit. Jam niger rivus permixtus sudore et cruore rigat vulneratum pectus. Cernit hortantes comites, et faventem Minervam tegentem oculos suos, procul objecta ægide, nam vadebat, ut moveret fle-

Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. et Gevart. *quique apicem* Venett. Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph. probante Barthio. Ita Nic. Heinsius in Advers. lib. II. cap. 9. et conjectabat Andreas Schottus Obss. lib. II. cap. 45. Idem Heinsius l. l. pro *torvæ* legendum putat *Ætolæ.*—709 Dan. Put. Petav. *inulta.*—712 'Minime conturbanda videtur hæc scriptura, quæ clara sit, et nullibi hæreat. At prodenda tamen simul optimi libri longe alia: *Jam cruor in galeam scandit, jam proluit ater Pectora.*' Barth.—714 Unus Behot. *et pallida.*—718 In eodem

NOTÆ

706 *Ferratum quatit umbo nemus*] Umbonem sumi pro clypeo diximus ad Theb. I. 377. *Ferratum* vero *nemus* vocat ob multitudinem hastarum Tydei clypeo infixarum. *Tergoque fatiscit*] Et hoc suspectum Guyeto a τῷ *tergo* usque ad τὸ *circum* vs. 710.

707 *Gentilis aper*] Vide Theb. I. ubi Tydeus describitur indutus pelle apri Calydonii: 'Terribiles contra setis, ac dente recurvo Tydea per latos humeros ambire laborant Exuviæ Calydonis honos.' *Gentilis*] De ea gente, unde erat Tydeus, id est, Calydonius. Et hic 'aprum' pro pelle apri ponit, ut Papinio frequens est.

708 *Quique apicem torvæ Gradivus habebat Cassidis*] Supra Theb. IV. 'Patrius stat casside Mavors.'

709 *Haud lætum domino ruit omen*] Quasi destitutus fuisset Martis patrocinio. *Inusta Temporibus nuda æra sedent*] Virgilius: 'Et galeæ fragmenta cavæ compressa perurunt Tempora.'

714 *Respicit hortantes socios*] Nihil in auxilium suum agentes, præter exhortationum verba; nam Dii bellici eum relinquebant. *Fidam*] Ut in conflictu cum quinquaginta, et deinceps hac pugna. *Vet. Schol.*

715 *Celantem lumina parma*] Ne Tydeum morientem videret.

Ibat enim magnum lacrymis inflectere patrem.
Ecce secat Zephyros ingentem fraxinus iram
Fortunamque ferens: teli non eminet auctor.
Astacides Menalippus erat; nec prodidit ipse,
Et vellet latuisse manum: sed gaudia turmæ
Monstrabant trepidum: nam flexus in ilia Tydeus
Summissum latus, et clypei laxaverat orbem.
Clamorem Aonii miscent gemitumque Pelasgi,
Objectantque manus, indignantemque tuentur.
Ille per oppositos, longe rimatus, amarum,
Astaciden, totis animæ se cogit in ictum
Reliquiis, telumque jacit, quod proximus Hopleus
Præbuerat: perit expressus conamine sanguis.
Tunc tristes socii cupidum bellare, (quis ardor!)
Et poscentem hastas, mediaque in morte negantem

tibus ingentem genitorem. Ecce hasta fraxinea portans immanem furorem, eventumque, scindit ventos. Jaculator teli non apparet. Erat Menalippus Astaci filius, nec detexit se, velletque manum incognitam fuisse, sed lætitia agminis prodebat pavidum. Nam Tydeus curvatus in ilia aperuerat inclinatum latus sublato clypeo. Thebani edunt clamorem, et Pelasgi planctum, et copias opponunt, et defendunt invitum. Ille multum scrutatus inter objectos invisum Astaci filium, colligit totas reliquias virium ad inferendum ictum, et vibrat jaculum, quod propior Hopleus ei dederat: totus ejus cruor effluit hoc nisu. Tunc mæsti comites abducunt avidum certandi (quis fervor!) et petentem jacula, et recusantem efflare animam in medio

codice: *non imminet actor.*—723 *Aonii tollunt* Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. et Gevart. *Aonii miscent* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Behott. 1. 2. Petrens. Exc. Cantab. Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph.—727 *Hopplus* unus Barthii codex; *Oppheus* optimus ejusdem.—730 *Et poscentem hastam* unus Behot. *in morte jacentem* Dan.—733

NOTÆ

716 *Inflectere*] Erga Tydeum.

717 *Ingentem iram*] Vulneratus enim Tydeus tanto exarsit furore, ut caput percussoris petierit ad illud devorandum.

719 *Menalippus*] Observandum est, Tydeum, qui fratrem Menalippum occiderat, ab alio Menalippo occisum fuisse.

722 *Et clypei laxaverat orbem*] *Il s'etoit ouvert en se tournant.* Guyetus. Id est, sublato clypeo dum flexus esset in ilia, latus aperuerat. Laxatur clypeus, cum pectori aut lateri non satis appressus locum vulneri aperit. *Peyraredus.*

723 *Clamorem, &c.*] Hic versus et sequens spurii videntur.

725 *Amarum*] Ab effectu, quia ille letale vulnus intulerat.

Expirare, trahunt, summique in margine campi
Effultum gemina latera inclinantia parma
Ponunt, ac sævi rediturum ad prælia Martis
Promittunt flentes: sed et ipse recedere cœlum,
Ingentesque animos extremo frigore labi
Sensit, et innixus terræ, Miserescite, clamat,
Inachidæ: non ossa precor referantur ut Argos,
Ætolumve larem: nec enim mihi cura supremi
Funeris: odi artus, fragilemque hunc corporis usum
Desertorem animi: caput, o caput, o mihi si quis
Apportet, Menalippe, tuum! nam volveris arvis:
Fido equidem; nec me virtus suprema fefellit.
I, precor, Atrei si quid tibi sanguinis unquam,
Hippomedon: vade, o primis puer inclyte bellis
Arcas, et Argolicæ Capaneu jam maxime turmæ.
Moti omnes: sed primus abit, primusque repertum
Astaciden medio Capaneus e pulvere tollit

leto, ac collocant in summa ora agri, effultis lateribus duplici scuto, et plorantes spem dant hunc reversurum ad certamina crudelis belli. Sed et ipse sentit lucem recedere, et ultimo frigore magnanimum cor deficere, et humi innixus vociferatur, Argivi, miserimini. Non oro, ut ossa reportentur Argos, et in patriam: neque enim mihi cupido est ultimarum exequiarum. Aversor membra, et fluxum obsequium hujusce corporis, quod prodidit animum. O! si quis, Menalippe, afferat mihi caput tuum. Nam jaces in campo, credo sane; nec me ultima fortitudo decepit. Vade oro, Hippomedon, si quid unquam in te est sanguinis Atrei. I puer Arcas spectate primis belli rudimentis, et tu Capaneu jam princeps Argivorum ducum. Cuncti sunt flexi: sed Capaneus primus currit, et primus rapit e medio pulvere inven-

Laug. Laur. Buslid. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *ad præmia;* Dan. Put. Petav. Lipsian. Lindenbrog. Cruc. et recentt. *ad prælia;* Behott. 1. 2. *in prælia.*—734 Put. *sed et ipsum.*—737 Unus Behot. *referantur ad Argos.*—738 *Ætolumque larem* Behott. 1. 2. *cura suprema* Behott. 1. 2. et Lipsian.—742 Put. *suprema repellit.*—743 *I precor Archadii* Lipsian. *Arcadii* Dan. Put. Petav. Venett. *Argivi* Behot. 1. *Atrei* Lang. Laur. Buslid. et Behot. 2. *Astrei* Behot. 2. pro v. l.—747 *Capaneus ex pulvere* unus Behot.—749 *Terga*

NOTÆ

732 *Gemina latera inclinantia parma*] Vide supra vs. 640.

734 *Recedere cœlum*] Oculis scilicet jam deficientibus: nam ea recedere credimus, quæ non bene cernimus.

742 *Nec me virtus suprema fefellit*] Scio enim me certa in Menalippum tela torsisse.

743 *Atrei*] Hippomedon enim genus referebat ad Atreum Pelopidasve.

745 *Arcas*] Parthenopæus. *Jam maxime turmæ*] Me scilicet extincto.

Spirantem, lævaque super cervice reportat,
Terga cruentantem concussi vulneris unda.
Qualis ab Arcadio rediit Tirynthius antro,
Captivumque suem clamantibus intulit Argis.
Erigitur Tydeus, vultuque occurrit, et amens
Lætitiaque, iraque, ut singultantia vidit
Ora, trahique oculos, seseque agnovit in illo:
Imperat abscisum porgi, lævaque receptum
Spectat atrox hostile caput, gliscitque tepentis
Lumina torva videns, et adhuc dubitantia figi.
Infelix contentus erat: plus exigit ultrix
Tisiphone: jamque inflexo Tritonia patre
Venerat, et misero decus immortale ferebat,

tum Astaci filium palpitantem, et refert illum supra humerum sinistrum, fœdantem ipsius dorsum rivo sanguinis exeuntis e mota plaga. Sic Tirynthius reversus fuit ex specu Arcadio, et portavit suem captum plaudentibus Argivis. Levat caput Tydeus, et vultu it obviam, et excors gaudio et furore, ut cernit ora suspirantia, et convelli illius oculos, et se in illo agnovit; jubet amputatum caput inimici sibi dari, et furens cernit illud receptum sinistra manu, gaudetque, intuens adhuc calentis torvos et adhuc errantes oculos. Infortunatus erat contentus. Plus vindex Tisiphone exposcit. Et jam Tritonia redierat moto patre, et apportabat infelici honores immortalitatis. Et videt illum conspersum sanie elisi

cruentatum Aldd. Colin. Gryph. et Basil. Bernartius correxit ex codd. suis.—751 Citat hunc versum Sulpitius Severus; in cujus tamen libris veteribus et editis constanter legitur: *mirantibus intulit Argis.* Claverius ad Claudian. legit: *Grandævumque suem;* qui notis ad Martial. Spectacul. Epigr. XXIII. *τὸ mirantibus* sibi etiam in scriptis libris repertum dicit.—755 *Imperat abscissum* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. et edd. vett.—759 *Tesiphone* Behott. 1. 2. *namque inflexo* Aldd. Colin. Gryph. et Basil. *iamque*

NOTÆ

749 *Terga cruentantem*] Capanei scilicet. *Vulneris unda*] Copioso fluxu. Virgil. Æn. IX. 'Reddit specus atri vulneris undam, Spumantem.'

750 *Qualis, &c.*] Alludit ad fabulam, qua dicitur Hercules vivum cepisse aprum Erymanthium, et Argos ad Eurystheum detulisse. Aper autem ille lustrum habebat in antro quodam Erymanthi Arcadiæ montis, unde 'Arcadio.'

754 *Trahique oculos*] Id est, convelli, ut fit in morte.

755 *Porgi*] Pro porrigi. Noster Glaucia Atedii 'porxit flores.' Cicero in Aratæis 'dextram porgens.' Virgilius Æn. VIII. 'Pocula porgite dextris.' Aliique Poëtæ. Sic et 'surpuit' apud Horatium. Plenus horum Catullus.

757 *Dubitantia figi*] Nondum fixos, adhuc errantes oculos.

759 *Jamque inflexo Tritonia patre Venerat, et misero decus immortale ferebat*] Refert Apollodorus Minervam immortalitatis donum a patre pro

Atque illum effracti perfusum tabe cerebri
Aspicit, et vivo scelerantem sanguine fauces.
Nec comites auferre valent: stetit aspera Gorgo
Crinibus emissis, rectique ante ora cerastæ
Velavere Deam: fugit aversata jacentem,
Nec prius astra subit, quam mystica lampas, et insons
Ilissos multa purgavit lumina lympha.

cerebri, et profanantem os suum viventis cruore (nec socii possunt avellere) fera Gorgon stetit erectis capillis, sublatæque serpentes ante vultum, numen texerunt. Recessit aversata morientem, nec prius ingressa est cœlum, quam lustralis tæda, et purus Ilissos expiasset copiosa aqua oculos suos.

inflexo correxit Bernartius ex codd.—763 *Gorgon* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Behott. 1. 2. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. et Gevart. *Gorgo* Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph.—767 *Elysis muloa* Dan. Put. Petav. Lindenbrog. et Cruc. *Elisos multa* Behot. 1. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *Elisos et multa* Behot. 2. *Ilissos multa* Gronov. Barth. Veen. et Delph. et defendit Gronovius in Obss. lib. iv. cap. 9.

NOTÆ

Tydeo obtinuisse, sed ut hunc caput Menalippi mandentem vidit, indignatam recessisse, nec ei beneficium hoc contulisse.

763 *Stetit aspera Gorgo*] Caput Medusæ, quod in medio thorace gestabat.

764 *Cerastæ*] Cerastes serpentis genus. Ceterum nihil notius, Medusam loco crinium serpentes in capite habuisse.

766 *Mystica lampas*] Hæc est, lustralis tæda, Græcis *δᾷς ἁγνὴ, ἡ ἁγνίζουσα*. Purgabantur enim veteres, si quo piaculo polluti erat, igne, sulfure, et aqua. Ovidius: 'Terque senem flamma, ter aqua, ter sulfure purgat.' Ulysses apud Homerum Od. xxi. post cædem procorum, lustrari ædes jubet sulfure et igne: *Οἶσε θέειον, γρηῦ, κακῶν ἄκος, οἶσε δέ μοι πῦρ, Ὄφρα θεειώσω μέγαρον. Affer, anus, mihi sulfur remedium malorum, affer mihi et ignem, ut sulfure lustrem domum.* Clemens Alexandrinus lib. vii. Stromatum inter *καθάρμους ἀκαθάρτους* impura piacula numerat *ἔρια πυῤῥὰ καὶ δᾷδας*, et citat Satyricos versus Diphili de expiatione filiarum Prœti: *Προιτίδας ἁγνίζων κούρας καὶ τὸν πατέρ' αὐτῶν Προῖτον Ἀβαντιάδην, καὶ γραῦν πέμπτην ἐπὶ τοῖσδε, Δᾳδὶ μίᾳ, σκίλλῃ τε μίᾳ, πόσα σώματα φωτῶν, Θείῳ τ' ἀσφάλτῳ τε, πολυφλοίσβοιο θαλάσσης Ἐξ ἀκαλαῤῥείταο βαθυῤῥόου Ὠκεανοῖο. Prætidas expurgantem, et earum Parentem Prœtum Abantiadem, et anum quintam super illis, tæda una, scilla una, quot corpora hominum, sulfureve ac bitumine, et unda frementis et profundi Oceani.*

767 *Ilissos*] Ilissos Atticæ fluvius. *Multa purgavit lumina lympha*] Visu enim solo contrahi labes putabatur; idcirco procinctam classem videre Flamini Diali non erat permissum, et qui funeri interfuerant aqua lustrabantur. Pollux lib. viii. Joseph. Antiq. iv. Virgilius Æn. vi.

P. PAPINII STATII

THEBAIDOS

LIBER IX.

ARGUMENTUM.

Tydei feritas, Argivis ipsis invisa, Thebanis summum horrorem incutit. Hanc occasionem arripit Eteocles suos animandi, ne iis parcerent, qui omnem humanitatem exuerant. Interim Polynices, Tydei cæde efferatus, sibi ensem supra corpus amici per medium pectus adigere vult, sed retinetur ab Adrasto, et longe summovetur. Thebani, verbis Eteoclis accensi, spoliis et corpore Tydei potiri enituntur. Hippomedon illa defendenda suscipit. Hic atrox pugna, et Thebani incepto desistere coacti fuissent, nisi Tisiphone, sumto noti Argivi vultu, accurrisset, Hippomedonti referens Adrastum a Thebanis captum opem illius implorare. Hæret Hippomedon, sed, urgente Tisiphone, Tydei corpus sociis defendendum committit, illamque sequitur. Cum vero falsi Argivi vestigiis diu insistendo, ad locum ubi erat Adrastus, pervenisset, se prodens Furia subito evanescit, et ille Adrastum liberum et incolumem videt. Interea Thebani corpus Tydei in suam potestatem redigunt, quod magnis clamoribus significant. Hinc ferocior Hippomedon cito regreditur, et obviam habens Tydei Armigerum, qui equum domini mœstus tenebat, in hunc insilit, et Thebanos acriter oppugnat. Hi fuga capta in Ismenum fluvium solito pleniorem se promiscue injiciunt. Saltu majore se præcipitans Hippomedon, hos per medias undas attonitos urget, et magnam hostium cædem facit. Equo graviter vulnerato desilit, et pedes pugnam repetit, medium flumen humeris superans. Plurimos adhuc, et inter eos, Crenæum Fauno et Nympha Ismenide Ismeni fluvii filia genitum, in avitis aquis gloriantem interficit. Cum lamenta Ismenidos ob mortem filii ad Ismenum pervenissent, undas inflat, quibus summersus fuisset Hippomedon, nisi Jupiter flexus Junonis precibus, quæ eum, ne tantus Heros, sibique carus hoc genere mortis periret, fuerat deprecata, oculos in amnem flexisset; quo statim ejus aquæ concidunt. Sed Hippomedon ad ripam accedens, ibi Thebanorum telis sagittisque confoditur. Hypseus mortuo galeam et ensem detrahit. Capaneus Hypseum hasta perimit, potitusque ejus et ipsius Hippomedontis exuviis, utrasque supra

corpus Hippomedontis injicit, et his, velut sepulcro, membra ejus operit. Atalanta somniis, quæ nihil boni Parthenopæo filio portendebant, turbata, opem Dianæ, quam religiosissime semper coluerat, invocat. Dea in ejus auxilium profecta, offendit Apollinem, qui ei perspicuis verbis declarat, finem vitæ Parthenopæi adesse, ac fata mutari non posse. Pergit tamen Diana iter quo cœperat, et in pugnæ locum nube tecta pervenit, ut, si Parthenopæum imminenti exitio non posset eripere, mortem saltem ejus præclaris factis condecoraret. Sagittis igitur ex illius pharetra exemtis, divinas substituit, ipsumque ac equum Ambrosio liquore perfundit. Parthenopæus numinis patrocinio ingentia edit facinora, magnamque hostium stragem facit. Hoc e cœlo Venus intuens, Martem increpat, quod Dianam belli munera obire ac in ipsorum stirpem tamdiu sævire sineret. Mars his objurgationibus motus in campum Thebanum desilit, et fugata Diana, Dryantem in Parthenopæum excitat. Dryas uno alteroque telo Parthenopæum letaliter vulnerat, et ipse occiditur. Extractus acie Parthenopæus, et se mori sentiens, Dorceum ad matrem mittit, qui eam consoletur, eique dicat, se pœnas dare, quod ejus injussu arma cepisset, et suos capillos, quos secandos præbuit, illi ferat, ut his, pro corpore, exequias daret.

ASPERAT Aonios rabies audita cruenti
Tydeos: ipsi etiam minus ingemuere jacentem

Furor sanguinei Tydei vulgatus efferat Thebanos. Ipsi etiam Argivi minus do-

---

Hoc Argumentum legitur in Behott. 1. 2. uno Barth. Put. Venett. Rom. Lindenbrog. Cruc. et Barth.

Œnidæ interitu magni Dircæa juventus
Eminet: at Danai contra pro corpore amici
Arma ferunt: furit ante alios Cadmeius heros.
Hic ferus Hippomedon hostes prosternit: et instar
Exanimum rapiens socium: sed imagine falsa
Luditur. Aonii incumbunt, retrahuntque cadaver.
Tum Ismenon fluvium Thebano sanguine mutat
Fervidus Hippomedon: tumidoque in gurgite mersus
Crenæum obtruncat, moriens simul increpat amnem.
Moxque Dryas mortis stimulis rapit arma superbus,
Parthenopæum sternit jacentia tela Dianæ.
Ille cadens Dorceum alloquitur, matremque requirit.

Versu 1. codd. Behott. habent: *Œnide.* Vs. 2. Behot. 1. *et Danai.* Vs. 5. Behott. 1. 2. *exanimen.* Vs. 7. *Hismena tunc fluvium* codex Barthii; *Tunc Hismenon fluvium* unus Behot. Vs. 9. *Crenea* Behot. 1. *Creneam* in ceteris. *agmen* pro *amnem* exhibent Behott. 1. 2. Vs. 10. *Martis* pro mortis in iisdem codd. Vs. 11. *Parthenopea sternit* Behot. 1. *Partopea sternit* Behot. 2. *Parthenopæum sternit* in ceteris omnibus; sed *Parthenopæum* quasi tetrasyllabon posuit Auctor. Behott. 1. 2. *jacentem tela;* unus Barth. *jacientem tela.* Vs. 12. *Dorcum* codex Barth. *Dorcen* Behott. *Dorceum,* quod ceteri exhibent, dissyllabon legendum.

1 *Asperat Aonius* Put.—2 *Tydeus* in eodem codice.—5 *Præcipuum tum* unus

Inachidæ, culpantque virum, et rupisse queruntur
Fas odii: quin te, Divum implacidissime, quanquam
Præcipuum tunc cædis opus, Gradive, furebas,
Offensum virtute ferunt: nec cominus ipsum
Ora, sed et trepidos retro torsisse jugales.
Ergo profanatum Menalippi funus acerbo
Vulnere non aliis ultum Cadmeia pubes
Insurgunt stimulis, quam si turbata sepulcris
Ossa patrum, monstrisque datæ crudelibus urnæ.
Accendit rex ipse super: Quisquamne Pelasgis
Mitis adhuc, hominemque gerit? jam morsibus uncis
(Pro furor! usque adeo tela exsatiavimus?) artus

luerunt mortuum, et damnant virum, et accusant violasse jura inimicitiarum. Necnon etiam dicunt te, Gradive, Deorum sævissime, læsum fuisse ejus feritate, quamvis tunc furendo perageres majus opus necis, nec propius convertisse vultum ad illum, sed et retro flexisse festinos equos. Itaque juventus Thebana excitatur iisdem aculeis ad vindicandam Menalippi mortem consceleratum gravi plaga, ac si ossa majorum suorum fuissent turbata in tumulis, et urnæ eorum traditæ feris monstris. Præterea rex ipse Eteocles inflammat: Quisquamne ex Pelasgis adhuc mansuetus est, et gerit hominem? jam dilaniant membra dentibus aduncis: proh rabies! in

Behot. *Gradive ferebas* nonnulli Barthiani; *Gradive ferebat* Put.—9 *Cadmeia proles* codd. Lindenbrogii.—14 *Ha furor!* unus Behot. *exaturavimus* Dan.

NOTÆ

1 *Aonios*] Thebanos.

3 *Inachidæ*] Argivi.

4 *Fas odii*] Odia enim morte extingui debent. Euripides: 'Mors jurgiorum finis est mortalibus: Num majus aliud quid potest leto dari?' *Quanquam Præcipuum tunc cædis opus, Gradive, furebas*] Videtur Papinius hunc Homeri locum imitatus: Τὸ μὲν πλεῖον πολυάϊκος πολέμοιο Χεῖρες ἐμαὶ διέπουσι. *Majorem partem tumultuosi belli manus meæ gubernant.*

5 *Furebas*] Furendo peragebas.

6 *Virtute*] Hic 'virtutem' posuit pro feritate seu crudelitate, quam 'virtutem' isti milites putabant. Sic impietatem Capanei 'virtutem iniquam' vocat lib. XI. initio. Ita crudelitatem pro 'virtute' habuisse Cn. Pompeium scribit Cassius Epist. Fam. Ciceronis XV. 19. *Barthius.*

7 *Sed et trepidos, &c.*] Sicut sol aversatus cœnam Thyestæ, ita tanta immanitas fuit in flagitio Tydei, ut etiam sanguinarium numen nefas horruerit, nec videre voluerit.

10 *Turbata sepulcris Ossa patrum*] Apud veteres enim sepulcra majorum in summa veneratione erant; nihilque tam ægre ferebant, quam ea violari, ac vitam profundebant libenter ad ea defendenda.

11 *Urnæ*] Vasa in quibus cineres et ossa mortuorum recondebantur.

12 *Quisquamne Pelasgis*] Supple, ex Pelasgis: non enim dandi casu hic *Pelasgis* sumendum; alias Eteocles suis persuaderet id, quod in Pelasgis seu Argivis tam acriter reprehendit, nimirum hominem exuisse.

Dilacerant: nonne Hyrcanis bellare putatis
Tigribus? aut sævos Libyæ contraire leones?
Et nunc ille jacet (pulchra o solatia leti!)
Ore tenens hostile caput, dulcique nefandus
Immoritur tabo: nos ferrum mite, facesque:
Illis nuda odia, et feritas jam non eget armis.
Sic peragant rabidi, claraque hac luce fruantur,
Dum videas hæc, summe pater. Sed enim hiscere campos
Conquesti, terræque fugam miserantur: an istos

tantum tela exhausimus? Nonne creditis certare adversus Hyrcanas Tigres? aut ire contra crudeles Leones Africæ? et nunc Tydeus ille prosternitur habens in ore caput inimici: o gloriosum levamentum mortis! Et profanus expirat super gratam saniem. Nos habemus arma mansueta, tædasque. His sola odia sufficiunt, et jam eorum immanitati armis non opus est. Sic furiosi perseverent, et potiantur hoc claro lumine, modo, pater supreme, hæc aspicias. Quinetiam incusant agros hiare,

Put. Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Venett. Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. et Gevart. *exatiavimus* Behot. 2. *exsatiavimus* Behot. 1. et Petrens.—20 'Forte melius legatur: *cruda odia.* Sed citra virtutem meris illos odiis armatos autumat. Libri nihil mutant, et suspecta tamen sunt verba. Bernartius conjectura: *Illi nuda odia,* intricata magis etiam intricat. Potest ut hic versus absit, et scripserit Papinius: *pro ferrum mite facesque! Sic peragant rabidi, &c.*' Barth.—21 *Sic pergant rabidi* Put. et nonnulli Barthiani; *Sic peragunt rabidi* Behot. 1. *Sic peragant rapidi* Behot. 2. 'Omnino scribendum ut est in optimo codice: *clarique hac luce fruantur.*' Barth. *laude fruantur* Put.—23 Dan. Put. Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Taurin. Burm. Behott. 1. 2. Barthiani, Venett. Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog Cruc. Gevart. Grasser. et Amstel. *fugam mirantur;* Dan. Petrens. et Gronoviani, cum edd. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *fu-*

NOTÆ

15 *Hyrcanis Tigribus*] Tigris enim fera truculentissima ac crudelissima. *Hyrcanis*] Hyrcania regio Asiæ ad Mare Hyrcanum. 'Hyrcanæ tigres' autem, ut 'ursos Numidas' habes apud Juvenalem Sat. IV. Sic 'Pœnos leones' dixit Ovidius Trist. IV. El. 6. 'Ossæam ursam,' Met. XII. quomodo et Virgilius in Eclogis et in Ciri. 'Gætulos' Plautus Menæchmis, et Horatius I. Od. 23.

16 *Libyæ*] Libya Græcis, Africa Latinis, tertia pars veteris orbis.

17 *Pulchra o solatia leti*] Ironice. Lactantius legit *pulchri.*

19 *Nos ferrum mite*] Supple, habemus. *Facesque*] Hinc etiam usus tædarum in bello observandus.

20 *Nuda odia*] Quia dentibus loco telorum armorumque utuntur. Illis vero nuda odia sunt, id est, ut expleant odia sua ac rabiem, nudi et inermes ad bellum ultro veniunt. Est autem exaggeratio.

21 *Peragant*] Alia lectio *pergant.* *Luce*] Alias *laude.*

22 *Hiscere campos Conquesti*] Notat absorptum terræ hiatu Amphiaraum.

23 *Miserantur*] Id est, cum invidia fatorum, et ut misericordiam erga se concitent, deplorant.

Vel sua portet humus? Magno sic fatus agebat
Procursu fremituque viros: furor omnibus idem
Tydeos invisi spoliis, raptoque potiri
Corpore: non aliter subtexunt astra catervæ
Incestarum avium, longe quibus aura nocentem
Aëra, desertasque tulit sine funere mortes:
Illo avidæ cum voce ruunt, sonat arduus æther
Plausibus, et cœlo volucres cessere minores.
Fama per Aonium rapido vaga murmure campum
Spargitur in turmas, solito pernicior index
Cum lugenda refert; donec cui maxima fando
Damna vehit, trepidas lapsa est Polynicis ad aures.
Diriguit juvenis, lacrymæque hæsere paratæ,
Et cunctata fides: nimium nam cognita virtus
Œnidæ credi letum suadetque vetatque.
Sed postquam haud dubio clades auctore reperta est,
Nox oculos, mentemque rapit: tum sanguine fixo

et queruntur terram discedere. An vel propria tellus hos ferat? sic locutus multum currendo per ordines et frendendo impellebat Thebanos. Rabies eadem omnibus vindicandi in suam potestatem spolia et abductum cadaver odiosi Tydei. Non secus turbæ funestarum avium, quibus ventus procul portavit scelestum odorem cadaverum, quæ remanent insepulta, obscurant sidera: cito volant illo, inhiantes cum clamore; excelsus aër strepit alarum clangoribus, et parvæ aves demigrarunt cœlo. Errabunda fama spargitur præcipiti susurro per campum Thebanum, nuntia velocior solito, cum deflenda portat; donec incidit in aures attonitas Polynicis, cui loquendo affert maximam cladem. Juvenis obtorpuit, et fletus jam prope fundendi sistuntur, et hæret quid credat: nam nimium comperta fortitudo filii Œnei hortatur fidem adhibere neci ejus, prohibetque. Sed postquam exitium ei cognitum est certo indice, tenebræ invadunt animum ejus et oculos: tum concreto sanguine, una

gam miserantur; Exc. Cantab. *fugam mirantur,* sed ab alia manu correctum.—32 *Fama per Inachiam* membranæ Barthii; 'quod si placet,' inquit ille, 'campus exercitum notat.' *Aonium rabido* Dan.—36 *Deriguit* unus Behot.—39 'Male hic, ut supra (Theb. VIII. 718.) in eadem voce, libri manuscripti *actore.*' Barth.—40 Behott. 1. 2. *tunc sanguine fixo.*—41 Margo ed. Barth. ex codd.

NOTÆ

28 *Incestarum avium*] Incestæ aves, quæ corpora mortuorum devorant.

29 *Sine funere*] Sine officio mortis seu sepultura.

31 *Plausibus*] Alarum supple.

38 *Credi letum suadetque*] Vel quia nimia virtus semper reddit incautos, aut quia interdum consilio careat. *Vetatque*] Incredibile enim videbatur tam fortissimum virum perire potuisse.

Membra simul, simul arma ruunt: madet ardua fletu
Jam galea, atque ocreæ clypeum excepere cadentem.
It mœstus genua ægra trahens, hastamque sequentem,
Vulneribus ceu mille gravis, totosque per artus
Saucius: assistunt socii, monstrantque gementes.
Tandem ille abjectis, vix quæ portaverat, armis,
Nudus in egregii vacuum jam corpus amici
Procidit, et tali lacrymas cum voce profudit:
Hasne tibi, armorum spes o suprema meorum,
Œnide, grates? hæc præmia digna rependi?
Nudus ut invisa Cadmi tellure jaceres
Sospite me? nunc exul ego æternumque fugatus,
Quando alius misero, ac melior mihi frater ademtus.
Nec jam sortitus veteres, regnique nocentis
Perjurum diadema peto: quo gaudia tanti

artus et una arma cadunt: jam celsa cassis rigatur lacrymis, atque ocreæ excepe-runt labens illius scutum. Vadit tristis ægre trahens genua, et hastam pendentem, ut si oneratus fuisset mille plagis, et vulneratus in totis membris. Comites astant, et dolentes ostendunt Tydeum. Tandem ille Polynices armis projectis, quæ vix tulerat, corruit inermis in corpus jam mortuum eximii amici, et projecit fletus cum his verbis: Hasne tibi retuli gratias, fili Œnei, o spes summa armorum meorum? et hanc debitam mercedem, ut nudus prosternereris in tellure odiosa Cadmi, me in-columi? Nunc ego extorris sum, et in æternum pulsus, cum alter et potior ger-manus ablatus est mihi infelici. Nec jam postulo antiqua pacta, nec infidelem co-ronam scelesti imperii. Quo lætitia tanti comparata mihi? aut sceptrum, quod

Membra solo. Dan. *madet aurea fletu.*—44 *Vulneribus seu* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Behott. 1. 2. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. Gevart. et Grasser. *Vulneribus ceu* optimi codd. Barth. Petrens. Exc. Cantab. Venett. Rom. Aldd. Colin. Gryph. Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph. —45 Optimæ aliæque Barthii membranæ, Dan. Put. et Petav. *absistunt;* Petrens. Exc. Cantab. Taurin. Burm. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Behott. 1. 2. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. Gevart. et recentt. *assistunt.*—48 Optimus aliique codd. Barthiani, *profundit.*—50 'Melius quod in aliquot libris offendo, *rependo.*' Barth. Ita habet etiam unus Behot.—53 Heinsius in Advers. lib. III. cap. 17. p. 550. legit, *et melior.*—60 Lang. Laur.

NOTÆ

43 *Hastamque sequentem*] Quia præ dolore vix illam sustinebat.

51 *Nudus ut invisa, &c.*] Virgilius Æneid. I. 'Nudus et ignota, Palinure, jacebis arena.' *Cadmi tellure*] Bœotia.

54 *Sortitus veteres*] Polynices enim et Eteocles sortiti erant, quis prior regnaret.

55 *Perjurum diadema*] Quia ejus injusta retentio perjurum fecit Eteoclem. *Quo gaudia tanti Emta mihi*] Elegans locutio, et frequens Poëtis. Martialis lib. IX. 'Quo tibi nato-

Emta mihi? aut sceptrum, quod non tua dextera tradet?
Ite, viri, solumque fero me linquite fratri.
Nil opus arma ultra tentare, et perdere mortes:
Ite, precor: quid jam dabitis mihi denique majus?
Tydea consumsi: quanam hoc ego morte piabo?
O socer, o Argi! et primæ bona jurgia noctis,
Alternæque manus, et longi pignus amoris
Ira brevis: non me ense tuo tunc, maxime Tydeu,
(Et poteras) nostri mactatum in limine Adrasti?
Quin etiam Thebas me propter, et impia fratris
Tecta libens, unde haud alius remeasset, adisti:
Ceu tibimet sceptra et proprios laturus honores.
Jam Telamona pium, jam Thesea fama tacebat.

manus tua non dabit? Recedite, socii, et solum deserite me atroci fratri. Non amplius necesse est, experiri bellum, et amittere milites: recedite oro; quid jam mihi tandem majus præbebitis? Perdidi Tydea, quonam ego leto hoc expiabo? O socer, o Argi, o grata rixa primæ noctis, et manus, quas nobis invicem injecimus, et brevis furor, pignus longæ amicitiæ. Cur me tunc non obtruncasti gladio tuo, Tydeu maxime, in foribus nostri Adrasti? et poteras. Quinetiam libens petiisti pro me Thebas, et regiam profanam fratris, unde alter non rediisset, ceu reportaturus tibi regnum, et proprios honores. Jam fama silebat pium Telamona, jam

Buslid. Dan. Put. Petav. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. et Cruc. *hunc ego;* Petrens. Exc. Cantab. Behott. 1. 2. Lipsian. Venett. Gevart. Grasser. Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *hoc ego.* 'Ineptiunt libri in quibus scriptum est *hoc ego.*' Barth.—61 *O socer, oque Argi* optimus Barthianus.—63 Unus Behot. *ne me ense tuo tunc;* optimus Barthianus: *cur me ense tuo non.*—64 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. Gevart. Grasser. et Amstel. *mactasti;* Behott. 1. 2. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *mactatum.* Vide Not. Var.—65 Optimus Barthianus: *propter me atque impia.*—66 Unus Behot.

NOTÆ

rum jura superba trium?' Ovidius Amorum lib. II. El. 19. 'Quo mihi fortunam, quæ nunquam fallere curet?' Horatius I. Ep. 5. 'Quo mihi fortunam, si non conceditur uti?'

58 *Et perdere mortes*] Nihil utilitatis recipere ex tot occisis ducibus.

61 *Et primæ bona jurgia noctis*] Innuit rixam, quæ inter utrumque Tydeum et Polynicem orta est ad fores Adrasti. Vide Theb. I.

62 *Et longi pignus amoris Ira brevis*] Nam ex hoc principio mira et constantissima inter Tydeum et Polynicem conflata amicitia.

65 *Thebas me propter*] Innuit legationem Tydei, cum missus est Thebas repetitum regnum Polynici. Vide Theb. II.

68 *Telamona pium*] Quem amasse ferunt Herculem, et vicissim redamatum ab Hercule. *Thesea*] Amicitia Thesei et Pirithoi omnibus notissima. *Tacebat*] Alii codices *tace-*

Qualis et ecce jaces? quæ primum vulnera mirer?
Quis tuus hic, quis ab hoste cruor? quæ te agmina, quive
Innumeri stravere globi? ni fallor, et ipse
Invidit pater, et tota Mars impulit hasta.
Sic ait, et mœrens etiamnum lubrica tabo
Ora viri tergit lacrymis, dextramque reponit.
Tune meos hostes hucusque exosus? et ultra
Sospes ego? exuerat vagina turbidus ensem,
Aptabatque neci: comites tenuere, socerque
Castigat, bellique vices ac fata revolvens
Solatur tumidum, longeque a corpore caro
Paulatim, unde dolor, letique animosa voluntas,
Amovet, ac tacite ferrum inter verba reponit.
Ducitur, amisso qualis consorte laborum
Deserit inceptum media inter jugera sulcum
Taurus iners, colloque jugum deforme remisso

Theseum. In quo statu ecce sterneris? quas primum stupeam plagas? quis tuus hic, quis sanguis adversarii? quæ te acies? qui te innumeri manipuli fudere? nisi fallor, et ipse Mars livore flagravit, et te feriit tota hasta. Sic, inquit, et dolens etiamnum abluit fletibus vultum herois squalidum sanie, et dextram in suo loco reponit. Tune huc usque aversatus meos hostes? et ego adhuc superstes? Amens eduxerat gladium vagina, et aptabat in suam cædem: socii retinuerunt eum, et socer culpat, et memorans vicissitudines belli et fata, placat furentem, et paulatim abducit procul ab amici cadavere; unde luctus et obstinata cupido moriendi veniebat, ac inter loquendum clam recondit ensem ejus. Ducitur, ut taurus inutilis, qui extincto operum socio, relinquit inchoatum sulcum inter media arva, et trahit

alius rediisset.—69 *Qualis! at, ecce, jaces* optimæ Barthii membranæ.—74 Behott. 1. 2. *terget lacrymis dextruque reponit.*—80 'Longe elegantius quod optimæ aliæque membranæ habent, *voluptas.*' Barth.—83 Dan. *inter jugera*

NOTÆ

bit. Utrumque optimo sensu.

72 *Invidit pater, et tota Mars impulit hasta*] Tantam vult fuisse fortitudinem amici, totque res præclaras gessisse, 'ut Mars ipse præ invidia illum perdiderit.'

73 *Lubrica tabo*] Sanie et tabo Menalippi fœdata.

74 *Dextramque reponit*] Admoverat enim Tydeus manum ori suo cum capite Menalippi; Polynices igitur in decentiori loco, seu statu, reponit. Mos enim erat mortuorum membra decentiori quam fieri poterat modo componere. Quidam vero codices habent *dextra*, id est, reponit caput ejus dextra, tanquam cervicali.

75 *Hostes hucusque exosus*] Ut eos dentibus laceràres, cum hi soli tibi restarent, quibus eos lædere posses. *Et ultra Sospes ego*] Tibi superstes sum, cum exprobratione, ut Virgil. 'Morte tua vivo.'

Parte trahit, partem lacrymans sustentat arator.
Ecce autem hortatus Eteoclis, et arma secuti,
Lecta manus, juvenes, quos nec Tritonia bello,
Nec prope collata sprevisset cuspide Mavors,
Adventant: contra collecta ut pectora parmæ
Fixerat, atque hastam longe protenderat, hæret
Arduus Hippomedon: ceu fluctibus obvia rupes,
Cui neque de cœlo metus, et fracta æquora cedunt,
Stat cunctis immota minis: timet ipse rigentem
Pontus, et ex alto miseræ novere carinæ.
Tunc prior Aonides: (validam simul elicit hastam:)
Non pudet hos Manes, hæc infamantia bellum
Funera, Dis coram, et cœlo inspectante tueri?
Scilicet egregius sudor memorandaque Virtus
Hanc tumulare feram! ne non mœrentibus Argos

laxa cervice parte inhonorum jugum, partem flens agricola levat. Ecce autem lecta cohors secuta hortatus et exemplum Eteoclis, juvenes, quos nec Tritonia in pugna, nec ipse Mars, admotis prope ensibus contemsisset, accurrunt. Contra stat procerus Hippomedon, scuto pectori stricte applicato, et longe hastam proferens. Ut scopulus objectus undis, qui nihil timet a cœlo, et cui cedunt elisa æquora, stat immobilis omnibus minis: mare metuit duritiem ejus et e longinquo naves infelices illum noscunt. Tunc prior Eteocles Thebanus: (unaque depromsit fortem hastam:) nonne erubescitis defendere in conspectu Deorum et cœlo cernente has umbras, et hoc cadaver bellum dedecorans? Eximius nempe labor, et celebranda fortitudo inhumare hanc bestiam! ne non deplorandus redeat Argos ejulanti funere! et evomens nefa-

campum.—88 *Nec prope collecta* unus Behot.—89 In quibusdam codd. Barth. scriptum est: *collata ut pectora.* Pro *parmæ* unus Behot. habet *parma.*—90 *Texerat atque hastam* duo codd. Barthiani: res eodem redit.—95 'Multi libri hanc scripturam habent: *simul elicit:* vera tamen potius videtur, quam refert optimus codex: *simul ejicit.*' Barth. Ita etiam conj. Bernartius.—96 Behott. 1. 2. duo Lindenbrogiani, nonnulli Barth. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Lindenbrog. Cruc. et Gevart. *hoc infamantia;* unus Lindenbrogianus, optimæ Barthii membranæ, Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Petrens. Exc. Cantab. Taurin. Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *hæc infamantia.*—99 Lang.

NOTÆ

87 *Tritonia*] Pallas.

89 *Collecta ut pectora*] Sub scuto servata. *Parmæ*] An *parma?*

90 *Fixerat*] An *Texerat?* utrumque placet.

94 *Misere novere carinæ*] Sonitu illisorum fluctuum.

95 *Aonides*] Id est, Bœotus seu Eteocles. *Elicit*] An capit? trahit? sive sumit trahendo. Lactantius enim sic exponit: 'Simul et verba profert et ictus præparat Eteocles.'

96 *Infamantia bellum*] Quia Tydeus justas ultra iras sævierat, hominemque exuerat.

99 *Feram*] Non hominem.

Exequiis lacrymandus eat! mollique feretro
Infandam ejectans saniem? dimittite curam.
Nullæ illum volucres, nulla impia monstra, nec ipse,
Si demus, pius ignis edat. Nec plura: sed ingens
Intorquet jaculum, duro quod in ære moratum,
Transmissumque tamen clypei stetit orbe secundo.
Inde Pheres, acerque Lycus: sed cassa Pheretis
Hasta redit, Lycus excelso terrore comantem
Perstrinxit galeam: convulsæ cuspide longe
Diffugere jubæ, patuitque ingloria cassis.
Ipse nec ire retro, nec in obvia concitus arma
Exsilit, inque eadem sese vestigia semper
Obversus cunctis profert, recipitque, nec unquam
Longius indulget dextræ, motusque per omnes

rium tabum in molli capulo! Absistite hoc studio. Nullæ illum aves, nulla profana monstra, nec ipse pius ignis voret, si tradamus. Nec plura dixit: sed emittit magnum jaculum, quod retardatum est in duro ære clypei; et penetrans hæsit tamen in secundo scuti corio. Inde Pheres et animosus Lycus hastas jaculantur. Sed hasta Pheretis irrita resilit, Lycus leviter attigit cassidem ornatam sublimi crista, quæ terrorem incutiebat videntibus: excussæ jubæ longe exilierunt, et detecta est indecora galea. Ipse Hippomedon nec retrocedit, nec præceps irruit in oppositos hostes, sed semper sese promovet, refertque in idem spatium, converso vultu in omnes, nec concedit dextræ se longius extendere, et per omnes motus tendit ad

Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Behott. 1. 2. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. et Cruc. *nec non.* 'Suspectæ sunt duæ hæ voces, quia manifesto non bene hic sonant, et in optimo libro non sunt; sic vero in eo scriptum: *ver merentibus Argos, &c.* Quam eandem corruptam scripturam etiam in aliis minoris pretii membranis offendo, ubi supra scriptum conspicitur: *in veritate lacrymandus.* Fuerit ergo Papinii genuina scriptio: *vere*, vel *vero mœrentibus. Argos Exequiis, &c.* quia nempe ut homo inde profectus erat, redit ut fera bellua, absorpto humano cruori immortuus. Forte tamen planius: *ne non.*' Barth. Hoc ultimum exhibent Gevart. Grasser. Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph.—100 Unus Behot. *lacrymandus erat.*—111 *Exilit, ast eadem* codex Burmanni.—114 *Corpus adit* in quibusdam

NOTÆ

100 *Mollique feretro Infandam ejectans saniem*] Suspecta verba. An cruorem et cerebrum Menalippi ore Tydei excepta?

103 *Pius ignis edat*] Profanato scilicet corpore Tydei ipsius scelere, et feritate.

105 *Orbe secundo*] Clypei. Ostendit non uno tegmine clypeum Hippomedontis obductum fuisse.

107 *Excelso terrore*] Cristis excelsis terrorem incutientibus. Vide lib. IV.

109 *Ingloria*] Sine cristis.

111 *Inque eadem*] *Que* hic pro 'sed,' quod Lucano frequens.

Corpus amat: corpus servans, circumque, supraque
Vertitur. Imbellem non sic amplexa juvencum
Infestante lupo, cum primum fœta tuetur
Mater, et ancipiti circumfert cornua gyro:
Ipsa nihil metuens, sexusque oblita minoris,
Spumat, et ingentes imitatur fœmina tauros.
Tandem intermissa jaculantum nube potestas
Reddere tela fuit: namque et Sicyonius Alcon
Venerat auxilio, Pisæaque præpetis Idæ
Turba subit, cuncumque replent: his fretus in hostes
Lernæam jacit ipse trabem: volat illa sagittis
Æqua fuga, mediumque nihil cunctata Politen
Transabit, et juncti clypeum cavat improba Mopsi.
Phocea tunc Cydona, Tanagræumque Phalantum,
Atque Erycem, hunc retro conversum, et tela petentem,
Dum spes nulla necis, crinito a vertice figit.
Faucibus ille cavis hastam non ore receptam

servandum mortuum; defendens cadaver, et circum et supra se vertit. Non sic, cum primum enixa est, defendit mater tenerum juvencum, eum tegens, lupo assiliente, et circumducit anceps huc et illuc cornua: ipsa nihil timens, et immemor sexus debilioris, spumat, et vacca æmulatur magnos tauros. Tandem interrupto missilium nimbo fuit copia retorquendi jacula in hostes. Namque Alcon Sicyonius venerat ejus subsidio, et Pisæa cohors velocis Idæ uccurrit, et replent ejus manipulum. His fisus, ipse jaculatur hastam Lernæam in inimicos: illa it eadem celeritate ac sagitta, et nihil morata transfodit Politem per medium corpus, et aspera perforat scutum Mopsi ei proximi. Tum figit Phocensem Cydona, et Tanagræum Phalantum, ac Erycem: hunc per verticem capitis comati, dum se retroverteret et posceret tela mortem hac parte non metuens. Ille procumbens stupet hastam non per os

membranis Heinsii.—118 Unus Behot. *sexus oblita*, omisso τῷ *que*.—120 Nonnulli codd. cum Venett. 3. 4. *jaculatum nube*, omissa scilicet linea supra lit. *a*.—123 *Turma subit* optimæ Barthii membranæ, et Venett. 3. 4. 'Recte hic *Turma* restituerunt doctissimi viri.' *Barth.*—126 'In optimo codicum est

NOTÆ

116 *Cum primum fœta tuetur*] Recens a partu: in primo enim partu major fœtus affectio.

121 *Reddere tela*] In se ab hostibus missa, in ipsos iterum retorquere. *Sicyonius*] A Sicyone oriundus. Vide Theb. IV. 50.

122 *Præpetis Idæ*] Vide Thebaid. VI.

127 *Phocea*] Phocensem, ex Phocide. *Tanagræum*] Ex Tanagris Bœotiæ oppido. Vide Theb. VII. 254.

129 *Spes*] Hic pro metu sumitur, quo etiam modo et 'sperare' pro timere. Virgilius: 'Non potui tantum sperare dolorem.'

Miratur moriens, pariterque et murmure plenus
Sanguis, et expulsi salierunt cuspide dentes.
Ausus erat furto dextram injectare Leonteus
Pone viros atque arma latens, positumque trahebat
Prenso crine caput: vidit, quanquam undique crebræ
Hippomedon ante ora minæ, sævoque protervam
Abstulit ense manum; simul increpat: Hanc tibi Tydeus,
Tydeus ipse rapit: post et confecta virorum
Fata time, magnosque miser fuge tangere manes.
Ter Cadmæa phalanx torvum abduxere cadaver,
Ter retrahunt Danai. Siculi velut anxia puppis
Seditione maris, nequicquam obstante magistro,
Errat, et averso redit in vestigia velo.

introductam, sed per cavum guttur; et cruor erumpens cum strepitu, unaque dentes mucrone excussi ore exierunt. Leonteus occultatus pone milites et clypeos, ausus fuerat admovere clam manum, et abducebat arreptis capillis prostratum caput Tydei. Hippomedon hoc animadvertit, etsi undique frequentes hostium minæ ob oculos versarentur, et amputat immiti gladio audacem manum, unaque objurgat: Hanc tibi Tydeus, Tydeus ipse aufert: et reformida Heroës etiam post peractam mortem, et infelix multum cave attrectare ingentes manes. Ter caterva Thebana traxere terribile corpus, ter Danai eripiunt illud. Ut solicita navis vagatur æstu pelagi Siculi, nauta incassum repugnante, et revertitur in propria vestigia, licet ventus con-

Mopsi; in alio *Molsi*.' Barth.—136 ‘Optimus aliique libri *scævoque*; i. e. intorto: sed nihil muto.' *Barth.*—141 *Terque trahunt* Add. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. et Cruc. *Ter retrahunt* Dan. Put. Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Behott. 1. 2. omnes Barthiani, Venett. Grasser. Gevart. Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph. et ita emendatum voluit Joannes Levineius ad Propert. IV. 10.—143 *Errat et adverso* Put. Petav. Be-

NOTÆ

135 *Quanquam undique crebræ Hippomedon ante ora minæ*] Hæc Guyetus supposititia judicat: quare jungit τὸ *vidit* cum τῷ *sævo* sequenti.

137 *Hanc tibi Tydeus, Tydeus ipse rapit*] Imitatio Virgiliana Æn. XII. ‘Pallas te hoc vulnere, Pallas Immolat.’ Miram vim habet hæc repetitio.

138 *Post et confecta virorum Fata time, magnosque miser fuge tangere manes*] Virtus enim magnorum virorum etiam post mortem eorum timenda, reverentiamque meretur. Sic apud Curtium lib. ultimo, extincto Alexandro, Ægyptii Chaldæique, jussi corpus suo more odoribus curare, primo non sunt ausi admovere manus corpori ejus: deinde precati, ut jus fasque esset mortalibus attrectare eum, &c. *Fuge tangere*] Noto Græcismo. Sic ‘fuge credere’ apud Lucretium, ‘fuge quærere,’ et ‘fuge suspicari’ apud Horatium, ut et plura hujusce notæ. Virgilius Æneid. ‘Mene igitur socium summis adjungere rebus, Nise, fugis?’

Non ibi Sidoniæ valuissent pellere cœpto
Hippomedonta manus: non illum impacta moverent
Tormenta oppositum, formidatique superbis
Turribus impulsus tentato umbone redissent.
Sed memor Elysii regis, noxasque retexens
Tydeos, in medios astu subit impia campos
Tisiphone: sensere acies, subitusque cucurrit
Sudor equis, sudorque viris: quanquam ore remisso
Inachium fingebat Halyn: nusquam impius ignis,
Verberaque, et jussi tenuere silentia crines.
Arma gerit, juxtaque feri latus Hippomedontis
Blanda genas, vocemque venit: tamen ille loquentis
Extimuit vultus, admiraturque timorem.

trarius inflet vela. Non ibi Thebanæ cohortes potuissent infringere conatus Hippomedontis. Non illum illisæ machinæ proturbavissent objectum, et impulsus timendi celsis turribus resiliissent tentato clypeo. Sed profana Tisiphone recordata verborum regis inferni, et animo reputans crimina Tydei, tacite irrepit in medium campum. Agnovere agmina, et repentinus sudor fluit equis, fluit militibus: quamvis vultu composito simulasset Halym Argivum: impia fax nec flagellum apparebant, et jussi crines tacuerunt. Fert arma, et ore placido et blanda voce accedit prope

hott. 1. 2. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. et Cruc. *Errat et averso* Dan. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. optimæ Barthii membranæ, Venett. Gevart. Grasser. Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph.—144 *Non sibi Sidoniæ* optimus et nonnulli alii codd. Barthii; quod ille non improbat.—148 Exc. Cantab. Taurin. Burm. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Behott. 1. 2. et plerique Barthiani *recensens;* Petrens. Dan. Put. Petav. Venett. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. et recentt. *retexens;* quod defendit etiam Dan. Heinsius ad Claudian. Bel. Gild. 325. Vide Not. Var.—149 Optimæ Barthii membranæ: *subit incita campos.*—150 *Tesiphone: sensere aves* unus Behot.—152 *Inachium simulabat Halyn* Petrens. *Hylam* optimus Barthianus.—157 *Illa au-*

NOTÆ

144 *Sidoniæ*] Thebanæ.

148 *Sed memor Elysii regis*] Id est, eorum quæ dixerat rex Elysius. Vide initio Theb. VII. *Retexens*] Animo repetens, recordata. Sic etiam apud Papinium Theb. III. 'Multumque et ubique retexens Legatum sese Graia de gente petendis Isse super regnis Polynicis.'

151 *Ore remisso*] Ficto et temperato in moderationem.


152 *Impius ignis, Verberaque, et jussi tenuere silentia* [*tenuerunt sibila*] *crines*] Furiæ enim gestabant in manibus tædas ac flagella, et loco capillorum angues habebant.

155 *Blanda genas*] Non horrore terribilis.

156 *Admiraturque timorem*] Latebat enim causa; mirabatur in se timorem, quem antea non expertus erat, etiam si 'undique crebræ ante ora minæ.'

Ille autem lacrymans, Tu nunc, ait, inclyte, frustra
Exanimes socios, inhumataque corpora Graium,
(Scilicet is nobis metus? aut jam cura sepulcri?)
Protegis, ipse manu Tyria tibi captus Adrastus
Raptatur, teque ante alios, te voce, manuque
Invocat: heu qualem lapsare in sanguine vidi,
Exutum canos lacero diademate crines!
Nec procul hinc, adverte oculos: ubi plurimus ille
Pulvis, ubi ille globus: paulum stetit anxius heros,
Librabatque metus: premit aspera virgo: Quid hæres?
Imus? an hi retinent manes? et vilior ille
Qui superest? Miserum sociis opus, et sua mandat

latus trucis Hippomedontis. Ille tamen reformidavit faciem, dum illa loqueretur, et stupet se metuere. Ille Halys autem flens: Tu nunc, inquit, magnanime, incassum defendis defunctos comites, et cadavera insepulta Graiorum. (Nempe hic nobis timor est? aut nunc soliciti sumus de tumulo?) Ipse Adrastus captivus vi abducitur a cohorte Thebana, et te vocans præ aliis nomine et dextra, implorat opem tuam. In quo statu hunc vidi heu corruentem in sanguine, nudatum canos capillos lacero diademate. Nec longe hinc, flecte lumina, ubi ille plurimus pulvis, ubi ille cuneus. Heros paulum hæsit quid faceret, et expendebat, cui potissimum timere deberet. Fera puella instat.: quid moraris? festinemus? illæ umbræ an nos retinent? Et qui vivit, minoris est momenti? sociis committit infelicem operam, et sua certamina, et digreditur, re-



tem Exc. Cantab. Taurin. Burm. et uterque Behott. *Ille autem* Petrens. ceteri, et edd. vett.—159 *Scilicet his nobis* Lindenbrog. et Cruc. *Scilicet is vobis* optimus Barthianus.—160 *Tyria jam captus* Behott. 1. 2. Dan. Put. Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Venett. Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. et Gevart. *Tyria tibi captus* Gronov. Barth. Veen. et Delph. Vide Not. Var. ad Theb. v. 579.—162 Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. et Cruc. *versare in sanguine;* Lipsian. Lang. Laur. Buslid. Dan. Put. Petav. Petrens. Exc. Cantab. Taurin. Burm. omnes Barthiani, Gevart. Grasser. Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *lapsare in sanguine.*—167

NOTÆ

157 *Ille*] Fictus Halys scilicet.

158 *Graium*] Tydei.

160 *Protegis*] Defendebat enim Hippomedon corpus Tydei, ne eo Thebani potirentur, ac insepultum maneret. *Tibi*] *Tibi* ibi παρέλκει. Quidam legunt *jam.*

162 *Lapsare*] Noster Theb. v. 'Vidi lapsare cruentæ Vulnere Myrmidonis.' Virgilius: 'Et in multo lapsantem sanguine nati.'

166 *Librabatque metus*] Utrobique enim metus, ne aut Thebani potirentur Tydei corpore, aut captivus abduceretur Adrastus: dubitabat igitur, cui potius subveniret, Tydeo, an Adrasto. *Virgo*] Furia sub alieno vultu.

167 *Manes*] Cadaver Tydei. *Vilior ille Qui superest*] Adrastus.

168 *Miserum sociis opus*] Susceperat enim defendendum Tydei corpus.

Prælia, et unanimi vadit desertor amici,
Respiciens tamen, et revocent si forte paratus.
Inde legens turbata trucis vestigia Divæ,
Huc illuc frustra ruit avius: impia donec
Eumenis ex oculis rejecta cœrula parma
Fugit, et innumeri galeam rupere cerastæ.
Aspicit infelix discussa nube quietos
Inachidas, currumque nihil metuentis Adrasti.
Et Tyrii jam corpus habent: jam gaudia magnæ
Testantur voces: victorque ululatus aderrat
Auribus, occultoque ferit præcordia luctu.
Ducitur hostili (pro dura potentia fati!)
Tydeus ille solo, modo cui Thebana sequenti
Agmina, sive gradum, seu fræna effunderet, ingens
Limes utrimque datus: nusquam arma, manusque quiescunt:

linquens carum amicum; reflectit tamen oculos, et paratus est ad redeundum, si revocent. Inde sequens confusa vestigia diri numinis, vagus fertur incassum huc et illuc; donec impia Furia evanuit ex oculis, deposita parma, et innumeri serpentes fregere cassidem ejus. Miser cernit dispulsa caligine tranquillos Argivos, et Adrastum in curru nihil timentem. Interim Thebani Tydei potiuntur corpore. Jam ingentes voces produnt lætitiam, et ovans clamor subit ejus aures, et perculit tacito dolore ejus animum. Tydeus ille raptatur per inimicam terram (proh vis fatorum acerba!) cui nuper urgenti copias Thebanas, sive inferret pedem, sive habenas laxaret, lata via utrimque patebat: nusquam tela sunt, et manus otiantur:

Optimus Barthianus: *an vilior.*—171 *Ille legens* unus Behot. *turbat cruscis vestigia divæ* optimus Barthianus.—177 *At Tyrii* optimæ et aliæ Barthii membranæ; quod ille probat.—178 Codex Lindenbrogii: *ululatus advertat;* duo alii ejusdem, nonnulli Barthiani, Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. Gevart. Grasser. et Amstel. *ululatus incrrat;* Petrens. Exc. Cantab. Taurin. uterque Behot. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. optimæ Barthii membranæ, Gronov. Barth. Veen. et Delph. *ululatus aderrat.* Vide Not.

NOTÆ

174 *Innumeri galeam rupere cerastæ*] Cum explicuere se serpentes compressi, et priorem formam resumsit Furia.

178 *Ululatus*] Est luctus et lætitiæ ululatus. Virgilius Æn. IV. 'Summoque ulularunt vertice Nymphæ.' *Aderrat*] Hoc verbum extat et in Surrentino: 'Et blandi scopulis delphines aderrant.'

182 *Sive gradum, seu fræna effunderet*] Id est, sive pedes, sive equis insequeretur.

183 *Nusquam arma manusque quiescunt: Nulla viri feritas*] Nusquam sunt jam ejus arma, jacula, enses, et quicquid manus vibrare solent. Intrusa vero hæc videntur quibusdam.

Nulla viri feritas: juvat ora rigentia leto,
Et formidatos impune lacessere vultus.
Hic amor, hoc una timidi, fortesque sequuntur
Nobilitare manus, infectaque sanguine tela
Conjugibus servant, parvisque ostendere natis.
Sic ubi Maura diu populatum rura leonem,
Quem propter clausique greges, vigilantque magistri,
Pastorum lassæ debellavere cohortes;
Gaudet ager, magno subeunt clamore coloni,
Præcerpuntque jubas, immaniaque ora recludunt,
Damnaque commemorant, seu jam sub culmine fixus
Excubat, antiquo seu pendet gloria luco.
At ferus Hippomedon, quanquam jam sentit inane

nulla Herois ferocia: juvat tuto ferire vultum morte rigidum, et timenda ora: hæc omnium cupido: hoc simul ignavi magnanimique optant manus illustrare, et servant jacula fœdata cruore ejus, ut monstrent uxoribus et parvulis liberis. Sic cum fatigatæ pastorum turbæ expugnaverunt leonem, qui diripuerat diu arva Africana, ob quem greges claudebantur, et custodes ducebant insomnes noctes; lætatur campus: accurrunt agricolæ cum ingenti ululatu, et evellunt ei jubas, ac aperiunt magnas fauces, et sua recensent detrimenta, seu positus supra tecta excubet, seu in ornamentum pendeat in veteri saltu. Sed acer Hippomedon, etsi jam agnoscat opem suam

NOTÆ

184 *Juvat ora, &c.*] Vide in simili casu Theb. I. de monstro a Corœbo occiso.

185 *Impune lacessere*] Delectabat Thebanos secure insultare cadaveri Tydei, quia nullus superesset jam terror illius.

188 *Servant ostendere*] Græcismus creber Papinio. Eod. lib. 'Orantes servire.' Theb. VIII. 'Habe exscindere,' 'præbuit libare.' Ibidem etiam 'ibat flectere.'

189 *Maura*] Multi enim leones in Mauritania regione Africæ quæ adjacet Atlantico Mari, quod habet ad Occidentem, et Mediterraneo, quod habet ad Septemtrionem: ab Oriente finitur Africa proprie dicta, a Meridie vero Atlante monte.

195 *Antiquo seu pendet gloria luco*] Olim ut cornua, sic etiam pelles ferarum quarumlibet ad arbores Diis suspendebant venatores, Dianæ inprimis ac Sylvano seu Pani: 'De cornibus' Propertius lib. II. Eleg. 14. 'Ipse ego venabor; jam nunc me sacra Dianæ Suscipere, et Veneri ponere vota juvat. Incipiam captare feras, et reddere pinu Cornua, et audaces ipse movere canes.' Ovid. Met. XII. 'Telique habet instar in alta Quæ fuerant pinu vivacis cornua cervi.' Virg. Ecl. VII. Dianæ vovet 'Ramosa Mycon vivacis cornua cervi.' De 'pellibus' vero vide Epigrammata Græca Anthologiæ lib. VI. Ab hac similive dedicatione tales arbores sacræ erant, et ita dicebantur, et ad has in via oblatas gradum sistere, et vota reddere religiosorum viatorum mos erat. Ut notat Apuleius Florid. I. Appendebantur etiam pelles in lucis, ut terrori essent aliis leonibus.

Auxilium, et seram rapto pro corpore pugnam,
It tamen, et cæcum rotat irrevocabilis ensem.
Vix socios hostemque, nihil dum tardet euntem,
Secernens: sed cæde nova jam lubrica tellus,
Armaque, seminecesque viri, currusque soluti
Impediunt, lævumque femur, quod cuspide fixum
Regis Echionii, seu dissimulaverat ardens,
Sive ibi nescierat: mœstum videt Hoplea tandem.
Tydeos hic magni fidus comes, et modo frustra
Armiger: alipedem prona cervice tenebat
Fatorum ignarum domini, solumque frementem
Quod vacet: inque acies audentior ille pedestres,
Hunc aspernantem tumido nova pondera tergo
(Unam quippe manum domitis expertus ab annis)
Corripit, affaturque: Quid o nova jussa recusas,
Infelix sonipes? nusquam tibi dulce superbi
Regis onus: non jam Ætolo satiabere campo,

vanam, et tardum certamen pro ablato corpore, vadit tamen irrevocabilis, et gladium indiscriminatim circumagit, vix distinguens suos et inimicos, modo in cursu nihil illum remoretur. Sed terra lubrica recenti sanguine, armaque, ac semimortui milites, et currus fracti hunc retardant, et femur sinistrum transfossum hasta Thebani regis, quod vulnus aut flagrans dissimulaverat, aut ibi non senserat. Tandem videt tristem Hopleum. Hic fidelis socius magni Tydei, et modo inutilis armiger, tenebat velocem equum, qui habebat inclinatum caput, inscius sortis domini, et solum fremens, quod otietur, quodque ei major esset confidentia in pedestri pugna. In hunc insilit Hippomedon dedignantem dorso superbo novum onus, (unam enim manum solum senserat, ex quo fuerat domitus,) et illum alloquitur: Quid, o infortunate eque, detrectas nova imperia? Nusquam vehes grato pondere magnanimum principem: non jam saturabere in pratis Ætolis, et lavabis luxuriantem jubam in

Var.—199 Codd. Lindenbrogii, *hostesque.*—204 In optimo Barthii codice: *Seu ubi nescierat;* unus Behot. *Sive ibi nescierat.*—213 In eodem codice, *non*

NOTÆ

199 *Euntem*] Illum, supple.

201 *Soluti*] Aut fracti, aut a frænis liberi.

204 *Sive ibi nescierat*] Cicero Tuscul. II. 'Non sentiunt fortes viri in acie vulnera.' Vide supra vs. 103.

205 *Frustra Armiger*] Extincto scilicet domino.

208 *Audentior*] Tydeus.

209 *Nova pondera*] Novum equitem.

210 *Unam quippe manum, &c.*] Hic versus delendus videtur Guyeto.

213 *Ætolo*] Ex Ætolia enim eum adduxerat Tydeus.

Gaudentemque jubam per stagna Acheloia solves.
Quod superest, caros, i, saltem ulciscere manes,
Aut sequere; extorrem neu tu quoque læseris umbram
Captivus, tumidumque equitem post Tydea portes.
Audisse, accensumque putes: hoc fulmine raptum
Abstulit, et similes minus indignatur habenas.
Semifer aëria talis Centaurus ab Ossa
Desilit in valles: ipsum nemora alta tremiscunt,
Campus equum: trepidi cursu glomerantur anhelo
Labdacidæ: premit ille super, nec opinaque ferro
Colla metens linquit truncos post terga cadentes.
Ventum erat ad fluvium: solito tunc plenior alveo,
Signa mali, magna se mole Ismenos agebat.
Illa brevis requies, illo timida agmina lassam

aquis Acheloi. Quod restat, veni, saltem vindica dilectas umbras, aut illas moriendo sequere: neu tu veniens in potestatem hostium contristes quoque exules manes, et vehas post Tydeum arrogantem equitem. Crederes audiisse, et inflammatum. Hoc verborum impetu concitatum impulit, et equus minus aspernatur parem dominum. Talis semifer Centaurus devolvitur in valles ab excelsa Ossa: ingentes sylvæ exhorrent ipsum hominem, et ager equum. Pavidi Thebani et anhelantes glomeratim fugiunt: ille Hippomedon urget desuper, et amputans gladio cervices non id expectantes, relinquit truncos labentes post tergum suum. Pervenerant ad amnem. Tunc Ismenus solito auctior (indicium calamitatis) se propellebat magno aquarum cumulo. Illa mora brevis fuit. Pavidæ copiæ converterunt illo de campis fessam fugam.

Etolio.—214 'In libro scripto optimo: *Undantemque jubam.*' Barth.—215 Unus Behot. *caros et saltem.*—223 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Petav. Put. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. et Gevart. *inopinaque;* Behott. 1. 2. Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *nec opinaque.* 'In aliis libris pro *super* claris literis scribitur *diu;* quod est nugatorium.' *Barth.* —227 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. *tumida agmina;* Dan. Put. Petav. Behott. 1. 2. Lindenbrog. Cruc. et recentt. *timida*

NOTÆ

214 *Stagna Acheloia*] Acheloum Ætoliæ fluvium.

216 *Aut sequere*] Hic versus, et sequens, spurii Guyeto videntur.

220 *Ossa*] Thessaliæ mons.

221 *Ipsum*] Hominem. Centauri enim biformes.

223 *Labdacidæ*] Thebani a Labdaco quondam Thebarum rege. *Nec opinaque ferro Colla metens, linquit truncos post terga cadentes*] Innuit maxima celeritate oppressos, et tanta velocitate fugientibus abscissa capita, ut eo transeunte occisorum caderent corpora.

225 *Solito tunc plenior alveo, Signa mali*] In malum enim omen capiebatur, cum fluvii exundarent.

226 *Ismenos*] Fluvius Bœotiæ.

De campis egere fugam: stupet hospita belli
Unda viros, claraque armorum incenditur umbra.
Insiluere vadis: magnoque fragore solutus
Agger, et adversæ latuerunt pulvere ripæ.
Ille quoque hostiles saltu majore per undas
Irruit attonitis (longum dimittere habenas)
Sicut erat, tantum viridi defixa parumper
Cespite populeo commendat spicula trunco.
Tunc vero exanimes tradunt rapientibus ultro
Arma vadis: alii dimissa casside, quantum
Tendere conatus animæ valuere sub undis,
Turpe latent: multi fluvium transmittere nando
Aggressi; sed vincla tenent, laterique repugnat
Balteus, et madidus deducit pectora thorax.
Qualis cœruleis tumido sub gurgite terror
Piscibus, arcani quoties devexa profundi
Scrutantem delphina vident: fugit omnis in imos
Turba lacus, viridesque metu stipantur in algas;

Aqua miratur recepto bello pugnantes, et inflammatur ingenti imagine armorum. Thebani irruerunt in alveum. Crepido rumpitur cum ingenti fragore, et opposita littora pulvere occultantur. Ille, Hippomedon, insiluit quoque post consternatos grandiore saltu, sicut erat, per inimicas aquas: longum fuisset frænos dimittere. Solum commendat trunco populi jacula parumper fixa in gramine viridi. Tunc vero semimortui sponte jaciunt arma in aquas quæ ea auferebant: alii soluta galea fœde occultantur in aquis, quantum halitus potuit durare: multi conati sunt nando fluvium trajicere, sed calceamentorum vincula impediunt, et balteus ad latus obstat, et lorica plena aqua mergit pectora. Qualis terror est cœruleis piscibus in turgido mari, quoties vident delphinum rimantem declivia loca secreti profundi; omnis multitudo fugam capit in infimas aquas, et pavore glomerantur in virides juncos: nec

agmina.—230 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *magno stridore;* Dan. Put. Petav. Behott. 1. 2. Lindenbrog. Cruc. Gevart. Grasser. Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *magno fragore.*—237 Venetr. *dimissa cuspide;* Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. et Cruc. *demissa casside.*—241 'In uno alteroque libro alia omnino scriptura est, *decludit;* sed nos simplicem vulgatam τοῦ Ποιητοῦ agnoscimus: id est 'gravat.'' *Barth.*—245 Unus Behot. *viridisque metu.*—246 In eodem codice:

NOTÆ

228 *Stupet hospita belli Unda*] Satis insolenti significatione, pro aqua seu fluvio in quo bellum geritur, ac prælium committitur.

231 *Pulvere*] Excitato ex soluto aggere.

233 *Attonitis*] Thebanis.

234 *Sicut erat*] Id est, armatus.

235 *Spicula*] Sua scilicet, ne eum in flumine impedirent.

242 *Terror*] Supple, est.

Nec prius emersi, quam summa per æquora flexus
Emicet, et visis malit certare carinis.
Talis agit sparsos, mediisque in fluctibus heros
Fræna manu pariter, pariter regit arma, pedumque
Remigio sustentat equum; consuetaque campo
Fluctuat, et mersas levis ungula quærit arenas.
Sternit Iona Chromis, Chromin Antiphos, Antiphon Hypseus,
Hypseus Astyagen, evasurumque relicto
Amne Linum, ni fata vetent, et stamine primo
Ablatum tellure mori: premit agmina Thebes
Hippomedon, turbat Danaos Asopius Hypseus:
Amnis utrumque timet: crasso vada mutat uterque
Sanguine, et a fluvio neutri fatale reverti.

prius illinc egrediuntur, quam curvatus delphinus emineat supra summum mare, et malit aggredi naves, quas animadvertit. Talis vagos pellit, et heros in mediis aquis simul tenet manu scutum et habenas, et sustinet equum pedum natatu, et agilis ungula assueta terræ natat, et scrutatur profundas arenas. Chromis dejicit Iona, Antiphus Chromin, Hypseus Antiphum, Hypseus Astyagen, et Linum, qui evasisset trajecto pæne fluvio, nisi fata prohibuissent, et ei negatum fuisset primo Parcarum penso in terra obire. Hippomedon urget copias Thebanas, Hypseus Asopi filius agit Græcos: fluvius utrumque reformidat: uterque convertit aquas denso cruore; neutrique fata concederant regredi ab amne. Jam truncata membra et capita ro-

per æquora fluxus.—247 *Eminet* Dan. Put. Petav. Lindenbrog. et Cruc. *Emicet* in ceteris.—249. 250 Jortinus conj. *pedum se Remigio sustentat equus*, improbante Burmanno.—251 Behot. 1. *harenas;* Behot. 2. *habenas.*—252 *Sternit Hyona* edd. vett. *Artiphus, Artipon* vetus scholiastes; *Antiphus, Antiphon* edd. vett.—253 *Hypseus Astaciden* optimæ Barthii membranæ.—254 Unus Behot. *e stamine;* alter Behot. *a stamine.*—256 *Asopeus* Behot. 1.—257 In eodem codice: *utrimque timet;* sed in margine *utrumque* eadem manu. 'Non solicito hanc lectionem; optimæ tamen et aliæ vetustissimæ mem-

NOTÆ

246 *Flexus*] Natat enim curvato et eminente extra aquas dorso.

247 *Et visis malit certare carinis*] Plinius: 'Hominem non expavescit delphinus, ut alienum: obviam navigiis venit, alludit exultans, certat etiam, et quamvis plena præterit vela.' Vide eum lib. IX. cap. 8.

249 *Pedumque Remigio*] Imitatio Virgiliana Æneid. VI. 'Remigio alarum.'

251 *Quærit arenas*] Id est, quærit fundum, quo firmis pedibus insistat.

254 *Ni fata vetent*] Credebant enim veteres unicuique a Parcis definitum vivendi tempus, ac decretum modum, quo quisque mori debebat.

256 *Asopius*] Asopo genitus. Vide Theb. VII.

257 *Amnis utrumque timet*] Id est, omnes qui erant in fluvio. *Uterque*] Hippomedon et Hypseus.

258 *Et à fluvio neutri fatale reverti*] Uterque enim Hippomedon et Hyp-

Jam laceri pronis volvuntur cursibus artus,
Oraque, et abscisæ redeunt in pectora dextræ.
Spicula jam clypeosque leves arcusque remissos
Unda vehit, galeasque vetant descendere cristæ.
Summa vagis late sternuntur flumina telis,
Ima viris: illic luctantur corpora leto,
Efflantesque animas retro premit obvius amnis.
Flumineam rapiente vado puer Agrius ulmum
Prenderat, insignes humeros ferus ense Menœceus
Amputat: ille cadens, nondum conamine ademto,
Truncus in excelsis spectat sua brachia ramis.
Hypseos hasta Sagen ingenti vulnere mersit:
Ille manet fundo, rediit pro corpore sanguis.
Desiluit ripis fratrem rapturus Agenor
Heu miser, et tenuit; sed saucius ille levantem
Degravat amplexu: poterat resolutus Agenor

tantur prono fluento, ac amputatæ manus redeunt ad truncos a quibus separatæ fuerant. Jam aqua portat jacula, et levia scuta, et solutos arcus, et cristæ prohibent cassides, quo minus mergantur. Supremæ undæ late operiuntur spiculis errantibus, et infimæ replentur hominibus. Illic certant corpora adversus letum, et occurrens fluvius retinet exeuntes animas. Puer Agrius arripuerat fluvialem ulmum, fluctu hunc abducente; dirus Menœceus cædit illi pulchros armos: ille truncus labens, nondum nisu ademto, cernit suos lacertos in excelsis frondibus. Hasta Hypsei mergit Sagen immani plaga; ille hæret fundo, cruor revertitur vice corporis. Agenor irruit e ripa fratrem servaturus, heu infelix, et eum apprehendit; ille vero vulneratus deprimit amplexu Agenora, qui eum levabat: Agenor poterat

branæ *tenet* referunt.' *Barth.*—258 'Paulo melius eædem membranæ: *e fluvio.*' Idem. Ita etiam in uno Behot.—260 Membranæ Barthii: *et abcisæ.*—264 Venett. Aldd. Colin. Gryph. et Basil. *illis luctantur;* optimæ Barthii membranæ: *leto luctantur corpora ubique.*—266 *Argiphus* Behot. 1. *Agiphus* Behot. 2.—268 In optimo Barthii codice: *conamine victo.*—270 *Tagen ingenti vulnere mergit* in eodem codice.—272 In eodem: *ripa fratrem erepturus;* unus

NOTÆ

sens in fluvio perierunt.

265 *Efflantesque animas retro premit obvius amnis*] Id est, exeuntem spiritum aqua gutturi infusa retardabat, sive non sinebat spiritum exire de corpore. *Efflantes*] Quasi anima esset ventus aut flatus.

268 *Nondum conamine ademto*] Quo tenebat ulmum.

269 *In excelsis spectat sua brachia ramis*] Abscissa enim in ramis remanserant.

271 *Rediit pro corpore sanguis*] Quia super aquam apparuit sanguis, corpore deorsum eunte.

274 *Resolutus*] Amplexu fratris liberatus.

Emersisse vadis, puduit sine fratre reverti.
Surgentem dextra Chaletum, vulnusque minantem
Sorbebat rapidus nodato gurgite vortex:
Jam vultu, jam crine latet, jam dextera nusquam,
Ultimus abruptas ensis descendit in undas.
Mille modis leti miseros mors una fatigat.
Induit a tergo Mycalesia cuspis Agyrten:
Respexit, nusquam auctor erat; sed, concita tractu
Gurgitis, effugiens invenerat hasta cruorem.
Figitur et validos sonipes Ætolus in armos,
Exsiluitque alte vi mortis, et aëra pendens
Verberat: haud tamen est turbatus flumine ductor:
Sed miseratur equum, magnoque e vulnere telum
Exuit ipse gemens, et sponte remisit habenas.
Inde pedes repetit pugnas, gressuque, manuque

extricatus evadere; erubuit redire sine fratre. Præceps turbo vertigine astricta absorbebat Chaletum tenentem erectam manum et ictus intentantem; jam coma et vultu occultatur: jam nusquam manus, et gladius demergitur extremus in abscissas aquas. Una mors consumit infelices mille generibus leti. Mucro Mycalesius transfodit Agyrtem per tergum; vertit oculos, non apparet auctor: sed hasta impetu undarum abrepta illum fugiens vulneraverat. Equus Ætolus vulneratur etiam in fortibus humeris, esiluitque in altum violentia ictus letalis, et ferit pendens aërem: eques tamen haud perculsus est in fluvio, sed equum miseratur, et ipse extrahit hastam ex ingenti plaga, suspirans, et ultro remisit frænos. Inde pedes rursus iniit

Behot. *Dissiluit ripis;* alter Behot. *Desiliit ripis.*—276 Codd. Lindenbrogii et Venett. *Caplethum;* optimus Barthianus, *Calerum;* alter ejusdem vetustissimus, *Chalebum.* Alius vero codex recentior, si Diis placet, aliquem de Hispania Carolum producit, habet enim additam glossam: 'Hispania oriundum.' —277 Behott. 1. 2. *notato gurgite.*—279 Ultimus arreptas Behot. 1.—281 Unus Behot. *cuspis Agisten.*—282 In eodem codice: *actor erat.* 'Apage segniorem quam pro re vocem, et scribe cum optimis omnium membranarum: *concita raptu.*' Barth.—287 Idem codex exhibet: *telumque e vulnere magno.*—

NOTÆ

277 *Nodato*] Quia vertigo fluminis astringit natantes.

280 *Mille modis leti*] Omnes moriebantur quidem, verum diversis modis. Lucanus: 'Mille modos inter leti, mors una timori est, Qua cœpere mori.'

283 *Cruorem*] Id est, corpus ex quo duceret sanguinem. Lucan. lib. III. 'Irrita tela suas peragunt in gurgite cædes: Et quodcumque cadit frustrato pondere ferrum, Exceptum mediis invenit vulnus in undis.'

284 *Ætolus*] Tydei equus, quem Hippomedon conscenderat.

289 *Manuque Certior*] Motus enim equi minus certam reddebat manum.

Certior, et segnem Nomium, fortemque Mimanta,
Thisbæumque Lichan, Anthedoniumque Lycetum
Continuat ferro, geminisque e fratribus unum
Thespiaden: eadem poscenti fata Panemo,
Vive superstes, ait, diræque ad mœnia Thebes
Solus abi, miseros non decepture parentes.
Di bene, quod pugnas rapidum dejecit in amnem
Sanguinea Bellona manu: trahit unda timentes
Gurgite gentili, nuda nec flebilis umbra
Stridebit vestros Tydeus inhumatus ad ignes.
Ibitis æquoreis crudelia pabula monstris:
Illum terra vehit, suaque in primordia solvit.

certamen, firmiorem manum et gradum habens, et obtruncat gladio continuis cædibus imbellem Nomium, Mimantaque magnanimum, Lichan Thisbæum, Lycetum Anthedonium, et Thespiadem unum e geminis fratribus: postulanti Panæmo eandem sortem respondit: Maneas superstes et solus redi ad muros Thebes sceleratæ, non delusure amplius infelices parentes. Dii bene verterunt, quod Bellona tulit cruenta manu prælium in rapidum flumen: timidos undæ patriæ rapiunt, nec deplorandus Tydeus nudo cadavere stridebit insepultus ad vestros rogos. Vadetis sæva alimenta marinis monstris, terra hunc portat, et resolvit in sua principia. Sic urget oppositos, et verbis ex-

290 Unus Behot. *et segnem Nonium.* Venett. *fortemque minantem;* Behott. 1. 2. *fortemque Minanta.*—291 *Phœbeumque Lycan* Behot. 1. Fabr. Lipsian. et nonnulli Barthiani; *Thebanumque Lycan* Lang. Laur. Buslid. Put. Petav. et edd. vett. *Thebeumque Lycan* optimus Barthianus, Behott. 1. 2. et alius Lindenbrogii; *Thebarumque* Dan. Vide Not. Var. *Athedoniumque Lycetum* unus Behot.—293 Behot. 1. *Panhemo;* codex Lactantii, *Panhæmo,* et pro v. l. *Parthenio;* Behot. 2. *Pathemo;* Lactantius in Comment. *Palæmon.*—299 Behot. 1. *Tydeus nec humatus.*—301 Solus Petrens. *in primordia solvet.*—302

NOTÆ

291 *Thisbæumque*] Quidam codices *Phœbeum, Pheleum, Thebanumque;* Plures *Thebæum.* Thebæus quidem pro Thebano novum, et nimis Græcissat. *Thisbæum* autem verum est. Hoc ipso libro interficitur a Parthenopæo quem 'candida Thisbe miserat.' Habes Iliad. B. inter Bœotos πολυτρήρωνα Θίσβην. Ovid. Met. II. 'Quæ nunc Thisbæas agitat mutata columbas.' *Gronovius.* *Anthedonium*] Ex Anthedone Bœotiæ urbe.

294 *Vive superstes*] E contrario dixit Virgilius: 'Et fratrem ne desere frater.'

295 *Non decepture*] Similitudine scilicet, quod solus sit.

299 *Stridebit*] Proprium animarum verbum, ut vidimus supra. *Inhumatus*] Miserrima mors in aquis existimata ex Homeri disciplina, quod igneam animam aquis extingui crederent.

301 *Sua in primordia*] Elementa, ex quibus componitur.

Sic premit adversos, et acerbat vulnera dictis.
Ac nunc ense furit, nunc tela natantia raptans
Ingerit: innuptæ comitem Therona Dianæ,
Ruricolamque Gyan, cum fluctivago Ergino,
Intonsumque Hersen, contemtoremque profundi
Crethea, nimbosam qui sæpe Caphareos arcem
Euboicasque hyemes parva transfugerat alno.
Quid non fata queant? trajectus pectora ferro
Volvitur in fluctus: heu cujus naufragus undæ!
Te quoque sublimi transnantem flumina curru,
Dum socios, Pharsale, petis, resupinat ademtis
Dorica cuspis equis: illos violentia sævi
Gurgitis, infelixque jugi concordia mergit.
Nunc age, quis tumidis magnum expugnaverit undis
Hippomedonta labor, cur ipse excitus in arma
Ismenos, doctæ nosse indulgete sorores:
Vestrum opus ire retro, et senium defendere famæ.

asperat eorum plagas. Ac nunc furit gladio, nunc capiens jacula quæ fluitant, intorquet. Sternit Therona socium intemeratæ Dianæ, et rusticum Gyan, cum Ergino natatore, et intonsum Hersen, ac Crethea spretorem maris, qui sæpe transfretaverat parva cymba procellosum montem Caphareum, et Euboicas tempestates. Quid non fata possunt? Rotatur in aquas pectore telo transfosso: heu in quo fluctu naufragium fecit! Te quoque, o Pharsale, equis suffocatis mucro Doricus deturbavit celso curru trajicientem fluvium, dum tendis ad comites; rapiditas asperæ voraginis et infortunata jugi societas illos equos deprimit. Nunc age, quæ opera debellaverit magnum Hippomedontem aquis inflatis, cur ipse Ismenus instigatus fuerit ad bellum ei inferendum, sorores eruditæ scire concedite: muneris enim vestri est res præteritas revocare, et arcere senectutem a fama. Puer Crenæus genitus Fauno et

Behot. *acerbat funera.*—303 *Et nunc* Dan. Put. Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et edd. vett. *Ac nunc* Behott. 1. 2.—305 In iisdem codd. *fluctivago Hergino;* omnes meliores Barthii, Dan. Put. Petav. Lindenbrog. et Cruc. *fluctivago Erigino.*—307 *Capheros* unus Behot.—311 In eodem: *tranantem flumina cursu*, et pro v. l. *curru.*—315 Lipsian. et nonnulli alii codd. *inclinaverit undis.*—318 Nonnulli codd. Lindenbrogiii: *seniumque repellere;* alii

NOTÆ

305 *Ruricolamque Gyan*] Omnia hæc reguntur a verbo 'resupinat' infra posito.

307 *Caphareos arcem*] De Caphareo et Eubœa supra diximus. Circa Eubœam autem, et maxime circa Caphareum, gravissimæ tempestates.

310 *Heu cujus naufragus undæ*] Exclamatio indignantis. Perit in fluvio, qui marina naufragia sæpe evaserat.

312 *Dum socios Pharsale petis*] Ad quos confugiebat petens auxilium.

317 *Ismenos*] Fluvius, supra. *Doctæ sorores*] Musæ.

318 *Senium defendere*] Virgilius:

Gaudebat Fauno nymphaque Ismenide natus
Maternis bellare tener Crenæus in undis:
Crenæus, cui prima dies in gurgite fido,
Et natale vadum, et virides cunabula ripæ.
Ergo ratus nihil Elysias ibi posse sorores,
Lætus adulantem nunc hoc nunc margine ab illo
Transit avum: levat unda gradus, seu defluus ille,
Sive obliquus eat; nec cum subit obvius, ullas
Stagna dedere moras, pariterque revertitur amnis.
Non Anthedonii tegit hospitis inguina pontus
Blandior, æstivo nec se magis æquore Triton
Exerit, aut caræ festinus ad oscula matris
Cum remeat, tardumque ferit delphina Palæmon.

nympha Ismenide lætabatur pugnare in maternis aquis. Crenæus, cui prima lux fuit in securo vado, et cui alveus natalis, et virides ripæ incunabula. Credens igitur sorores infernas ibi nihil valere, trajecit hilaris, nunc ab hac, nunc ab illa parte blandientem avum Ismenum. Unda sustinet pedes ejus, seu teneat cursus fluminis, seu obliquus vadat; nec cum adverso flumine innatat, aquæ illum remorantur, unaque amnis refluit. Mare non cooperit blandius partes inferiores advenæ Anthedonii, nec Triton lætius assurgit ex æstivo ponto, aut properus Palæmon, cum redit ad oscula Leucothoës dilectæ genitricis, et percutit lentum delphinum.

codd. cum Lindenbrog. et Cruc. *et senium depellere;* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Behott. 1. 2. et edd. vett. *et senium defendere.*—326 *Sive obliquus erat* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant.—327 'Omnino legendum: *pariterque revertitur amni.*' Barth.—328 'Nihil pote melius hac lectione scriptorum librorum: qui supposuerant *inguina portus*, litare debuerant bonæ menti. Glaucum intelligit, cui Anthedon patria.' *Bern.*—

NOTÆ

'Solstitium capiti defendite.' Apud Horat. I. Od. 17. 'Æstatem capellis defendere.' Et apud Silium lib. VIII. 'Defendere nescia morti Dedecus,' ut veterrimus liber. Plautus Mostellar. act. IV. sc. 2. 'Heus ecquis hic est, maximam qui his injuriam foribus defendat?' hoc est, a foribus. Sic apud Euripidem Troasin: παιδί τ' οὐ δυναίμεθ' ἂν θάνατον ἀρῆξαι. *A puero mortem arcere non possimus.*

320 *Maternis*] Ismenis enim, Crenæi mater, filia erat Ismeni fluvii.

323 *Elysias sorores*] Parcas.

325 *Avum*] Ismenum.

328 *Anthedonii hospitis*] Glauci, qui de piscatore factus est Deus marinus. Vide Theb. VII. 335.

329 *Triton*] Vide Theb. V.

330 *Caræ matris*] Inus seu Leucothoës. Vide Theb. I. 13.

331 *Tardumque ferit delphina Palæmon*] Sic Theb. I. 'Ipsa suum genitrix curvo delphine vagantem Arripuit frænis, gremioque Palæmona pressit.' Deos marinos vehi piscibus, maxime delphinis, fabulantur Poëtæ.

Arma decent humeros, clypeusque insignis, et auro
Lucidus, Aoniæ cælatur origine gentis.
Sidonis hic blandi per candida terga juvenci
Jam secura maris, teneris jam cornua palmis
Non tenet: extremis alludunt æquora plantis.
Ire putes clypeo, fluctusque secare juvencum.
Adjuvat unda fidem, pelago nec discolor amnis.
Tunc audax pariter telis, et voce proterva
Hippomedonta petit: non hæc fœcunda veneno
Lerna, nec Herculeis haustæ serpentibus undæ.
Sacrum amnem, sacrum, (et, miser, experiere,) Deumque
Altrices irrumpis aquas: nihil ille, sed ibat
Cominus: opposuit cumulo se densior amnis,
Tardavitque manum: vulnus tamen illa retentum

Arma decent suos humeros, scutumque insigne et auro fulgens gerit insculpta primordia populi Thebani. Hic videtur Tyria Europa vecta albo tergo adulantis tauri, jam non reformidat mare, jam non apprehendit cornua delicatis manibus: aquæ lasciviunt ad extremos ejus pedes. Crederes juvencum natare in scuto, et fluctus scindere: unda fidem meretur, tam egregie maris colorem refert. Tunc ferox Crenæus jaculis et procaci voce simul aggreditur Hippomedontem: Non hæc est Lerna exundans veneno, nec aquæ potæ ab anguibus Herculis. Irruis in sanctum fluvium (infelix senties) et in aquas Deorum nutrices. Nihil ille Hippomedon respondit, sed propius accedebat, fluvius se objecit aquis auctior, et moratus est

338 Optimus codex Barthii: *pelago jam discolor amnis.*—342 *Deum qui* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. optimus Barthianus, Put. Petav. Venett. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. et Cruc. *Deumque* Dan. Behott. 1. 2. et edd. Gronov. Barth. Veen. et Delph. Vide Not. Var.—343 Behot. 1. *nihil ipse.*—344 Nonnulli codd. et edd. vett. *sed densior.*—345 'Manuscripti aliqui mutant in *receptum*, sed hallucinantur. Neque sic optimus noster.' *Barth.*

NOTÆ

333 *Aoniæ cælatur origine gentis*] Id est, insculpta ferebat primordia populi Thebani.

334 *Sidonis*] Europa: et tangit fabulam raptæ Europæ a Jove. *Sidonis* vero, quia Agenor Europæ pater imperabat Sidoniis.

337 *Ire putes*] Ad cælaturæ laudem mobilitatem immobilibus dedit. Sic Virgilius: 'Pelago credas innare revulsas Cycladas, aut montes concurrere montibus altos.'

341 *Lerna*] Lerna palus Argolidis, in qua Hercules Hydram confecit.

342 *Deum*] In genitivo plurali pro Deorum, Bacchi scilicet et Herculis. Quædam editiones habent *Deum qui*, male.

345 *Retentum*] Quod opposito aquarum cumulo conatus est fluvius retardare.

Pertulit, atque animæ tota in penetralia sedit.
Horruit unda nefas: sylvæ flevistis utræque:
Et graviora cavæ sonuerunt murmura ripæ.
Ultimus ille sonus moribundo emersit ab ore,
Mater! in hanc miseri ciciderunt flumina vocem.
At genitrix, cœtu glaucarum cincta sororum,
Protinus icta malo, vitrea de valle solutis
Exsiliit furibunda comis, ac verbere crebro
Oraque, pectoraque, et viridem scidit horrida vestem.
Utque erupit aquis, iterumque, iterumque trementi
Ingeminat, Crenæe, sono: nusquam ille, sed index
Desuper, ah miseræ nimium noscenda parenti,
Parma natat: jacet ipse procul, qua mixta supremum

manum: illa tamen licet retardata inflexit plagam, quæ totos animæ recessus penetravit. Aqua flagitium horruit: utraque nemora plorastis, et cavæ ripæ acerbo planctu resonuerunt. Supremum illud verbum exiit ex ore perituri, Genitrix! aquæ supervenientes hanc infelicis vocem suffocaverunt. At mater dolore perculsa, cito rabida exiit passis crinibus ex antro vitreo, stipata turba cœrulearum sororum, et frequenti ictu dilacerat efferata vultum pectusque ac viridem amictum. Utque emersit undis, rursus rursusque iterat trepida voce, Crenæe. Nusquam ille apparet, sed parma nuntia, ah nimium nota infelici matri, desuper fluitat. Ipse longe

—348 Optimus Barthianus *rippæ.*—352 Put. Petav. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. et Cruc. *vitrea de rupe;* Dan. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Gevart. Grasser. Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *vitrea de valle.* 'Omnes libri nostri, aliqui etiam aliorum, *vitrea de valle* legunt. Plausibilior sane hæc lectio, de internis vallibus in fluvio, qualia loca describunt in iis Poëtæ, ut in Tiberi Claudianus, Panegyr. Probini.' *Barth.*—356 Behot. 1. *Cronee;* edd. vett. *Crenee.* 'Non probo, quod malunt nonnulli libri, *Crenæa.*' Barth.—357 *Desuper ha miseræ* in quibusdam Barthianis.—360 *Fluctu-*

NOTÆ

347 *Utræque*] Utriusque ripæ.

348 *Cavæ*] Quia loca concava naturaliter gravius sonant.

350 *Vocem*] 'Mater' scilicet. Superveniens enim unda extremum spiritum clausit: quippe in fluvio occisus Crenæus. Seu cum vocem hanc 'mater' edidisset, suffocarunt hanc aquæ os intrantes. Pariter autem matrem in ore habebat jam suffocandus Pætus apud Propertium lib. III. Eleg. 6. 'Pæte, quid ætatem numeras, quid cara natanti Mater in ore tibi est? non habet unda Deos.' Pariter et Halcyonem conjugem Ceyx apud Ovidium Met. XI. 'Sed plurima nantis in ore Halcyone conjux.' *Barthius.*

351 *At genitrix*] Ismenis mater Crenæi. *Cœtu glaucarum cincta sororum*] Vide fabulam Aristæi Virg. Georg. IV. ubi rem describit majore apparatu.

352 *Valle*] Alia lectio, *rupe.*

354 *Oraque pectoraque*] Ut mos erat in luctu.

358 *Qua mixta supremum Ismenon*

Ismenon primi mutant confinia ponti.
Fluctivagam sic sæpe domum, madidosque penates
Halcyone deserta gemit, cum pignora sævus
Auster, et algentes rapuit Thetis invida nidos.
Mergitur orba iterum, penitusque occulta sub undis
Limite non uno, liquidum qua subter eunti
Lucet iter, miseri nequicquam funera nati
Vestigat, plangitque tamen: sæpe horridus amnis
Obstat, et obducto caligant sanguine visus.
Illa tamen præceps in tela offendit et enses,
Scrutaturque manu galeas, et prona reclinat
Corpora: nec ponto summota intrabat amaram

sternitur, qua confusi limites primi æquoris mutant extremum Ismenum. Sic orbata Halcyone sæpe deplorat nidum undis errantem, et humidos lares, cum acerbus auster pullos abstulit, et Thetis invida rapuit rigentem domum. Orba se rejicit rursus in aquam, et prorsus latens sub undis, non uno tramite, qua fluida via subtermeanti fulget, scrutatur frustra cadaver infelicis filii, et sibi tundit pectus. Sæpe turbidus fluvius impedit, et oculi cæcutiunt opposito cruore. Illa tamen rapida impingit in tela et in gladios, et manu rimatur cassides, et invertit prona cadavera. Nec repulsa a mari subibat salsam Dorida, donec caterva Nereidum mota

vagam optimæ Barthii membranæ.—370 *Corpora: nunc ponto, &c.* legit Mark-

NOTÆ

primi mutant confinia ponti] Id est, in qua parte se mari jungebat Ismenus, mutans colorem et saporem.

360 *Fluctivagam madidosque penates*] Halcyones enim nidos faciunt in maris littoribus.

361 *Halcyone*] Plinius lib. x. cap. 32. 'Eo maxime sunt insignes Halcyones: dies earum partus, maria, quique navigant novere: fœtificant bruma, qui dies halcyonides vocantur, placido mari per eos, et maxime navigabili, Siculo maxime. In reliquis partibus est quidem mitius pelagus, Siculum utique tractabile. Faciunt autem septem ante brumam diebus nidos, et totidem sequentibus pariunt.' Fabulantur autem Poëtæ Halcyonem fuisse Ceycis uxorem, quæ cum delatum ad se corpus mariti, qui naufragio perierat, vidisset, doloris impatientia, in mare se præcipitavit, ac ambos miseratione Thetidis in aves marinas, quæ Halcyones vocantur, esse conversos. Vide Ovid. Met. XI. et Lucianum in Halcyone.

362 *Algentes nidos*] Halcyon enim parit circa brumam.

364 *Liquidum qua subter eunti Lucet iter*] Transitus enim Deorum semper lucidus. Quod videre est in pluribus Papinii locis.

367 *Obstat*] Non sponte, sed limo et cadaveribus turbatus.

369 *Et prona reclinat Corpora*] Resupinat, ut mortuorum vultus possit rimari, et Crenæum agnoscere.

370 *Amaram Dorida*] Id est, salsum mare: Doris enim, utpote Dea marina, sumitur pro mari. Virgil. Ecl.

Dorida, possessum donec jam fluctibus altis
Nereidum miserata cohors ad pectora matris
Impulit: illa manu ceu vivum amplexa reportat,
Insternitque toris riparum, atque humida siccat
Mollibus ora comis, atque hæc ululatibus addit:
Hoc tibi semidei munus tribuere parentes?
Nec mortalis avus? sic nostro in gurgite regnas?
Mitior heu misero discors, alienaque tellus,
Mitior unda maris, quæ juxta flumina corpus
Retulit, et miseram visa expectasse parentem.
Hinc mei vultus? hæc torvi lumina patris?
Hi crines undantis avi? tu nobile quondam
Undarum, nemorumque decus, quo sospite major

ejus calamitate, retorsit in pectus parentis cadaver filii, quod jam profundæ aquæ tenebant. Illa amplexa ut vivum brachiis refert, et collocat in gramineis stratis ripæ, et abstergit delicatis comis madidum ejus vultum, atque adjicit hæc ejulans: Hocne donum tibi semidei parentes dederunt? Et avus non obnoxius morti? Sic dominaris in nostris vadis? Heu terra aliena et nulla cognatione conjuncta, lenior erga infortunatum; lenior aqua ponti, quæ retulit cadaver juxta fluvium, et visa est præstolari infelicem matrem. Hæcne mea facies? Hi oculi torvi genitoris? Hi capilli avi undantis? Tu quondam insigne ornamentum aquarum et sylvarum,

landus ad Sylv. v. 2. 35.—378 'In optimo libro *miseræ* legitur, quod probo. Male nonnulli omittunt hunc versum.' *Barth.* Pro *discors* Heinsius ad Sabini Heroid. Epist. I. 35. malit *dissors.*—380 'Melior scriptura est in optimo libro: *Reppulit;* supra enim dixit: *ad pectora matris Impulit.*' Barth.—385

NOTÆ

x. 'Doris amara suam non intermisceat undam.'

372 *Nereidum miserata cohors*] Quod maris ingenio fit, artificiose et Poëtice tribuit Nereidibus Poëta. Nereides autem Deæ marinæ.

376 *Semidei*] Faunus et Ismenis. Semidei autem propter rationem allatam Theb. VI. quia licet Fauni et Nymphæ diutissime viverent secundum veterum opinionem, moriebantur tamen.

377 *Nec mortalis avus*] Ismenus; nam fluvii semper fluunt, et immortales habentur.

378 *Mitior heu misero discors, alienaque tellus*] Legendum censet Nicol. Heinsius *dissors.* Dissortem et alienam tellurem vocat respectu aquarum, e quibus originem Crenæus trahebat. Censetque idem Heinsius multos apud Poëtas locos eodem modo restituendos in quibus 'discors' pro 'dissors' irrepserit. Hunc vide in Notis in Epistolas tres Sabini.

381 *Hæc torvi lumina patris*] Fauni. Faunis enim torvi oculi.

382 *Undantis avi*] Ismeni.

Diva, et nympharum longe regina ferebar.
Heus ubinam ille frequens modo circa limina matris
Ambitus? orantesque tibi servire Napææ?
Cur nunc te melius sævo mansura profundo
Amplexu misero tumulis, Crenæe, reporto,
Non mihi? nec tantæ pudet (heu) miseretque ruinæ,
Dure parens? quæ te alta et ineluctabilis imo
Condidit amne palus? quo jam nec cruda nepotis
Funera, nec nostri valeant perrumpere planctus?
Ecce furit, jactatque tuo se in gurgite major
Hippomedon: illum ripæque undæque tremiscunt,
Illius impulsu nostrum bibit unda cruorem.
Tu piger, et trucibus facilis servire Pelasgis.
Ad cineres saltem, supremaque justa tuorum
Sæve veni, non hic solum accensure nepotem.

quo vivo majus numen habebar, et longe Nympharum domina. Heus ubinam ille creber concursus ad fores matris? Et Napææ obsecrantes ut tibi famularentur? Cur nunc melius commoratura in crudeli profundo, te refero, Crenæe, infelici amplexu, sepulcro, non mihi? Nec erubescis heu, nec tangeris tanta clade, crudelis genitor? quæ te profunda et insuperabilis palus occultavit in infimo fluvio, quo jam nec sæva mors nepotis, nec nostræ querelæ pervenire possint? En Hippomedon furit, et gloriatur potentior in tuis vadis, ripæ et undæ illum reformidant, illius telis hausit aqua nostrum sanguinem. Tu iners et propensus ad obsequendum Græcis atrocibus. Saltem crudelis accede ad rogum, et ultimas tuorum inferias,

Heu ubinam in quibusdam codd. Vide Theb. VIII. 175. et Heinsium ad Ovid. Heroid. Epist. IV. 150.—387 'Male nonnemo librariorum hæc turbat *mansure* rescribendo.' *Barth.*—393 'Omnino vera est scriptura optimi codicum: *tuo te in gurgite major.* In tuo gurgite te potentior.' *Barth.*—394 Unus Be-

NOTÆ

385 *Heus ubinam, &c.*] Legendum, *heu! ubinam.* Sic Theb. V. 'Heu! ubi nunc furiæ?' Et lib. VIII. 'Heu! ubi laurigeri currus?' Sylvarum III. 'Heu! ubi nota fides?' Ita et alii Poëtæ.

386 *Napææ*] Nymphæ pratorum.

387 *Te melius mansura profundo*] Melius fuerat in mari me extingui.

390 *Dure parens*] Verba convertit ad Ismenon patrem, excitatque ad vindicandam nepotis mortem. *Quæ te alta, &c.*] Credebantur Dii fluviorum incolere speluncas quasdam in fundo aquarum suarum.

391 *Nepotis*] Crenæi, per Ismenidem filiam.

395 *Nostrum cruorem*] Per cædem Crenæi, filii mei, et nepotis tui.

396 *Pelasgis*] Græcis seu Argivis.

397 *Justa*] Quidam codices, *busta.*

398 *Non hic solum accensure nepotem*] Hoc dicit propter Hypseum alterum Ismeni nepotem, quem etiam occidit Capaneus. Juvat vero hic incogitantiam Papinii notare. Hic

His miscet planctus, multumque indigna cruentat
Pectora: cœruleæ referunt lamenta sorores.
Qualiter Isthmiaco nondum Nereida portu
Leucothean planxisse ferunt, dum pectore anhelo
Frigidus in matrem sævum mare respuit infans.
At pater arcano residens Ismenos in antro,
Unde auræ, nubesque bibunt, atque imbrifer Arcus
Pascitur, et Tyrios melior venit annus in agros,
Ut lamenta procul (quanquam obstrepit ipse) novosque
Accepit natæ gemitus, levat aspera musco
Colla, gravemque gelu crinem, ceciditque soluta

non cremature hic solum nepotem. Jungit his planctus, et multum sugillat immeritum pectus. Glaucæ sorores ejus querelas imitantur. Sic dicunt Leucotheam, nondum marinam Deam, gemuisse in portu Isthmiaco, dum gelidus puer refudit anhelo pectore crudeles aquas in sinum parentis. At pater Ismenus jacens in secreto specu, unde venti et nubila potant, et pluviosus arcus alitur, et major ubertas venit in Tyrios campos, ut longe audiit planctus (quanquam ipse immugiat aquarum strepitu) et recentia filiæ suspiria, attollit cervicem scabram musco, et comam gelu

hot. *tremescunt.*—396 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et edd. vett. *servile Pelasgis.*—397 Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. et Cruc. *busta tuorum*; Dan. Put. Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Behott. 1. 2. Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *justa tuorum.*—398 'In optimo et uno alio libro *Sere veni.* Nihil muto tamen.' *Barth.*—406 *Nascitur* Lipsian. et Venett. *melior venit amnis* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. et Gevart. *melior venit annus* optimus codex Barthii, Behott. 1. 2. unus Lindenbrogii, Gronov. Barth. Veen. et

NOTÆ

convicium dicit Ismeno filia, ut prorsus ignoranti quicquid de cæde filii et aliorum gestum sit. At cum jam occidendus esset nepos iste ipsius, facit obstantes et inhibere volentes Hippomedontem undas: 'Opposuit cumulo se densior amnis Tardavitque manum.' An per somnum hoc fecit bonus Ismenus? an vero non insolens prorsus talium dormitavit optimus Noster Papinius? hoc potius arbitror. *Barthius.*

401 *Qualiter*] Tangit fabulam Palæmonis et Leucothoës. *Isthmiaco*] Corinthiaco. *Nondum Nereida*] Cum nondum in Deam marinam fuisset mutata. Vide Theb. I. 13.

403 *Mare respuit*] Quod hauserat. *Infans*] Palæmon.

404 *Antro*] Vide supra vs. 390.

405 *Unde auræ*] Nubes enim, ventique, ac cœlestis arcus fiunt e vaporibus eductis ex fluminibus et aquis.

406 *Et Tyrios*] Thebanos. *Annus*] Id est, fertilitas, annona, messis.

407 *Obstrepit*] Aquarum strepitu.

408 *Musco*] Musco enim frequenter replentur ortus fluminum. Hinc Poëtæ fingunt capita Deorum fluviorum musco cingi.

Pinus adulta manu, dimissaque volvitur urna.
Illum per ripas annoso scrupea limo
Ora exertantem sylvæ, fluviique minores
Mirantur: tantus tumido de gurgite surgit,
Spumosum attollens apicem, lapsuque sonoro
Pectora cœruleæ rivis manantia barbæ.
Obvia cognatos gemitus, casumque nepotis
Nympharum docet una patrem, monstratque cruentum
Auctorem, dextramque premit: stetit arduus alto
Amne, manuque genas, et nexa virentibus ulvis
Cornua concutiens, sic turbidus ore profundo
Incipit: Huncne mihi, Superum regnator, honorem,
Quod toties hospesque tuis et conscius actis,
(Nec memorare timor,) falsa nunc improba fronte

oneratam, et procera pinus fluxit laxata manu, et rotatur dimissa urna. Nemora et minores fluvii per ripas illum obstupent educentem vultum saxeum antiquo cœno, tantus exsilit de inflato alveo, levans spumosum verticem, et pectus in quod strepenti casu distillant torrentes glaucæ barbæ. Una ex Nymphis obvia refert genitori dolorem filiæ, et cædem nepotis, ostenditque sanguineum homicidam, et stringit ejus dextram. Rectus constitit in summo fluvio, et vultum manu abstergens, et movens cornua vincta ulvis viridibus, sic turbatus fatur profundo ore: huncne honorem mihi tribuis, dominator Deorum, quod toties hospes tuus, et conscius factorum tuorum, (nec metuo referre,) spectavi nunc scelesta cornua tua simulata

Delph.—409 Jortinus conj. *demissaque volvitur urna.*—419 Petrens. *virentibus ulmis.*—422 Behot. 1. *tuus et.*—430 Aldd. Colin. Gryph. &c. *quæ funera por-*

NOTÆ

410 *Pinus adulta manu*] Quia hæ arbores frequenter in fluviorum ripis crescunt, ideo Poëta ponit in manu Ismeni pinum. *Dimissaque volvitur urna*] Urnis enim innixi repræsentantur fluviorum Dei, ex quibus aqua effunditur. Virg. 'Cœlataque amnem fundens pater Inachus unda.'

411 *Scrupea Ora*] Hoc dicit, quia lapillulis et calculis replentur fluvii.

416 *Cognatos*] Filiæ scilicet. *Nepotis*] Crenæi.

418 *Dextramque premit*] Ut incitet magis, vel ut melius et promtius adverteret auctorem necis.

419 *Ulvis*] Ulvæ enim et junci nascuntur in fluviis.

420 *Cornua concutiens*] Tauriformes enim fluvii. *Concutiens*] Iracundiæ signum.

422 *Hospesque tuis et conscius actis*] Qui recepi tua stupra, et libidinum tuarum conscius fui.

423 *Falsa nunc improba fronte Cornua*] Innuit fabulam Antiopes Nyctei filiæ, quam Jupiter stupravit in taurum, vel Satyrum, ut alii, conversus: cornuti enim etiam Satyri. Eandem fabulam tangit noster Epith. Stellæ: 'Falsas huic pennas et cornua sumeret æthræ Rector.'

Cornua, nunc vetitam currus disjungere Phœben,
Dotalesque rogos, deceptaque fulmina vidi,
Præcipuosque alui natorum? an vilis et illis
Gratia? ad hunc certe repsit Tirynthius amnem:
Hac tibi flagrantem Bromium restinximus unda.
Aspice, quas fluvio cædes, quæ funera portem,
Continuus telis, altoque adopertus acervo.
Omne vadum belli series tenet: omnis anhelat
Unda nefas, subterque animæ supraque recentes
Errant, et geminas jungunt caligine ripas.
Ille ego clamatus sacris ululatibus amnis,
Qui molles thyrsos, Bacchæaque cornua puro
Fonte lavare feror, stipatus cædibus arctas
In freta quæro vias: non Strymonos impia tanto

fronte, nunc lunam prohibitam equos solvere, et nuptialia busta et tonitrua delusa, et educavi præcipuos tuorum filiorum? an et illud beneficium sordet illis? Certe Tirynthius repsit ad hunc fluvium: tua gratia his aquis extinximus ardentem Bromium. Cerne, quas neces flumine, quæ feram cadavera, totus telis constratus, et tectus denso cumulo. Series belli occupat totum gurgitem: cunctæ aquæ efflant scelus, novæque animæ super et subter vagantur, et ab utroque littore turbidas aquas faciunt. Ille ego fluvius, quem juxta fiebant clamores in sacris orgiis, qui dicor abluere limpidis undis thyrsos et cornua Bacchica, cinctus cadaveribus scrutor angustum iter ad mare. Non profana flumina Strymonis fluitant tanto sanguine,

tem Continuus? telis, &c.—435 *Qui molles thirsos* Lang. Laur. Buslid. Lipsian.

NOTÆ

424 *Nunc vetitam currus disjungere Phœben*] Tangit fabulam Alcmenæ, qua dum frueretur Jupiter, tres noctes continuatæ sunt ut conciperetur Hercules. Unde 'ter noctem Herculeam' Theb. XII.

425 *Dotalesque rogos, deceptaque fulmina vidi*] Tangit fabulam Semeles. Dicit autem *decepta fulmina.* Non enim ideo missa sunt, ut Semelem interficerent.

426 *Præcipuos natorum*] Bacchum et Herculem.

427 *Tirynthius*] Hercules.

428 *Flagrantem Bromium*] Bacchum: quia Bacchus extractus fuit ex utero materno, cum Semele arderet. Bromius autem cognomen Bacchi.

431 *Belli series*] Cadavera et arma hinc et inde sparsa, et continuo fluvii alveo perlata, vocat 'seriem belli.'

433 *Errant*] Nondum enim conditis ac humatis corporibus, errare animas veteres putabant. *Jungunt caligine*] Id est, turbidas faciunt.

434 *Sacris ululatibus*] Orgiis Bacchi.

435 *Qui molles thyrsos, Bacchæaque cornua*] Thyrsi enim et cornua Bacchantium insignia. *Puro Fonte lavare*] Ad ea expianda et lustranda.

437 *Strymonos*] Strymon Thraciæ fluvius.

Stagna cruore natant, non spumifer altius Ebrus
Gradivo bellante rubet: nec te admonet altrix
Unda, tuasque manus, jampridem oblite parentum
Liber? an Eous melius pacatur Hydaspes?
At tu, qui tumidus spoliis, et sanguine gaudes
Insontis pueri, non hoc ex amne potentem
Inachon, aut sævas victor revehere Mycenas,
Ni mortalis ego, et tibi ductus ab æthere sanguis.
Sic ait infrendens, et sponte furentibus undis
Signa dedit: mittit gelidus montana Cithæron
Auxilia, antiquasque nives, et pabula brumæ
Ire jubet: frater tacitas Asopos eunti

non spumosus Ebrus rubet altius pugnante Marte. Nec te, o Liber, jamdudum immemor majorum, nutrix aqua solicitat, et manus tuas? An Hydaspes Orientalis potius pacificatur? At tu, qui superbis exuviis, et exultas cruore immeriti pueri, non redibis triumphans ex hoc fluvio ad potentem Inachum, aut crudeles Mycenas, nisi ego obnoxius morti sim, tibi vero genus tractum a cœlo. Sic inquit fremens, et ultro signa dat undis furentibus. Cithæron mittit montana subsidia, et imperat veteres nives, et alimenta hyemis fluere. Frater Asopus subministrat occultas

et edd. vett.—441 Behot. 1. *et Eous.*—446 Optimus codex Barthii, *frementi-*

NOTÆ

438 *Ebrus*] Ebrus ejusdem Thraciæ fluvius.

439 *Gradivo bellante*] In Thracia enim sedem fixisse Mars dicitur. Unde etiam Nostro Theb. III. 'Ille furentes Bistonas, et Geticas populatus cædibus urbes.' *Altrix Unda*] Vide supra vs. 343.

440 *Tuasque manus*] An χεῖρες, an copias? hæc vox enim utrumque significat.

441 *An Eous melius pacatur Hydaspes*] Tangit fabulam, qua dicitur Bacchus bello Indiæ illato Indos subegisse. Hydaspes enim fluvius Indiæ qui in Acesinem influit. *Eous*] Quia tota India ad orientem spectat.

442 *At tu*] Convertit orationem ad Hippomedontem.

443 *Pueri*] Crenæi. Miseratione 'puerum' vocat. Ut Virgilius: 'Pallantis pueri,' quem alibi magnum Heroëm repræsentaverat. *Potentem*] Quem tu me potentiorem censes, quoniam nepotem meum occidisti. Sed non redibis ad eum de me triumphans. *Vet. Schol.*

444 *Inachon*] Inachus Argolidis fluvius. *Mycenas*] Mycenæ Argolidis urbs, et origo gentis Hippomedontis: Infra de eodem: 'Cui gentis origo Mycenæ.'

445 *Ni mortalis ego*] Suspectus versus Guyeto: ἐπέχει.

447 *Signa dedit*] Furoris sui unda dedit indicia. *Cithæron*] Mons Bœotiæ.

448 *Auxilia*] Fluenta nivium. *Pabula brumæ*] Nives.

449 *Frater*] Ejusdem regionis fluvius. *Tacitas*] Vel sine strepitu; vel occultas, per latentia spiramina terrarum. *Asopos*] Fluvius Bœotiæ.

Conciliat vires, et hiulcis flumina venis
Suggerit: ipse cavæ scrutatur viscera terræ,
Stagnaque, torpentesque lacus, pigrasque paludes
Excutit, atque avidos tollens ad sidera vultus
Humentes nebulas exhaurit, et aëra siccat.
Jamque super ripas utroque extantior ibat
Aggere, jam medium modo qui superaverat amnem
Hippomedon intactus aquis humerosque manusque,
Miratur crevisse vadum, seseque minorem.
Hinc atque hinc tumidi fluctus, animosaque surgit
Tempestas instar pelagi, cum Pleiadas haurit,
Aut nigrum trepidis impingit Oriona nautis.
Non secus æquoreo jactat Theumesius amnis
Hippomedonta salo, semperque umbone sinistro
Tollitur, et clypeum nigrante supervenit æstu
Spumeus assultans, fractaque refunditur unda,
Et cumulo majore redit: nec mole liquenti
Contentus, carpit putres servantia ripas
Arbusta, annosasque trabes, ejectaque fundo
Saxa rotat: stat pugna impar, amnisque virique,

copias eunti, et sufficit aquas e semiapertis meatibus. Ipse rimatur viscera cavæ telluris, et commovet paludes, pigraque stagna et inertes lacus, et levans ad astra inhiantem faciem, absorbet uvidas nebulas, et arefacit aërem. Jamque inundabat ripas, eminentior utraque crepidine. Jam Hippomedon, qui modo superabat medium fluvium, et cujus manus, et humeri aquis non alluebantur, stupet amnem augeri, et se decrescere. Hinc atque hinc turgescunt undæ, et inflata procella sese attollit more maris, cum absorbet Pleiadas, et effundit atrum Orionem in pavidos nautas. Non aliter fluvius Thebanus agit marino æstu Hippomedonta, semper umbone sinistro extollitur, et transcendit scutum atro fluctu, assiliens cum multa spuma, et aqua elisa revolvitur, et revertitur majore copia. Nec contentus liquido cumulo avellit arbusculas, quæ occupabant fragiles ripas, et vetustos truncos, et volvit lapides fundo excitos. Certamen est inæquale fluvii et hominis, numine irascente; nec

bus undis.—453 *Excitat* Lindenbrog.—460 *Pliades* Behot. 1. *Pliadas* Behot. 2.—467 ‘Vera omnino est scriptura optimi libri: *carpitque putres servantia*

NOTÆ

458 *Seseque minorem*] Quia aquis fere tegebatur.

460 *Pleiadas*] Pleiades sidus tempestuosum. Vide Theb. I. *Haurit*] Supple, pelagus vel mare.

461 *Oriona*] Sidus procellosum.

462 *Theumesius*] Thebanus vel Bœotus a Theumeso Bœotiæ monte.

463 *Umbone sinistro*] Quia brachio sinistro insertus.

469 *Stat*] ‘Stare’ dicit, cum neuter adhuc sit victor.

Indignante Deo: nec enim dat terga, nec ullis
Frangitur ille minis, venientesque obvius undas
Intrat, et objecta dispellit flumina parma.
Stant terra fugiente gradus; et poplite tenso
Lubrica saxa natant, genibusque obnixus, et hærens
Subruta fallaci servat vestigia limo,
Sic etiam increpitans: Unde hæc, Ismene, repente
Ira tibi? quove has traxisti gurgite vires
Imbelli famulante Deo? solumque cruorem
Fœmineis experte choris, cum Bacchica mugit
Buxus, et insanæ maculant trieterida matres?
Dixerat: atque illi sese Deus obtulit ultro
Turbidus imbre genas, et nube natantis arenæ:

enim Hippomedon tergum vertit, nec ullis percellitur terroribus, subiitque obvius irrumpentes aquas, et retrudit fluvium opposito clypeo. Stant pedes elabente terra, et sistit fugaces lapides tenso poplite, ac obnixus genubus firmusque servat vestigia, ne subruantur cedente cœno. Sic quoque objurgans: unde hic tibi subitus furor, Ismene? Ex qua voragine eduxisti copias aquarum, minister ignavi Numinis? quique solum vidisti sanguinem in muliebribus saltationibus, cum Bacchica tibia sonat, et vecordes matronæ conscelerant Trieterida? Dixerat. Et numen sponte illi videndum se præbuit, habens infectas genas guttis aquæ, et copia fluituntis

ripas, &c.' Barth. *Contemptus, carpit putres* Dan.—472 Lindenbrog. Cruc. Dan. Put. Petav. et Behot. 2. pro v. l. *dispergit flumina;* Bohott. 1. 2. Laur. Buslid. Lipsian. Lang. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *dispellit flumina.*—474 'Optimi duo codd. scribunt *saxa tenent;* quod et verum puto.' *Barth.*—478 *Imbelli famulate Deo* Marklandus ad Sylv. II. 6. 80. et ita etiam multi codd. et edd. vett. probante Barthio.—479 *Bacchia* Behot. 1. et duo codd. quos citat doctissimus Gavel in Misc. Obss. Tom. x. p. 439. Vide Achill. II. 4. —480 Unus Behot. et nonnulli Barthiani *trieterica.*—482 Lang. Laur. Buslid. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. et Cruc. *et mole natantis.*

NOTÆ

470 *Indignante Deo*] Ismeno, *indignante*, hominem sibi tamdiu resistere.

473 *Terra fugiente*] Quia magis ac magis crescebant aquæ, et sic terra veluti recedere, seu fugere, Hippomedonti videbatur.

475 *Fallaci limo*] Qui creditos sibi gressus decipiebat, et nutare faciebat.

478 *Imbelli Deo*] Baccho. *Solumque cruorem Fœmineis experte choris*] Quia Bacchantes, furore Bacchi correptæ, quicquid obvium iis fieret, discerpebant, ac se ipsas lacerabant.

480 *Buxus*] Tibia. Vide Theb. VII. 171. *Et insanæ maculant trieterida matres*] Exprobrat factum Agaves, quæ filium Pentheum in Bacchi orgiis laceravit. *Trieterida*] Quia Bacchi sacra seu Orgia tertio quoque anno celebrabantur.

481 *Deus*] Ismenus.

482 *Nube*] Id est, natantis limi

Nec sævit dictis, trunca sed pectora quercu
Ter, quater, oppositi, quantum ira Deusque valebant,
Impulit assurgens: tandem vestigia flexit,
Excussumque manu tegimen, conversaque lente
Terga refert: instant undæ, sequiturque labantem
Amnis ovans: nec non saxis, et grandine ferri
Desuper infestant Tyrii, geminoque repellunt
Aggere: quid faciat bellis obsessus et undis?
Nec fuga jam misero, nec magnæ copia mortis.
Stabat gramineæ producta crepidine ripæ
Undarum ac terræ dubio, sed amicior undis
Fraxinus, ingentique vadum possederat umbra.
Hujus opem (nam qua terras invaderet?) unca
Arripuit dextra: nec pertulit illa trahentem;
Sed majore supra, quam stabat pondere victa
Solvitur, et qua stagna subit radice, quibusque
Arentem mordebat humum, demissa superne

sabuli. Nec sævit verbis, sed surgens, ter quaterque percussit fragmento quercus, quantum furor et numen poterant, pectus objecti Hippomedontis. Tandem emovit pedes, et clypeus manu dejectus est, et tarde convertit tergum. Aquæ urgent, et fluvius exultans insequitur cadentem. Necnon Thebani eum vexant desuper lapidibus, et multitudine telorum, et retrudunt illum ex duplici crepidine. Quid agat obseptus aquis et hostibus? Nec jam fuga infelici, nec facultas gloriosi leti. Stabat ampla fraxinus in aggere herbidi littoris et medio ancipiti aquarum et telluris, sed propensior in aquas, et texerat flumen magna umbra. Ejus auxilium apprehendit unca manu, nam qua occuparet terram? Illa autem non sustinuit trahentem; sed superata majore onere, quam supra assurgebat, cadit avulsis radicibus, tam quibus fluvium ingreditur, quam iis quibus constringebat siccam terram, et superne

—483 Behot. 1. *truncas in pectora quercus.*—484 *Ter quater oppositas.* Behot. 1. *Ter quater opposita* Behot. 2.—486 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. et Gevart. *tegmen;* Behott. 1. 2. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *tegimen.*—490 In uno Barthiano: *bellis oppressus.*—495 'In alio libro scriptum est: '*opes*, i. e. ramos;' sed nihil mutandum.' *Barth.*—497 *Sed majore super* Behott. 1. 2.—

NOTÆ

squalore sordentis. Alii codices habent *mole.*

484 *Oppositi*] Hippomedontis. Ut ostenderet viri fortis constantiam, dicit tarde eum cessisse vel numini.

485 *Tandem vestigia flexit*] Hippomedon, supple.

491 *Nec magnæ*] Heroë dignæ.

493 *Undarum ac terræ dubio*] Incertum erat utrum arbor hæc esset in fluvio, an extra, in ipsa scilicet ripa.

497 *Pondere victa*] Trahentis scilicet gravitate avulsa est.

Injecit trepido sese, ripamque, nec ultra
Passurum subitæ vallavit ponte ruinæ.
Huc undæ coëunt, et ineluctabile cœnum
Vorticibusque cavis sedit, crescitque barathrum.
Jamque humeros, jam colla ducis sinuosa vorago
Circuit: hic demum victus suprema fateri
Exclamat: Fluvione (pudet!) Mars inclyte merges

delapsa pavido se injecit et littus quod secum attraxerat, et illum nihil ultra apprehensurum obruit mole repentini casus. Huc aquæ conveniunt, et limus insuperabilis sedit in vadis profundis, et altior fit vorago. Flexuosum barathrum jam ambit humeros, jam cervicem bellatoris. Hic demum coactus se victum fateri vociferatur: Mars celebris, (pudet!) mergesne hanc animam in flumen, ingrediarne iner-

501 *Prensurum* Gronovius in Diatr. p. 24. e codice Palatino. Vide Handium ad h. l. 'In optimo libro vera hic scriptura superesse videtur: *nec ultra Passa virum:* i. e. emergere, aut se attollere. Vera lectio corrupta est a quodam Italo aut Gallo. Sagax Bernartius, qui vidit aliquid corruptum, sed se expedire non potuit vulgari cœno.' *Barth.* In quibusdam codd. *vallavit pena.*—503 'Hic etiam præstare ausim veritatem codicis scripturæ, quæ clare refert: *Vorticibus recavis.*' Barth. 'Omnino iterum hæc emendanda sunt secundum auctoritatem illius optimi codicis. Scribe: *ineluctabile cœnum Vorticibus recavis cedit, crescitque baratrum.* Sic cohæret, ut debet ordo loquendi.' *Idem.*—505 *Circumit* unus Behot.—508 In eodem codice: *subiti tor-*

NOTÆ

501 *Passurum*] Lege *Prensurum* ex Ms. Palatino. Alludit enim ad id quod præcessit: 'Hujus opem...unca Arripuit dextra,' quod secutus sum in interpretatione.

502 *Huc undæ coëunt*] In locum arboris.

503 *Vorticibusque cavis sedit*] Legit Barthius ex optimo, ut ait, codice: *Vorticibus recavis cedit.*

506 *Fluvione (pudet!) Mars inclyte merges Hanc animam*] Nullum enim genus mortis magis Heroës reformidabant: tum quod, ut supra diximus, igneam animam aquis extingui crederent, cum quod vilem mortem esse crederent, ac insepultos errare, donec terra contegerentur, omnibus persuasum erat. Ideoque Homerus Il. Φ. inducit Achillem virum generosissimum ac in periculis intrepidum mortem in aqua reformidantem: quam quidem etiam 'tetram' vocat. Et Virgilius Æneam quantumvis cetera magnanimum ac fortem in fluctibus a Junone excitatis tantopere expalluisse canit. Vide Servium super Virgilium Æn. I. et Synesium Epistola quarta, ubi refert factum quorundam militum, qui cum navem, in qua erant, gravissima tempestate jactari ac naufragium minari viderent, gladios strinxerunt; et interrogati cur id facerent, responderunt se, ut milites, decere, cum in tabulato navis essent, animam in aërem efflare, non autem in undam hiantes. Ovidius: 'Nec letum timeo: genus est miserabile leti: Demite naufragium, mors mihi munus erit. Est aliquid, fatove suo ferrove cadentem In solida moriens ponere corpus humo; Et mandare suis aliquid, sperare sepulcra, Et non æquoreis piscibus esse cibum.'

Hanc animam? segnesque lacus et stagna subibo,
Ceu pecoris custos, subiti torrentis iniquis
Interceptus aquis? adeone occumbere ferro
Non merui? Tandem precibus commota Tonantem
Juno subit: Quonam miseros, sator inclyte Divum,
Inachidas, quonam usque premes? jam Pallas et odit
Tydea, jam rapto tacuerunt augure Delphi.
En meus Hippomedon, cui gentis origo Mycenæ
Argolicique lares, numenque ante omnia Juno,
(Sic ego fida meis?) pelagi crudelibus ibit
Præda feris? certe tumulos, supremaque victis
Busta dabas: ubi Cecropiæ post prælia flammæ?
Theseos ignis ubi est? Non spernit conjugis æquas
Ille preces: leviterque oculos ad mœnia Cadmi
Retulit, et viso sederunt flumina nutu.

tes paludes et lacus, ut pastor gregis deprehensus a fera diluvie repentini torrentis? Nonne dignus fui, qui ferro perirem? Tandem Juno flexa ejus precibus adit Jovem: Quonam usque, pater illustris Deorum, quonam usque insequeris infelices Argivos? Jam Minerva aversatur Tydeum; jam Delphi siluerunt amisso vate. En meus Hippomedon, cui Mycenæ origo generis, et Argos patria, et Juno divinitas præ omnibus, (sic ego tueor meos?) vadet esca sævis belluis maris? Certe pollicebaris te daturum tumulos superatis, et extremos rogos. Ubi post bellum ignes Attici? ubi est rogus Theseos? Non ille Jupiter aspernatur justas preces uxoris, et leviter flexit oculos ad muros Cadmi, et undæ detumuerunt aspecto nutu. Rigentes armi

rentis iniqui; et pro v. l. *subitis.*—510 'Non solicito hanc lectionem; nam sensus est: Juno commota Tonantem subit precibus: in optimo tamen libro est: *precibus motura.*' Barth.—518 *Justa dabas* legit Marklandus ad Sylv. III. 2. 142.—521 'Non solicitarem hanc scripturam, quanquam idem verbum statim sequatur, memor moris Papiniani: at optimus codex habet: *et viso ceci-*

NOTÆ

507 *Segnes lacus et stagna*] Intelligit Inferorum fluvios.

512 *Jam Pallas et odit Tydea*] Ob feritatem in Menalippum.

513 *Rapto augure*] Amphiarao. Vide sub finem Theb. VII.

516 *Sic ego fida meis*] Notum Junonem Argis ac Mycænis præcipue cultam.

517 *Præda*] Insepultum Ismenus in mare rapiet.

518 *Busta dabas*] Pro *Busta* legendum *Justa* censet Nicolaus Heinsius. Familiaris ista vox Statio. *Ubi Cecropiæ post prælia flammæ? Theseos ignis ubi est*] Hoc dicit ob Creontem, qui vetuerat, ne corpora Argivorum in prælio occisorum sepulturæ mandarentur; sed Theseus, eo interemto, hoc illis humanitatis officium præstitit. *Cecropiæ*] Id est, Atticæ, a Cecrope Athenarum conditore. Hoc videbitur Theb. XII.

520 *Ad mœnia Cadmi*] Thebana.

Illius exsangues humeri, et perfossa patescunt
Pectora: ceu ventis alte cum elata resedit
Tempestas, surgunt scopuli, quæsitaque nautis
Terra, et ab infestis descendunt æquora saxis.
Quid ripas tenuisse juvat? premit undique nimbo
Telorum Phœnissa cohors: nec tegmina membris
Ulla, omnisque patet leto: tunc vulnera manant,
Quique sub amne diu stupuit cruor, aëre nudo
Solvitur, et tenues venarum laxat hiatus,
Incertique labant undarum frigore gressus.
Procumbit, Getico qualis procumbit in Hæmo
Seu Boreæ furiis putri seu robore quercus
Cœlo mixta comas, ingentemque aëra laxat.
Illam nutantem nemus, et mons ipse tremiscit,
Qua tellure cadat, quas obruat ordine sylvas.
Non tamen aut ensem, galeamve audacia cuiquam
Tangere: vix credunt oculis, ingentiaque horrent
Funera, et astrictis accedunt cominus armis.

illius Hippomedontis, et perforatum pectus apparent. Ut cum tempestas celse sublata a ventis quiescit, rupes et tellus a nautis petita eminent, et mare devolvitur a malignis scopulis. Quid prodest ei occupasse littora? Turba Phœnissa undique urget grandine sagittarum: nulla corpori sunt tegumenta, et totus morti exponitur. Tunc plagæ fluunt, et sanguis, qui diu sub aquis concretus fuerat, laxatur a nudo aëre, et solvit parvos venarum meatus, et titubantes pedes vacillant aquarum frigore. Cadit, ut quercus per ramos cœlo inserta, quæ corruit in Hæmo Thracio, seu vi Aquilonis, seu quia cariosus est truncus, et nudat magnum aërem: sylva et ipse mons expavet hanc vacillantem, qua procumbat terra, quas opprimat longa serie arbores. Nullus tamen audet attrectare gladium aut cassidem. Vix adhibent fidem suis oculis, et expavent ingens cadaver, et appropinquant compressis ad pectus

derunt.' Idem.—523 'Non possum prorsus contemnere duorum librorum scripturam: *alte cum flata.* An scriptum Papinio *inflata?* Nihil mutamus.' *Idem.* Edd. vett. *alte conflata.*—525 Nic. Heinsius in Advers. lib. IV. cap. 3. p. 583. legit: *et ab insessis descendunt æquora saxis.* Vide ad Theb. VII. 743. —532 Edd. vett. *in Æmo;* Behott. 1. 2. *in hemo.*—540 *Tandem adit ipse Hyp-*

NOTÆ

527 *Phœnissa*] Thebana, ob Phœnices Thebarum conditores.

529 *Stupuit cruor*] Ob frigus aquæ. *Aëre nudo*] Seu potius calore aëris.

530 *Laxat*] Nudat, sive liberum facit, quem ante obtexerant rami.

532 *Hæmo*] Hæmus mons Thraciæ. *Getico*] Id est, Thracio, Getæ enim Thraciæ populi.

536 *Ordine*] Pro 'longo ordine.' *Sylvas*] Id est, arbores.

Tandem adiit Hypseus, capulumque in morte tenenti
Extrahit, et torvos laxavit casside vultus:
Itque per Aonios alte mucrone corusco
Suspensam ostentans galeam, et clamore superbit:
Hic ferus Hippomedon: hic formidabilis ultor
Tydeos infandi, debellatorque cruenti
Gurgitis. Agnovit longe, pressitque dolorem
Magnanimus Capaneus, telumque immane lacerto
Hortatur librans: Ades o mihi, dextera, tantum
Tu præsens bellis, et inevitabile numen,
Te voco, te solam Superum contemtor adoro.
Sic ait, et voti sese facit ipse potentem.
It tremebunda abies clypeum per et ærea terga
Loricæ, tandemque animam sub pectore magno
Deprendit: ruit haud alio quam celsa fragore
Turris, ubi innumeros penitus quassata per ictus

clypeis. Tandem Hypseus accedit, et ei ensem adimit, quem in leto tenebat, et nudavit galea horribilem faciem: inceditque per Aonias copias monstrans cassidem celse suspensam in fulgenti cuspide, et clamat superba voce: Hic est atrox Hippomedon: hic terribilis vindex immanis Tydei, et expugnator sanguinei fluvii. Fortis Capaneus e longinquo vidit, et dissimulavit dolorem, et librans manu ponderosum jaculum hortatur: Fave mihi, o dextra, præsens et certa in bellis divinitas, te invoco, te unicam veneror derisor Deorum. Sic inquit, et se ipse facit sui voti compotem. Trepida abies transit per scutum, et per ænea thoracis tegumenta, et tandem invenit animam sub amplo pectore. Hypseus cadit, haud alio strepitu, quam alta turris, ubi ruit concussa innumeris machinarum percussibus, et pandit

seus unus Barthianus.—541 ‘In optimo libro clare scriptum est: *laxat vi casside.*’ Barth.—552 ‘Distingue et scribe: *It tremebundæ acies clypeum per et ærea terga Loricæ:* ita enim consensu scribunt optimi duo codices, et nos Papinio relictum omnino arbitramur: τὸ *per* voci suæ subjectum fascinavit librarios.’ *Barth.* Multi codd. et edd. vett. habent: *It tremebunda abies, cly-*

NOTÆ

541 *Laxavit*] Nudavit, galeam adimendo.

543 *Et clamore superbit*] Id est, superbe clamat.

548 *Ades o mihi, dextera, tantum Tu præsens, &c.*] Sic idem Capaneus Theb. III. ‘Virtus mihi numen et ensis Quem teneo.’

550 *Superum contemtor*] Ibidem lib. III. ‘Diu tuto Superum contemtor, et æqui Impatiens.’

551 *Et voti sese facit ipse potentem*] Id est, Hypseum interfecit, quod maxime optabat, et in votis habebat.

552 *Ærea terga Loricæ*] Legit *ærea texta* Gronovius. Nam lib. V. ‘Quin et squalentia texta Thoracum.’ Et lib. III. ‘Magnorumque ærea suta Thoracum.’

555 *Ictus*] Machinarum, seu tor-

Labitur, effractamque aperit victoribus urbem.
Cui super assistens, Non infitiamur honorem
Mortis, ait: refer huc oculos, ego vulneris auctor.
Lætus abi, multumque aliis jactantior umbris.
Tunc ensem, galeamque rapit, clypeumque revellit
Ipsius, exanimemque tenens super Hippomedonta,
Accipe, ait, simul hostiles, dux magne, tuasque
Exuvias: veniet cineri decus, et suus ordo
Manibus: interea justos dum reddimus ignes,
Hoc ultor Capaneus operit tua membra sepulcro.
Sic anceps dura belli vice mutua Graiis
Sidoniisque simul nectebat vulnera Mavors.
Hic ferus Hippomedon, illic non segnior Hypseus
Fletur, et alterni præbent solatia luctus.

victoribus effractum oppidum. Super quem Capaneus stans, Non denegamus, inquit, gloriam leti: verte huc oculos, ego auctor plagæ. Contentus morere, et longe jactantior aliis Manibus. Tunc aufert gladium et cassidem Hippomedontis, et extrahit scutum ipsius, et tenens ea super defunctum Hippomedontem, Accipe, ait, dux illustris, una spolia inimici, tuaque: debitus honor reddetur tuo cadaveri, et funus tuum suo tempore celebrabitur: interea dum præbemus justas flammas, vindex Capaneus tegit hoc tumulo artus tuos. Sic Mars dubius, aspera belli vicissitudine, infligebat pariter mutuas plagas Argivis et Thebanis. Hic trux Hippomedon ploratur, illic non inferior Hypseus, et mutua damna afferunt levamen-

peumque per ærea, &c. Vide Not. Var.—558 Unus Behot. pro *auctor* habet *actor*. —561 'In optimo libro longe alia scriptura: *exanimumque quatiens*. Dicas scripsisse Papinium: *exanimum quatiens*.' Barth.—565 *Hoc ultro Capaneus* unus Behot.—567 Marklandus ad Sylv. v. 1. 18. correxit: *nectebat funera Mavors.*

NOTÆ

mentorum bellicorum.

557 *Super assistens*] Hypseo scilicet. *Non inficiamur honorem Mortis, ait*] Vinci enim et occidi, a fortibus viris gloriæ et honori tribuebatur. Virgilius Æneid. 'Æneæ magni dextra cadis.' Ovid. Met. v. 'Magna feres tacitus solatia mortis ad umbras A tanto cecidisse viro.'

559 *Lætus abi, multumque aliis jactantior umbris*] Quod a fortissimo viro occisus fuisti.

561 *Ipsius*] Hypsei, scilicet.

563 *Cineri decus*] Funus, exequiæ. Cremabantur enim mortuorum corpora.

565 *Ultor*] Tuæ mortis, quod erat solatio mortuis. *Hoc sepulcro*] Id est, armis hostis tuisque, quæ tibi vice sepulcri erunt.

566 *Dura belli vice*] Hinc enim et inde magni duces ceciderant.

569 *Et alterni præbent solatia luctus*] Nullum enim veteribus majus in calamitatibus solatium, quam cum auctores etiam ipsi affligerentur, et in adversam inciderent fortunam.

Tristibus interea somnum turbata figuris
Torva sagittiferi mater Tegeatis Ephebi,
Crine dato passim, plantisque ex more solutis,
Ante diem gelidas ibat Ladonis ad undas
Purgatura malum fluvio vivente soporem.

tum. Interea ferox parens adolescentis Arcadis sagittarii, perculsa mœstis somnii imaginibus, vadebat ante lucem crinibus solutis, pedibusque ex ritu nudis, ad frigidas aquas Ladonis, expiatura ominosum somnum in fluenti amne. Sæpe enim per

Vide Val. Flac. vi. 427. 631.—570 *Tristibus interea somni* Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Gevart. Grasser. Lindenbrog. Cruc. Amstel. et Delph. *Tristibus interea somnum* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Behott. 1. 2. optimus Barth. Exc. Cantab. Petrens. Gronov. Barth. et Veen. Vide Not. Var.—572 'Livineius perperam in Papinio legere maluit: *Crine vago passim.* Alios non nominamus: etiam Bernartius correctum aliquid voluit, sed eum non intelligimus, neque ipsemet se satis, puto.' *Barth.* *Crine dato passum* Ber-

NOTÆ

571 *Mater*] Atalanta. *Tegeatis*] Parthenopæi Arcadis, a Tegea Arcadiæ urbe.

572 *Crine dato passim*] Ut fit in luctu. Lugentes enim mulieres crines nodo solvebant. *Solutis*] Id est, nudis. Veteres enim in plerisque superstitionis ritibus calceos tollebant, maxime cum magnas calamitates imminere credebant. Sic Matronæ ædem Vestæ nudis pedibus adibant. Sic etiam bello Gallico Vestales 'nudo pede fugientia sacra comitantur,' ut ait Florus. Tertullianus: 'Cum stupet cœlum et aret annus nudipedalia denuntiantur.' Vel 'plantæ solutæ' hic, cum calceamenti vinculum laxatur aut detrahitur; quod usurpatum fuisse in sacris quibusdam refert Servius ad illum Æn. iv. versum: 'Unum exuta pedem vinclis.' 'Solent,' inquit, 'et resolutoria sacrificia ab auspicibus fieri, et ad Junonis Lucinæ sacra non licet accedere, nisi solutis nodis.' Soluti enim non vincti ad ea admittebantur. Idcirco in plerisque lictor clamitabat: 'Hostis, vinctus, mulier, virgo exesto,' ait Festus lib. v.

573 *Ante diem*] Tempus enim matutinum accommodum precibus et sacris. Virgilius Æn. xi. 'Vota Deum victor primo solvebat Eoo.' Statius infra: 'Armatæ ruit ad delubra Dianæ Rore sub Eoo.' *Ladonis*] Ladon fluvius Arcadiæ. Vide Theb. iv.

574 *Purgatura malum fluvio virente soporem*] Veteris fuit superstitionis meticulosa somnia vivis aquis, ac ablutione corporis, præsertim capitis purgare, ut colligitur ex Æschylo, et docuit Aristophanes in Batrachis: *ὡς θεῖον ὄνειρον ἀποκλύσω, ut divinum somnium abluam.* Propertius: 'Ac primum pura somnum tibi discute Nympha.' Persius Sat. ii. 'Et noctem flumine purgas.' Adhæsit hæc superstitio Philosophis. Eunapius in Ædesio: *Τόν τε οὖν παῖδα καλεῖ, τὴν ὄψιν καὶ τὸ πρόσωπον ἀποσμῆξαι βουλόμενος. Vocuvit autem puerum, os et vultum abluere volens.* Somniaverat autem ille. *Vivente*] Id est, fluente, ad differentiam aquæ mortuæ, seu non fluentis.

Namque per attonitas curarum pondere noctes
Sæpe et delapsas adytis, quas ipsa dicarat,
Exuvias, seque ignotis errare sepulcris
Extorrem nemoris, Dryadumque a plebe fugatam,
Sæpe novos nati bello rediisse triumphos,
Armaque, et alipedem notum, comitesque videbat,
Nusquam ipsum: nunc ex humeris fluxisse pharetras,
Effigiesque suas, simulacraque nota cremari.
Præcipuos sed enim illa metus portendere visa
Nox miseræ, totoque erexit pectore matrem.
Nota per Arcadias felici robore sylvas
Quercus erat, Triviæ quam desacraverat ipsa

noctes mole solicitudinum anxias cernebat spolia, quæ ipsa consecraverat, cecidisse e sacrariis, seque vagari per ignotos tumulos, exulem sylvarum, et expulsam choro Dryadum, sæpe recentes filii triumphos e bello remeasse, et arma ac notum equum et socios, nusquam ipsum. Nunc pharetras delapsas fuisse ex humeris, suamque imaginem ac notam effigiem comburi. Verum illa nox visa est præsagire maximos timores infelici, et toto animo solicitam tenuit parentem. Erat quercus in nemoribus Arcadiæ, nota fructifero robore, quam ipsa dedicaverat Dianæ, electam e turba

nartius. *palmis ex more* unus Behot.—576 Dan. *dilapsas aditis.*—578 *Extorrem nemorum* Exc. Cantab. Petrens. et Burm.—583 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. et edd. vett. *portendere visa est ; τὸ est* non habetur in Behott.—584 'In optimo exemplari est: *totoque exegit pectore.*' Barth. *totoque*

NOTÆ

576 *Quas ipsa dicarat Exuvias*] Id est, pelles aut cornua ferarum: erat enim venatrix Atalanta. Tangit hunc morem Plutarchus Quæst. Rom. et scribit templis omnibus Dianæ cornua cervorum affigi moris fuisse; quod et ad aliorum Deorum templorum fores id ipsum factitatum, ut discimus ex Symmacho lib. v. Ep. 63. 'Nam ut honori numinum datur cornua sacrare cervorum, et aprinos dentes liminibus affigere; ita amicorum cultui dedicantur libamina sylvarum.'

578 *Dryadumque*] Quia, ut venatrix, admittebatur inter Dryades.

579 *Nati rediisse triumphos*] Per *triumphos* hic intelligi credo spolia hostibus a filio detracta, quæ ferri per quietem tanquam in triumpho videbat Atalanta: in triumphis enim spolia exuviæque hostiles ferebantur ex more Romano.

582 *Simulacraque nota cremari*] Hoc somnium portendebat mortem Parthenopæi, quia erat matri simillimus, ut vidimus Theb. IV. dicit enim Atalanta filio: 'Vultusque recedant ore mei.'

584 *Nox miseræ*] In qua videt somnium, quod Poëta sequentibus versibus narrat.

586 *Triviæ*] Dianæ. *Quam desacraverat ipsa*] Antiquissima veterum superstitio, qua solebant consecrare arbores, iisque nomina Deorum im-

Electam turba nemorum, numenque colendo
Fecerat: hic arcus, et fessa reponere tela,
Armaque curva suum, et vacuorum terga leonum
Figere, et ingentes æquantia cornua sylvas.
Vix ramis locus: agrestes adeo omnia cingunt
Exuviæ, et viridem ferri nitor impedit umbram.
Hanc, ut forte jugis longo defessa redibat
Venatu, modo rapta ferox Erymanthidos ursæ
Ora ferens, multo proscissam vulnere cernit
Deposuisse comam, et rorantes sanguine ramos

arborum, et fecerat numen, illam venerando. Hic solebat collocare arcus, et obtusas sagittas, et aduncos dentes suum, ac pelles inanes leonum, et figere cornua, quæ æquabant proceras arbores. Vix locus erat ramis, sic rusticæ exuviæ ambiunt totam quercum, et splendor armorum prohibet, quominus virides frondes umbram efficerent. Ut vero fatigata longa venatione revertebatur a verticibus montium, modo superba referens avulsum caput ursæ Erymanthiæ, aspexit illam quercum confossam multis plagis dejecisse folia, et frondes stillantes cruore humi aruisse. Ipsi poscenti

erexit corpore Behott.—587 *Ejectam* Put. Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et edd. vett. *Electam* Behott. 1. 2. Dan. Petrens. et Exc. Cantab. *numenque colendum* Lang. Laur. Dan. Buslid. Lipsian. Put. Petav. et edd. vett. *colendo* Petrens. Exc. Cantab. et Behott. 1. 2. Vide Not. Var.—588 Behot. *imponere tela.*—589 Nonnulli codd. *fulvorum terga leonum.* Cf. I. 484. et VI. 719.—591 ' Denuo hic perditam omnibus scriptis editisque libris veritatem Papinianæ scriptionis unus servavit nobis optimus ille codex noster; clarissime enim

NOTÆ

ponere. Plinius lib. XII. cap. 1. ' Hæc fuere numinum templa, priscoque ritu etiam nunc simplicia rura Deo præcellentem arborem dicant: nec magis auro fulgentia, atque ebore simulacra, quam lucos, et in iis silentia ipsa adoramus.' Tacitus de antiquis Germanis: ' Lucos ac nemora consecrant, Deorumque nominibus appellant.' Et de Gallis speciatim Maximus Tyrius ait, Celtas excelsam quercum coluisse et Jovis nomine appellasse.

587 *Electam*] Alii codices *Ejectam. Numenque colendo Fecerat*] Ipsa ei religionem addiderat cultu suo. Martialis interpres optimus lib. VIII. Epigr. 24. ' Qui fingit sacros auro vel marmore vultus, Non facit ille Deos: qui rogat, ille facit.' Quidam codices, *colendum.*

589 *Arma curva suum*] Gallice *defences.*

590 *Et ingentes æquantia cornua sylvas*] Vide quæ diximus supra vs. 195. Apuleius tangit hunc morem Florid. I. ' Aut quercus cornibus onerata.'

592 *Et viridem ferri nitor impedit umbram*] Supra: ' Hic arcus et fessa reponere tela.'

594 *Erymanthidos ursæ*] Erymanthus mons Arcadiæ.

595 *Cernit*] In somno scilicet.

596 *Rorantes sanguine ramos*] Dryadis Nymphæ, secundum veterum opinionem, credentium singulis arbo-

Expirasse solo: quærenti Nympha cruentas
Mænadas, atque hostem dixit sævisse Lyæum.
Dum gemit, et planctu circumdat pectus inani,
Abrupere oculi noctem, mœstoque cubili
Exsilit, et falsos quærit per lumina fletus.
Ergo ut in amne nefas merso ter crine piavit,
Verbaque solicitas matrum solantia curas
Addidit, armatæ ruit ad delubra Dianæ,

causam, Nympha retulit sanguineas Mænadas, et inimicum Bacchum hanc exercuisse crudelitatem. Dum suspirat, et ferit pectus vano percussu, oculi evigilantes excusserunt ei somnum, et se proripit e tristi lecto, et quærit manu in oculis inanes lacrymas. Ergo ut purgavit infaustum omen in fluvio, mersis ter comis, et adjecit verba, quæ solent levare anxias parentum solicitudines, currit ad ædem armatæ Dianæ tem-

---

in eo scriptum est: *Vix radiis locus.*' Barth.—599 Unus Behot. *planctu pectus circundat inani;* optimus codex Barthii: *circumdit pectus.*—602 *Ergo ut inane nefas* omnes fere codd. et edd. vett. *Ergo ut amne nefas* optimus Barth. *Ergo ut in mane nefas* alius Barth. Lectio nostra debetur Schotto in Obss. lib. II. 29. hinc receperunt Gevart. Dan. Heinsius in Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph.—604 *Addit et armatæ* unus Barthianus.—612 In quibusdam codd.

NOTÆ

ribus singulas Dryadas attribui, quarum ævi mensura eadem quæ arboris.

597 *Quærenti*] Causam proscissæ arboris.

598 *Mænadas*] Bacchantes. *Lyæum*] Bacchum. Hoc autem dixit, quia Bacchus ejusque Mænades erant Thebani: idque funesti quid Parthenopæo portendebat: fuit enim occisus a Thebanis, infra enim dicit Atalanta: 'Quid in nostris, nemoralis Delia, sylvis Mænades hostiles, Thebanaque numina regnant?' Totum autem hunc locum imitatur Claudianus lib. III. de Raptu Proserpinæ: 'Stabat præterea luco dilectior omni Laurus, virgineos quæ quondam fronde pudica Umbrabat thalamos: hanc ima parte recisam Vidit, et incomtos fœdari pulvere ramos. Quærentique nefas Dryades dixere gementes Tartareas furias debellavisse bipenni.'

599 *Planctu inani*] Somniabat enim se sibi pectus tundere.

600 *Abrupere oculi noctem*] Somnum oculi evigilantes abruperunt. Notatio evigilantis non tamen plena. Non enim semper oculi, dum aperiuntur, somnum excutiunt: videbimus enim alios profundius dormire, qui apertis oculis nesciunt diem. *Vet. Schol.*

601 *Quærit per lumina*] Non enim veræ fuerant lacrymæ, ideoque falsos fletus quærit manu in oculis, nec eos invenit.

602 *Ut in amne nefas merso ter crine piavit*] Ter purgari solebant veteres, si quo piaculo erant polluti, vel igne, vel sulfure, vel aqua. Vide sub finem libri præcedentis, et supra vs. 574.

Rore sub Eoo, notasque ex ordine sylvas
Et quercum gavisa videt: tunc limine Divæ
Astitit, et tali nequicquam voce precatur:
Virgo potens nemorum, cujus non mollia signa
Militiamque trucem, sexum indignata, frequento,
More nihil Graio: nec te gens aspera ritu
Colchis, Amazoniæve magis coluere catervæ:
Si mihi non unquam thyasi, ludusve protervæ
Noctis, et inviso quamvis temerata cubili,
Non tamen aut teretes thyrsos, aut mollia gessi
Pensa, sed in tetricis et post connubia lustris,

pore matutino, et læta cernit sueta serie nemora et quercum. Tunc astitit foribus Deæ, et incassum orat his verbis: Virgo sylvarum præses, cujus sequor haud imbellia vexilla, et fortes exercitationes, perosa sexum, consuetudine nullo modo Græca: nec te Colchis natio fera moribus, nec Amazonum phalanges plus veneratæ sunt: mihi nunquam chori, nec petulantia procacis noctis placuere, et licet contaminata sim inviso thoro, non tamen tuli aut teretes thyrsos, aut muliebres colus, sed etiam post nuptias

thyrsi.—614 Et hic contra nonnulli habent *thyasos.* Joannes Wowerius Notis ad Sidonii Panegyricum Majoriano dictum *thyrsos* huic loco, *thyasos* superiori asseruit.—615 'Agnoscunt hanc lectionem (*in tetricis*) etiam optimæ illæ membranæ. At in aliis offendimus: *in tectis.* Nihil mutamus.' *Barth.*—616

NOTÆ

609 *Militiamque trucem*] Sic vocat Venationem. Erat et 'militia Veneris,' ut et Dianæ. Horatius ad Venerem: 'Longe signa feret militiæ tuæ.'

610 *More nihil Graio*] Mulieres enim apud Græcos nec venabantur, nec arma tractabant.

611 *Colchis*] Dicit Colchos Dianam coluisse, quod hæc confundatur cum Hecate, quæ fuit Persei Colchorum regis filia, quo interemto, patruo Æetæ nupsit, ex quo Medeam suscepit. Hæc autem fuit animi plane virilis, venationi, medicinæ, ac veneficiis addictissima, quas artes filiam docuit, ut tradit Dionysius Milesius in Argonauticis, et exinde vetus Scholiastes Apollonii in Argonaut. III. Hinc fieri potest, ut a Colchis inter Deos relata fuerit, ac culta, ut Medea filia. *Amazoniæve catervæ*] Amazones enim colebant numina, quæ suis moribus congruebant, ut Dianam et Palladem, ut videmus Theb. XII. 'Et tantum innuptæ quærunt delubra Minervæ.' Ubi loquitur de Amazonibus.

612 *Thyasi*] Thyasus, saltatio, et chorea, ac pompa quæ Baccho exhibebatur. Virgilius Ecl. v. 'Instituit Daphnis thyasos inducere Baccho.' Item thyasus multitudo rei divinæ causa collecta, turba numine percita, chorus. *Ludusve protervæ Noctis*] Orgia Bacchi seu Bacchanalia noctu agitari solita, in quibus multa turpia fiebant.

615 *Et*] Id est, etiam.

Sic quoque venatrix, animumque innupta remansi:
Nec mihi secretis culpam occultare sub antris
Cura, sed ostendi natum, posuique trementem
Ante tuos confessa pedes: nec degener ille
Sanguinis, inque meos reptavit protinus arcus,
Tela puer lacrymis et prima voce poposcit.
Hunc mihi (quid trepidæ noctes, somnusque minantur?)
Hunc, precor, audaci qui nunc ad prælia voto
Heu nimium tibi fisus abit, da visere belli
Victorem, vel, si ampla peto, da visere tantum.
Hic sudet, tuaque arma ferat: preme, Diva, malorum
Signa: quid in nostris, nemoralis Delia, sylvis

degi in asperis sylvis, sic quoque dedita venationi, et mente remansi virgo. Nec volui celare noxam in remotis speluncis, sed monstravi tibi filium, et confessa abjeci trepidantem ad pedes tuos. Nec indignus ille generis; statim repsit intra meos arcus, et infans petiit sagittas fletibus et primo vagitu. Hunc, oro, (quid funesti pavidæ noctes, ac somnia portendunt?) hunc, qui profectus est ad pugnas temerario desiderio, heu nimium te fretus, concede mihi videre triumphantem de hostibus, vel, si nimia posco, concede solum hunc videre. Hic exerceatur, et gerat tua arma. Averte, Dea, præsagia calamitatis: quare, o Diana Nemorensis, infestæ Mænades

Optimæ Barthii membranæ, Dan. Put. Petav. et edd. vett. *animoque innupta;* Behott. 1. 2. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *animumque innupta.*—617 Duo codd. Barthiani *puerum occultare;* Behot. 1. *crimen occultare;* Behot. 2. *crinem occultare*, et pro v. l. *culpam.*—618 Excerpta Fabri: *ostendi prolem.*—621 *Telaque per lacrymas* correxit Marklandus ad Sylv. III. 1. 160.—622 *Nunc* unus Behot. *minatur* in eodem et quibusdam Lindenbrogii.—625 Post hunc versum in antiquiore Behot. legitur: *Si non victorem, da tantum cernere victum:* tum sequitur: *Hic sudet, &c.*—626

NOTÆ

616 *Sic quoque venatrix*] Cum virgo esse desiissem, in honorem tamen numinis tui venandi studia non mutavi. *Animumque*] Alii codices, *animoque.*

617 *Culpam*] Apud Virginem Deam nuptias vocat *culpam.*

618 *Ostendi*] Tibi, supple. *Trementem*] Infantes enim tremunt, mox ut nati sunt, cum e loco calido frigidiori aëri exponuntur.

619 *Confessa*] Innocentiæ proximus est, qui culpam fatetur.

620 *Reptavit protinus*] Signum virtutis Martiæ, statim natum infantem arma non expavescere. Imitatus est Claudianus de suo Honorio III. Consulatu: 'Reptasti per scuta puer, regumque feroces Exuviæ tibi ludus erant.' Sidonius Paneg. Anthemii: 'Reptabat super arma patris.'

625 *Da visere tantum*] Hoc obtinuit, sed non vivum aspexit.

626 *Tuaque arma*] Venatoria, seu sagittas.

627 *Quid in nostris, &c.*] Vide supra vs. 598. *Quid*] Quare. *Nemoralis*] Alludit ad Nemorensem Dianam quæ apud Ariciam Italiæ urbem colebatur.

Mænades hostiles, Thebanaque numina regnant?
Hei mihi! cur penitus, (simque augur cassa futuri,)
Cur penitus, magnoque interpretor omine quercum?
Quod si vera sopor miseræ præsagia mittit,
Per te maternos, mitis Dictynna, labores,
Fraternumque decus, justis hunc fige sagittis
Infelicem uterum: miseræ sine funera matris
Audiat ille prior. Dixit, fletuque soluto,
Aspicit et niveæ saxum maduisse Dianæ.

Diique Thebani dominantur in lucis nostris? Heu me, cur prorsus, (simque falsa vates venturi,) cur prorsus in malum præsagium explico quercum? Quod si somnus affert certa omina infelici, placida Dictynna, oro te per maternas molestias Latonæ, ac per fraternam gloriam, confode æquis telis hunc infortunatum ventrem. Patere, oro, ille accipiat prior nuntium mortis infelicis parentis. Inquit, et exhaustis lacrymis cernit marmoreum simulacrum candidæ Dianæ sudorem emisisse.

Exc. Cantab. *dira malorum Signa.*—633 ' In aliis lectum *cunctis* pro *justis*. Sed præstare puto vulgatam, quam et libri confirmant.' *Barth.* Lipsian. exhibet *cūctis.*—635 *Audiat ille precor* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Behott. 1. 2. et edd. vett. *Audiat ille prior* Dan. Put. Petav. Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph. et ita ex codd. emendant Burmannus ad Ovid. Met. VIII.

NOTÆ

630 *Quercum*] Vide supra.

632 *Maternos labores*] Vel Latonæ, vel omnium parturientium, quibus præest. *Dictynna*] Cognomentum Dianæ, quæ sic dicta est ἀπὸ τῶν δικτύων, *a retibus:* nam venatu gaudet Dea. Phornutus refert ' Dictynnam ' vocari, quod huc suos dejiciat radios: nam δίκειν *jacere* significat: Diana autem eadem quæ luna. Scholiastes Ranarum Aristophanis dicit Nympham, quæ Britomartys vocabatur, incidisse venando in retia et hinc se expedire non potuisse: liberatam vero a Diana templum Dianæ Dictynnæ consecravisse. Hæc etiam hujus cognominis ratio traditur. Dictynna Cretensis Nympha, Dianæ comes, cum vim Minois, stuprum illi inferre tentantis, effugere non posset, in mare se præcipitem dedit: illata vero est inter retia piscatorum, quæ Græce δίκτυα dicuntur, e quibus ejus corpus eductum est. Cum autem postea Creta insula gravi peste afflicta esset, erecto Dianæ templo sub cognomine Dictynnæ, a retibus, a peste liberata est. Vide Callimachum in Dianæ Hymno, Strabonem l. x. Lege Euripidis in Hippolyto commentatores, Pausaniam in Laconicis et Phocicis. Diodorus Siculus Dictynnam aliam esse a Diana sentit.

633 *Fraternumque decus*] Apollinis. *Justis*] Alia lectio, *cunctis.*

635 *Prior*] Alia lectio, *precor.*

636 *Saxum*] Simulacrum. *Maduisse*] In malum omen accipiebatur, cum simulacra Deorum sudabant, ut videre est apud scriptores. Vide Theb. IV. Quibusdam maduisse plorasse.

Illam Diva ferox etiamnum in limine sacro
Expositam, et gelidas verrentem crinibus aras
Linquit, et in mediis frondentem Mænalon astris
Exsuperat gressu, saltumque ad mœnia Cadmi
Destinat, interior cœli qua semita lucet
Dis tantum, et cunctas juxta videt ardua terras.
Jamque fere medium Parnassi frondea præter
Colla tenebat iter, cum fratrem in nube corusca
Aspicit haud solitum visu. Remeabat ab armis
Mœstus Echioniis, demersi funera lugens
Auguris. Irrubuit cœli plaga sidere mixto,

Trux Dea deseruit illam adhuc prostratam in foribus religiosis, et verrentem capillis frigida altaria, et gradu transcendit Mænalum, qui ramos habet in mediis sideribus, et dirigit cursum ad muros Cadmi, eo interiori cœli tramite, qui tantum numinibus lucet, et ex hoc alto loco cernit omnem terrarum orbem. Et jam fere insistebat mediam viam, secus ramosos vertices Parnassi, cum videt germanum in fulgenti nube, non eo vultu, quo solebat. Redibat tristis ex pugna Thebana, flens mortem absorpti vatis. Tractus hic cœli rutilavit mixtis eorum astris, et eorum jubar simi-

499. et Marklandus ad Sylv. v. 1. 181.—637 ' Voculam *in* optimæ aliæque membranæ omittunt. Eam lectionem veram putamus, et Papinio convenientiorem.' *Barth.*—638 In quibusdam edd. vett. *verentem crinibus aras;* Bernartius correxit ex codd.—644 Dan. Put. Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et edd. vett. *fratrem nube;* Behott. 1. 2. optimus aliique codd. Barthiani, Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *fratrem in nube.*—646 Unus Behot.

NOTÆ

638 *Verrentem crinibus aras*] Crinibus enim passis templa matronæ in supplicationibus verrebant, ut jam diximus, et id sequentibus testimoniis firmatur. Livius lib. III. ' Stratæ passim matres crinibus templa verrentes, veniam irarum cœlestium exposcunt.' Apuleius Met. v. ' Tunc Psyche uberi fletu rigans Deæ vestigia, humumque verrens crinibus suis.' Claudianus: ' Numinibus votisque vacas, et supplice crine Verris humum.'

639 *Mænalon*] Montem Arcadiæ.

640 *Ad mœnia Cadmi*] Thebas.

641 *Interior, &c.*] Credebant veteres semitam esse quandam, quæ tantum Diis lucebat, non hominibus.

643 *Parnassi*] Montis Phocidis. *Præter*] Id est, secus: Gallice, *le long.*

645 *Haud solitum visu*] Non eo vultu quo solebat.

646 *Echioniis*] Thebanis, ab Echione uno ex Spartis.

647 *Irrubuit, &c.*] Deos mutuo occursu lucem effundere, quasi solis jubar, credidit antiquitas; quod ex Ægyptiorum theologia habebat, qui inopinato visa luce numinum congressus notabant. Indicavit id hoc loco Papinius noster poëtarum doctissimus.

Occursuque sacro pariter jubar arsit utrimque,
Et coiere arcus, et respondere pharetræ.
Ille prior: Scio Labdacidas, germana, cohortes,
Et nimium fortes ausum petis Arcada pugnas.
Fida rogat genitrix: utinam indulgere precanti
Fata darent! en ipse mei (pudet) irritus arma
Cultoris, frondesque sacras, ad inania vidi
Tartara, et in memet versos descendere vultus:
Nec tenui currus, terræque abrupta coëgi,
Sævus ego, immeritusque coli. Lugentia cernis
Antra, soror, mutasque domos: hæc sola rependo
Dona pio comiti: nec tu peritura movere
Auxilia, et mœstos in vanum perge labores.
Finis adest juveni: non hoc mutabile fatum;
Nec te nunc dubiis fraterna oracula fallunt.
At decus extremum misero, confusa vicissim
Virgo refert, duræque licet solatia morti

liter accensum fuit utrimque sacro congressu, et arcus convenerunt, et pharetræ quadrarunt. Ille primus incipit: Nosco, soror, postulas salutem Parthenopæi Arcadis, qui tentavit Thebanas acies, et prælia nimium atrocia. Mater ejus tibi devota te precatur, utinam fata sinerent postulationi annuere. En ipse invalidus vidi, erubesco, arma mei ministri, et religiosos ramos, et ora in me conversa mergi in vacuos Inferos. Nec retinui currus, nec occludi hiatum telluris, crudelis ego, et indignus qui adorer. Aspicis, germana, flentes specus, et tacitas ædes. Hoc solo præmio remuneror religiosum socium. Nec tu persevera vanam opem tentare, et insumere incassum tristem operam. Terminus vitæ venit huic adolescenti: hoc fatum revocari non potest. Nec te fraterna responsa nunc decipiunt ambiguis verbis. At licet procurare infelici supremam gloriam, et levamentum acerbo leto, vicissim

dimersi.—648 Barthius legit: *arsit utrumque.*—650 '*Labdacias* scribendum cum optimis membranis; et ita Lutatius. Librorum nonnulli hic delirant, etiam qui addita litera *Labdacidas* rescribunt.' *Barth.* Vide Not. Var.—654 Behott. 1. 2. *et inania.*—664 Unus Behot. *diræque licet solatia mortis.*—666 In

NOTÆ

650 *Labdacidas*] Thebanas, a Labdaco rege Thebarum. Legit *Labdacias* Gronovius, et melius.

651 *Ausum*] Supplendum, aggredi, impetere, aut aliud verbum.

654 *Cultoris*] Amphiarai.

656 *Terræque abrupta coëgi*] Id est, nec potui hiatum terræ obdere, aut occludere.

658 *Antra*] Fatidica scilicet Parnassi vel Cyrrhæ.

662 *Dubiis*] Ut facere solebat, unde *Λοξίας* appellatus.

Quærere: nec fugiet pœnas, quicumque nefandam
Insontis pueri scelerarit sanguine dextram
Impius: et nostris fas sit sævire sagittis.
Sic effata movet gressus, libandaque fratri
Parcius ora tulit, Thebasque infesta petivit.
At pugna ereptis major crudescit utrimque
Regibus, alternosque ciet vindicta furores.
Hypseos hinc turmæ, desolatumque magistro
Agmen, at hinc gravius fremit Hippomedontis ademti
Orba cohors: præbent obnixi pectora ferro:
Idem ardor rabidis externum haurire cruorem,
Ac fudisse suum: nec se vestigia mutant.
Stat cuneo defixa acies, hostique cruento
Dant animas, et terga negant: cum lapsa per auras
Vertice Dircæi velox Latonia montis
Astitit: agnoscunt colles, notamque tremiscit

respondet confusa Dea, nec quicumque profanus maculaverit scelestam manum cruore innoxii adolescentis, pœnas vitabit: liceat etiam nostris telis sævire. Sic locuta profert gradus, et ora parcius osculanda fratri præbuit, et irata tendit ad Thebas. Prælium autem acrius exardescit sublatis utrimque ducibus, et ultio instigat mutuam rabiem. Hinc catervæ Hypsei, et manipuli privati duce; at hinc orba phalanx erepti Hippomedontis durius frendet. Obluctantes offerunt gladiis pectora: idem ardor furiosis eliciendi hostium sanguinem, ac suum profundendi: loco non moventur: stat cuneo firma acies, et offerunt animas hosti crudeli, et terga non dant: cum celeris Latonæ filia demissa per aërem stetit in cacumine Dircæi montis. Colles agnoscunt illam, et nemus horret cognitum numen, ubi quondam

eodem codice: *scelerarel sanguine.*—673 Dan. Put. Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. et Gevart. *at hic;* Petrens. Exc. Cantab. Behott. 1. 2. Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *at hinc.*—674 Dan. *obnoxi pectora;* unus Behot. *obnixi corpora.*—675 *Idem ardor rapidis* in eodem.—676 *Ac fudisse solo* unus Behot.—680 Lipsian. Dan. Put. Petav. *pictamque tremiscit.* 'Quod ex alio, iram secundum glossam indicante, corruptum conjectare licet. Nihil omnino mutandum, et ad-

NOTÆ

667 *Et nostris*] Etiam nostris.

669 *Parcius ora tulit*] Vel quia tristis ob repulsam, quam non speraverat, vel ob fatum Parthenopæi.

671 *Vindicta*] Apte, quia Tisiphone in ultionem accendebat utrimque Argivos et Thebanos.

676 *Nec se vestigia mutant*] Id est, nemo de eo loco, in quo stabat, pellebatur. *Ils ne quittent point leurs postes.*

679 *Dircæi montis*] Id est, Cithæronis, ex quo dicitur Diana cum Apolline occidisse Niobes liberos. Vide Ovidium Met. *Latonia*] Diana Latonæ filia.

680 *Notam*] Cæde liberorum Niobes.

Sylva Deam, sævis ubi quondam exerta sagittis
Fœcundam lasso Nioben consumserat arcu.
Illum acies inter medias, jam cæde superbum,
Nescius armorum, et primas tunc passus habenas
Venator raptabat equus, quem discolor ambit
Tigris, et auratis adverberat unguibus armos.
Colla sedent, nodis et castigata jubarum
Libertas, nemorisque notæ sub pectore primo
Jactantur, niveo lunata monilia dente.
Ipse bis Œbalio saturatam murice pallam,
Lucentesque auro tunicas, (hoc neverat unum

nudato pectore confecerat crudelibus telis fœcundam Nioben, arcu fatigato. Equus venator rudis belli, et qui tunc primos frænos admiserat, auferebat inter medias phalanges illum Parthenopæum, jam cæde gloriantem, quem equum maculosa pellis tigridis cingit, et ferit humeros auratis unguibus. Riget cervix, et libertas jubarum nodis compressa est, et monilia ex dentibus candidis in formam lunæ curvatis, quæ erant signa venationis, sub ejus collo agitantur. Ipse Parthenopæus habens succinctam super ilia subtili vinculo chlamydem bis tinctam ostro Laconico, et ful-

dicunt optimæ membranæ. Fuerat in quibusdam forte olim membranis: *cinctumque tremiscit.*' Barth.—683 'Melior aliquanto sonus poëticis auribus obvenit lectione optimi codicis: *Illum inter medias acies.*' Idem.—687 Carolus Paschalius de Coronis lib. x. cap. 18. conjectabat: *Colla sedent, non est*

NOTÆ

681 *Exerta*] Id est, nudato pectore, ut expeditius arcum tractaret.

682 *Fœcundam lasso Nioben consumserat arcu*] Nota Niobes fabula, ejusque superbia, qua in se iram Apollinis et Dianæ convertit, unde sagittis liberos ejus confixerunt, ac interemerunt. *Fœcundam*] Quia ipsi quatuordecim erant liberi. *Lasso*] Tot occisis.

686 *Tigris, &c.*] Vide Theb. VIII. *Tigris* vero pro pelle tigridis.

687 *Colla sedent, [sedent] nodis*] Sic distinxit Lactantius, et explicat plena sunt musculis. Virg. 'Luxuriatque toris animosum pectus.' Alii interpretes *τὸ nodis* jungunt cum *et castigata. Et castigata jubarum Libertas*] Jubæ nodis compressæ sunt et nodatæ, ne luxuriarent nimis et effunderentur. Quod sequor.

688 *Nemoris notæ*] Seu venationis. Apri enim venando capti.

689 *Niveo lunata monilia dente*] An monile eburneum, aut phaleræ eburneæ, vel monile confectum ex dentibus suum formatis in modum lunæ curvatæ in cornua, quæ equi pectori appenderat? Quod ultimum secutus sum.

690 *Bis saturatam*] Intelligit dibapham purpuram bis tinctam. *Œbalio murice*] Ad oram enim Œbaliæ seu Laconiæ capiebantur etiam murices et purpuræ, ut in ora Phœniciæ, unde etiam purpura Laconiæ in pretio. Vide Theb. I.

691 *Hoc neverat unum*] Ex more prisco, ut notavimus Theb. IV. quo matres texebant ac nebant chlamydes filiorum militares. *Unum*] Quia

Mater opus,) tenui collectus in ilia vinclo,
Cornipedis lævo clypeum demiserat armo,
Ense gravis nimio: tereti juvat aurea morsu
Fibula, pendentes circum latera aspera cinctus,
Vaginæque sonum, tremulumque audire pharetræ
Murmur, et a cono missas in terga catenas.
Interdum cristas hilaris jactare comantes,
Et pictum gemmis galeæ jubar: ast ubi pugna
Cassis anhela calet; resoluto vertice nudus
Exoritur: tunc dulce comæ, radiisque micantes

gentem auro tunicam, (parens neverat hoc solum opus,) imposuerat scutum sinistro humero equi: onustus erat ense graviori, quem aurea fibula sustinet rotundo morsu. Juvat audire balteum pendulum circa terribilia latera, et sonitum vaginæ, et crepitum trepidæ pharetræ, et catenas descendentes a cono in dorsum. Interdum lætus agitare cristæ jubas, et fulgentem cassidem gemmis distinctam. At ubi prælio fatigatus, exuit galeam madentem sudore, et ostendit se detecto capite; tunc crines

incastigata jubarum Libertas.—692 ‘Distinctio plena his verbis subjicienda: *collectus in ilia vinclo.*’ Barth.—693 Unus Behot. *dimiserat armo.*—694 *Ense gravis tereti, nimio juvat* omnes Barthiani, Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *Ense gravis nimio, tereti juvat* Behott. 1. 2. Exc. Cantab. Petrens. Dan. Put. Petav. Lipsian. Lang. Laur. Buslid. Lindenbrog. Cruc. Gevart. Grasser. Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph. Schottus in Obss. Hum. lib. II. cap. 29. ex codd. legit: *Ense gravis nimio tereti ligat, &c.* et ita in suo codice reperit Gronovius. Vide Syllog. Epist. Tom. II. p. 537.—696 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. et Gevart. *tremulæque audire pharetræ;* Behott. 1. 2. Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *tremulumque audire pharetræ.*—701 ‘Nonnulli libri, ut et optimus omnium, *radiisque trementes* legunt; quod tamen merito præterierim.’ *Barth.* Behot. 1. Burm. Petrens. et Exc. Cantab. etiam, *tre-*

NOTÆ

nisi victa pietate in filium nunquam opera fœminea attigisset, ut quæ virilia exerceret, ut venationem.

694 *Ense gravis nimio*] Hunc versum et tres sequentes suppositos censet et rejicit Guyetus. Et certe nimium luxuriat Poëta in hac Parthenopæi descriptione; nam ad quid referret illud *audire?* an ad illud *juvat? Juvat*] Andreas Schottus legit *ligat* ex scriptis codicibus; nec aliter invenit Gronovius in Pirchemeri membranis.

696 *Vaginæ sonum, &c.*] An supplendum, juvat audire sonum vaginæ, &c.

697 *A cono missas in terga catenas*] A cono enim galeæ descendebant catenæ, quæ collum militis ab ictu defendebant.

699 *Et pictum gemmis galeæ jubar*] Veteres galeas interdum gemmis et auro ornabant. Ovid. de Pont. III. ‘Scuta sed et galeæ gemmis radientur et auro.’ Prudentius in Psychomachia: ‘Si fratris galeam fulvis radiare ceraunis.

Dulce nitent visus, et, quas dolet ipse morari,
Nondum mutatæ rosea lanugine malæ.
Nec formæ sibi laude placet, multumque severis
Asperat ora minis: sed frontis servat honorem
Ira decens: dat sponte locum Thebana juventus,
Natorum memores, intentaque tela retorquent:
Sed premit, et sævas miserantibus ingerit hastas.
Illum et Sidoniæ juga per Theumesia nymphæ
Bellantem, atque ipso sudore et pulvere gratum
Laudant, et tacito ducunt suspiria voto.
Talia cernenti mitis subit alta Dianæ
Corda dolor, fletuque genas violata, Quod, inquit,
Nunc tibi, quod leti quæram Dea fida propinqui
Effugium? hæcne ultro properasti ad prælia, sæve
Ac miserande puer? cruda heu festinaque virtus
Suasit, et hortatrix animosi gloria leti.

blande, ac oculi radiis coruscantes blande lucent, et purpureæ genæ nondum indutæ lanugine, quam ipsi grave est tardari. Nec sibi gratatur præconio pulchritudinis, et valde efferat faciem severis minis, sed grata ferocitas frontis decorem retinet. Thebani faciunt ei ultro viam, recordati liberorum suorum, et revocant destinatas sagittas. Sed instat, et injicit crudeles hastas parcentibus. Illum et Nymphæ Thebanæ in cacuminibus Theumesi laudant pugnantem, et venustum ipso sudore et pulvere, et suspirant occulto desiderio. Dianæ hæc aspicienti placidus dolor penetrat profundum pectus; et vultu temerato lacrymis: Quemnam, inquit, nunc tibi procurabo Dea fida exitum a morte proxima? Ad hasne pugnas sponte festinasti, crudelis et deplorande adolescens? Heu propera et immatura virtus, et honor sua-

mentes; Behot. 2. *nitentes;* Burm. pro v. l. *meantes.* Lectio *trementes* Burmanno placuit. Cf. Propert. IV. 6. 26. ibi Bronkhus. et Passer. Cic. Divin. I. 11. et Theb. II. 505. necnon Barth. ad Nemes. Ecl. II. 76.—702 *Dulce nitent oculi* optimæ Barthii membranæ : 'Pariter hic veritatem restituit unicus ille codex, *quam dolet ipse morari* referendo.' *Barth.*—712 In veteribus membranis

NOTÆ

704 *Nec formæ sibi laude placet*] Ut quæ fœminam magis deceret, quam virum : ideo illam efferabat severis minis, et ne timiditatis argueretur.

705 *Sed frontis servat honorem Ira decens*] Omnia pulchrorum pulchra sunt, ut dicebat Socrates, et ut lib. VI. dixerat Poëta Parthenopæi lacrymas suam habere gratiam, sic hic dicit iram ejus 'Non potuisse frontis ejus venustatem extinguere, sed ipsam servare.'

707 *Intentaque tela retorquent*] Tela contra Parthenopæum parata ætatis ejus misericordia revocantur.

709 *Sidoniæ nymphæ*] Thebanæ. *Juga per Theumesia*] Theumesus mons Bœotiæ, ut jam sæpius diximus.

711 *Et tacito ducunt suspiria voto*] Ut ei nubant, vel vincat.

Scilicet angustum jamdudum urgentibus annis
Mænalium tibi, parve, nemus, perque antra ferarum
Vix tutæ sine matre viæ, sylvestria cujus
Nondum tela procax, arcumque implere valebas.
Et nunc illa meas ingentem plangit ad aras
Invidiam, surdasque fores, et limina lassat.
Tu dulces lituos, ululataque prælia gaudes,
Felix, et miseræ tantum periture parenti.
Ne tamen extremo frustra morientis honori
Affuerit, venit in medios caligine fulva
Septa globos, primumque leves furata sagittas
Audacis tergo pueri, cœlestibus implet

sor generosæ mortis te impulit. Nempe saltus Mænalius arctus tibi visus est, annis instantibus; cum vix securum iter erat per lustra bestiarum sine genitrice, cujus nondum proterve poteras tractare nemorensia spicula et arcus. Et nunc illa lamentatur, invidiam faciens ad altaria mea, et fatigat surda limina et fores. Gratæ tubæ et pugnæ personantes te delectant, fortunate, et tantum moriture infelici matri. Ne tamen Diana incassum præsens fuerit supremæ gloriæ perituri, subit medias acies circumdata fulva nube, et primum surripiens levia tela e dorso temerarii

Barthii vox *mitis* ita mirifice scripta est ut et legi possit *uncis*.—720 'In optimis nostris membranis contraria pæne sententia est, quam ego tamen veram esse negare non ausim: *Vix tutæ cum matre viæ*.' Barth.—723 Behot. 1. *et limina laxat*; Behot. 2. *et limina pulsat*. 'Ineptiunt libri qui in Papinio lectionem mutatum veniunt.' *Barth*.—724 In Lactantii Commentario legitur: *ululandaque prælia*.—725 Put. Petav. unus Behot. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. et Gevart. *moriture parenti*; Dan. alter Behot. nonnulli Barthiani, Exc. Cantab. Petrens. Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *periture parenti*.—726 Unus Behot. *Non tantum*.—727 *Abfuerit* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. omnes Barthiani, Behott. 1. 2. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. et Gevart. *Adfuerit*, vel *Affuerit* Exc. Cantab. Petrens. Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph. Dan. *caligine furva*. Vide Nic. Heinsium ad Ovid. Tom. II. pp. 62.

NOTÆ

718 *Scilicet angustum, &c.*] Hunc versum et septem sequentes pro nothis habet Guyetus.

722 *Ingentem plangit ad aras Invidiam*] Supple, factura, ut Lucanus lib. I. 'Nullius defuit aris Invidiam factura parens.'

723 *Surdas*] Quæ non audiunt.

724 *Tu dulces lituos, ululataque prælia gaudes*] Supple, tractare vel audire, aut aliud verbum: 'Gaudere' enim non jungitur accusativo sed ablativo. Plura tamen Poëtis conceduntur.

727 *Caligine fulva*] Virg. Æneid. XII. 'Fulva pugnas de nube videntem.' Lucr. lib. VI. 'Fulvæ nubis caligine crassa.' 'Fulvam caliginem,' dixit quoque Valerius Cato in diris.

Coryton telis, quorum sine sanguine nullum
Effugit. Ambrosio tunc spargit membra liquore,
Spargit equum, ne quo temeretur vulnere corpus
Ante necem, cantusque sacros, et conscia miscet
Murmura, secretis quæ Colchidas ipsa sub antris
Nocte docet, monstratque feras quærentibus herbas.
Tunc vero exerto circumvolat igneus arcu,
Nec se mente regit, patriæ, matrisque, suique
Immemor, et nimium cœlestibus utitur armis.
Ut leo, cui parvo mater Gætula cruentos
Suggerit ipsa cibos, cum primum crescere sensit
Colla jubis, torvusque novos respexit ad ungues,
Indignatur ali, tandemque effusus apertos
Liber amat campos, et nescit in antra reverti.

juvenis, refercit pharetram divinis sagittis, quarum nulla fertur, quin sanguinem eliciat. Tunc artus perfudit succo Ambrosiæ, equum quoque perfudit, ne qua plaga corpus violaretur ante cædem, et addit sancta carmina, et solitos susurros, quibus ipsa noctu erudit Colchidas in arcanis cavernis, et ostendit agrestes herbas indagantibus. Tunc vero fervidus circumcursat nudato arcu, nec se gubernat ratione, oblitus patriæ, parentis, ac sui, et nimium utitur divinis armis. Ut parvus leo, cui ipsa mater Gætula suppeditat escam sanguinolentam, cum primum animadvertit cervicem juba erigi, et trux intuetur recentes ungues, indignatur nutriri, tandemque erumpens et solutus imperio, exoptat patentes agros, et nescit in lustrum re-



63.—730 *Coriton* Lactantius; et ita legit Barthius.—731 *Decidit* nonnulli codd. cum Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. et Cruc. *Effugit* vero Dan. Put. Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Behott. 1. 2. Exc. Cantab. Petrens. Venett. Rom. Gevart. Grasser. Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph.—740 Dan. Heinsius ad Claudian. III. Cons. Honor. 79. citat: *crescere sensu*, nisi sit error typothetæ.—741 *Terga jubis* in quibusdam. Vide

NOTÆ

731 *Ambrosio*] Divino, conservante ab omni damno. Ambrosius succus autem Poëticis Divis, omnis divinus favor, omne auxilium salutare. Sic apud Maronem, Venus vulnerato filio Ænea Æn. XII. 'Spargitque salubres Ambrosiæ succos, et odoriferam Panacæam.' *Barthius.*

733 *Ante necem*] Letalem ictum. *Cantusque sacros, et conscia miscet Murmura*] Existimabant veteres eam esse in verbis quibusdam ac carminibus vim, ut eorum ope mira quædam facere posse crederent; de quo argumento vide Plinium lib. VII. cap. 2. et vide supra quid de Diana aut Hecate diximus.

735 *Nocte*] Nox enim accommoda magiæ exercendæ.

739 *Gætula*] Gætulia regio Africæ mediterranea, quæ nunc vocatur *Biledulgerid.*

Quos, age, Parrhasio sternis, puer improbe, cornu?
Prima Tanagræum turbavit arundo Choroebum
Extremo galeæ, primoque in margine parmæ
Angusta transmissa via: stat faucibus unda
Sanguinis, et sacri facies rubet igne veneni.
Sævius Eurytion, cui luminis orbe sinistri
Aspera tergeminis acies se condidit uncis.
Ille trahens oculo plenam labente sagittam
Ibat in auctorem: sed Divum fortia quid non
Tela queant? alio geminatum lumine vulnus
Explevit tenebras: sequitur tamen improbus hostem,
Qua meminit, fusum donec prolapsus in Idam
Decidit: hic sævi miser inter funera belli
Palpitat, et mortem, sociosque, hostesque precatur.

dire. Quos, age, fundis, temerarie adolescens, arcu Arcadio? Prima sagitta percutit Choroebum Tanagræum, trajecta per arctum meatum, inter extremitatem galeæ, ac primam oram clypei. Cruoris fluctus hæret gutturi, et vultus rubet ardore sacri veneni. Crudelius perculsus est Eurytion, cui dira cuspis mergit se triplici hamo in sinum oculi sinistri. Ille Eurytion educens telum cum oculo cadente tendebat in percussorem. Sed quid validæ sagittæ Deorum non possunt? Iterata plaga in altero oculo absolvit cæcitatem; pertinax tamen in hostem pergit, qua recordatur, donec impingens in Idam jacentem labitur: hic infortunatus inter cadavera mortuorum singultat, et orat comites et hostes,



Claudian. ibid.—745 *Prima Tenacreum* unus Behot.—749 *Sævit in Eurythion,* vel *Eurytion,* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Put. Petav. Venett. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. et Gevart. *Sæviit Eurythion* nonnulli codd. Barthiani; *Sævus Eurythion* Dan. *Sævit in Eurityon* optimæ Barthii membranæ; unde ille *Hinc it in Eurythion* conjectabat; sed nihil a vulgata: *Sævit in Eurytion,* mutandum censebat. *Sævius Euritíon* Behot. 1. *Sævius Eurichion* Behot. 2. Vide Not. Var. Multi codd. et edd. vett. *sinistro.*—752 *Ibat in actorem* optimæ Barthii membranæ.—757 Multi codd. Barthiani: *socios hostesque pretatur,* omisso τῷ *que* priore loco. Optimæ ejusdem mem-

NOTÆ

744 *Parrhasio*] Arcadio, a Parrhasiis Arcadiæ oppido.

745 *Tanagræum*] Ex Tanagris oppido Bœotiæ.

748 *Sacri veneni*] Sagittæ venenatæ, quæ a Diana ei subministratæ erant.

754 *Explevit tenebras*] Id est, ambos illius oculos excæcavit. *Hostem*] Parthenopæum.

757 *Palpitat*] Σπαίρει, πάλλει. Noster lib. VIII. 'Jam palpitat arvis, Phædimus.' Lib. XII. 'His arduus ignis Palpitat.' Prudentius Passione Agnetis: 'Cæcus corusco lumine corruit Atque in plateæ pulvere palpitat.' Calpurnius Ecl. II. de victima: 'Sæpe vaporato mihi cespite palpitat agnus.' Hinc et cordis palpitatio. *Et mortem sociosque hostes,*

Addit Abantiadas, insignem crinibus Argum,
Et male dilectum miseræ Cydona sorori,
Illi perfossum telo patefecerat inguen:
Huic geminum obliqua trajecit arundine tempus.
Extitit hac ferrum, velox hac penna remansit;
Fluxit utrimque cruor: nulli tela aspera mortis
Dant veniam: non forma Lamum, non infula Lygdum,
Non pubescentes texerunt Æolon anni.
Figitur ora Lamus, flet saucius inguina Lygdus,
Perfossam telo niveam gemis, Æole, frontem.
Te præceps Eubœa tulit, te candida Thisbe
Miserat, hunc virides non excipietis Amyclæ.

ut se conficiant. Jungit filios Abantis, Argum comis conspicuum, et Cydona inceste amatum ab infelici germana; illi aperuerat inguen telo transfixum, huic transversa sagitta perforat utrumque tempus: ferrum hac eminet, celeris ala hac restitit; utrimque exit sanguis. Acerbæ sagittæ nulli parcunt. Non venustas Lamum, non Lygdum infula, non ætas puerilis tutatur Æolum. Lamus in ore foditur, Lygdus vulneratus dolet inguina, Æole, doles candidam frontem transfixam sagitta. Eubœa abrupta te genuit, Thisbe alba te miserat ad bellum, Amyclæ virentes non excipietis hunc reducem. Nunquam manus frus-

branæ: *hostemque precatur.*—760 ' Libri sunt veteres, qui hunc versum non agnoscunt, ut Behott. 1. 2. et optimus omnium ille noster. Ut iis assentiamur non admodum boni ingenii ipse facit hic *νοθεύων.' Barth.*—762 Unus Behot. *hac pinna.*—764 In eodem codice: *non infula Lidum.* Pro *Lamum* multi codd. et edd. vett. habent *Lanum.*—766 Behot. 1. *Lydus* pro *Lygdus.*—768 Multi codd. et edd. vett. *Thysbe*, vel *Tysbe;* Behott. 1. 2. *Thispe.*—769 ' Omnino scripsit Papinius, ut est in optimo aliisque duobus bonitate ei

NOTÆ

que precatur] Ut se quam citissime conficiant.

758 *Addit Abantiadas*] Horum mentio Theb. VII. in Catalogo.

768 *Eubœa*] Insula: vide Theb. VII. *Candida Thisbe*] Vide ibidem. *Candida* autem, ob candidas columbas, nam alibi ' Dionæis avibus circumsonam' appellarat. Notum illud Ovidii Met. XV. ' Niveisque frequens Sinuessa columbis.' Et illud Martialis: ' Quæque gerit similis candida turris aves.'

769 *Amyclæ*] Erat itaque ejusce etiam nominis urbs in Bœotia, aut Phocide aut Eubœa, ex quibus locis copiæ venerant auxilio Thebanorum. Nam Amyclæ Laconiæ sequebantur partes Argivorum, ut vidimus lib. IV. in Catalogo copiarum Argivarum. Erant et quidem aliæ Amyclæ in Italia inter Cajetam et Trinacriam, quas a serpentibus deletas tradit Plinius: quæque ' tacitæ' dicuntur Virgilio, quia cum sæpius nuntiatum esset hostes adesse, falsumque hoc nuntium inventum fuisset, lege cautum fuit, nequis hanc famam spargeret; unde postea urbs fuit ex improviso capta. Hinc natum proverbium: ' Loqui volo; nam scio Amyclas tacendo periisse.' *Virides*] Forsan a copia sylvarum vel pratorum.

Nunquam cassa manus, nullum sine vulnere fugit
Missile: nec requies dextræ, sonitumque priori
Jungit arundo sequens: unum quis crederet arcum?
Aut unam sævire manum? modo dirigit ictus,
Nunc latere alterno dubius conamina mutat,
Nunc fugit instantes, et solo respicit arcu.
Et jam mirantes, indignantesque coibant
Labdacidæ, primusque Jovis de sanguine claro
Amphion, ignarus adhuc, quæ funera campis
Ille daret: Quonam usque moram lucrabere fati,
O multum meritos puer orbature parentes?
Quin etiam menti tumor atque audacia gliscit,
Congressus dum nemo tuos pugnamque minorem
Dignatur bellis, iramque relinqueris infra.
I, repete Arcadiam, mixtusque æqualibus illic,
Dum ferus hic vero desævit pulvere Mavors,

tratur, nullum exit telum sine plaga. Nec otium dextræ, et sagitta insequens miscet sonitum suum priori jam emissæ. Quis putaret unum arcum? aut unam manum grassari? modo emittit tela in directum, nunc in dextram et sinistram partem anceps mutat suos nisus: nunc cedit prementibus, et spectat solo arcu. Et jam Thebani stupentes et indignantes conglobantur, et primus Amphion de genere illustri Jovis, inscius adhuc quas ille edidisset cædes in campo: Quonam usque lucrifacies dilationem mortis, o puer orbos redditure multum meritos parentes. Quin etiam superbia et fiducia crescit in animo, dum nemo dignatur in acie tecum, ut viliori, congredi, et relinqueris, ut ira non dignus. Vade, redi in Arcadiam, et illic insertus coætaneis, dum hic asper Mars furit in serio pulvere, prætenta domi cer-

proximis codicibus, *non recipietis.*' Barth.—773 *Aut unam sævisse manum* unus Behot.—780 *O multum miseros* optimus aliique duo Barthiani, Dan. Put. Petav. Buslid. Lindenbrog. et Cruc. *O multum meritos* Petrens. Exc. Cantab. Lang. Laur. Lipsian. Behott. 1. 2. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Gevart. Grasser. Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph.—784 *Arcadias* unus Behot.

NOTÆ

772 *Unum quis crederet arcum*] Ex tot, uno quasi momento, occisis, plures, non unus solum, sagittarii credebantur.

773 *Modo dirigit*] In directum emittit.

774 *Nunc latere alterno*] In dextram et sinistram. *Conamina*] Sagittas emittendi intentionem. *Lactantius.*

775 *Nunc fugit instantes, &c.*] Ut Parthi solebant.

777 *Labdacidæ*] Thebani.

778 *Amphion*] Vide lib. VII. catalogum ducum Thebanorum.

Prælia lude domi: quod si te mœsta sepulcri
Fama movet, dabimus, leto moriere virorum.
Jamdudum hunc contra stimulis gravioribus ardet
Trux Atalantiades, nec dum ille quieverat, infit:
Sera etiam in Thebas, quarum hic exercitus, arma
Profero: quisnam adeo puer, ut bellare recuset
Talibus? Arcadiæ stirpem, et fera semina gentis,
Non Thebana vides: non me sub nocte silenti
Thyas Echionio genitrix famulata Lyæo
Edidit: haud unquam deformes vertice mitras
Induimus, turpique manu jactavimus hastam.
Protinus astrictos didici reptare per amnes,
Horrendasque domos magnarum intrare ferarum:

tamina. Quod si te agit tristis gloria tumuli, indulgebimus, occumbes morte bellatorum. Jamdudum ferox Atalantæ filius flagrat contra hunc acrioribus iræ stimulis et antequam Amphion finiisset inquit: Tardius etiam gero arma adversus Thebas, quarum hæ copiæ sunt. Quisnam tam puer, ut renuat pugnare adversus tales? Aspicis sobolem et asperam propaginem nationis Arcadiæ, non Thebanam. Thyas mater ministra Bacchi Thebani non me peperit in tacita nocte: nunquam teximus caput fœmineis mitris, et vibravimus thyrsum fœda manu. Didici, statim ut natus sum, repere per fluvios gelu constrictos, et subire terribilia lustra ingen-

—788 'Melius, faventibus nonnullis libris, omittatur vocula *hunc;* non enim solum viro loquenti, sed rei ipsi indignatur Parthenopæus.' *Barth.*—789 *Atlantiades* unus Behot.—796 'Omnino scribendum, accedente auctoritate codicis primarii: *turpesque manu jactavimus hastas.*' Barth. 'Si codd. hanc lectionem bono numero firmaverant, non rejicerem: at vulgatam lectionem improbandi nullam necessitatem video; ne loquar de sibilo tot vocum suo epitheto destitui: passim 'hasta' de 'Thyrso.' Virg. Ecl. v. 31. Catul. Epithal. Thet. et Pel. vs. 256.' *Burman.* *Turpemque manu jactavimus hastam* conjectabat Jortin. et sane non multum interest in codd. inter *turpeque* et

NOTÆ

789 *Trux Atalantiades*] Parthenopæus. *Ille*] Amphion.

790 *Sera etiam*] Etiam tarde ad hoc bellum veni, quamvis puer sim.

792 *Talibus*] Ignavis, imbellibus, comitibus mollis Dei seu Bacchi. *Fera semina gentis*] Ex arboribus enim et lapidibus orti Arcades, ut credebant. Vide Theb. IV.

793 *Sub nocte silenti*] Orgia enim Bacchi noctu celebrata.

794 *Thyas*] Bacchæ Thyades etiam vocabantur. *Echionio*] Thebano. *Lyæo*] *Lyæus* Bacchi cognomentum.

795 *Deformes*] Quod mitræ virum non decerent.

796 *Turpique manu jactavimus hastam*] Emendat Cruceus *turpem.* Objicit enim Parthenopæus Thebanis mollitiem et usum Bacchicæ supellectilis, ut mitram et thyrsum, quem 'mollem hastam' periphrasi vocat, eadem ratione qua versu superiori 'deformes mitras' appellat.

Et quid plura loquar? ferrum mea semper et arcus
Mater habet, vestri feriunt cava tympana patres.
Non tulit Amphion, vultumque et in ora loquentis
Telum immane rotat: sed ferri lumine diro
Turbatus sonipes, sese dominumque retorsit
In latus, atque avidam transmisit devius hastam.
Acrior hoc juvenem stricto mucrone petebat
Amphion; cum se medio Latonia campo
Injicit ante oculos: omni stetit obvia vultu.
Hærebat juveni devinctus amore pudico
Mænalius Dorceus, cui bella, suumque timorem
Mater, et audaces pueri mandaverat annos.
Hujus tum vultum Dea dissimulata profatur:

tium belluarum, et quid plura dicam? Parens mea semper tenet arcum, et sagittas; patres vestri percutiunt cava tympana. Amphion non passus est, et torquet enorme jaculum in faciem et in ora dicentis, sed equus perculsus horrendo fulgore ferri, deflectit se et dominum ad latus, et dedit transitum hastæ cupidæ sanguinis. Amphion hoc ardentior aggrediebatur juvenem nudato gladio, cum Diana opposuit se ante ejus oculos in medio campo, et stetit obvia tota facie. Dorcæus Mænalius affixus erat adolescenti, illi conjunctus honesto amore, cui mater commendaverat bella suumque metum ac protervam adolescentiam filii. Tum Dea sub hujus facie

turpique. Pro *jactavimus* multi codd. habent *tractavimus.*—800 Behott. 1. 2. ab al. m. Dan. Put. Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et edd. vett. *vestræ feriunt cava tympana matres;* Behot. 1. *vestrique ferunt cava tympana patres;* Behot. 2. *vestri feriunt cava tympana patres.* Vocem *matres* perperam mutant libri nonnulli in *patres.*—801 *Amphion ultum sed in* conjectabat Barth.—802 *Telum immane parat* vet. cod. Lindenbrogii, Buslid. et nonnulli Barthiani; *Telum immane jacit* Lipsian.—806 Sola Venet. 3. *omni stetit anxia vultu;* Jortin. conj. *Dorcei stetit obvia vultu.*—811 *Hujus tum vultu* Dan. *Hujus tum in vultum* optimus et duo alii Barthiani. *Hujus tum vultum* Dan. Put. Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Petrens. Exc. Cantab. Burm. Taurin. Venett. 3. 4. Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. Gevart. Grasser. et Amstel. *vultu* legi jussit Gronovius, ut in Dan. eumque secuti sunt Daum.

NOTÆ

800 *Vestri feriunt cava tympana patres*] Objicit etiam Thebanis usum tympani, ut probrosum, et mollis animi indicem ut videre etiam est apud Virgilium Æneid. IX. 'Tympana vos buxusque vocant.' Itaque mirum est tympana in militia olim usurpata. Legimus enim apud Parthos tympano pugnæ signum datum. Justinus lib. XLI. Ceterum tota hæc Parthenopæi oratio adumbrata ex illa Numani apud Virgilium Æneid. IX.

804 *Avidam*] Scilicet, sanguinis.

806 *Latonia*] Dianæ Latonæ filia.

807 *Omni obvia vultu*] Id est, se spectandam præbuit.

809 *Mænalius*] Arcas, a Mænalo Arcadiæ monte.

Hactenus Ogygias satis infestasse catervas,
Parthenopæe, satis: miseræ jam parce parenti,
Parce Deis, quicumque favent. Nec territus ille,
Hunc sine me, (nec plura petam,) fidissime Dorceu,
Sternere humi, qui tela meis gerit æmula telis,
Et similes cultus, et fræna sonantia jactat.
Fræna regam: cultus Triviæ pendebitis alto
Limine, captivis matrem donabo pharetris.
Audiit, et mixto risit Latonia fletu.
Viderat hanc cœli jamdudum in parte remota
Gradivum complexa Venus, dumque anxia Thebas
Commemorat, Cadmumque viro, caræque nepotes
Harmoniæ, pressum tacito sub corde dolorem
Tempestiva movet. Nonne hanc, Gradive, protervam
Virginitate vides mediam se ferre virorum
Cœtibus? utque acies audax, et Martia signa
Temperet? en etiam donat, præbetque necandos
Tot nostra de gente viros: huic tradita virtus,

latens alloquitur Parthenopæum: Hactenus sufficit, o Parthenopæe, fudisse copias Thebanas, sufficit. Jam rationem habe infelicis matris, parcius utere numinibus propitiis. Nec ille motus, mihi permittas, inquit, Dorceu carissime, (nec plura poscam,) hunc solo dejicere, qui fert sagittas similes meis, paresque vestes, et agitat habenas crepitantes. Ipse his equum frænabo: vestes pendebitis ex celsis postibus Dianæ, et dabo dono genitrici captivas pharetras. Latonæ filia audiit et risit mixtis lacrymis. Hanc Venus jamdudum respexerat amplectens Martem in remoto cœli loco. Et dum solicita reducit viro in memoriam Thebas Cadmumque et posteros dilectæ Harmoniæ, excitat opportune dolorem occultum in tacito ejus pectore. Nonne cernis hanc, Gradive, virginitate superbientem, immiscere se mediam turbis pugnantium? utque confidens ordinet turmas et bellica vexilla? en etiam indulget, et tribuit occidendos tot viros de nostro genere? huicne attributa fortitudo, huic-

Veen. et Delph. non vero Editores Bipontini. Vide Not. Var.—812 ‘Melius aliquanto optimus codex: *infestasse cohortes*.’ Barth.—815 Codex Lindenbrogii, *non plura*.—818 *Culmine* pro *Limine* mallet Marklandus ad Sylv. IV. 3. 137.—824 ‘Plerique libri delirant *Harmionæ* et *Hermione* scribentes. Apollodorus de Cadmo lib. III. Ζεὺς ἔδωκεν αὐτῷ γυναῖκα Ἁρμονίαν, Ἀφροδίτης καὶ Ἄρεος θυγατέρα. Nihil tritius.’ *Barth.*—829 ‘Nulla nos causa movet turbare hanc lectionem. At non unus librorum veterum *inclita virtus* præferunt.

NOTÆ

812 *Ogygias*] Thebanas.

814 *Parce Deis*] Sic Theb. II. ‘Et parcius utere Divis.’

818 *Cultus Triviæ pendebitis alto Limite*] Ex more jam observato, quo hostiles exuviæ Diis consecrabantur. *Cultus*] Spolia.

829 *Huic tradita virtus, huic furor*]

Huic furor? agrestes superest tibi figere damas.
Desiluit justis commotus in arma querelis
Bellipotens, cui sola vagum per inane ruenti
Ira comes, reliqui sudant ad bella Furores.
Nec mora, cum mœstam monitu Latoida duro
Increpat assistens: Non hæc tibi prælia Divum
Dat pater, armiferum ni protinus improba campum
Deseris, huic æquam nosces nec Pallada dextræ.
Quid faciat contra? premit hinc Mavortia cuspis,
Hinc plenæ tibi, parve, colus, Jovis inde severi
Vultus: abit solo post hæc devicta pudore.
At pater Ogygias Mavors circumspicit alas,
Horrendumque Dryanta movet, cui sanguinis auctor

ne rabies? tibi restat jaculis petere rusticas damas. Bellipotens ad arma devolavit excitatus æquis expostulationibus, quem, dum se præcipitat per vacuum aërem, sola Ira sequitur: ceteri Furores in præliis occupantur. Et statim prope accedens objurgat asperis verbis tristem filiam Latonæ. Deorum genitor non hæc tibi attribuit certamina; nisi illico relinquas, superba, hunc bellicum campum, scies nec ipsam Minervam parem huic dexteræ. Quid agat contra? Martius mucro hinc instat, hinc absoluta tibi, ephebe, stamina, inde facies rigidi Jovis: post hæc recedit superata sola verecundia. At pater Gradivus lustrat oculis turmas Thebanas, et instigat terribilem Dryantem, cui temerarius Orion auctor erat generis, cuique

Asserit vulgatam veramque scripturam Auctor ipsemet, infra vs. 835. 'Non hæc tibi prælia Divum Dat pater.'' *Idem.*—830 Uterque Behot. et optimus Barth. *tibi figere dammas.*—831 *Dissiluit* Behot. 1.—836 *Dat pater, armigerum* Dan. Put. Petav. et edd. vett. *armiferum* vero Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Behott. 1. 2. et optimi Barthiani.—838 'Aliter distinguunt meliores codices: *Quid faciat? Contra premit, &c.* Placet ea lectio.' *Barth.*—840 Petrens. Taurin. et Buslid. *evicta*; Lang. Laur. Lipsian. Dan. Put. Petav. Buslid. et edd. vett. *devicta*. In Burm. diversa plane lectio apparet: *post hæc cunctata pudore.* Vide Not. Var.—842 Unus Behot. *actor.*—844 Barthius in-

NOTÆ

Sua enim cuique Deo a Jove attributa munia. Ceterum quæ dicit hic Venus nota ex præcedentibus libris.

833 *Ira comes*] Fortes enim plerumque iracundi.

834 *Latoida*] Dianam Latonæ filiam.

835 *Non hæc tibi prælia Divum Dat pater*] Non tibi datum est a Jove præesse bello, sed tantum venationi, quæ est species belli, et usum armorum requirit.

837 *Pallada*] Minerva etiam præerat bello.

839 *Parve*] Parthenopæe. *Colus*] Id est, finita est tibi vita.

840 *Devicta* [*evicta*] Tacit. Ann. IV. 'Sed precibus uxoris evictus, Tiberio Germanicum, sibi Tiberium ascivit.' Lib. XV. de Paulina Senecæ uxore: 'Deinde oblata mitiore spe, blandimentis vitæ evictam.'

841 *Ogygias*] Thebanas.

842 *Dryanta*] Hujus mentio Theb.

Turbidus Orion, comitesque odisse Dianæ.
Inde furit primum: hic turbatos arripit ense
Arcadas, exarmatque ducem: cadit agmine longo
Cyllenes populus, Tegeesque habitator opacæ,
Æpitiique duces fugiunt, Pheneique phalanges.
Ipsum autem et lassa fidit prosternere dextra,
Nec servat vires: etenim huc jam fessus, et illuc,
Mutabat turmas: urgent præsagia mille
Funeris, et nigræ præcedunt nubila mortis.

erat patrium aversari cultores Dianæ. Hæc prima furoris causa. Ille obtruncat gladio perculsos Arcades, et exarmat unum ex eorum ducibus. Plebs Cyllenes promiscue ruit, et incola umbrosæ Tegees, ac duces Æpytii, et agmina Phenei terga vertunt. Parthenopæus sperat etiam hunc dejicere fessa manu, nec parcit viribus: etenim fatigatus jam huc et illuc transmittebat copias. Mille omina mortis instant,

terpungit: *comitesque odisse Dianæ Inde furit. Primum, &c.*—847 *Ephiciique duces, Telepheæque phalanges* Dan. *Epytiique duces fugiunt, Thelepheæque phalanges* Behot. 1. *Epiciique duces fugiunt, Thelepheæque phalanges* Behot. 2. *Æpytiique duces fugiunt, Theneique phalanges* optimus codex Barthii; *Epiciique duces, Thesphaleæque phalanges* omnes alii Barthiani; *Epitiique duces, celepheæque phalanges* Taurin. *Ephitiique duces, Thelepheque phalanges* Burm. *Æpitiique truces fugiunt* conj. Barth. *Æphitiique duces pereunt Telepheæque phalanges* Petrens. *Æpitiique duces fugiunt, Tegeæque phalanges* Ald. 1. *Æpitiique duces fugiunt, Pheneique phalanges* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Put. Petav. Ald. 2. Colin. Gryph. 1. 2. Basil. Plant. et recentt. *pereunt Tegeæque phalanges* habet etiam codex Schotti. Vide Not. Var.—851 Optimæ Barthii membranæ:

NOTÆ

vii. in catalogo ducum Thebanorum.

843 *Turbidus Orion, comitesque odisse Dianæ, &c.*] Etiam diximus ibidem Orionem a Diana, cui vim inferre parabat, sagittis confossum: hinc justæ iræ Dryantis ejus nepotis in comites Dianæ.

845 *Exarmatque ducem*] Non Parthenopæum, sed alium Arcadum ducem sub ipso.

846 *Cyllenes populus*] Arcades, a Cyllene monte Arcadiæ. *Tegees*] Tegee seu Tegea urbs Arcadiæ.

847 *Fugiunt Pheneique phalanges*] Gronovius dicit τὸ *fugiunt* non esse in sincerioribus libris, sed tantum *Thelephææ phalanges:* unde legendum conjicit: *Thelpusææque phalanges.* Thelpusa urbs et ager in Arcadia. Vide Pausaniam in Arcadicis. Vide Theb. iv. in catalogo.

848 *Ipsum autem*] Hic versus et tres sequentes suspecti Guyeto. *Ipsum*] Dryanta.

849 *Nec servat vires*] Parthenopæus scilicet, dum hostes insequitur.

850 *Mutabat turmas*] Huc et illuc vagabatur inter ordines. *Urgent præsagia mille Funeris, &c.*] Sic Theb. v. 'Jam certa malorum Mentis ab augurio.' Livius lib. xxv. 'Ad Romanos quidem nondum fama tantæ cladis pervenerat, sed tamen mœstum quoddam silentium erat, et tacita divinatio, qualis jam imminentis mali præsagientibus animis esse solet.'

Jamque miser raros comites, verumque videbat
Dorcea, jam vires paulatim abscedere sentit,
Sentit et exhaustas humero leviore pharetras.
Jam minus atque minus fert arma, puerque videtur
Et sibi, cum torva clypei metuendus obarsit
Luce Dryas: tremor ora repens ac viscera torsit
Arcados: utque feri vectorem fulminis albus
Cum supra respexit olor, cupit hiscere ripam
Strymonos, et trepidas in pectora contrahit alas:
Sic juvenem sævi conspecta mole Dryantis,
Jam non ira subit, sed leti nuntius horror.
Arma tamen, frustra Superos Triviamque precatus,
Molitur pallens, et surdos expedit arcus.
Jamque instat telis, et utramque obliquus in ulnam
Cornua contingit mucrone, et pectora nervo:
Cum ducis Aonii magno cita turbine cuspis

tenebræque atri leti præeunt. Jamque infortunatus cernebat paucos socios, et verum Dorceum, jam sentit vires suas paulatim deficere, et sentit vacuatas pharetras humero minus gravato. Jam gerit arma languidius et languidius, et puer videtur. Et cum ejus oculis formidabilis Dryas resplenduit terribili scuti fulgore, subitus horror perstrinxit vultus et præcordia Arcadis. Ut cum candidus cycnus videt supra se aquilam, quæ gerit metuendum fulmen, vult littus Strymonis se findat, et comprimit ad pectus pavidas pennas. Sic visa proceritate feri Dryantis, jam non ira corripit adolescentem, sed horror præscius mortis. Pallens tamen arma expedit, orans incussum Deos et Dianam, et præparat inobsequentes arcus. Et jam properat tela emittere, et obliquus in utrumque brachium, admovet cuspidi sagittæ duo arcus extrema, et chordam pectori: cum jaculum ducis Thebani pulsum magno

procedunt nubila.—858 'Recte libri veteres *vectorem*, ut ex suis And. Schottus Obss. lib. II. cap. 29. cujus obelisco tamen non opus erat, cum ante eum natum jam sic ediderit Aldus, ediderunt alii.' *Barth.* *victorem* sola Gryph. 2. *rectorem* in quibusdam scriptis. Pro *albus* codex Lindenbrogii *astus.*—860 In quibusdam codd. Barthii: *in pectore concutit alas.*—865 Vocem *obliquus* sus-

NOTÆ

852 *Verumque videbat Dorcea*] Non eum, in quem Diana transformata fuerat.

855 *Jam minus, &c.*] Hunc versum et septem sequentes spurios judicat Guyetus.

858 *Vectorem fulminis*] Aquilam.

859 *Cupit hiscere ripam Strymonos*] Ut se recipiat, ac tegat ab impetu instantis Aquilæ. Ceterum multi olores in Strymone Thraciæ fluvio.

863 *Triviam*] Dianam.

865 *Utramque obliquus in ulnam*] Exprimit gestum et conatum sagittarii, qui totis viribus arcum tendit, ut sagitta longius exeat.

867 *Ducis Aonii*] Dryantis.

Fertur in adversum, nervique obliqua sonori
Vincla secat, pereunt ictus, manibusque remissis
Vana supinato ceciderunt spicula cornu.
Tunc miser et frænos turbatus, et arma remisit,
Vulneris impatiens, humeri qua tegmina dextri
Intrarat, facilemque cutem subit altera cuspis,
Cornipedisque fugam succiso poplite sistit.
Tunc cadit ipse Dryas (mirum) nec vulneris usquam
Conscius, olim auctor teli, causæque patebant.
At puer infusus sociis, in devia campi
Tollitur (heu simplex ætas!) moriensque jacentem
Flebat equum: cecidit laxata casside vultus,
Ægraque per trepidos expirat gratia visus,
Et prensis concussa comis, ter colla, quaterque

impetu volat in oppositum, et amputat nexus obliquos stridulæ chordæ: ictus sunt irriti, et laxatis manibus inutiles sagittæ lapsæ sunt supinato arcu. Tunc infortunatus et perculsus remisit clypeum et habenas, intolerans plagæ, quæ subierat tegumentum dextri humeri, et mucro alter intrat teneram cutem, et detinet fugam equi secto poplite. Tunc ipse Dryas corruit (mirum) nec plagæ usquam conscius: teli auctor et causæ olim patebant. Adolescens intra brachia comitum exportatur e loco pugnæ et occumbens (heu simplex ætas!) plorabat prostratum equum. Soluta galea facies ejus collapsa est, et languens venustas moritur in trementibus oculis, et cer-

pectam habet Barthius, cum sequatur mox id verbum.—872 'In optimo libro *quo* scriptum est: ut legendum dicas *quod*.' Barth. Unus Behot. habet etiam *quod*.—873 Barthius distinguit: *facilemque cutem. Subit altera cuspis, &c.*—876 Unus Behot. *actor*. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Behott. 1. 2. Petrens. Exc. Cantab. et edd. vett. *patebant*; Bernartius et Barth. legendum putaverunt *patebunt*.—879 'Male nonnulli librorum, qui

NOTÆ

869 *Pereunt ictus*] Quos Parthenopæus destinabat.

875 *Tunc cadit ipse Dryas*] Invisibili scilicet Dianæ telo in vindictam necis Parthenopæi: supra enim Diana sic loquitur: 'Nec fugiet pœnas quicumque nefandam Insontis pueri scelerabit sanguine dextram Impius, et nostris fas sit sævire sagittis.' Ceterum hic versus et sequens Guyeto suspecti.

878 (*Heu simplex ætas!*) *moriensque jacentem Flebat equum*] Ovidius in Proserpina similem simplicitatem ostendit: 'Collecti flores tunicis cecidere remissis, Tantaque simplicitas puerilibus affuit annis, Hæc quoque virgineum movit jactura dolorem.'

880 *Per trepidos*] Convelluntur enim in morte oculi.

881 *Et prensis concussa comis, &c.*] Lactantius: 'Morituris enim solent erigere capita, comas concutiendo seu vellendo, quasi revocent eorum sensus.'

Stare negant, ipsisque nefas lacrymabile Thebis,
Ibat purpureus niveo de pectore sanguis.
Tandem hæc singultu verba incidente profatur:
Labimur, i, miseram, Dorceu, solare parentem.
Illa quidem, si vera ferunt præsagia curæ,
Aut somno jam triste nefas, aut omine vidit.
Tu tamen arte pia trepidam suspende, diuque
Decipito: neu tu subitus, neve arma tenenti
Veneris, et tandem cum jam cogere fateri,
Dic: Merui, genitrix, pœnas, invita capessens
Arma puer rapui, nec te retinente quievi:
Nec tibi solicitæ saltem inter bella peperci.
Vive igitur, potiusque animis irascere nostris:
Et jam pone metus: frustra de colle Lycæi
Anxia prospectas, si quis per nubila longe

vix agitata arreptis ter et quater crinibus stare renuit, et cruor fluebat e candido pectore, scelus deplorandum ipsis Thebis. Tandem hæc locutus est, singultu verba interrumpente: Cadimus, vade, Dorceu, solare infelicem matrem. Illa quidem, si solicitudines afferunt certa omina, jam prævidit inter somnum, aut aliquo ostento hunc funestum casum. Tu tamen illius timores suspende pio dolo, diuque falle: neu tu ad illam accedas inopinus, neve cum arma habuerit. Et tandem cum tu adactus fueris verum dicere, dic: Mater, merui perire, hoc sume invita de me supplicium. Arma puer rapui, nec destiti te revocante, nec in pugna saltem rationem habui tuæ anxietatis. Ergo vive, et potius succense animo nostro, et jam timorem pelle. Solicita incassum specularis de jugo Lycæi, si quis procul aut strepitus in

lassata scribunt.' *Barth.*—885 *Labimur et miseram* unus Behot.—889 In eodem codice: *ne tu subitus.*—891 Omnes edd. ab Aldina *capessens;* omnes vero codd. manuscripti etiam Petrens. et Exc. Cantab. *capesse;* ita quoque Venett. et Rom. Barthius vs. 892. deleto legit: *Dic; merui, genitrix, pœnas, invisa capessi, Nec tibi solicitæ, &c.*—893 Pro *saltem* unus Behot. habet *tandem.* —896 *Anxia prospectans* Put. Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Aldd. Co-

NOTÆ

886 *Si vera ferunt præsagia curæ*] Vide supra vs. 850.

889 *Neve arma tenenti*] Ne te, aut se interficiat.

891 *Invita capessens Arma puer*] Mss. magno consensu *capesse.* Idque verum esse agnosces, modo recte interpunxeris: *Dic: merui, genitrix: pœnas invita capesse. Arma puer rapui.* Dignus fui perire, qui te offenderim, et injussu tuo arma puer rapuerim, nec vel in ipso prælio, tui reverentia, parcius me periculo objecerim. Resuscita igitur iram tuam, ut patientius doleas, et cogita Deos maternæ majestatis vindices, teque adeo ipsam, licet invitam, et graviores, justas tamen, de me pœnas expetivisse ob contumaciam et temeritatem. Hoc velut ultionis solatio luctum mitiga. *Gronovius.*

895 *Lycæi*] Montis Arcadiæ.

Aut sonus, aut nostro sublatus ab agmine pulvis.
Frigidus in nuda jaceo tellure, nec usquam
Tu prope, quæ vultus, efflantiaque ora teneres.
Hunc tamen, orba parens, crinem, (dextraque secandum
Præbuit,) hunc toto capies pro corpore crinem,
Comere quem frustra me dedignante solebas.
Huic dabis exequias: atque inter justa memento,
Ne quis inexpertis hebetet mea tela lacertis,
Dilectosque canes ullis agat amplius antris.
Hæc autem primis arma infelicia castris
Ure, vel ingratæ munus suspende Dianæ.

aëre, aut pulvis levatus a nostra turba. Sternor nudus in gelida terra. Neque tu usquam præsens, quæ teneres caput meum, et ora expirantia. Hos tamen capillos, orba mater, (manuque tradidit tondendos,) recipies pro toto corpore, quos solebas adornare, me incassum renuente. Hos funere prosequeris: et recordare in certamine funebri, ne quis obtundat imperito brachio meas sagittas, et pellat amplius meos canes in ullos specus. Crema autem hæc arma infortunata primis militiæ stipendiis, vel suspende donum immemori Dianæ.

lin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. et Cruc. *Anxia prospectas* Dan. Behott. 1. 2. Petrens. Gevart. Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph.—899 *Tu prope quæ vulnus* Behot. 1. et pro v. l. *vultus.*—901 Dan. *pro crimine crinem.*—902 Eutyches Grammaticus lib. II. hunc versum citans legit: *me me dignante.*—903 Unus Behot. unus item Lindenbrogii: *inter busta,* improbante Barthio.—906 Unus Behot. *campis* pro *castris* exhibet.—907 'In optimo libro alia omnino lectio: *nec ingratæ,* quæ amarior, et minime displicet.' *Barth.*

NOTÆ

899 *Quæ vultus, efflantiaque ora teneres*] Ex more, quo apud veteres propinquior et amicissimus quisque expirantem complectebatur, ac deosculabatur, quasi morientis extremum spiritum ore suo excepturus. Seneca Hercule Œtæo: 'Membra complecti ultima, O nate, liceat. Spiritus fugiens meo Legatur ore. Brachia in amplexus cape.'

900 *Hunc tamen, orba parens, crinem (dextramque secandum, &c.*] Mittit Parthenopæus matri crines, ut illi sepulturæ mandarentur vice sui corporis. Alias moris erat morientibus crines præsecare, ut de Didone apud Virg. Æneid. IV.

903 *Inter justa*] Alii *busta* legunt.

904 *Ne quis inexpertis, &c.*] In certamine funebri.

905 *Dilectosque canes, &c.*] Ut emeritos et omnis operis vacatione solutos.

907 *Ingratæ*] Quæ meam tuamque in se pietatem oblita fuit.

P. PAPINII STATII

THEBAIDOS

LIBER X.

ARGUMENTUM.

Nocte prælio diremto, Argivi tristes in castra se recipiunt, amissis quatuor fortissimis ducibus, Amphiarao, Tydeo, Hippomedonte, et Parthenopæo. Hoc successu elatus Eteocles, copias per noctem mittit, quæ eos in castris obsideant, observentque, ignibus accensis, ne fuga saluti suæ consulerent. Dum Thebani vallum circumdant, Juno mota precibus, quas illi matronæ Argivæ pro maritis assidue fundebant, videns in quo erant periculo, Irin mittit ad Somnum, qui, Deæ jussis obsequens, gravissimo sopore Thebanos obruit. Consternatus interim Adrastus concilium vocat, deliberaturus quid in hoc discrimine agendum foret. Augur advenit Thiodamas, qui trepidos erigit, exclamans, arma sine mora capienda, Thebanos arctissimo somno gravatos, apparuisse sibi Amphiaraum, et monuisse, ne hanc elabi occasionem acceptas clades ulciscendi sinerent. His dictis in hostes tendit, et omnes eum sequebantur; sed triginta tantum eligit una cum Agylleo et Actore: aliis indignantibus, quos Adrastus mitigat, dicens, dolo, non fortitudine, rem agi, et multitudinem consiliis nocituram. Thiodamas igitur, Agylleus, et Actor, cum sociis Thebanos undique adorti, omnes ad internecionem cædunt. Hos intervenerant Hopleus et Dymas, hic comes Parthenopæi, ille Tydei, qui in hoc rerum statu se invicem ad quærenda et exportanda dominorum corpora excitant. Inventa tollunt in humeros; ac castra repetebant jam Aurora dilucescente, cum ab Amphione, quem rex cum equitum turma miserat exploraturum quid Thebani agerent, deprehenduntur. Statim telo interficitur Hopleus, qui supra corpus Tydei cadit. Dymas ensem stringit ad se defendendum : verum, abscissa illi dextra, pedibus Amphionis advolvitur, unum ab eo expostulans, Parthenopæo sepulturam concedat. Hoc Amphion indulget, ipsique vitam promittit, modo quid Argivi molirentur proderet. Ad hæc verba Dymas horruit, adactoque sibi fortiter per medium corpus ense, respondit se nec vitam, nec Parthenopæum sepulturam tanti emere velle, et amplectens principis sui corpus super ipsum pariter occumbit. Sic re-

cuperatis corporibus lætus Amphion ea ad regem remittit, pergitque ad castra Argivorum, his insultaturus, monstrando abscissa Hoplei et Dymantis capita. Sed ut vidit totum campum sanguine inundari, suosque promiscue cæsos, tanto stupore et horrore corripitur, ut ipsum vox visusque ac vires deficiant, et equus sponte versus Thebas repetit, fugiente similiter equitum turma. Tunc Argivi, audita strage a Thiodamante facta, castris erumpentes, per membra atque arma jacentium, Thebas advolant, eorumque plurimi hostibus misti urbem intrant. Portis ægre clausis, urbs circumvallatur, et machinationum omni genere oppugnatur. Territi cives Tiresiæ opem implorant, qui ignem super aras accendi jubet, et e signis flammæ, sibi a Manto filia relatis, declarat sanguine humano placandum Martis Draconem, ultimumque ex illius genere superstitem immolandum: hac sola conditione urbem servatum iri. Creon qui aderat, hoc oraculo, quo Menœceum filium posci videt, tanquam fulmine percutitur, et vatem reticere incassum rogat. Tunc temporis Menœceus in media acie ingentia edebat facinora. Dea Virtus cœlo delapsa, sumto Mantus vultu, hunc adit, eique narrato oraculo inspirat cupidinem gloriosa morte se pro patria devovendi. Hoc consilio in urbem revertitur, et eluso patre, quem obvium habuerat, quique ei fidem oraculo adhibere dissuadebat, editissimam turrem conscendit, fusisque ad Deos precibus, redderent sua morte Thebanis templa, agros, domos, uxores, et liberos, medio pectore sibi gladio transfosso, in mediam Argivorum aciem se præcipitem egit. Corpus ejus nullo labore recuperatur, cedentibus ultro ac cum veneratione Argivis. In urbem portatur cum summis honoribus, et supra Cadmum et Amphionem laudibus extollitur. Interim Capaneus, ingenti Thebanorum multitudine occisa, moræ impatiens, scalis admotis in muros evadere nititur, et licet undique telis lapidibusque ac sagittis impeteretur, turrim exsuperat, et hinc lapides ex ipsa turre avulsos in templa et domos ruit, et urbem suis mœnibus frangit. Verum non contentus hominibus insultare, Superis ipsis bellum indicit, ipsumque Jovem in certamen provocat. Omnibus Diis frementibus, Jupiter totis viribus in impium fulmen jaculatur. Manet ille imperterritus. Tandem corpore ejus vi fulminis cedente efflat animam, vultu in cœlum ferociter converso, et adhuc minas Diis intentans.

OBRUIT Hesperia Phœbum nox humida porta,
Imperiis properata Jovis: nec castra Pelasgum

Nox uvida, festinata jussu Jovis, solem condit Occidentali porta; nec ille est

Hoc Argumentum exhibent Behott. 1. 2. unus Barth. Lactant. Venett. 3. 4. Rom. Lindenbrog. Cruc. et Barth.

Quatuor afflictis Ducibus fiducia belli
Sidoniis crescit, Graiorum obsidere castra.

Aut Tyrias miseratus opes, sed triste, tot extra
Agmina et immeritas ferro decrescere gentes.
Panditur immenso deformis sanguine campus.
Illic arma, et equos, ibant quibus ante superbi,
Funeraque orba rogis, neglectaque membra relinquunt.
Tunc inhonora cohors laceris insignibus ægras
Secernunt acies, portæque, ineuntibus arma
Angustæ populis, late cepere reversos.

miseratus Argivos, nec Thebanos: sed ei grave est, tot externas copias et innoxios populos armis diminui. Campus patet horrendus multo cruore. Illic deserunt arma, et equos, quibus gloriosi prius insidebant, et cadavera insepulta et projectos artus. Tunc deformis exercitus laceratis vexillis separat debilitatas legiones, et portæ, angustæ gentibus proficiscentibus ad bellum, spatiose admiserunt redeuntes. Similis

****

Tunc Juno mittit, quæ somnum concitet, Irin.
Thebanis subito solvuntur membra sopore.
Thiodamas stimulat nocturna in prælia Graios,
Fata docens: jugulant jacentia corpora ferro.
Decipit incautos pietas, Hopleum atque Dymanta,
Œnidæ exanimis læti dum membra reportant.
Pandere Tiresiam compellunt debita Thebis.
Tunc patriæ vitam largitur sponte Menœceus.
Mox Capaneus scalis conscendit mœnia sævus,
Fulmine percussus turrim complectitur ardens.

Vs. 2. Behot. 1. habet. *obsistere castris.* Vs. 5. *Thyodamus* Venett. Rom. Cruc. et Lindenbrog. *Thiodamus* Barth. *Tiodamas* Behot. 2. *Thiodamas* codex Barth. et Behot. 1. *Graiis* Behot. 1. Vs. 6. Error est in syllabam primam verbi *jacentia:* Barthius conj. *torpentia;* sed uterque Behot. clarissimis literis exhibet: *jugulantque jacentia.* Vs. 7. Uterque Behot. *Hopyleumque atque dumanta.*

2 Unus Behot. *ne castra.*—3 *At Tyrias* Dan. ‘ Concinnius nonnemini forte obveniet *miseratur opes,* quod in solo optimo exemplari inventum rem præsentem clarius inducit.’ *Barth.*—9 ‘ Non opus quicquam hic mutari; nam sunt libri veteres *arva* præferentes. Inscite. In optimo codice hæc glossa

NOTÆ

3 *Sed triste, tot extra*] Acerbum erat Jovi tot gentes perire quæ venerant auxilio Argivorum ac Thebanorum: non enim miseratur Argivos aut Thebanos; utramque enim gentem meritis pœnis afficere decreverat, ut vidimus Theb. I.

5 *Panditur, &c.*] Hunc versum et duo sequentes transpositos esse vult Guyetus, et loco eorum tres sequentes ponendos. Quinetiam utrique ipsi suspecti sunt, et insititii videntur. Quare τὸ ‘gentes’ versus 4. jungit cum ‘par utrimque dolor’ versus 11. *Panditur*] Discedentibus copiis, quibus antea tegebatur.

9 *Ineuntibus arma*] Pro euntibus in arma, id est ad bellum.

10 *Angustæ*] Ob nimiam multitudinem. *Late cepere reversos*] Paucis scilicet redeuntibus.

Par utrimque dolor: sed dant solatia Thebis
Quatuor errantes Danaum sine præside turmæ,
Ceu mare per tumidum viduæ moderantibus alni,
Quas Deus, et casus, tempestatesque gubernant.
Inde animus Tyriis, non jam sua castra, sed ultro
Hostilem servare fugam, ne forte Mycenas
Contenti rediisse petant: dat tessera signum
Excubiis, positæque vices: dux noctis opertæ
Sorte Meges, ultroque Lycus: jamque ordine jusso
Arma, dapes, ignemque ferunt: rex firmat euntes:
Victores Danaum, (nec enim lux crastina longe,
Nec quæ pro timidis intercessere tenebræ
Semper erunt,) augete animos, et digna secundis
Pectora ferte Deis: jacet omnis gloria Lernæ,
Præcipuæque manus: subiit ultricia Tydeus

utrimque luctus, sed Thebis afferunt levamentum quatuor Græcorum acies palantes sine duce. Ut naves in mari turbido magistris destitutæ, quas numen, fortunaque ac procellæ regunt. Inde Tyriis audacia, non jam tuendi sua mœnia, sed etiam observandi hostes, ne forte fugiant, et tendant Mycenas contenti incolumes remeasse. Tessera dat signum stationibus, et ordinantur successiones excubantium. Meges sortito, et Lycus sponte sunt duces obscuræ noctis. Jam ordine præscripto gerunt arma, et cibos, ac flammas. Rex corroborat proficiscentes. Victores Græcorum, (non enim procul est dies crastinus, nec tenebræ, quæ intervenere pro ignavis, semper erunt,) animos augete, et corda gerite digna Diis faventibus. Omnis honor Argolidis cecidit, ac præcipuæ manus. Tydeus ingressus est vindices Inferos. Mors miratur repen-

est: '*Arma*, i. e. bellum, prælium.'' *Idem.*—11 *Par utrique dolor* in quibusdam codd. sed hoc nihil aliud quam *utrique*, vel *utrimque*, quod ex optimis et antiquissimis membranis affert Barthius.—16 Behot. 1. *ni forte;* Dan. Put. Petav. duo Barthiani, Lindenbrog. et Cruc. *nec forte;* Behot. 2. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et edd. vett. *ne forte.*—19 *Sorte Megens* Put. et Behot. 1. *ultro Licus* in eodem Behot.—20 *Arma, faces, &c.* conjectabat Lindenbrogius; improbante Barthio. *armat euntes* Put.—25 Unus Behot. *subit en ultricia.*—

NOTÆ

11 *Par utrimque dolor*] Quia magni duces ex utraque parte ceciderant.

12 *Quatuor errantes, &c.*] Quatuor enim duces Argivorum jam ceciderant, nimirum Amphiaraus, Tydeus, Hippomedon, et Parthenopæus.

14 *Quas Deus*] Superioribus lib. diximus quamcumque navem fuisse sub tutela Dei alicujus, et præcipue Dioscurorum. *Deus* hic Peyraredo, Fortuna.

17 *Dat tessera signum*] Vide Theb. VII. 236.

18 *Positæque vices*] Excubantium successiones.

19 *Sorte*] Sors in bello, ut jam vidimus.

20 *Dapes*] An *faces?* facibus enim in acie usi etiam veteres.

24 *Lernæ*] Argivorum, a Lerna Arcadiæ palude.

25 *Subiit ultricia Tydeus, &c.*] Hic

Tartara: mors subitam nigri stupet auguris umbram:
Ismenos raptis tumet Hippomedontis opimis:
Arcada belligeris pudet annumerare tropæis.
In manibus merces: nusquam capita ardua belli
Monstratæque ducum septena per agmina cristæ.
Scilicet Adrasti senium, fraterque juventa
Pejor, et insanis Capaneus metuendus in armis?
Ite age, et obsessis vigiles circumdate flammas.
Nulli ex hoste metus: prædam asservatis opesque
Jam vestras. Sic ille truces hortatibus implet
Labdacidas: juvat exhaustos iterare labores.
Sicut erat pulvis, sudorque, cruorque per artus

tinos manes atri auguris. Ismenus inflatur ablatis Hippomedontis spoliis. Pudet Arcadem annumerare bellicis victoriis. Præmium in promtu est. Nusquam apparent excelsa belli capita, et monstratæ ducum cristæ in septenis agminibus. Nempe senectus Adrasti erit metuenda, et fratris juventus debilior, ac Capaneus timendus cum insanis armis. Vadite et cingite inclusos vigilibus flammis. Nihil ab hostibus timendum, custoditis prædam et divitias jam vestras. Sic ille excitat feroces Thebanos. Placet renovare exhaustos labores. Ut erat pulvis, sudor, et sanguis commixtus su-

26 Jortinus conjectabat: *vivi stupet auguris umbram,* improbante Barthio.—27 *Ismenos rapti* optimæ Barthii membranæ, Lipsian. et Venett. probante Burmanno; *Ismenos spoliis* unus Behot. pro v. l. *Ismenos raptis* ceteri codd. et edd. omnes.—28 *Arcada belliferis* Dan.—33 *Eia age* Lipsian. 'Nequaquam assentiendum nonnullis scriptis editisque libris, qui mutant hæc; *age* enim vocula tam ad plures quam ad unum spectat.' *Barth.* Voculam *age* mutatam non inveni. Behot. 1. *vigilem circumdite flammam;* et ita optimæ Barthii membranæ; quod ille probat. Behot. 2. *vigiles circumdate flammis;* et pro v. l. *flammas.*—34 Unus Behot. *prædam observatis.*—36 Marklandus ad Sylv. II. 3. 33. ita legit et distinguit hunc locum: *juvat exhaustos iterare labores Sicut erant: pulvis sudorque cruorque per artus Mixtus adhuc: vertere gradum vix, &c.* —37 'Versum hunc perperam aliorsum locat quidam librorum.' *Barth.*—40

NOTÆ

versus et quatuor sequentes faciles ex præcedentibus. *Subiit ultricia*] Ut apud Virgilium lib. VIII. 'Hæc, inquit, limina victor Alcides subiit: hæc illum regia cepit.' Hor. I. Sat. 9. 'Cum gravius dorso subiit onus.' Aliique Poëtæ.

29 *In manibus merces*] Locutio hortantibus apta. Sic Turnus Æneid. XII. 'In manibus Mars ipse viri.' Et Georg. II. 'In manibus terræ.'

30 *Septena per agmina*] Septem enim erant duces Argivorum.

31 *Juventa Pejor*] Juventus enim inconsulta.

34 *Opesque Jam vestras*] Hostium opes scilicet, prædam et opes obsidetis, non hostes.

35 *Hortatibus implet*] Silius lib. V. 'Nunc hos, nunc illos adit atque hortatibus implet.' Valerius Flaccus lib. IV. 'Atque alacrem lætis hortatibus implet.'

Mixtus adhuc, vertere gradum: vix obvia passi
Colloquia, amplexus etiam, dextrasque suorum
Excussere humeris: tunc frontem, aversaque terga
Partiti, laterumque sinus, vallum undique cingunt
Ignibus infestis: rabidi sic agmine mixto
Sub noctem coiere lupi, quos omnibus agris
Nil non ausa fames longo tenuavit hiatu.
Jam stabula ipsa premunt: torquet spes irrita fauces,
Balatusque tremens, pinguesque ab ovilibus auræ.
Quod superest, duris affrangunt postibus ungues,
Pectoraque, et siccos minuunt in limine dentes.
At procul Argolici supplex in margine templi

per corpora, gressus convertunt in Argivos: vix sustinent sermones obviorum, rejecerunt etiam a cervicibus manus suorum et brachia. Tunc partiti frontem, extremumque aciem, ac sinus laterum, circumdunt castra undique flammis hostilibus. Sic furiosi lupi promiscue convenerunt sub noctis tempus, quos fames, quæ omnia tentavit in cunctis campis, maceravit longo rictu; jam instant caulis ipsis: spes vana, trepidus balatus, ac opimus odor ex stabulis veniens cruciant eorum fauces: quod restat, ungues perrumpunt ad duras fores, et atterunt pectus et dentes famelicos in limine. At longe supplex turba in gradibus delubri Argivi, et matronæ Peloponne-

'In omnibus nostris codd. legitur *adversaque*. In uno alteroque non *terga* sed *castra* scriptum est: ut et in Behottii libris. Nihil tamen a vulgata scriptura mutare consultum putamus: *adversaque* legit etiam Lactantius.' *Idem*. Solus Behot. 1. *castra;* nam alter Behot. habet, ut in aliis codd. *terga*.—42 *Ignibus infestis* Petrens. Exc. Cantab. Burm. Behot. 2. Put. Petav. omnes Barthiani, Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. et Delph. *Ignibus infesti* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Venett. 3. 4. Gevart. Amstel. Gronov. et Veen. hoc tamen non receperunt Editores Bipontini. *rapidi sic agmine* Behot. 1. *et rapidi sic agmine* Behot. 2.—45 'Optimi libri habent *torret* pro *torquet:* tantundem est. Nihil mutamus.' *Barth*.—46 In quibusdam codd. et edd. vett. *ab ovilibus agnæ*, improbante Barthio.—47 Dan. Put. Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. omnes Barthiani, Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. et Gevart. *adfringunt;* Behott. 1. 2. Petrens. et Exc. Cantab. *adfrangunt;* quod receperunt Gronov. Daum. Veen. et Delph.—48 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. *in margine dentes;* optimæ Barthii membranæ: *in parjete dentes*.—49 *Ast procul* unus Behot. *limine templi* omnes fere codd. et edd. ante Gronov. quem vide in

NOTÆ

38 *Vertere gradum*] Ad Argivos supple.

40 *Frontem*] Frontem vocamus *la bataille*. *Aversaque terga*] *L'arriere garde*.

41 *Laterumque sinus*] Cornua aciei intelliguntur.

46 *Pingues auræ*] Auræ pinguium ovium. Quidam vero codices habent agnæ.

48 *In limine*] Alia lectio, *margine*.

Cœtus, et ad patrias fusæ Pelopeides aras
Sceptriferæ Junonis opem, reditumque suorum
Exposcunt, pictasque fores, et frigida vultu
Saxa terunt, parvosque docent procumbere natos.
Condiderant jam vota diem: nox addita curas
Jungit, et aggestis vigilant altaria flammis.
Peplum etiam dono, cujus mirabile textum
Nulla manus sterilis, nec dissociata marito
Versarat, calathis castæ velamina Divæ
Haud spernenda ferunt, variis ubi plurima floret
Purpura picta modis, mixtoque incenditur auro.
Ipsa illic magni thalamo desponsa Tonantis,
Expers connubii, et timide positura sororem,

siacæ procumbentes ad patria altaria, petunt auxilium reginæ Junonis, et suorum regressum, et terunt facie pictas portas, et gelidos lapides, et infantes docent se prosternere. Jam consumserant diem precando: nocte adveniente eadem vota continuant, et vigilant circa ignes in aris accensos. In munus etiam offerunt pudicæ Deæ non indignum velamentum, peplum, cujus admirandum textile nulla manus infœcunda, nec a viro disjuncta confecerat: ubi splendet plurimum ostrum pictum diversis modis, et rutilat intexto auro. In hoc peplo, ipsa Juno, nondum nupta, sed promissa lecto summi Jovis, et timide relictura sororis nomen, recipit dejectis oculis

Not. Var. *margine templi* Behott. 1. 2.—55 Vide Notam infra.—57 *Nulla manu sterilis* Put.—61 ‘ Male *illinc* pro *illic*, quod et omnium bonorum librorum est, a Bernartio aliisque editum.’ *Barth. Illinc* etiam codd. Lindenbrogii. —62 Behott. 1. 2. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *positura pudorem;* Dan. Put. Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. ceteri, cum edd. Lindenbrog.

NOTÆ

50 *Pelopeides*] Peloponnesiacæ, seu Argivæ, sic dictæ a Pelope, qui nomen dedit toti Peloponneso, in qua Argi siti.

51 *Sceptriferæ*] Regiæ, quod est proprium Junonis epithetum.

52 *Et frigida vultu Saxa terunt*] Vide Theb. IX. 638. *Frigida saxa*] Pavimentum.

53 *Parvosque docent procumbere natos*] Ut facilius exorent Deam innocentia parvulorum.

55 *Vigilant altaria flammis*] Liber optimus, aliique nostri constanter vel *flammis* vel *fumis* habent. Hoc Papinianum esse puto. Ut odores pretiosos esse notet. Ut talibus fumis delectari Dii crediti: docent post alios multos Arnobius et Lucianus. *Barthius.*

56 *Peplum etiam dono*] Ita mos vetus, ut in supplicationibus matronæ pepla Deabus offerrent. Virg. Æn. II. ‘Interea ad templum non æquæ Palladis ibant Crinibus Iliades passis, peplumque ferebant Suppliciter tristes, et tonsæ pectoræ palmis.’

61 *Ipsa*] Juno.

62 *Positura sororem*] Nomen sororis. Quidam codices, *pudorem.*

Lumine demisso pueri Jovis oscula libat
Simplex, et nondum furtis offensa mariti.
Hoc tunc Argolicæ sanctum velamine matres
Induerant ebur, et lacrymis questuque rogabant:
Aspice sacrilegas Cadmeæ pellicis arces,
Siderei regina poli, tumulumque rebellem
Disjice, et in Thebas aliud (potes) excute fulmen.
Quid faciat? scit fata suis contraria Graiis,
Aversumque Jovem: sed nec periisse precatus
Tantaque dona velit: tempus tamen obvia magni
Fors dedit auxilii: videt alto ex æthere clausa
Mœnia, et insomni vallum statione teneri.
Horruit irarum stimulis, motaque verendum
Turbavit diadema coma: non sævius arsit,
Herculeæ cum matris onus, geminosque Tonantis

suavia juvenis fratris, rudis, nec adhuc læsa furtis mariti. Tunc matronæ Argivæ hoc velo texerant eburneum Deæ simulacrum, et precabantur flentes ac querentes. Vide Domina stellati cœli impias turres concubinæ Cadmi filiæ, et destrue rebellem collem, et, cum possis, torque aliud fulmen in Thebas. Quid agat? Novit fata adversari suis Græcis, et Jovem contrarium: sed nec vult has preces irritas esse, ac tam pretiosa munera. Attamen præsens casus occasionem præbuit magnæ opis ferendæ. E celso cœlo aspicit obsessa castra, et vallum circumdari pervigilibus excubiis. Horruit furoris aculeis, et agitato capite dejecit venerandam coronam. Non vehementius excanduit, cum ægerrime ferret pondus uteri genitricis

Cruc. et recentt. *positura sororem.*—63 *Lumine dimisso* unus Behot.—64 'Aliquanto melius dicas quod est in optimo libro *offensa marito:* et sane sic scriptum Papinio.' *Barth.*—66 *Induerunt ebur* optimi aliique codd. Barthii, quod ille probat. *questuque tegebant* unus Behot.—69 *Disice* unus Behot. sed aliena manu *i* insertum est, ut legeretur: *Disjice.*—71 *Adversumque* in eodem codice et nonnulli Barthiani, etiam optimus.—73 *Fors tulit auxilii* unus. Behot.—78

NOTÆ

66 *Ebur*] Eburneum simulacrum.

67 *Cadmeæ pellicis*] Semeles.

68 *Tumulumque rebellem*] An tumulum Semeles, an arces Thebarum ut Guyetus interpretatur, an collem in quo sitæ Thebæ, ut Peyraredus?

69 *Aliud fulmen*] Ab eo scilicet, quo percussa Semele. Theb. I. 'Hanc odimus urbem Quam vultu confessus adis, ubi conscia magni Signa tori, tonitrus fers, et mea fulmina vibras.' Fulmen etiam Junoni tributum.

72 *Tantaque dona*] Peplum.

74 *Mœnia*] Argivorum castra.

77 *Herculeæ cum matris onus, geminosque Tonantis Concubitus*] Id est, cum vidit Herculem et Bacchum Thebanos inter sidera relatos, locaque in cœlo vacua occupasse.

Concubitus vacuis indignaretur in astris.
Ergo intempesta somni dulcedine captos
Destinat Aonios leto præbere: suamque
Orbibus accingi solitis jubet Irin, et omne
Mandat opus: paret jussis Dea clara, polumque
Linquit, et in terras longo suspenditur arcu.
Stat super occiduæ nebulosa cubilia noctis,
Æthiopasque alios, nulli penetrabilis astro,
Lucus iners, subterque cavis grave rupibus antrum
It vacuum in montem, qua desidis atria Somni,

Herculis, et geminos nothos Jovis relatos inter vacua sidera. Itaque statuit tradere morti Thebanos detentos inopportuna voluptate soporis, et imperat suam Irim accingi solitis arcubus, et injungit ei quid agendum foret. Lucida Dea obsequitur mandatis ejus, deseritque cœlum, ac curvatur supra tellurem extenso orbe. Est pigrum nemus, ultra caliginosos thalamos occidentis noctis, et alteros Æthiopes, nullius sideris lumen admittens; et caverna obscura sub cavis scopulis montem perforat, qua deses Natu-

Succubitus Put. *indignabatur in astris* unus Behot.—84 *Stat juxta occiduæ* optimæ Barthii membranæ. Behot. 1. pro *cubilia* exhibet *cunabula;* qua dictione expuncta, inscriptum *cacumina* eodem stylo.—85 Behot. 1. *nulli penetrabilis austro.*—86 In quibusdam *nubibus* pro *rupibus*; sed vide Heinsium ad Ovid. Met. XI. 591.—87 Heinsius ibid. legit: *quæ desidis atria.*—88 Scaliger casti-

NOTÆ

80 *Aonios*] Thebanos.

81 *Orbibus accingi*] Virg. 'Mille trahit varios adverso sole colores.' *Irin*] Iris Junonis famula, Thaumantis filia.

82 *Dea clara*] Iris seu arcus cœlestis.

83 *In terras longo suspenditur arcu*] Alludit ad arcum cœlestem, cujus Iris symbolum apud veteres.

84 *Stat, &c.*] Hic Noster incipit describere ædes Somni, ad imitationem Ovidii Met. XI. qui tamen ædes Somni prope Cimmerios populos ob longissimas ibi noctes collocat. Homerus in Lemno insula collocaverat, et Ariostus ultimo in Arcadia posuit. Vide Ovidium ibidem, Homerum lib. Il. I. Vide et Lucianum in lib. II. Verarum Historiarum, ubi fabulosam Somni civitatem, in qua Somnia habitare dicebantur, pereleganter suo more describit.

85 *Æthiopasque alios*] Sunt enim duplices Homero Æthiopes, Orientales et Hesperii: primi positi sunt ad Mare Rubrum, Oceanumque Indicum, et proprie vocantur 'Æthiopes:' alii accolunt Oceanum Atlanticum seu Hesperium, et hi vocantur proprie 'Nigritæ.' Homerus Odyssea A. Αἰθίοπας, τοὶ δίχθα δεδαίαται, ἔσχατοι ἀνδρῶν, Οἱ μὲν δυσομένου ὑπερίονος, οἱ δ' ἀνιόντος. *Æthiopes bifariam dividuntur, ultimi hominum, hi quidem solis occidentis, illi vero orientis.*

87 *Desidis*] Ab effectu, quia nimius somnus desidiam et languorem parit.

Securumque larem segnis Natura locavit.
Limen opaca Quies, et pigra Oblivia servant,
Et nunquam vigili torpens Ignavia vultu.
Otia vestibulo, pressisque silentia pennis
Muta sedent, abiguntque truces a culmine ventos,
Et ramos errare vetant, et murmura demunt
Alitibus: non hic pelagi, licet omnia clament
Littora, non illic cœli fragor: ipse profundis
Vallibus effugiens speluncæ proximus amnis
Saxa inter scopulosque tacet: nigrantia circa
Armenta, omne solo recubat pecus, et nova marcent
Germina, terrarumque inclinat spiritus herbas.

ra posuit palatium, et tutos lares segnis Somni. Tenebrosa Quies, et iners Oblivio, ac torpens Desidia, nunquam experrectos habens oculos, limen custodiunt. Otia et tacita Silentia contractis alis sedent in atrio, et fugant molestos ventos a tecto, prohibentque frondes agitari, et auferunt voces avibus. Non hic strepitus maris, licet omnes ejus ripæ mugiant, non illic tonitru auditur. Ipse fluvius propinquus cavernæ per humiles valles procurrens silet inter silices et rupes, furva circum armenta, omne pecus humi jacet, et recentes plantæ languent, et halitus deprimit terræ gramina.

gat: *segnem Natura locavit*, improbante Gronovio in Diatr. p. 82.—91 Taurin. *positique silentia pennis;* sed pro v. l. *positis*. Jortinus conjectabat: *pressisque silentia labris*, improbante Burmanno.—92 'Suspecta est lectio hujus versus.' *Barth. Muta tenent* Petav.—94 'Vera scriptura est: *licet horrida;* etiamsi inhorreat mare, non tamen auditur sonus undæ littora pulsantis. Ita omnes scripti nostri libri, et voluit ante Gul. Canterus. Etiam sic liber Lindenbrogii et editio Gevartii.' *Barth.* Ita quoque Buslid. vetus Bernartii, et Dan. Heins. ad Claudian. Paneg. in Prob. et Olyb. Cons. 211.—95 Put. *non ullus cœli fragor.*—97 Behot. 1. Put. Petav. et nonnulli Barthiani: *scopulosque jacet.* Put. Petav. alter Behot. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Aldd. Co-

NOTÆ

88 *Segnis Natura*] *Segnis*, quæ segnem facit. Hoc perperam corrigit Jul. Scaliger. Immo solers et vegeta, *segnem*, non ipsa *segnis*, inquit. Quasi ulla figura illa hypallage Poëtis sit frequentior. *Segnis Natura* ibi fuisse dicitur, ubi supinam quietem, et segnitiem meram locavit. Sic Kalendis Decembribus 'brevis Natura,' quæ breves facit: alibi 'injustam Naturam' dicit, quæ injustum funus efferre jubet. Nec aliter Avitus apud Senecam Suasor. I. mare dicit 'deficientis in suo fine Naturæ pigram molem.' Ibidemque Fabianus: 'rudis et imperfecta Natura penitus recessit.' *Gronovius Diatribes* cap. 15.

89 *Limen opaca Quies, &c.*] Ut supra lib. VII. in descriptione domus Martis posuit in ejus limine Impetum Iramque, intra vero Mortem, Virtutem, &c. quæ vel præcedunt vel comitantur bellum. Sic in palatio Somni ponit omnia quæ aut illum conciliant, aut in quæ ille desinit, ut Quietem, Oblivia, et Ignaviam, omnia cum epithetis convenientibus.

Mille intus simulacra Dei cælaverat ardens
Mulciber: hic hæret lateri redimita Voluptas,
Hic comes in requiem vergens Labor: est ubi Baccho,
Est ubi Martigenæ socium pulvinar Amori
Obtinet: interius tectum in penetralibus altis
Et cum Morte jacet: nullique ea tristis imago.
Ipse autem, vacuus curis, humentia subter
Antra soporifero stipatus flore, tapetas
Incubat: exhalant vestes, et corpore pigro
Strata calent, supraque torum niger efflat anhelo
Ore vapor: manus hæc fusos a tempore lævo
Sustentat crines; hæc cornu oblita remisit.
Adsunt innumero circum vaga somnia vultu,

...... *Ipse autem expers solicitudinum jacet supra tapetas in humida spelunca, septus somniferis floribus: stragula vaporant, et lectus calet a deside corpore; et ater vapor supra lectum exhalat ore anhelo: hæc manus sustinet capillos sparsos a tempore sinistro: hæc soluta dimisit cornu. Circum etiam sunt errabunda rerum Somnia*

lin. Gryph. Basil. et Plant. *nigrantia circum.*—99 *Gramina* Behott. 1. 2. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *Germina* prius scriptum fuerat in Behot. 1. et hoc exhibent Dan. Put. Petav. et edd. recentt.—100. 105 Hi sex versus desunt in Petav. Dan. Exc. Cantab. Petrens. Taurin. Behott. 1. 2. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Venett. 3. 4. Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Gevart. Grasser. et Amstel. Extant tamen in Put. membranis Barth. et iis, quas contulit Andreas Schottus Obss. lib. II. cap. 29. Vide Not. Var. 'In meo codice tantum comparent primi quatuor versus: *Mille intus; Mulciber hic; Hinc omnes; Est ibi;* cum lemmate: 'Hi versus non sunt de Statio; licet scribantur in quibusdam codicibus.' *Burman.* —106 *Cernitur hæc species autem umentia* Put.—107 Edd. vett. *tapetis;* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Behott. 1. 2. et edd. recentt. *tapetas;* optimæ Barthii membranæ: *stipatos flore tapetas.*—108 'Male Schotti liber: *corpore nigro.*' Barth. Petav. *pectore pigro.*—109 Optimus Barth. *exstat anhelo;* alter ejusdem: *afflat anhelo;* et ita Behot. 1. Vide Heinsium ad Ovid. Met. XI. p. 303. —110 Behot. 1. *e tempore.*—112 Hic et quinque sequentes versus desunt in Behott. 1. 2. Taurin. Burm. Petav. Dan. optimis Barth. membranis, et Ve-

NOTÆ

99 *Germina*] Alia lectio *Gramina.* Ceterum post hunc versum sequuntur in editione Gronovii, sed diverso charactere, sex versus e Ms. prolati a Lindenbrogio, post et Antonio Schotto. Idem Gronovius affirmat se invenisse in sex codicibus, et certe sunt excellentis Poëtæ.

107 *Soporifero flore*] Papavere. *Stipatus flore, tapetas*] Alii codices legunt: *stipatos flore tapetas.*

109 *Efflat*] Lege *afflat.*

111 *Hæc cornu oblita remisit*] Cornu tenens pingitur somnus.

Vera simul falsis, permixtaque tristia blandis.
Noctis opaca cohors, trabibusque, aut postibus hærent,
Aut tellure jacent: tenuis, qui circuit aulam,
Invalidusque nitor, primosque hortantia somnos
Languida succiduis expirant lumina flammis.
Huc se cœruleo libravit ab æthere virgo
Discolor: effulgent sylvæ, tenebrosaque Tempe
Arrisere Deæ, et zonis lucentibus icta
Evigilat domus: ipse autem nec lampade clara,
Nec sonitu, nec voce Deæ perculsus, eodem
More jacet: donec radios Thaumantias omnes
Impulit, inque oculos penitus descendit inertes.
Tunc sic orsa loqui nimborum fulva creatrix:

innumerabili facie, simul vera falsis, mœsta lætis confusa, (tenebrosa noctis cohors,) et affiguntur postibus aut trabibus, aut humi cubant. Lux, quæ aulam circumdat, exilis est et languida, et debiles lucernæ, quæ suadent primum soporem, extinguuntur flammis morientibus. Variata virgo se libravit illuc a cœruleo cœlo. Splendent nemora, et obscura Tempe arriserunt numini; et ædes somni percussæ fulgentibus Deæ cingulis expergefiunt. Ipse autem nec clara luce, nec strepitu, nec voce numinis excitatus, cubat eodem modo: donec Thaumantis filia immisit omnes suos radios, et illapsa est penitus in pigros ejus oculos. Tunc sic incipit: Juno fulva

nett. 3. 4. Habentur tamen in Put. Petrens. Exc. Cantab. Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Gevart. Grasser. et recentt. *Sunt etiam innumero* edd. vett. *Adsunt innumero* Put.—113 Put. *permixtaque flumina flammis.*—116 *Non humilisque nitor* Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. Barthius ex conjectura legit: *tenuis qua circuit aulam Nox, humilisque nitor.* Marklandus ad Sylv. I. 3. 43. conj. *tenerosque hortantia somnos.*—122 Libri Barthiani variant: *perculsus* et *percussus:* tantundem est.—125 *Tunc sic orsa loqui: nimborum fulva*

NOTÆ

112 *Adsunt innumero, &c.*] Hic versus et sequentes quinque spurii quibusdam habentur, et in Petavii et Danielis exemplaribus non extabant.

115 *Tenuis, qui circuit aulam, Invalidusque nitor*] Ovidius loco supra laudato: 'Nebulæ caligine mistæ exhalantur humo, dubiæque crepuscula lucis.'

118 *Virgo Discolor*] Iris seu arcus cœlestis, quia variis coloribus pingitur.

119 *Tempe*] Quid ibi *Tempe?* Legendum forsan *tecta*, vel *templa.*

120 *Et zonis lucentibus*] Cincta enim repræsentatur zona splendida.

121 *Domus*] Somni. *Nec lampade clara*] Facem enim ferens repræsentatur Iris.

123 *Thaumantias*] Iris Thaumantis filia.

125 *Loqui nimborum* [*loqui: Nimborum*] *fulva creatrix*] Physici apud veteres interpretantur 'Junonem' aërem, ideoque bene dicitur Juno 'nimborum creatrix,' quia in aëre creantur.

Sidonios te Juno duces, mitissime Divum
Somne, jubet populumque trucis defigere Cadmi,
Qui nunc eventu belli tumefactus, Achæum
Pervigil asservat vallum, et tua jussa recusat.
Da precibus tantis, (rara est hoc posse facultas,)
Placatumque Jovem dextra Junone merere.
Dixit, et increpitans languentia pectora dextra,
Ne pereant voces, iterumque, iterumque monebat.
Ille Deæ jussis dubium mixtumque sopori
Annuit: excedit gravior nigrantibus antris

nubium creatrix, rogat te, Somne Deorum placidissime, sopire duces Thebanos, et gentem ferocis Cadmi, quæ nunc elata prospero belli successu, insomnis Argiva castra obsidet, et respuit leges tuas. Id indulge obsecrationibus tantæ Deæ, raro accidit posse hoc, et conciliare Jovem propitia Junone. Inquit, et manu percutiens languida pectora, ne verba excidant, rursus ac rursus inculcabat. Ille semisopitus nutu assensit Deæ mandatis. Iris prona in somnum egreditur atris speluncis, et

creatrix Sidonios edd. vett.—127 Edd. vett. *trucem defigere Cadmi ;* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Behott. 1. 2. &c. *trucis.*—128 *Achivum* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Behott. 1. 2. et edd. vett. Mutavit Gronovius. Vide Not. Var.—129 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Put. Petav. et edd. vett. *tua jura ;* Dan. Petrens. Behott. 1. 2. Gronov. Barth. et Veen. *tua jussa.*—130 Unus Behot. *rara hoc est.*—131 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. et edd. vett. *mereri ;* Gronov. Barth. et Veen. *merere.* Vide Not. Var. Ante hunc versum alius inseritur in Petav. et Dan. *Junonemque tibi placatum conjuge dextro.*—134 *Ille Deæ jussis, vultu quoque nutat eodem* Put. *dubius mixtusque sopori* Dan. et edd. vett. *dubium mixtumque sopori* Exc. Cantab. Petrens. Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Behott. 1. 2.

NOTÆ

126 *Sidonios*] Thebanos. *Mitissime divum Somne*] Ovidius Met. II. 'Placidissime Somne Deorum.'

127 *Populum Cadmi*] Thebanos.

128 *Achæum*] Græcorum, seu Argivorum.

129 *Et tua jussa* [*jura*] *recusat*] Id est, vigilare vult. Alii legunt *jussa.*

130 *Da precibus tantis*] Junonis scilicet.

131 *Dextra Junone merere* [*mereri*] Ascriptum habet liber optimus: vel *merere.* Quod videtur commodius, si quidem omnia sunt integra; nam membranæ quas habeo donum Georgii Richteri, virtute et honoribus in Norico præfulgentis, versu solido sunt auctiores, hoc modo: *Da precibus tantis (rara est hoc posse facultas) Placatamque simul Junonem conjuge dextro Placatumque Jovem dextra Junone mereri.* Hoc modo *mereri* melius. Da tantæ Deæ precibus, ut utrosque et Jovem et Junonem, huic obsequendo, demerearis. Paulo aliter conceptum invenit Lindenbrogius. *Gronovius.*

134 *Dubium, mixtumque*] Alii *dubius mixtusque*, et male.

135 *Gravior*] In somnum prona.

Iris, et obtusum multo jubar excitat imbri.
Ipse quoque et volucrem gressum, et ventosa citavit
Tempora, et obscuri sinuatam frigore cœli
Implevit chlamydem, tacitoque per æthera cursu
Fertur, et Aoniis longe gravis imminet arvis.
Illius aura solo volucres, pecudesque, ferasque
Explicat, et penitus quacumque supervolat orbem,
Languida de scopulis sidunt freta, pigrius hærent
Nubila, demittunt extrema cacumina sylvæ,
Pluraque laxato ciciderunt sidera cœlo.
Primus adesse Deum subita caligine sensit
Campus, et innumeræ voces, fremitusque virorum
Summisere sonum: cum vero humentibus alis
Incubuit, piceaque haud unquam densior umbra
Castra subit, errare oculi, resolutaque colla,

accendit jubar pæne extinctum multo rore. Ipse quoque acceleravit velocem gradum, et alas temporum, et implet chlamydem in rugas collectam, frigore umbrosi cæli, et vehitur silenti volatu per aërem, et graviter impendet agris Thebanis. Illius halitus extendit humi aves, pecudes, ac feras, et quacumque fertur supra terram, undæ languentes descendunt de scopulis, nubes pendent segnius, nemora inclinant supremos vertices, et plura astra lapsa sunt laxato cœlo. Primus campus sensit repentinis umbris Deum advenisse. Innumeri clamores tumultusque hominum sonum depresserunt. Ut vero cum madidis pennis incubuit, et intravit castra, nunquam spissior quam tunc atra caligine errant oculi, cervices remittuntur, ac verba manent



Gronov. Barth. Veen. et Delph.—137 Heinsius ad Claudian. Paneg. in Prob. et Olyb. Cons. 23. legit: *multo jubar excitat igni.*—139 *Implicuit chlamydem* Dan. *per æthera curru* Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *per æthera cursu* Dan. Put. Petav. Behott. 1. 2. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Venett. 3. 4. et edd. recentt.—142 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Petav. et edd. vett.

NOTÆ

137 *Ventosa*] Id est, alata: somno enim alæ dantur ad tempora.

139 *Cursu*] Quædam editiones habent *curru*. Inepte, Somno enim non currum, sed alas dant Poëtæ. Noster hoc eodem lib. 'Cum vero humentibus alis Incubuit.' Et Achilleidos I. 'Totis ubi somnus inertior alis Defluit in terras.' Tibullus: 'Postque venit tacitus fulvis circumdatus alis Somnus.' Propertius: 'Dum me jucundis lassam sopor impulit alis.'

142 *Quacumque supervolat orbem*] Aliæ editiones habent *quacumque supervolat urbem*. Sed male: non enim tantum urbes supervolat.

147 *Campus*] Id est, Thebani qui erant in campo, quique obsidebant castra Argivorum.

Et medio affatu verba imperfecta relinqui.
Mox et fulgentes clypeos, et sæva remittunt
Pila manu, lassique cadunt in pectora vultus.
Et jam cuncta silent: ipsi jam stare recusant
Cornipedes: ipsos subitus cinis abstulit ignes.
At non et trepidis eadem sopor otia Graiis
Suadet, et a junctis arcet sua nubila castris
Noctivagi vis blanda Dei: stant undique in armis
Fœdam indignantes noctem, vigilesque superbos.
Ecce repens, superis animum lymphantibus, horror
Thiodamanta subit, formidandoque tumultu
Pandere fata jubet: sive hanc Saturnia mentem,
Sive novum comitem bonus instigabat Apollo.
Prosilit in medios, visu audituque tremendus,

imperfecta in medio sermone. Deinde manibus effluunt scuta coruscantia, pilaque aspera, et fatigata capita in pectus labuntur. Et jam tacent omnia. Ipsi equi stare non possunt. Repentinus cinis extinguit ipsos ignes. Verum Somnus non immittit eandem quietem Græcis trementibus, et vis blanda numinis nocte errantis summovet suam caliginem a vicinis castris. Stant undique armati, ægre ferentes turpem noctem, et vigiles insultantes. Ecce subitus furor a Diis immissus invadit Thiodamanta, eumque adigit fata detegere terribili strepitu: sive Juno dederat ei hanc mentem, sive Apollo instimulaverat recentem ministrum. Prodiit in medios formidabilis

---

quamcumque supervolat urbem. Vide Not. Var.—151 *Et medio afflatu* Aldd. Colin. Gryph. et Basil. Emendavit Joannes Livineius ad Propert. IV. 7. et Bernartius ex codice manuscripto: et ita fere alii codd.—152 'Manuscripti libri ultra nihil mutant, quam quod in optimo, alioque uno, clare scriptum offendo: *et tela remittunt Pila manu.* Lindenbrogiani et Behottiani nihil mutant, ut nec edd. priscæ. Faciunt tamen duo illi nostri, ut glossemate veritatem exclusam arbitrer. Ut si scripserit: *et tela remittunt Lapsa manu.* Nihil tamen nobis auctoribus mutabitur.' *Barth.*—154 'Hæc omnia verba, *ipsi jam stare recusant Cornipedes ipsos,* iidem duo libri nullo apice agnoscunt. Sed hoc modo concipiunt rem: *Et jam cuncta silent, ipsos cinis abstulit ignes.*' Idem.—157 Unus Behot. *et a cunctis.*—160 *Ecce recens* Behott. 1. 2. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et edd. vett. *Ecce repens* Dan. Put. Petav. Lindenbrog. Cruc. et recentt.—161 *Thyodamanta* nonnulli codd. et edd. vett. *Thiodemanta* Behot. 2.—164 *Prosilit in medium* Behott. 1. 2.—166 Put. *exudant*

NOTÆ

157 *Et a junctis*] *Et*, hic pro 'sed,' quod frequens Lucano.

159 *Vigilesque superbos*] Id est, Thebanos, qui Græcis in suis castris se continentibus, ac prodire non audentibus, insultabant.

162 *Sive hanc Saturnia mentem*] Supple, dederat.

163 *Novum*] Thiodamas enim in locum Amphiarai successerat, ut vidimus. Vide Virgilium Æn. VI. ubi de Sibylla loquitur. *Instigabat*] Bernartius legit *instigarat.*

Impatiensque Dei, fragili quem mente receptum
Non capit: exundant stimuli, nudusque per ora
Stat furor, et trepidas incerto sanguine reddit,
Exhauritque genas: acies huc errat, et illuc,
Sertaque mixta comis sparsa cervice flagellat.
Sic Phryga terrificis genitrix Idæa cruentum
Elicit ex adytis, consumtaque brachia ferro
Scire vetat, quatit ille sacras in pectora pinus,
Sanguineosque rotat crines, et vulnera cursu

aspectu et verbis, quæ intonabat, ac intolerans Dei, quem admissum in angusto animo non continet. Stimuli per sudorem erumpunt, furor in ore manifeste apparet, et modo inflat trementes genas affluente sanguine, modo deprimit eo recedente, oculi vagantur huc et illuc, et cervicem concutiendo serta inter se collidit, quibus crines cinguntur. Sic mater Idæa penetralibus extrahit sanguinolentum Phrygem, et scire prohibet vulnera, quibus ferro laniat suos lacertos. Ille tundit pectus religiosa pinu, et jactat cruentatas comas, et currendo sibi adimit plagarum sensum: omnes campi pavent,

stimuli. Vide Not. Var.—167 Put. Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et edd. vett. *sanguine tendit;* Behott. 1. 2. Dan. Gronov. Barth. et Veen. *sanguine reddit.*—171 ' Omnino cum optimo libro legendum *Ejicit.*' Barth. Vide Not. Var.—172 Put. *pectore pinus.*—173 *Sanguineosque rotat crines* Put. *ac*

NOTÆ

166 *Exundant* [*exudant*] *stimuli*] Quibus a numine agitabatur. *Exudant,* per sudorem erumpunt. Quidam codices habent *exundant. Nudus*] Quidam legunt, *multus.*

167 *Reddit* [*tendit*] Legit Gronovius, *reddit.* Est enim, ait ille, quasi dixisset. *Exhaurit redditque, ὕστερον πρότερον.* Ovidius Metam. II. ' Dum redit, itque frequens.' Lib. VIII. 'Si dant adimuntque figuras.' *Incerto*] Sive ambiguo, quia modo rubor, modo pallor ora ejus mutabat. Virgilius Æn. VI. ' Cui plurima fanti Ante fores subito non vultus, non color unus.'

169 *Sparsa*] Huc et illuc rotata.

170 *Phryga*] Gallum intelligit Cybeles sacerdotem, qui Phryx erat. *Genitrix Idæa*] Cybele seu Rhea mater Deorum, cujus erant varia cognomina. Strabo lib. x. Berecynthii autem, Phrygia gens, et in universum Phryges, ac Troum illi qui Idam accolunt (hinc *Idæa mater*) Rheam et ipsi colunt, eique Orgia peragunt, matrem appellantes Deorum, et Agdestim, et Phrygiam, et magnam Deam. A locis autem Idæam Dyndimenen, Pylenen, Pessinuntiam, ac Cybelem.

171 *Consumtaque brachia ferro*] Sacerdotes enim Cybeles sibi ferro et cultris lacertos lacerabant.

172 *Scire vetat*] Quia dolorem furor sentire non patitur. *Quatit ille sacras in pectora pinus*] Pinu etiam sibi cædebant pectus fanatici Galli, omnia ad imitationem luctus Cybeles ob Attin, et in memoriam pinus, sub qua Attis se castraverat. Claudianus: ' Cymbala ferre licet, pectusque illidere pinu.' *Sacras*] Quia Attis Cybeles dilectus sub pinu jacuit.

173 *Sanguineosque rotat crines*] Jactabant etiam capita furibundi Galli,

Exanimat: pavet omnis ager, respersaque cultris
Arbor, et attoniti currum erexere leones.
Ventum ad concilii penetrale, domumque verendam
Signorum, magnis ubi dudum cladibus æger,
Rerum extrema movens, frustra consultat Adrastus.
Stant circum subiti proceres, ut quisque peremto
Proximus, et magnis loca desolata tuentur
Regibus, haud læti, seque huc crevisse dolentes.
Non secus amisso medium cum præside puppis
Fregit iter, subit ad vidui moderamina clavi

et pinus sanguine perfunditur, et consternati leones erexerunt currum. Ventum erat ad adyta concilii, et sacram ædem signorum, ubi Adrastus tristis ob ingentes clades, agitans in quas angustias res erant adactæ, incassum deliberat. Novi duces illum circumdant, ut quisque occiso erat propinquus, et afflicti occupant sedes desertas a magnis regibus, et mœrent se provectos fuisse ad hos gradus. Ut cum navis, extincto gubernatore, interrupit mediam navigationem, custos laterum, aut is cui prora

vulnera multi codd. et edd. vett.—174 Codd. Lindenbrogii: *respersaque cultrix.*—176 *Ventum ad consilii* Behott. 1. 2.—183 Put. *dubii m. clavi.*—185

NOTÆ

quod faciebant etiam ad imitationem Cybeles, quam Diodorus ait lib. III. propter amoris impatientiam et mœrorem, furore correptam, in agros excurrisse, atque ibi solam, diffusis capillis, ululatu et tympani strepitu universam implevisse regionem. Lampridius Heliogabalo: 'Jactavit caput inter præcisos fanaticos, et omnia fecit, quæ facere solent.'

174 *Respersaque cultris Arbor*] Cum enim cæderent brachia, sanguis effluens pinum, qua sibi pectus tundebant, fœdabat.

175 *Et attoniti currum erexere leones*] Currus Rheæ seu Cybeles trahebatur a leonibus. Vide Diodorum Siculum, Arnobium, et præcipue Vossium de Idololatria lib. I.

176 *Domumque verendam Signorum*] Intelligit ædiculam seu templum, in quo religionis causa, Aquila et signa servabantur in exercitu Romano. Herodianus lib. IV. Ὡς δὲ ἐσέπεσε εἰς τὸ στρατόπεδον, εἴς τε τὸν νεὼν ἔνθα τὰ σημεῖα καὶ τὰ ἀγάλματα τοῦ στρατοπέδου προσκυνεῖται. *Postquam in castra venit, et in sacellum in quo signa et imagines exercitus adorantur.* Hinc *veranda domus.* Nec mirum est duces introduci apud signa seu in principiis consultantes: Statius enim consuetudinum Romanorum observantissimus. Romani autem Duces præcipuos actus castrorum apud signa celebrabant: jus illic dictum: concionari solebat inibi imperator: literæ publicæ ibi lectæ: juramenta illic exacta, ut videre est apud scriptores Latinos.

179 *Subiti proceres*] Qui scilicet in locum mortuorum ducum suffecti fuerant.

181 *Regibus*] Plerique enim reges, aut virtute regibus æquales. *Seque huc crevisse dolentes*] Ad hos honores seu gradus provectos.

Aut laterum custos, aut quem penes obvia ponto
Prora fuit: stupet ipsa ratis, tardeque sequuntur
Arma, nec accedit domino tutela minori.
Ergo alacer trepidos sic erigit augur Achivos:
Magna Deum mandata, duces, monitusque verendos
Advehimus: non hæ nostro de pectore voces.
Ille canit, cui me famulari, et sumere vittas
Vestra fides, ipso non discordante, subegit.
Nox fœcunda operum, pulchræque accommoda fraudi
Panditur augurio Divum: vocat obvia virtus,
Et poscit Fortuna manus: stupet obruta somno
Aonidum legio: tempus nunc funera regum
Ulcisci, miserumque diem: rapite arma, morasque

pelago obversa commissa est, ascendit ad regimen deserti gubernaculi: ipsa navis miratur, et instrumenta nautica lente parent, nec accedit Deus navis protector minus perito. Ergo hilaris vates sic erigit trementes Argivos: O duces, afferimus summa jussa et veneranda monita Superorum: hæc verba non veniunt de nostro pectore. Ille loquitur, cui vestra de me opinio servire me coëgit, et capere illius infulas, ipso non repugnante. Nox molitionum ferax, et opportuna bellicis dolis offertur numinum auspiciis. Ad hoc virtus nos vocat, et fortuna efflagitat manus. Copiæ Thebanæ torpent gravatæ somno. En adest occasio vindicandi cædes regum, et infelicem diem, quo perierunt. Arma sumite, et rumpite obices portarum; hoc est tædas sup-

Codd. Lindenbrogii: *tardeque sequuta.*—186 *Arma neque accedit* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. et edd. vett.—194 Dan. Put. et edd. vett.

NOTÆ

184 *Laterum custos*] Τοίχαρχος Polluci dicitur Græce lib. x.

186 *Arma*] Instrumenta nautica. *Tutela*] Tutela erat signum, aut effigiatum aut depictum, alicujus Dei in prora aut puppe navis, in cujus veluti clientelam se navigantes tradebant, eratque insigne navis: unde Glossæ *tutela*, παράσημον τοῦ πλοίου, *Insigne navis.* Et recte: nam hujus nomen navigio imponebant. Lucianus navigio τὴν ἐπώνυμον τῆς νεὼς ἔχοντα θεὸν τὴν Ἶσιν. *Cognominem navi Deam habens Isidem.* Persius Sat. VI. 'Jacet ipse in littore, et una Ingentes de puppe Dei.' Procopius in XII. Isaiæ: Ἐπιβῆναι δέ φησιν Παῦλον ὁ Λούκας ἐν πλοίῳ Ἀλεξανδρίνῳ παρασήμῳ Διοσκούροις· ταῖς γὰρ πρώραις ἀεὶ θεῶν εἴκονας ἐνέγραφον, ὡς καὶ νῦν ἁγίων Μαρτύρων. *Refert Lucas Paulum conscendisse navem Alexandrinam, cujus insigne Dioscuri: semper enim inscribebant proris imagines Deorum, ut et nunc sanctorum Martyrum.* Non solum autem inscribebant imagines Deorum, sed et animalium. Vide Festum in Europa. Notissimus mos. Herodotus auctor est tutelas navium a Phœnicibus παταΐκους dici, hoc est *cælaturas* et ἐκτυπώσεις, origine sine dubio Hebraica: *Fatak* enim Hebræis 'cælare' et 'exsculpere' significat.

195 *Aonidum*] Thebanorum.

Frangite portarum: sociis hoc subdere flammas,
Hoc tumulare suos: equidem hoc et Marte diurno
Dum res infractæ, pulsique in terga redimus,
(Per tripodas juro, et rapti nova fata magistri,)
Vidi, et me volucres circum plausere secundæ.
Sed nunc certa fides: modo me sub nocte silenti
Ipse, ipse assurgens iterum tellure soluta,
Qualis erat, (solos infecerat umbra jugales,)
Amphiaraus adit: vanæ nec monstra quietis,
Nec somno comperta loquor. Tune, inquit, inertes
Inachidas (redde hæc Parnassia serta, meosque
Redde Deos) tantam patiere amittere noctem,
Degener? hæc egomet cœli secreta, vagosque
Edocui lapsus? vade eia, ulciscere ferro

ponere rogis comitum, hoc suos sepelire. Equidem dum rebus accisis hoc diurno certamine pulsi terga vertimus, (testor tripodas et novam sortem hausti magistri,) vidi faustas aves, quæ circum me alas moverunt, sed nunc fides certo adhibenda. Ipse, ipse Amphiaraus, emergens dehiscente iterum terra, qualis erat cum cecidit, (tenebræ solos equos offuscaverant,) modo me convenit hac nocte tacita, nec refero inania somni visa, ac simulacra. Tune, ait, feres, ignave, pigros Argivos tantam noctem perdere? Restitue has Apollineas frondes, mea restitue numina. His egomet te erudii arcanis cœli et cognitione volatus avium errantium? Eia vade, nos

jacet obruta.—202 *Sed non certa* unus Behot.—205 In uno codice Barthii *adiit;* in alio ejusdem *iniit: nec vanæ monstra.*—206 *Tune in quid inertes* optimus Barthianus.—210 Multi codd. et edd. vett. *suade eia.*—212 Put. *impel-*

NOTÆ

196 *Miserumque diem*] Argivi enim a Thebanis cæsi fuerant, et quatuor duces amiserant.

200 *Magistri*] Amphiarai. Modestissimus Thiodamas, qui magistrum vocat Amphiaraum, quem tamen Amphiaraus ipse sibi ipsi in doctrina cœlestium præferebat. Vide lib. VIII.

201 *Plausere secundæ*] Illa ipsa die præcedente mihi successum bonum nuntiaverunt aves, et nunc etiam addicunt. *Vet. Schol.* Vere. Nam de noctis prospero augurio sequitur infra versu 211. *Barthius.*

203 *Ipse*] Amphiaraus.

204 *Umbra jugales*] Ipse quidem Amphiaraus erat tam clarus, quam fuerat vivens: equi vero ipsius Inferorum fuerant caligine offuscati.

205 *Vanæ nec monstra quietis*] Virg. 'Nec sopor illud erat, sed coram agnoscere vultus, Velatasque comas, præsentiaque ora videbar.'

206 *Tune, inquit*] Objurgantis verba.

208 *Amittere noctem*] Opportunitatem invadendorum hostium perdere.

209 *Degener*] Hic versus cum tribus sequentibus Guyeto suspectus.

210 *Lapsus*] Avium scilicet.

Nos saltem: dixit, meque hæc ad limina visus
Cuspide sublata, totoque impellere curru.
Quare agite, utendum Superis: non cominus hostes
Sternendi: bellum jacet, et sævire potestas.
Ecqui aderunt? quos ingenti se attollere fama
Non pigeat, dum fata sinunt? iterum ecce benignæ
Noctis aves: sequor, et comitum licet agmina cessent,
Solus eo, solus: venit ille, et quassat habenas.
Talia vociferans, noctem exturbabat, euntque
Non secus accensi proceres, quam si omnibus idem
Corde Deus: flagrant comitari et jungere casus.
Ter denos numero, turmarum robora, jussus
Ipse legit: circa fremit indignata juventus
Cetera, cur maneant castris, ignavaque servent
Otia: pars sublime genus, pars facta suorum,
Pars sua: sortem alii clamant, sortem undique poscunt.

saltem armis vindica, inquit, et visus est me protrudere ad has fores erecta hasta et toto curru. Quare agite, Dii sequendi sunt. Non collato pede fundendi hostes: somno gravantur illi, et sæviendi est facultas. Ecqui venient? quos non pœniteat magnum nomen acquirere, dum fata permittunt? Ecce iterum aves noctis faustæ. Sequor, et licet restent socii, solus vado. Ecce etiam ille Amphiaraus venit, et jactat frænos. Hæc clamans, noctis silentium turbabat. Vaduntque haud aliter inflammati optimates, quam si eodem numine inspirati essent. Ardent sequi, et aleam belli participare. Ipse rogatus elegit triginta numero, vires legionum. Reliqua pubes irata circa frendet, cur restent castris, ac sectentur turpem quietem. Pars memorat splendidos natales, pars gesta majorum, pars propria. Alii vociferantur, sortiendum esse, petunt sortem undique. Adrastus in malis lætatur et ani-

lere cursu.—214 Unus Behot. *est sævire.*—215 *Hæc quæ aderunt* Dan. Put. Petav. Lindenbrog. et Cruc. *En qui aderunt* Laog. Laur. Buslid. Lipsian. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *Æque aderunt* unus Behot. *Æqui aderunt* in altero; *Ecqui aderunt* optimi codd.—218 *Solus eo, atque adeo venit* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et edd. vett. Vide Not. Var.—219 Unus Behot. *exturbarat.*—224 Unus Behot. *cur maneat castris.*—233 Lang. Laur. Buslid.

NOTÆ

214 *Bellum*] Pro bellatoribus seu militibus.

218 *Venit*] Ille Amphiaraus.

219 *Noctem*] Id est, noctis quietem, somnum.

220 *Quam si omnibus idem Corde Deus*] Ac si corde omues Apollinem aut Amphiaraum recepissent. Corda insidebat talis furor. *Barthius.*

221 *Casus*] Pericula, et belli aleam.

226 *Sortem alii clamant*] Plurimus sortis usus in bello, et maxime ad evitandam ducum, aut etiam militum æmulationem, quæ sæpe exitiosa est.

Gaudet in adversis animoque assurgit Adrastus.
Vertice sic Pholoës volucrum nutritor equorum,
Cui fœtura gregem pecoroso vere novavit,
Lætatur, cernens hos montis in ardua niti,
Hos innare vadis, certare parentibus illos.
Tunc vacuo sub corde movet, qui molle domandi
Ferre jugum, qui terga boni, quis in arma tubasque
Natus, ad Eleas melior quis surgere palmas.
Talis erat turmæ ductor longævus Achivæ.
Nec deest cœptis: Unde hæc tam sera repente
Numina? qui fractos Superi rediistis ad Argos?
Estne hic infelix virtus? gentique superstes
Sanguis, et in miseris animorum semina durant?
Laudo equidem, egregii juvenes, pulchraque meorum
Seditione fruor: sed fraudem, et operta paramus
Prælia: celandi motus: nunquam apta latenti
Turba dolo. Servate animos: venit ultor in hostes

mum erigit. Sic in cacumine montis Pholoës altor velocium equorum, cui equarum soboles reparavit armentum veris tempore pecoribus abundanti, exultat, videns hos eniti in asperos montes, hos innatare fluviis, illos cursu contendere cum matribus: tunc agitat in securo animo, qui sint subigendi ad ferendum blandum jugum, qui utiles dorso, quis natus ad arma et buccinas, quis aptior crescere ad Elea præmia. Talis erat dux senior exercitus Achivi. Nec deest incœptis: unde inopino hi tam tardi Dii? quæ numina revisitis accisos Argos? Estne hic aliqua infelix fortitudo? et aliquis vigor restat nationi, et virtutis semina in miseris remanent? Laudo vos sane, eximii juvenes, et singularem capio voluptatem ex decora meorum contentione; sed molimur dolos, et latentem pugnam: motus occultandi: nunquam multitudo idonea fraudibus opertis. Servate hos animos. Ecce adest dies, quæ nos de hosti-

Lipsian. et edd. vett. *ad arma.*—236 *Nec deerat cœptis* unus Behot. et optimæ Barthii membranæ.—242 Aldd. Colin. Gryph. et Basil. *nondum apta.* Ber-

NOTÆ

227 *Gaudet in adversis*] Animus Adrasti tunc cœptus recreari.

228 *Pholoës*] Pholoë mons et oppidum Arcadiæ.

229 *Pecoroso vere novavit*] Vernum enim tempus Natura duce fœturæ aptum est, ait Festus in voce 'Vernæ.' Nomen etiam veris interdum pro rebus vere natis. Mart. lib. IX. Ep. 14. 'Cum breve Cecropiæ ver populantur apes.' Hinc 'ver sacrum' significat animalia eo anni tempore nata.

233 *Terga boni*] Sessioni utiles.

234 *Eleas palmas*] Ludos Olympicos in Elide solitos celebrari.

237 *Argos*] Argivos.

241 *Seditione*] Quia decertabant qui magis eligerentur.

Ecce dies: tunc arma palam, tunc ibimus omnes.
His tandem virtus juvenum frænata quievit.
Non aliter moto quam si pater Æolus antro
Portam iterum saxo premat imperiosus, et omne
Claudat iter, jam jam sperantibus æquora ventis.
Insuper Herculeum sibi jungit Agyllea vates
Actoraque: hic aptus suadere, hic robora jactat
Non cessisse patri: comites tribus ordine deni,
Horrendum Aoniis, et contra stantibus, agmen.
Ipse, novi gradiens furta ad Mavortia belli,
Ponit adoratas Phœbea insignia frondes,
Longævique ducis gremio commendat honorem
Frontis, et oblatam Polynicis munere grato
Loricam galeamque subit: ferus Actora magno
Ense gravat Capaneus, ipse haud dignatus in hostem
Ire dolo, Superosque sequi: permutat Agylleus

bus vindicabit: tunc palam sumemus arma; tunc cuncti vademus. Ardor juvenum his repressus tandem pacatur. Ut cum pater Æolus, caverna agitata, lapide adhuc muniat fores, imperiosus, et obsepiat omnem ventis exitum, jamjam æquora miscere sperantibus. Augur præterea assumit comites Agylleum Herculis filium et Actorem: hic habilis ad persuadendum, hic gloriatur vires habere non inferiores patriis. Trium unicuique decem ex sociis tributi: formidanda turba Thebanis contra stantibus. Ipse augur gradiens ad clandestinam insoliti belli expeditionem, exuit venerabiles ramos, Phœbi insignia, et deponit decus frontis in gremium senis Adrasti, et induit cassidem et loricam, quas Polynices grato dono illi dedit. Trux Capaneus onerat Actorem ingenti gladio, rem se indignam judicans fraude in hostes tendere,

nartius correxit ex codd.—247 'Valde vulgariter hoc (*Portam iterum*) tinnit; nec mutant tamen quicquam libri.' *Barth.*—251 'Tentabam legere: *tribus ordine denis.*' Bern. 'Non intellexit quod mutare voluit Bernartius.'

NOTÆ

246 *Æolus*] Æolus rex ventorum. Vide Virgilium Æn. I.

247 *Imperiosus*] Crudelis et imperio quodammodo abutens. Claudianus: 'Eques Gelonis imperiosior.' Strenuior nempe et strictior.

249 *Herculeum Agyllea*] Agylleus enim jactabat se esse Herculis filium. Vide Theb. VI. *Vates*] Thiodamas.

251 *Patri*] Herculi.

252 *Aoniis*] Thebanis. *Contra stantibus*] Vigilantibus, paratis.

254 *Adoratas frondes*] Laurus insignia sacerdotum Apollonis.

255 *Longævi ducis*] Adrasti. *Honorem Frontis*] Infulam ac vittas quibus frons ornata.

259 *Superosque sequi*] Depingitur enim ubique 'contemtor Deorum.'

Arma trucis Nomii: quid enim fallentibus umbris
Arcus, et Herculeæ juvissent bella sagittæ?
Inde per abruptas castrorum ex aggere pinnas,
Ne gravis exclamet portæ mugitus aënæ,
Præcipitant saltu: nec longum, et protinus ingens
Præda solo, ceu jam exanimes, multoque peracti
Ense jacent. Ite, o socii, quacumque voluptas
Cædis inexhaustæ, Superisque faventibus, oro,
Sufficite, hortatur clara jam voce sacerdos:
Cernitis expositas turpi marcore cohortes.
Pro pudor! Argolicas hinc ausi obsidere portas?
Hi servare viros? Sic fatus et exuit ensem
Fulmineum, rapidaque manu morientia transit
Agmina: quis numeret cædes? aut nomine turbam
Exanimem signare queat? subit ordine nullo
Tergaque, pectoraque, et galeis inclusa relinquit
Murmura, permiscetque vagos in sanguine manes.
Hunc temere explicitum stratis, hunc sero remissis

et Deos sequi. Agyllcus permutat arma cum feroci Nomio: quid enim per tenebras arcus et tela Herculis huic bello profuissent? Inde saltu se præcipitant per arduas pinnas ex vallo castrorum, ne molestus stridor aënæ portæ personaret. Nec longum, et statim magna præda humi jacet, seu jam mortui, et confecti multo gladio prosternati essent. Vadite, o commilitones, quacumque amor cædis inexhaustæ vos appellat, et sufficite, precor, Diis propitiis, hortatur antistes alta jam voce: videtis copias jacentes fædo languore. Proh dedecus! Hine ausi cingere portas Argolicas? hi viros observare? Sic locutus, et nudavit fulmineum gladium, et prætereundo celeri manu occidit copias. Quis recenseat funera? aut possit nomine designare multitudinem occisam? fodit nullo ordine passim terga, et pectora, et relinquit voces inclusas in cassidibus, et confundit umbras in cruore errantes. Hunc temere stratis

Barth.—260 *Arma trucis Nonii* in uno Behot.—262 Put. *ex aggere pinnas.*—265 Unus Behot. *multoque perempti.*—266 In eodem codice: *quacumque voluntas.*—271 ‘Scribe cum optimo libro: *futur et exuit.*’ Barth.—272 Unus Behot. *tranxit*, et correctum *traxit.*—274 Dan. *fodit ordine nullo.*—275 Idem

NOTÆ

261 *Herculeæ*] Quia Hercules ipsius pater.

263 *Mugitus aënæ*] Ne audirent hostes portarum stridorem.

265 *Præda solo*] Thebani scilicet dormientes, quos facile erat vincere ac spoliare.

269 *Expositas*] Negligenter abjectas.

276 *Murmura*] Morientium.

277 *Hunc sero remissis Gressibus*] Qui sero victus somno dum stabat, deficit ac corruit.

Gressibus illapsum clypeo, et male tela tenentem :
Cœtibus hos mediis vina inter, et arma jacentes :
Acclines clypeis alios, ut quemque ligatum
Infelix tellure sopor supremaque nubes
Obruerat: nec numen abest, armataque Juno
Lunarem quatiens exerta lampada dextra
Pandit iter, firmatque animos, et corpora monstrat.
Sentit adesse Deam tacitus, sed gaudia celat
Thiodamas : jam tarda manus, jam debile ferrum,
Et caligantes nimiis successibus iræ.
Caspia non aliter magnorum in strage juvencum
Tigris, ubi immenso rabies placata cruore,
Lassavitque genas, et crasso sordida tabo
Confudit maculas, spectat sua facta, doletque

extensum, hunc lapsum supra scutum pedibus tarde remissis, et debiliter tenentem tela: hos humi fusos in mediis cœtibus inter arma et pocula: alios scutis incumbentes, ut quemque infortunatus sopor, et vapores supremi vinctum oppresserant. Nec numen abest, et Juno armata movens nuda manu facem, lunæ instar, lucidam, viam aperit, et corroborat animos et ostendit corpora. Thiodamas tacitus animadvertit numen præsens: sed dissimulat lætitiam. Jam lenta manus, jam obtusa sunt arma, et iræ concidunt nimio successu. Non secus tigris Caspia in cæde ingentium juvencorum, cum furor sedatus est multo sanguine, et fatigavit malas, ac squalida denso tabo conturbavit maculas, spectat sua facinora, et dolet satiatum

codex cum uno Behot. *inclusa reliquit.*—278 *Gressibus in lapsum* unus Behot. *tela regentem* Behott. 1. 2. sed in altero correctum.—279 Put. *una inter.*—280 *Adclines* nonnulli codd. *Acclives* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et edd. vett.—285 *Sensit* Behott. 1. 2. Put. Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et edd. vett.—289 Behott. 1. 2. Dan. Put. Petav. Lindenbrog. et Cruc. *pacata cruore.* —290 *Laxavitque genas* Behott. 1. 2. *et grasso* Put.—291 *Confundit maculas* in

NOTÆ

280 *Ut quemque ligatum tellure sopor Obruerat*] Sic Valerius Flaccus lib. I. 'Serus fessos sopor alligat artus.' Et Seneca Hercule Furente: 'Sopor indomitos alliget artus.'

281 *Supremaque nubes*] Vapores supremi: ultimus enim hic somnus. Supra 'picea umbra.' Ita 'nubes veterni,' id est, immodici somni et torporis, apud Ausonium. 'Nubes soporis,' Valerio Flacco lib. VIII. 'Primi percussus nube soporis Horruit, et dulces excussit ab arbore somnos.'

288 *Caspia*] Gentes Caspiæ accolunt mare Caspium.

290 *Genas*] Malas.

291 *Confudit maculas*] Maculæ enim cruore respersæ discerni non poterant. *Spectat sua facta*] Victa fame respicit prædam adhuc superstitem.

Defecisse famem: victus sic augur inerrat
Cædibus Aoniis: optet nunc brachia centum,
Centenasque in bella manus: jam tædet inanes
Exhaurire minas, hostemque assurgere malit.
Parte alia segnes magno satus Hercule vastat
Sidonios, Actorque alia: sua quemque cruento
Limite turba subit: stagnant nigrantia tabo
Gramina, sanguineis nutant tentoria rivis.
Fumat humus, somnique et mortis anhelitus una
Volvitur: haud quisquam visus aut ora jacentum
Erexit: tali miseris Deus aliger umbra
Incubat, et tantum morientia lumina solvit.
Traxerat insomnis cithara ludoque suprema
Sidera, jam nullos visurus Alimenus ortus,
Sidonium Pæana canens: huic languida cervix

esse famem suam. Sic fessus vates vagatur per funera Thebana. Nunc cuperet centum lacertos, et centum manus ad cædem. Jam piget consumere vanas minas, malletque hostem assurgere. Parte alia oriundus ab ingenti Hercule obtruncat Thebanos dormientes, et Actor alia. Unaquæque cohors suum ducem sequitur sanguinea semita, atræ herbæ sanie inundantur, tentoria concutiuntur cruentis torrentibus. Fumat terra, et somni et mortis anhelitus simul volvitur. Nullus dormientium sustulit vultum, aut oculos: tali caligine alatum numen opprimit infelices, et solum recludit morientes oculos. Vigil Alimenus cantans hymnum Thebanum transegerat fere totam noctem ludo et pulsando citharam, nunquam ortum diei visurus: huic



eodem codice.—293 Codd. Barthiani *optat;* unus Behot. *obstat.*—295 Optimus Barthianus: *exsurgere malit;* Put. *assurgere mallet.*—298 *Limite turma subit* duo codd. Barthii, quod ille probat.—299 Marklandus ad Sylv. II. 1. 17. legit: *sanguineisque natant.*—302 *Erigit et tali* unus Behot.—303 In eodem codice: *morientia lumina solum.*—305 Heinsius in Advers. lib. IV. cap. 12. cum melioribus scriptis et Gronovio legit: *visurus Ialmenus;* Put. *Ialminus;* Behot. 1. *Almenius;* Behot. 2. *Parmenus.* Vide Not. Var.—306 Edd. vett.

NOTÆ

292 *Victus*] Fessus.

295 *Exhaurire minas*] Consumere, nihil agendo.

296 *Satus Hercule*] Agylleus.

299 *Sanguineis nutant*] Legit Guyetus: *sanguineisque natant.*

302 *Deus aliger*] Somnus. Vide supra.

303 *Et tantum morientia lumina solvit*] Idem Papinius lib. v. 'Et in solam patuerunt lumina mortem.'

305 *Alimenus*] Corrigit Gronovius ex Homero Iliad. B. *Ialmenus:* ibi enim Ἀσκάλαφος καὶ Ἰάλμενος, *Ascalaphus et Ialmenus*, Aspledonensium et Orchomeniorum Bœotorum duces.

306 *Sidonium Pæana*] Hymnum Thebanum in honorem Deorum.

In lævum cogente Deo, mediaque jacebant
Colla relicta lyra: ferrum per pectus Agylleus
Exigit, aptatamque cava testudine dextram
Percutit, et digitos inter sua fila trementes.
Proturbat mensas dirus liquor: undique manant
Sanguine permixti latices, et Bacchus in altos
Crateras paterasque redit: ferus occupat Actor
Implicitum fratri Thamyrum: Tagus haurit Ethecli
Terga coronati: Danaus caput amputat Hebri.
Nescius heu rapitur fatis, hilarisque sub umbras
Vita fugit, mortisque feræ lucrata dolores.
Stratus humo gelida subter juga fida rotasque
Palpetus Aonios gramen gentile metentes
Proflatu terrebat equos: madida ora redundant,
Accensusque mero sopor æstuat: ecce jacentis

caput languidum collapsum est in sinistrum latus subigente numine, et reclinis cervix jacebat in media cithara. Agylleus impellit ensem per illius pectus, et ferit manum accommodatam cavæ lyræ, et digitos trepidantes inter suas chordas. Horrendus latex dejicit mensas: liquores cum cruore confusi manant undique, et vinum effluens e pectoribus revertitur in profundos crateres et in pocula. Sævus Actor obtruncat Thamyrum amplectentem fratrem. Tagus perfodit dorsum Ethecli sertis redimiti. Danaus secat caput Hebri: ignarus heu tollitur fatis, et læta anima fugit ad Inferos, nec sentit cruciatus acerbi leti. Palpetus jacens in terra frigida subter fidas rotas ac currum consternabat stertendo equos Aonios, pascentes patriam herbam; redundant humidæ fauces, et somnus inflammatus vino fervet. Ecce augur

ubi languida; omnes vero codd. *huic languida.*—308 *Colla replicta lyra* Heinsius l. l. Vide Not. Var.—309 *Exegit* Behott. 1. 2.—311 *Perturbat* unus Behot.—314 *Thamyrim* Dan. Put. Petav. *Thamirim* Behot. 1. *Thamirin* Behot. 2. *Ethedi* Venett. 3. 4. et Behot. 2. *Echecli* Behot. 1.—315 *Terga. Coronati D. c. a. Hebri* optimæ Barthii membranæ.—316 *Nescius hic rapitur* in eodem codice, probante Barthio.—319 *Calpetus* Put.—321 In eodem codice: *ecce ta-*

NOTÆ

307 *Deo*] Somno.

308 *Relicta*] Lege *relapsa*, vel *reclina*, ait Gronovius, neque enim causa est, ait, cur non dicatur 'reclinus,' ut 'reclinis' dicitur.

310 *Et digitos*] Poëtice dictum, ut morientis digiti citharæ fila pulsarent. Sic Virgilius: 'Semianimesque micant digiti, ferrumque retractant.'

312 *Bacchus*] Vinum e corporibus effluens.

315 *Coronati*] Coronati enim edebant.

316 *Nescius heu*] Scribendum ex optimo libro: *Nescius hic.* Pertinent autem hæc ad levitatem mortis, quam levissimam accidere aiunt amputato capite. *Nescius*, quia dormiens interficitur. *Hilaris*, quia sine sensu doloris fato concedit.

Inachius vates jugulum fodit: expulit ingens
Vina cruor, fractumque perit in sanguine murmur.
Fors illi præsaga quies, nigrasque gravatus
Per somnum Thebas, et Thiodamanta videbat.
Quarta soporiferæ superabant tempora nocti,
Cum vacuæ nubes, et honor non omnibus astris,
Afflatusque fugit curru majore Bootes.
Jamque ipsum defecit opus, cum providus Actor
Thiodamanta vocat: Satis hæc inopina Pelasgis
Gaudia: vix ullos tanto reor agmine sævam
Effugisse necem, ni quos deformis in alto
Sanguine degeneres occultat vita: secundis

Argivus figit guttur prostrati: multus sanguis extrudit vinum, et rupta vox suffocatur cruore erumpente. Forsitan et somnus illi repræsentabat mortem imminentem, et ille oppressus sopore cernebat inter dormiendum pullatas Thebas, et Thiodamantem. Quartæ vices restabant somnolentæ nocti, cum nubes rore vacuantur, et omnia sidera non lucent vicino sole, et Bootes impulsus flatu majoris plaustri fugit. Jamque nihil amplius supererat agendum, cum sapiens Actor appellat Thiodamantem. Hæc inexpectata lætitia sufficit Græcis. Vix puto aliquos ex tanta multitudine exitasse crudelem mortem, nisi quos ignavia abscondit in profundo

centis.—326 Behot. 1. 2. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *tempora noctis;* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Behot. 2. Lindenbrog. Cruc. et recentt. *tempora nocti.*—328 Unus Behot. *cursu majore.*—332 Lang. Laur.

NOTÆ

322 *Inachius vates*] Thiodamas Argivus. *Expulit ingens Vina cruor*] Vide Homerum in cæde Procorum.

323 *Perit*] Pro periit.

324 *Nigras*] Nigris vestibus indutas ob suam mortem.

325 *Thiodamanta*] In somno enim plerumque admonemur de malis instantibus.

326 *Quarta tempora*] Nox apud veteres in quatuor partes, quas 'vigilias' vocabant, distribuebatur. Singulæ autem vigiliæ constabant tribus horis, et quando vigiliæ mutabantur, signum buccina dabatur. Custodiæ vocantur in Novo Testamento.

327 *Et honor non omnibus astris*] Id est, jam astra perdebant suam lucem, vicino scilicet sole.

328 *Bootes*] Bootes signum cœleste constans 22. stellis. Arabibus *Alhava* ceu 'vociferator,' quasi scriptum esset βοωτὴς, non βοώτης, quod significat *bubulcum;* vocant etiam *Assamech arromhhe*, id est, 'deferens lanceam:' hujus inter crura micat stella informis primæ magnitudinis, Arcturus Græcis Latinisque, Arabibus autem *Arrame* dictus. A Theone in media Zona collocatur. *Curru majore*] Solis scilicet: et hic mentionem facit solis currus, quia Booti currus etiam est, quem sequitur.

329 *Defecit opus*] Defecerunt, qui occiderentur.

Pone modum: sunt et diris sua numina Thebis.
Forsitan et nobis modo quæ favere, recedunt.
Paruit, et madidas tollens ad sidera palmas:
Phœbe, tibi exuvias monstratæ præmia noctis,
Nondum ablutus aquis, (tibi enim hæc ego sacra litavi,)
Trado ferus miles tripodum, fidusque sacerdos.
Si non dedecui tua jussa, tulique prementem,
Sæpe veni: sæpe hanc dignare irrumpere mentem.
Nunc tibi crudus honos, trunca arma, cruorque virorum:
At patrias si quando domos, optataque, Pæan,
Templa, Lycie, dabis, tot ditia dona sacratis

cruore. Adhibe modum prosperis. Sunt et sui Dii Thebis sævis. Forsitan, et qui modo nobis affuerunt, emigrant. Obsequitur, et levans ad astra manus sanguine respersas: Phœbe, tibi offero fortis miles, et fidelis antistes tripodum, hæc spolia in mercedem indicatæ noctis, nondum aquis purificatus, tibi enim ego has dicavi victimas: si non sprevi tua mandata et sustinui te prementem, sæpe veni, sæpe dignare invadere hunc animum. Nunc tibi videtur sævus cultus, fracta arma, et sanguis hominum. Sed si mihi concedas, Lycie Apollo, aliquando revisere patrias ædes, et optata fana, recordatus voti reposce tot opulenta munera sanctis liminibus, totque

Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. et edd. vett. *nisi quos.*—335 Lipsian. Taurin. et nonnulli codd. Lindenbrogii *recedent.* Jortinus conj. *recedant.*—339 *Turdo ferus* unus Behot.—342 Optimus Barth. *trunci, arma, &c.*—344 *Templa dabis Lycie* in quibusdam codd. *Templa, Lycæe, dabis* Behott. 1. 2. *Templa Dicie*

NOTÆ

335 *Recedunt*] Alii *recedent.*

337 *Monstratæ præmia noctis*] Quia supra dixit ab eo se fuisse admonitum.

338 *Nondum ablutus aquis*] Sacra enim attingere nefas erat post cædem, aut funus, nisi prius flumine vivo aut aqua abluerentur. Interpres Sophoclis in Ajace: Ἔθος ἦν παλαιοῖς, ὅταν ἢ φόνον ἀνθρώπων, ἢ ἄλλας σφαγὰς ἐποίουν, τὰς ὕδατι ἀπονίπτειν χεῖρας εἰς κάθαρσιν τοῦ μιάσματος. *Mos erat veteribus post cædem hominum, aut alterius animalis, manus abluere ad purgandum piaculum.* Virgilius Æneid. II. 'Tu genitor cape sacra manu, patriosque penates: Me bello e tanto digressum, et cæde recenti, Abtrectare nefas, donec me flumine vivo Abluero.' *Litavi*] Verbum hoc active etiam usurpatum, ut apud Nostrum in Lacrymis Etrusci: 'Sacra litabat.' Propertius lib. IV. El. 1. 'Pastor et ad calamos exta libabat ovis.' Virgilius Æn. IV. 'Sacrisque litatis.' Ammianus Marcellinus lib. XXIX. 'Litato numine.'

343 *Pæan*] Cognomen Apollinis.

344 *Lycie*] Apud Argos Apollo cultus sub titulo Lycii. Sophoclis interpres eam rationem hujusce affert cognominis. Danaus Ægypto profugus Argos appulit, ibique contra Gelanorem pugnaturus, in littore taurum conspicatus est cum lupo certantem: Omen arripuit, atque lupi personam sibi induit, qui peregre delatus veteres incolas exturbarit: itaque pugnæ eventu expectato, cum superior lu-

Postibus, et totidem voti memor exige tauros.
Dixerat, et lætis socios revocabat ab armis.
Venerat hos inter fato Calydonius Hopleus
Mænaliusque Dymas, dilecti regibus ambo,
Regum ambo comites, quorum post funera mœsti
Vitam indignantur: prior Arcada concitat Hopleus:
Nullane post manes regis tibi cura peremti,
Care Dyma? teneant quem jam fortasse volucres
Thebanique canes: patriæ quid deinde feretis,
Arcades? en reduces contra venit aspera mater:
Funus ubi? at nostro semper sub pectore Tydeus
Sævit inops tumuli: quamvis patientior artus

tauros quot hostes occidi. Inquierat, et retrahebat comites a gratis armis. Cum his fato venerant Calydonius Hopleus, et Mænalius Dymas, ambo cari suis regibus, ambo suorum regum socii, post quorum mortem tristes vitam oderant. Prior Hopleus stimulat Arcadem: Nullane, dilecte Dyma, tibi cura est occisi regis? quem jam aves et canes Thebani forte devorent. Quid tandem reportabitis in patriam, Arcades? En parens efferata obviam venit reversis: ubi corpus filii? Tydeus vero insepultus semper angit meum animum, quamvis ille habeat duriora membra, nec

dubis optimus Barthianus.—345 'In eodem optimo omnibusque ceteris nostris codd. expressim scriptum est: *non immemor exige tauros.*' Barth.—346 Dan. Put. Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Behot. 1. duo Barthiani, Gronov. Barth. Veen. et Delph. *lætis;* optimus Barthianus, Behot. 2. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. et Cruc. *lætus.* Dan. Put. Petav. Lipsian. unus Behot. aliique nonnulli: *revocavit ab armis.*—352 In optimo codice Barthii: *quem jam teneant.*—353 In eodem codice clare scriptum est: *quid deinde refertis.*—354 Unus Behot. *an reduces.*—369 Dan. Put. Petav. et

NOTÆ

pus extitisset, adversus Gelanorem, qui tum rerum potiebatur, inito prælio, victor, ex voto Apollini *Lycio*, ἀπὸ τοῦ λύκου, ædem erexit, ac lupi contra taurum præliantis expressam ære effigiem in foro statuit. Historiam narrat in Pyrrho Plutarchus, et Pausanias addit victimæ rationem. *Postibus*] Quia postibus templorum apponebantur munera, quæ Diis dabant.

345 *Et totidem exige tauros*] Id est, tot tauros deposce, quot hostes occidi. Et hoc ex ritu, taurus enim Apollini Lycio immolabatur, ut vidimus supra ex Pausania.

347 *Fato*] Quia uterque periturus. *Calydonius*] A Calydone urbe Ætoliæ, id est, Ætolus. *Hopleus*] Armiger Tydei. Vide lib. IX.

348 *Mænalius*] Arcas a Mænalo monte Arcadiæ. *Regibus*] Tydeo et Parthenopæo.

350 *Vitam indignantur*] Malebant mori, quam vivere. Ægro animo ferebant suis regibus supervivere.

356 *Patientior artus*] Figurata locutio: quamvis patientiores artus habeat. Id est, Tydei membra dura sunt, et non cito tabescent, nec, ut

Ille, nec abruptis adeo lacrymabilis annis.
Ire tamen, sævumque libet nullo ordine passim
Scrutari campum, mediasque irrumpere Thebas.
Excipit orsa Dymas: Per ego hæc vaga sidera juro,
Per ducis errantes instar mihi numinis umbras,
Idem ardor misero: comitem circumspicit olim
Mens humilis luctu: sed nunc prior ibo: viamque
Inchoat, et mœsto conversus ad æthera vultu
Sic ait: Arcanæ moderatrix Cynthia noctis,
Si te tergeminis perhibent variare figuris
Numen, et in sylvas alio descendere vultu,
Ille comes nuper, nemorumque insignis alumnus,
Ille tuus, Diana, puer (nunc respice saltem)
Quæritur: incendit pronis Dea curribus almum
Sidus, et admoto monstravit funera cornu.

deplorandus sit, ut Parthenopæus, qui ineunte ætate raptus est. Placet tamen vadere; et undecumque investigare crudelem campum, et irruere in medias Thebas. Dymas excipit ejus verba. Testor ego has errantes stellas, et vagos principis manes, qui mihi sunt loco numinis, eadem est cupido mihi infelici. Fractus dolore animus circumspiciens quærebat socium. Sed nunc prior vadam; incipitque ire, et convertens tristem faciem ad cœlum sic inquit: Cynthia gubernatrix tacitæ noctis, si produnt te mutare numen triplici forma, et delabi in nemora alia facie, ille nuper socius et præclarus sylvarum alumnus, ille tuus puer (nunc saltem intueare) investigatur. Dea descendens in rheda inflammat benignum jubar, et ostendit cadavera

edd. vett. *saltim.*—370 ' Fatua lectio *incendit*. Vera est in unico illo libro, *intendit*.' Barth. Marklandus ad Sylv. I. 2. 45. legendum putat: *incendit pronis Dea cornibus almum Sidus, et admoto monstrabat funera curru*, ut Theb. XII. 305.—371 Put. *monstrabit sidera cornu;* Behot. 1. *monstrabit funera curru*, et

NOTÆ

adolescens Parthenopæus, multis sit lacrymis dignus.

360 *Vaga sidera*] An stellas, an planetas.

361 *Errantes*] Quia nondum sepultus Parthenopæus. Animas enim eorum, qui sepultura carebant, errare veteres credebant.

365 *Cynthia*] Luna, quæ eadem ac Diana, a Cyntho Deli monte, in quo Diana nata dicitur.

366 *Tergeminis figuris*] Vel id refertur ad phases lunæ: primo enim in cornua curvatur, deinde dimidiato orbe apparet, post pleno: vel quod veteribus una eademque sit Luna, Diana, Proserpina: hinc ' variare figuras' dicitur, et sub forma Dianæ in nemora descendere.

371 *Funera*] Corpora Tydei et Parthenopæi.

Apparent campi, Thebæque, altusque Cithæron.
Sic ubi nocturnum tonitru malus æthera frangit
Jupiter, absiliunt nubes, et fulgure claro
Astra patent, subitusque oculis ostenditur orbis.
Accepit radios, et eadem percitus Hopleus
Tydea luce videt: longe dant signa per umbras
Mutua lætantes, et amicum pondus uterque,
Ceu reduces vitæ, sævaque a morte remissos,
Subjecta cervice levant: nec verba, nec ausi
Flere diu: prope sæva dies, indexque minatur
Ortus: eunt taciti per mœsta silentia magnis
Passibus, exhaustasque dolent pallere tenebras.
Invida fata piis, et fors ingentibus ausis
Rara comes: jam castra vident, armisque propinquant,

adducto propius lumine. Patent campi, et Thebæ, ac celsus Cithæron. Sic cum iratus Jupiter noctu scindit fulmine aërem, nubes discedunt, et astra apparent ad lucem fulguris, et mundus oculis repente monstratur. Dymas recepit radios lunæ, et Hopleus percussus eodem lumine agnoscit Tydeum. Sibi invicem procul significant se invenisse corpora, exultantes, et uterque tollit carum onus supposito collo, eodem gaudio ac si dominos viderent ad vitam reversos et revocatos a crudeli leto. Nec quid dicunt, nec diu ausi plorare: invisa lux appropinquat, et ortus solis eos prodere minatur. Silentes vadunt magnis gressibus per tristem noctem, et mærent finitas umbras inalbescere. Fata invident piis, et fortuna raro favet magnis inceptis. Jam cernunt castra, et spe accedunt, ac pondus minuitur; cum strepitus

pro v. l. *cornu.*—374 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et edd. vett. *assiliunt.* Unus Behot. *tunc fulgure claro.*—376 Unus Behot. *concitus Hopleus.*—380 Put. *cervice lavant.*—382 Dan. *per multa silentia.*—384 *Invida fatidici sed fors, &c.* Put.—385 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Behott. 1. 2. Aldd.

NOTÆ

374 *Absiliunt nubes*] Legit Lactantius *assiliunt*, et interpretatus est 'crepitant,' male. Scribendum *absiliunt*, hoc est subito et cum impetu recedunt, secedunt, disjunguntur. Sic infra vs. 873. 'Absiliunt pontes, tectique trementis Saxea fræna labant.'

376 *Accepit radios*] Dymas scilicet.

377 *Dant signa*] Significant sibi invicem se quæsita invenisse cadavera.

378 *Amicum pondus*] Id est, corpora eorum quos amabant.

380 *Nec verba, nec ausi*] Papinianus loquendi modus. Lib. VIII. 'Ausus iter.' 'Audere bella.' Sic apud Tacitum: 'In principiis stuprum ausa.'

381 *Sæva dies*] Quia eos proditura est, et exitium allatura.

383 *Pallere*] Lucis adventu inalbescere. Idem casus Hoplei et Dymantis, qui Euryali et Nisi apud Virgilium Æneid. IX.

385 *Armisque* [*animisque*] *propinquant*] Animorum scilicet cupidine :

Et decrescit onus; subiti cum pulveris umbra,
Et sonus a tergo: monitu ducis acer agebat
Amphion equites, noctem vigilataque castra
Explorare datus, primusque per avia campi
Usque procul (nec dum totas lux solverat umbras)
Nescio quid visu dubium, incertumque moveri,
Corporaque ire videt: subitus mox fraude reperta
Exclamat: Cohibete gradum quicumque: sed hostes
Esse patet: miseri pergunt anteire, timentque
Non sibi: tunc mortem trepidis minitatur, et hastam
Expulit, ac vanos alte levat eminus ictus,
Affectans errare manus: stetit ille Dymantis
Ante oculos, qui forte prior, gressumque repressit.
At non magnanimus curavit perdere jactus

fit a tergo, et caligo repente sublati pulveris. Fortis Amphion regis jussu ducebat equites, commissus ut exploraret, an Thebani nocte vigilassent circa obsessa castra. Et primus valde longe animadvertit in devio campi loco (nondum lumen dissipaverat omnes tenebras) nescio quid ambiguum, et incertum oculis agitari, et homines incedere. Deinde dolo comperto statim vociferatur: Sistite gradum quicumque estis. Sed apparet hostes esse. Infelices pergunt antecedere, et metuunt, non sibi. Tunc minatur mortem festinantibus, et conjicit hastam, et alte levat eminus cassum ictum, nolens ferire. Illa hasta cadit ante oculos Dymantis, qui forte prior ibat, et cohibuit gradum. At ferox Æpytus non affectavit jactum amittere, et transfigit Hoplea

Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. et Gevart. *animisque propinquant;* Amstel. Gronov. Barth. et Veen. *armisque propinquant.*—387 *Fit sonus* Behott. 1. 2. Put. Petav. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. et Cruc. *It sonus* Dan. *Et sonus* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et edd. recentt.—389 *Explorata datus* Put.—390 *Usque procul* omnes scripti editique. Heinsius in Advers. p. 764. legendum putat: *primusque per avia campi Tesqua procul.*—391 Unus Behot. *incertumque videri,* et pro v. l. *moveri.*—392 *Corpora ab inde videt* optimæ Barthii membranæ, quod ille probat.—394 Unus Behot. pro *timentque* habet *timentes.*—396 *Expulit et vanos interlevat* in eodem codice.—397 *Affectans errare manum* Exc. Cantab. et Petrens. *Affectatque errare ma-*

NOTÆ

licet enim adhuc non parvo abessent intervallo, spe tamen, et properandi studio, jam sibi castra tenere videbantur.

386 *Et decrescit onus*] Id est, spe jam confectæ viæ minuebatur corporum pondus.

391 *Incertumque moveri*] Exprimit quemadmodum in tenebris aliquid videtur.

393 *Sed hostes Esse patet*] Verba Poëtæ.

394 *Timentque Non sibi*] Sic Virgilius Æn. II. 'Comitique onerique timentem.'

397 *Affectans errare manus*] Non percutientis animo.

399 *Curavit perdere jactus*] Emisit enim occidendi animo.

Æpytus, et fixo transverberat Hoplea tergo,
Pendentesque etiam perstrinxit Tydeos armos.
Labitur, egregii nondum ducis immemor, Hopleus,
Expiratque tenens: felix, si corpus ademtum
Nesciat, ac sævas talis descendat ad umbras.
Viderat hoc retro conversus, et agmina sentit
Juncta Dymas, dubius precibusne subiret, an armis
Instantes: arma ira dabat; fortuna precari,
Non audere jubet: neutri fiducia cœpto.
Distulit ira preces: ponit miserabile corpus
Ante pedes: tergoque graves, quas forte gerebat
Tigridis exuvias in lævum torquet, et obstat
Exsertum objectans mucronem, inque omnia tela
Versus, et ad cædem juxta, mortemque paratus:

confosso dorso, et perstrinxit etiam pendentes humeros Tydei. Hopleus corruit, sed non oblitus eximii ducis, et agit animam, illum amplectens: fortunatus, si ignoret cadaver fuisse raptum, et hoc nesciens subeat crudeles Inferos. Dymas aspexerat hoc retro flexus, et animadvertit copias jam sibi proximas. Anceps an aggrederetur precibus, aut gladio urgentes. Ira suadebat arma; fortuna præsens imperat rogare, non audere: in neutro est locus fiduciæ: ira non sinit preces adhibere. Collocat infortunatum cadaver ante pedes suos, et involvit sinistrum brachium pelle ponderosa tigridis, quam tunc portabat tergo, et resistit opponens nudatum gladium, et conversus in cunctas sagittas, ac paratus æqualiter ad cædem et ad mortem. Ut

num Burm.—401 *Pendentisque* Behott. 1. 2. unus codex Bernartii et Veneft. 3. 4.—402 Dan. Put. Petav. *ducis nondum;* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Gevart. Lindenbrog. et Cruc. *sed non ducis;* Behott. 1. 2. et edd. recentt. *nondum ducis.*—404 Put. *descendit.*—409 Unus Behot. *posuit miserabile corpus.*—410 In eodem codice: *quas forte regebat.*—411 Put. *in levam;* et ita optimæ Barthii membranæ.—416 *Mente sui incerta*

NOTÆ

400 *Æpytus*] Eundem Æpytum portam unam ex Thebanis statione tenuisse memoratur, Theb. XI. 240. 'Nuntius exanimi suspensus pectora cursu Æpytus ad regem portæ statione relicta Tendit.'

401 *Pendentesque*] Alias *Pendentisque.*

403 *Felix, si corpus ademtum Nesciat*] Nam haud ferret hunc dolorem in Inferos, corpus domini in potestatem hostium venisse.

408 *Neutri fiducia cœpto*] Id est, nullam habebat fiduciam, sive pugnaret, sive precaretur, se e tali periculo evasurum, et corpus domini conservaturum, id quod magis in votis habebat.

411 *In lævum torquet*] Lævam manum involvit pelle tigridis.

413 *Ad cædem juxta, mortemque paratus*] Desperatione scilicet vitæ, et ad occidendum, et ad moriendum erat paratus.

Ut lea, quam sævo fœtam pressere cubili
Venantes Numidæ, natos erecta superstat
Mente sub incerta, torvum ac miserabile frendens.
Illa quidem turbare globos, et frangere morsu
Tela queat, sed prolis amor crudelia vincit
Pectora, et a media catulos circumspicit ira.
Et jam læva viro, quamvis sævire vetaret
Amphion, erepta manus, puerique trahuntur
Ora supina comis: serus tunc denique supplex
Demisso mucrone rogat: Moderatius, oro,
Ducite; fulminei per vos cunabula Bacchi,
Inoamque fugam, vestrique Palæmonis annos.
Si cui forte domi natorum gaudia, si quis
Hic pater, angusti puero date pulveris haustus,

lea, quam Numidæ venatores oppresserunt enixam in crudeli lustro, surgens superstat catulos dubio animo, fremens horrende ac mœste: illa quidem posset turbare cuneos, et abrumpere sagittas morsu; sed amor sobolis superat sævum animum, et circumspicit fœtus in medio furore. Et jam manus sinistra abscissa fuerat viro, quanquam Amphion prohiberet sævire; et supini vultus juvenis Parthenopæi raptantur per crines. Tunc denique tarde supplex rogat dejecta cuspide: Minus violenter, precor, trahite. Vos oro per cunabula Bacchi fulminei, fugamque Inus, et per infantiam vestri Palæmonis. Si cui forte liberi sunt in ædibus, si quis genitor est hic, concedite puero munus exigui pulveris, et modicum rogum. Orat, en orat

correxit Nic. Heinsius in Advers. lib. II. cap. 3. p. 229. Omnes tamen libri et scripti et impressi habent: *Mente sub incerta*, ut agnoscit Heinsius ibidem. —419 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Behott. 1. 2. et edd. vett. *et in media.* 'Optimi codd. habent: *et a media:* idque agnoscunt glossæ.' *Barth.* Ita etiam edd. recentt.—421 *Amphion erecta manus* Put.—422 In eodem codice: *sero tunc.*—423 'In optimo aliisque duobus libris *moderantius* legitur. Quæ scriptura utique non est librariorum, sed Papiniana.'

NOTÆ

414 *Ut lea*] Simili comparatione usus est etiam lib. IX. 'Imbellem non sic amplexa juvencum Infestante lupo, cum primum fœta tuetur Mater.' *Fœtam*] Summus enim amor prolis, et cum pro catulis fœta dimicat, oculorum aciem traditur defigere in terram, ne venabula expavescat.

415 *Numidæ*] Populi interioris Africæ, quæ nunc vocatur *Biledulgerid.*

421 *Pueri*] Parthenopæi.

424 *Fulminei*] Quod Bacchus extractus fuerat utero matris fulmine percussæ.

425 *Inoamque fugam*] Diximus Theb. I. Ino Athamantis uxorem, cum vidisset maritum furore correptum Learchum communem filium occidisse, se metu in mare præcipitem egisse cum altero filio Palæmone.

427 *Angusti pulveris haustus*] Hæc enim 'sparsio' loco sepulturæ habebatur urgente necessitate. Horatius

Exiguamque facem: rogat, en rogat ipse jacentis
Vultus: ego infandas potior satiare volucres.
Me præbete feris: ego bella audere coëgi.
Immo, ait Amphion, regem si tanta cupido
Condere, quæ timidis belli mens, ede, Pelasgis,
Quid fracti, exsanguesque parent: cuncta ocyus effer,
Et vita, tumuloque ducis donatus, abito.
Horruit, et toto præcordia protinus Arcas
Implevit capulo. Summumne hoc cladibus, inquit,
Deerat, ut afflictos turparem ego proditor Argos?
Nil emimus tanti, nec sic velit ipse cremari.
Sic ait, et magno proscissum vulnere pectus
Injecit puero, supremaque murmura volvens:

ipsa facies prostrati: ego aptior ad saturandas feras aves: tradite me bestiis: ego sum qui eum adegi tentare bellum. Immo, inquit Amphion, si tantus amor tibi est inhumandi regis, pande, quæ mens fuerit pavidis Græcis nos aggrediendi, quid accisis rebus, et territi moliantur: narra omnia cito, et recede donatus vita et sepulcro principis. Arcas horruit, et statim condens totum ensem capulo tenus in pectus suum, inquit: Hocne ultimum deerat calamitatibus meis, ut ego proditor dedecorarem tristes Argos? Nihil tanti comparamus, nec ille Parthenopæus hac conditione velit comburi. Sic inquit, et se injecit in puerum, pectore confosso ingenti plaga,

Barth.—428 Unus Behot. *hoc rogat ipse.*—429 Marklandus ad Sylv. I. 2. 41. legit: *infandos potior satiare volucres.*—431 Unus Behot. *si tanta cupido est.*—433 Dan. et Behott. 1. 2. *parant.*—437 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Put. Petav. unus Behot. et edd. vett. *turbarem;* alter Behot. Dan. Exc. Cantab. et Petrens. *turparem:* et ita ex codd. emendat Gevartius, probante Handio ad Sylv. I. 3. 102.—438 *Nil eminus tanti* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant.—440 Petrens. *supremaque vulnera.*—441 Behott.

NOTÆ

de Archyta: 'Te maris, et terræ, numeroque carentis arenæ Mensorem cohibent, Archyta, Pulveris exigui prope littus parva Matinum Munera.' Et postea: 'Quamquam festinas, non est mora longa, licebit, Injecto ter pulvere, curras.' Id quod ex lege Attica ductum videtur.

428 *Exiguamque facem*] Ignem rogalem. *Rogat ipse jacentis Vultus*] Quia dixerat illum superius 'supinum trahi;' solent enim supplices jacere.

435 *Horruit*] Elegantissimum *πάθος.*

438 *Nil emimus tanti, nec sic velit ipse cremari*] Honor enim omni forti viro vita carior est; nam, ut ait Juvenalis: 'Summum crede nefas animum præferre pudori, Et propter vitam vivendi perdere causas.' Hinc Dymas exclamat, nihil tanti emere velle, scilicet honoris amissione, ac civium proditione, idemque de Parthenopæo sentire debebat.

Hoc tamen interea caro potiere sepulcro.
Tales optatis regum in complexibus ambo,
Par insigne animis, Ætolus et inclytus Arcas,
Egregias efflant animas, letoque fruuntur.
Vos quoque sacrati, quamvis mea carmina surgant
Inferiore lyra, memores superabitis annos.
Forsitan et comites non aspernabitur umbras
Euryalus, Phrygiique admittet gloria Nisi.
At ferus Amphion, regi qui facta reportent,
Edoceantque dolum, captivaque corpora reddant,
Mittit ovans: clausis ipse insultare Pelasgis
Tendit, et abscisos sociorum ostendere vultus.
Interea reducem murorum e culmine Graii

et edens hanc ultimam vocem: At tamen fruere interea hoc dilecto tumulo. Sic ambo, Ætolus et illustris Arcas, par animo præclarum, agunt eximias animas, et morte potiuntur in expetitis regum complexibus. Vos quoque consecrati meis versibus, quamvis hi canantur ad inferiorem citharam, superabitis memores annos. Forsitan et Euryalus non fastidiet vestros manes habere socios, et gloria Nisi Phrygii vos suscipiet. At acer Amphion exultans mittit qui renuntient gesta principi, eumque certiorem faciant fraudis, ac restituant captiva cadavera Tydei et Parthenopæi. Ipse pergit ut insultet obsessis Argivis, et eis monstret amputata sociorum capita. Interea Græci cernunt e fastigio castrorum revertentem Thiodamantem; nec jam

1. 2. *caro potiare sepulcro;* Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. multique codd. *claro potiere sepulcro.*—442 Unus Behot. *regum complexibus.*—452 Multi codd. et edd. vett. *abscissos.* 'Omnes meliores codd. hic et alibi uno sigmate scri-

NOTÆ

441 *Caro*] Alia lectio, *claro.*

444 *Letoque fruuntur*] Id est, mortem acceptissimam ac gratissimam habuere.

445 *Vos quoque sacrati*] Imitatio Virgilii Æn. IX. 'Fortunati ambo, si quid mea carmina possunt, Nulla dies unquam memori vos eximet ævo.' Totus enim hic locus de Hopleo et Dymante adumbratus est e Virgiliana fabula Nisi et Euryali.

446 *Inferiore lyra*] Nam Papinius, etsi magnifice sentiret de sua Thebaide, semper tamen ei præfert Æneida, eique præscribit, ut non tentaret divinam Æneida, sed longe sequeretur, et semper ejus vestigia adoraret.

448 *Euryalus, Phrygiique admittet gloria Nisi*] Nota amicitia Euryali et Nisi ex Virgilio.

449 *Regi*] Eteocli.

450 *Dolum*] Raptorum cadaverum Tydei et Parthenopæi. *Captivaque corpora*] Tydei et Parthenopæi.

452 *Et abscisos sociorum ostendere vultus*] Sicut Euryali et Nisi, apud Virgilium Æn. IX. *Sociorum*] Dymantis et Hoplei.

Thiodamanta vident: nec jam erumpentia celant
Gaudia, ut exertos enses, et cæde recenti
Arma rubere notant: novus assilit æthera magnus
Clamor, et e summo pendent cupida agmina vallo
Noscere quisque suos: volucrum sic turba recentum
Cum reducem longo prospexit in æthere matrem,
Ire cupit contra, summaque e margine nidi
Extat hians: jam jamque cadat, ni pectore toto
Obstet aperta parens, et amantibus increpet alis.
Dumque opus arcanum, et taciti compendia Martis
Enumerant, lætisque suos complexibus implent,
Hopleaque exquirunt, tardumque Dymanta queruntur,
Ecce et Dirceæ juxta dux concitus alæ
Venerat Amphion: non longum cæde recenti
Lætatus, videt innumeris fervere catervis
Tellurem, atque una gentem expirare ruina.
Qui tremor illicita cœli de lampade tactos,

retinent erumpentem lætitiam, ut animadvertunt nudatos gladios, et arma tincta novo sanguine. Ingens clamor subit aërem, et copiæ pendent e summo vallo avidæ suos noscendi. Sic turba pullorum, cum videt parentem redeuntem in longo aëre, vult ire obviam, et prominet rostro patenti e suprema nidi ora: jam jamque laberentur; nisi mater extensis alis se opponeret toto pectore, et objurgaret blandis pennis. Ac dum referunt factum clandestinum, et compendia silentis belli, et innectunt suos gratis amplexibus, exposcunt Hoplea, et queruntur Dymantem tardare. Ecce et præceps Amphion dux turmæ Thebanæ prope accesserat, sed non diu gaudet nova cæde; nam aspicit terram æstuare innumeris catervis, et suam gentem extinctam una strage. Qui tremor invadit perculsos vetito fulmine, hic immotum

bunt hanc vocem.' *Barth.*—454 *Theodomanta* unus Behot. *Thyodamanta* edd. vett.—455 Dan. *et cæde recentum.*—456 Optimæ Barthii membranæ, Dan. Put. Petav. Lindenbrog. et Cruc. *æthera magnum.* ' Forte legas melius: *totum assilit æthera magnus Clamor.*' Barth.—459 ' In optimo alioque libro est *ab æthere;* quod sane melius.' *Idem.*—460 Put. *summique;* pauci codd. *summoque.*—461 Edd. vett. *in pectore.* Bernartius correxit.—462 Unus Behot. *increpat alis.*—470 Unus Behot. *tactos de lampide cæli.*—473 *Ipse retro* in eo-

NOTÆ

458 *Recentum*] Pullorum.

462 *Aperta*] Alis extensis. *Increpet*] Percutiendo alas, pullos suos a casu prohibeat.

463 *Opus arcanum*] Quod noctu effecerant. *Taciti compendia Martis*] Bellum enim pæne confecerant, sine suo dispendio ac detrimento.

465 *Tardum*] Quia morabatur, nec cum aliis veniebat.

466 *Dirceæ*] Thebanæ.

467 *Cæde recenti*] Hoplei et Dymantis.

470 *Illicita cœli de lampade tactos*]

Hic fixit juvenem, pariterque horrore sub uno
Vox, acies, sanguisque perit, gemitusque parantem
Ipse ultro convertit equus: fugit ala retorto
Pulvere: nondum illi Thebarum claustra subibant,
Et jam Argiva cohors nocturno freta triumpho
Prosilit in campos: per et arma, et membra jacentum,
Tetraque congerie sola, semianimumque cruorem
Cornipedes, ipsique ruunt: gravis exterit artus
Ungula, sanguineus lavat imber, et impedit axes.
Dulce viris hac ire via, ceu tecta superbi
Sidonia, atque ipsas calcent in pulvere Thebas.
Hortatur Capaneus: Satis occultata, Pelasgi,
Delituit virtus: nunc nunc mihi vincere pulchrum
Teste die: mecum clamore et pulvere aperto
Ite palam, juvenes: sunt et mihi provida dextræ
Omina, et horrendi stricto mucrone furores.
Sic ait: ardentes alacer succendit Adrastus,

reddidit juvenem: simulque eodem horrore, vox, visus et sanguis deficiunt, et cum vult gemere, ipse equus sponte eum convertit. Turma fugit sublato retro pulvere. Nondum illi ingrediebantur portas Thebarum, cum jam exercitus Argivus, fisus nocturna victoria, irrumpit in campos, et equi, ipsique volant per arma et artus prostratorum, ac loca horrida occisorum acervo et semimortuorum sanguine. Ponderosa ungula elidit membra: cruentus rivus abluit, et retardat currus. Gratissimum est viris hoc tendere itinere, quasi triumphantes proterant domos Sidonias, atque ipsas Thebas in pulverem redactas. Capaneus animat: Satis, o Græci, virtus abdita delituit. Nunc nunc gloriosum mihi erit superare clara luce. Venite palam mecum, juvenes, cum clamore et pulvere manifesto: sunt et mihi præscia auguria, manus, et terribiles furores nudato ense. Sic inquit. Acer Adrastus et gener Argivus

dem codice.—474 Alter Behot. *non illi.*—475 *Et jam Argia* Dan.—478 Idem codex et uterque Behot. *exerit artus.*—479 Put. *libat imber.*—483 In eodem codice: *nunc est mihi.*—485 Unus Behot. *et sunt mihi.*—490 In optimo codice

NOTÆ

Hos Græci ἐμβροντήτους vocant. *Illicita* vero *lampas*, est fulmen, quia non licebat adire loca fulmine percussa, unde a Persio 'evitanda' dicuntur. Aliqui autem legunt *Elicia*, unde 'Elicius Jupiter' fulminans.

471 *Fixit*] Fulminati enim maxime stupent. Seneca Nat. Quæst. lib. II. cap. 27. 'Quo edito' (fragore scilicet tonitrus) 'concidunt homines et exanimantur. Quidam vero vivi stupent, et in totum sibi excidunt, quos vocamus attonitos, quorum mentes sonus ille loco pepulit.'

484 *Teste die*] Sic Alexander Parmenioni intempesta nocte prælium committere suadenti respondit, 'se victoriam referre, non furari velle.'

Argolicusque gener: sequitur jam tristior augur.
Jamque premunt muros, et adhuc nova funera narrat
Amphion, miseramque intrabant protinus urbem,
Ni Megareus specula citus exclamasset ab alta:
Claude, vigil: subeunt hostes: claude undique portas.
Est ubi dat vires nimius timor: ocyus omnis
Porta coit: solas dum tardius arctat Echion
Ogygias, audax animi Spartana juventus
Irrupit, cæsique ruunt in limine primo,
Incola Taygeti Panopeus, rigidique natator
Œbalus Eurotæ: tuque, o spectate palæstris
Omnibus, et nuper Nemeæo in pulvere felix,

flagrantes accendunt, vates jam mæstior sequitur. Jamque instant mœnibus, et adhuc Amphion refert novas cædes, et extemplo Argivi subibant infelicem civitatem, nisi Megareus promte vociferatus fuisset ab excelsa specula: Vigil, obsera, intrant hostes; obsera omnes portas. Est ubi nimius metus auget vires: omnes portæ cito clauduntur. Dum Echion serius obserat solas Ogygias, Spartana pubes animo elata irruit, et cadunt occisi in primo aditu, Panopæus habitator Taygeti, et Œbalus natator severi Eurotæ, et tu, Alcidama, conspicue in cunctis palæstris, et nuper victor

Barthii scriptum est *intrarant.*—494 Behot. 1. *dardius artat;* Behot. 2. *tardius artat.*—496 *Irrumpit* unus Behot.—497 *Incola Tageti* codd. Lindenbrogii.—

NOTÆ

488 *Argolicusque gener*] Polynices. *Jam tristior*] Vel, ut cujus gaudii primus calor deferbuerat, vel quia prævidebat futuram calamitatem, nec prodere poterat.

489 *Nova funera*] Recentem cladem ab Argivis noctu acceptam.

493 *Est ubi dat vires nimius timor*] Sententia nobilis, usu probata, extremam desperatamque iracundiam cavendam. Silius: 'Clausos acuunt extrema pericli, Et fractis rebus violentior ultima virtus.' Tacitus Hist. lib. III. 'Esse adhuc Vitellio vires, ambiguas, si deliberarent; acres, si desperassent.' Sallustius Catil. 'Necessitudo etiam timidos fortes facit.' Seneca de Clementia: 'Acerrima virtus est, quam ultima necessitas extundit.' Curtius lib. v. 'Ignaviam quoque necessitas acuit, et sæpe desperatio spei causa est.' Josephus lib. VI. Ἁλωσ. cap. 13. Ἄμαχον εἶναι τὴν ἀπόγνωσιν οἷς εὐχὴ μὲν τῷ σιδήρῳ πεσεῖν. *Invincibilem esse desperationem in iis, quibus optatum est ferro procumbere.* Prudenter ergo a Scipione Numantiam obsidente, 'Non est permissa pugna perituris,' apud Florum II.

495 *Ogygias*] Ogygiæ nomen unius e portis Thebarum.

497 *Taygeti*] Montis Laconiæ. *Rigidi Eurotæ*] Eurotas Laconiæ fluvius. *Rigidi*] Ob rigidum vivendi morem Laconum.

499 *Nemeæo in pulvere felix*] Vicerat enim cæstu Capaneum, ut vidimus Theb. VI.

Alcidama, primis quem cæstibus ipse ligarat
Tyndarides, nitidi moriens convexa magistri
Respicis: averso pariter Deus occidit astro.
Te nemus Œbalium, te lubrica ripa Lacænæ
Virginis, et falso gurges cantatus olore
Flebit, Amyclæis Triviæ lugebere nymphis:
Et quæ te leges, præceptaque fortia belli
Erudiit genitrix, nimium dedicisse queretur.
Talis Echionio Mavors in limine sævit.
Tandem humeris obnixus Acron, et pectore toto
Pronus Alimenides ferratæ robora portæ

in arena Nemeæa, quem ipse Tyndari filius vincierat primis cæstibus, occumbens cernis convexa lucidi magistri: Numen etiam occidit averso sidere. Te sylva Œbalia plorabit, te lubricum littus puellæ Lacedæmoniæ, et fluvius, in quo falsus cycnus cecinit, et fleberis a Nymphis Triviæ Amyclæis; et mater, quæ te docuit jura et generosa dictata belli, dolebit te nimium didicisse. Sic Mars grassatur in portis Echioniis. Tandem Acron obluctatus humeris, et Alimedes inclinatus toto pectore verterunt

500 Unus Behot. *ille ligarat;* Put. *ipse ligabat.*—501 Aldd. Colin. Gryph. et Basil. *connexa.*—504 In eodem codice: *cantatus olori.*—506 *Et quæ te in leges* unus Barthianus.—510 *Pronus et Alcmenides* Dan. Petav. Lindenbrog. et Cruc. *Pronus et Almenides* Behot. 1. *Pronus Achemenides* Behot. 2. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et edd. vett. *Protinus Almenides* Put. *Pronus Alchemenides* Venett. *Pronus Alimenides* Gronov. Barth. Veen. et Delph. Vide Not.

NOTÆ

501 *Tyndarides*] Pollux, quem fuisse magistrum Alcidamantis refert Papinius ibidem. *Nitidi convexa magistri*] Id est, Pollucis inter sidera relati, hinc *nitidi.* Porro *convexa.* Quo sensu, ait Turnebus lib. v. cap. 5. *convexa?* Nam astra convexa non videntur, sed potius globosa, ac rotunda sunt. Ego, pergit idem, astra *convexa* dici autumo non singula, sed universa; convexitatem enim habent eandem quam cœlum efficiunt, toto obsita, dispersa cœlo undique in orbem.

502 *Averso pariter Deus occidit astro*] Ne videret morientem discipulum.

503 *Te lubrica ripa Lacænæ Virginis*] Lacænæ enim virgines in ripa Eurotæ fluvii exercitationi corporis cum adolescentulis simul operam dabant, ut auctor est Xenophon.

504 *Et falso gurges cantatus olore*] Bene *falso,* quia Jupiter in cycnum conversus ad Ledam in ripa Eurotæ exspatiantem accesserat.

505 *Amyclæis*] Ab Amyclis Laconiæ oppido. *Triviæ*] Dianæ, quia in triviis colebatur.

507 *Erudiit genitrix*] Mira prædicant auctores de fortitudine et animo mulierum Spartanarum. Videndi Plutarchus, Xenophon, aliique. Vide et sup. libro.

508 *Echionio*] Thebano.

510 *Alimenides*] Ponendum *Ialmenides,* ut in tribus Mss. legit Gronovius.

Torserunt: quanta pariter cervice gementes
Profringunt inarata diu Pangæa juvenci.
Par operis jactura lucro; quippe hoste retento
Exclusere suos: cadit intra mœnia Graius
Ormenus, et pronas tendentis Amyntoris ulnas,
Fundentisque preces, penitus cervice recisa
Verba solo vultusque cadunt, colloque decorus
Torquis in hostiles cecidit per vulnus arenas.
Solvitur interea vallum, primæque recusant
Stare moræ: jam se peditum junxere catervæ
Mœnibus: at patulas saltu transmittere fossas
Horror equis: hærent trepidi, atque immane paventes
Abruptum mirantur agi: nunc impetus ire
Margine ab extremo, nunc sponte in fræna recedunt.

molem portæ munitæ ferro. Quanto nisu colli boves anhelantes proscindunt Pangæa diu inculta. Damnum æquatur compendio; nam retento hoste excluserunt suos. Graius Ormenus labitur intra muros. Collum penitus amputatur Amyntori porrigenti supplices manus, et precanti, unaque caput et verba humi corruunt; pulcher torquis e cervice labitur per plagam in pulverem hostilem. Interea vallum rescinditur. Prima obstacula renuunt consistere. Jam cohortes peditum applicuerunt se muris. Sed equi formidant trajicere saltu latas fossas; trepidi cunctantur, et horrentes ingens præcipitium stupent impelli: nunc ardent transgredi a summa ora: nunc retrorsum sponte re-

Var. ad vs. 305.—512 *Profindunt* Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *Perfringunt* Dan. Put. Petav. Behot. 2. optimus Barth. Lindenbrog. et Cruc. *Profringunt* Behot. 1. a m. pr. Lipsian. et binæ Gronovii membranæ, cum edd. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *Profundunt* Behot. 1. a m. sec. Vide Not. Var.—515 *Ornemus et pronas tendentis Amictoris* unus Behot.—518 In

NOTÆ

512 *Pangæa*] Pangæa, seu Pangæus mons Thraciæ, in quo sunt, referente Herodoto, aurea et argentea metalla. Ad hujus radices amnis Nestus fluit.

513 *Pars operis jactura lucro*] Tantum perdiderunt, quantum lucrati sunt.

518 *Cecidit per vulnus*] Collo inciso non poterat manere torques. Ita Propertius lib. iv. de Gallo torquato a Manlio occiso: 'Torquis ab incisa decidit unca gula.'

519 *Solvitur interea vallum*] Id est, irruptione Argivorum labefactatur.

520 *Moræ*] An qui defendebant vallum, an vero munitiones valli, moram irruentibus attulerunt.

521 *At patulas saltu transmittere fossas Horror equis*] Videtur sumtum ex Homero Il. M. apud quem Hectoris equi pariter describuntur resistentes, et timentes in summo fossæ labro: Οὐδέ οἱ ἵπποι Τόλμων ὠκύποδες· μάλα δὲ χρεμέτιζον ἐπ' ἄκρῳ Χείλει ἐφεσταότες. *Neque pernices equi audebant, valde autem hinniebant resistentes in summo labro.*

523 *Nunc impetus ire Margine ab extremo, nunc sponte in fræna recedunt*]

Hi præfixa solo vellunt munimina: at illi
Portarum objectus minuunt, et ferrea sudant
Claustra remoliri, trabibusque arctata sonoro
Pellunt saxa loco: pars ad fastigia missas
Exultant hæsisse faces; pars ima lacessunt,
Scrutanturque cavas cæca testudine turres.

deunt. Hi avellunt palos terræ infixos: at illi rumpunt munimenta portarum, et certant frangere ferrea repagula, et strepenti ariete loco extrudunt lapides firme constrictos. Pars lætantur faces injectas affigi pinnis: pars impetunt ima, et riman-

eodem codice: *cecidit profusus arenas.*—526 In altero Behot. *muniunt* pro *minuunt.*—527 Dan. Put. Lindenbrog. et Cruc. *trabibusque et ariete;* Behott. 1. 2. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Petav. Petrens. Exc. Cantab. Venett. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *trabibusque arctata.*—529 *Exultant exisse*

NOTÆ

Equi est saltum audentis, et tamen retro se reducentis, descriptio.

527 *Trabibus*] Trabes, Machinæ quibus muri hostium labefactarentur. Erat et 'trabes machina,' seu aries, κριοδόκη, ut apud Vitruvium legitur de Architectura lib. x. cap. 19. quam Carthaginienses invenerant, qua arietarent muros impulsa manibus militum: deinde impellendæ 'trabi machinæ' adjecta instrumenta, et varia excogitata. Pephasmenus Tyrius adjecit malum, id est, tignum arrectarium præcelsum instar mali, cui appensus aries, ut 'trabes machina' libraretur in murum funibus prælongis reducendo ac impellendo: atque hic pensilis aries. Cetras Carthaginiensis arietem subrotatum fecit, qui de varis pendens, itidem libraretur tecto coriis bibulis ambitu, ut militi qui ipsum impellebat caveretur. Equum vero, qui aries dicitur, ἵππον δούρειον, ἢ δουράτεον, ἢ ξεστὸν Homero dictum, invenit Epeus ad Trojam, cujus 'trabem machinam' ipsi milites, qui intus erant, manibus sine libramento impellerent, ut scribit Plinius lib. VII. cap. 57. Vide Vitruvium, Athenæum, Pausaniam, Josephum, et Ammianum Marcellinum.

529 *Hæsisse faces*] 'Hærere' verbum in hac re proprium, cum tela missilia, præcipue ignifera, fixa sunt, et quo mittuntur, comprehenderunt. Livius lib. XXVII. 'Hæsere omnia tela haud difficili ex propinquo in tanta corpora ictu, et tam conferta turba.' Tacitus Hist. IV. 'Post ubi pleraque telorum turribus pinnisque mœnium irrita hærebant.'

530 *Cæca testudine*] Suffossuri mœnia aut turres urbis (Cæsar 'agere cuniculos' dicit quos 'Minas' vocamus,) utebantur testitudine fronte triquetra, ut missa in eam tela, dum in angulo consistere non possunt, per latera laberentur, et rejicerentur. In ea machina comparati erant ad fodiendum homines. Hujusce machinæ descriptionem vide apud Vitruvium lib. x. cap. 20. Vide et Ammianum Marcellinum lib. XXIII. qui tradit arietum machinamentis crebritate jam despectis, conditam machinam scriptoribus et historicis notam, quam Helepolim Græci cognominabant: cujus opera Demetrius Antigoni filius Rhodo aliisque urbibus expugnatis 'Poliorcetes' est appella-

At Tyrii, quæ sola salus, caput omne coronant
Murorum, nigrasque sudes, et lucida ferro
Spicula, et arsuras cœli per inania glandes,
Saxaque in adversos ipsis avulsa rotabant
Mœnibus: exundant sævo fastigia nimbo,
Armatæque vomunt stridentia tela fenestræ.
Qualiter aut Malean, aut alta Ceraunia supra

tur cavas turres occulta testudine. At Thebani, quæ sola erat salus, cingunt omnem ambitum mœnium, et torquebant in hostes sudes præustas, et jacula ferro micantia, et glandes quæ liquescunt per vacuum aërem, et lapides extractos ab ipsis muris. Culmina scatent sævo imbre jaculorum, et armata murorum foramina ejectant sonantes sagittas. Ut cum pigræ tempestates hærent in nube supra Maleam, aut

Behot. 1. *Exsultant hexisse* Behot. 2.—536 Dan. Put. Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et Behot. 2. pro v. l. *tela pharetræ;* et sic edd. Venett. 3. 4.

NOTÆ

tus. Hæc machina etiam 'testudinis' forma constructa erat. Erat et 'testudo' continuata scutorum supra capita crates. *Cæca* dicitur, vel quia homines in ea includuntur muros suffossuri, vel quia nescitur ab obsessis, qua parte murus suffodiatur.

533 *Et arsuras cœli per inania glandes*] Tantus fundæ impetus fuisse dicitur, ut glans sæpe liquesceret in medio cursu. Id testantur non solum Noster hic, sed et Virgilius, Ovidius, et Lucanus. Affirmat etiam Lucretius Philosophis annumerandus, apud quem legitur lib. VI. 'Plumbea vero Glans etiam longo cursu volvenda liquescit.' His accedit et Seneca Philosophus Nat. Quæst. lib. II. 'Aëra motus,' ait ille, 'extenuat, et extenuatio accendit; sic liquescit excussa glans funda, et attritu aëris velut igne distillat.' Verumtamen magnorum testium pace, necnon Justi Lipsii, qui illorum auctoritate nititur, libro de militia Romana, hac de re dubitari potest, cum nec pyrio pulvere glans sclopeto emissa liquescat. Incaluisse plumbum Balearica funda jactum credibile est, illud autem attritu aëris velut igne distillasse, non facile creditur.

535 *Exundant sævo fastigia nimbo*] Scatent multitudine jaculorum.

536 *Fenestræ*] Comparatæ erant hæ fenestræ ad emittenda jacula. Has fenestras vocat Livius 'foramina' lib. XXXVIII. partes scilicet muri fenestratas ad tela in oppugnatores emittenda. 'Per occulta,' ait, 'foramina prælongæ hastæ, quas sarissas vocant, ad summovendos hostes emittebantur.' Τοξικὰς Græci dicunt. 'Quarnellos' vocat Guillelmus Brito lib. VII. his versibus: 'Balista queat jaculari arcusque sagittas, Quas, ubicumque patent quarnelli, sive fenestræ, Obsessi nequeunt toties impune cavere.'

537 *Malean*] Vide Theb. I. 100. *Alta Ceraunia*] Ceraunia, seu Ceraunii, iidemque Acroceraunia vel Acroceraunii, montes in finibus Epiri in mare usque procurrentes, ubi Ionium Mare ab Adriatico dirimitur: dicuntur *Ceraunia* a fulminibus quibus sæpissime percutiuntur; κεραυνὸς enim

Cessantes in nube sedent, nigrisque leguntur
Collibus, et subitæ saliunt in vela procellæ:
Talis Agenoreis Argivum exercitus armis
Obruitur: non ora virum, non pectora flectit
Imber atrox, rectosque tenent in mœnia vultus
Immemores leti, et tantum sua tela videntes.
Anthea falcato lustrantem mœnia curru
Desuper Ogygiæ pepulit gravis impetus hastæ.
Lora excussa manu, retroque in terga volutus
Semianimos artus ocreis retinentibus hæret;
(Mirandum visu belli scelus!) arma trahuntur,
Fumantesque rotæ tellurem, et tertius hastæ
Sulcus arant: longo sequitur vaga pulvere cervix,
Et resupinarum patet orbita longa comarum.
At tuba luctificis pulsat clangoribus urbem,
Obseptasque fores sonitu perfringit amaro.

Acroceraunia, coëuntque ex atris promontoriis, ac repente effunduntur in naves: eodem modo acies Argiva opprimitur telis Thebanis. Immitis grando non detorquet vultus, non pectora bellatorum, et hi tenent versas facies in muros, obliti mortis, et tantum cernentes suas sagittas. Acerba vis hastæ Thebanæ desuper emissæ deturbavit Antheum circumeuntem muros falcato curru; habenæ manu avulsæ sunt, et pone inversus in dorsum, hæret currui semivivus, eum retinentibus ocreis: miserandus aspectu belli casus; arma ejus raptantur, et fumantes rotæ, et hasta tertio sulco scindunt terram: vagum collum sequitur cum longo pulvere, et lata orbita resupinorum capillorum videtur. At buccina ferit oppidum luctuoso sonitu, et per-

—538 Put. *nigrisque locuntur;* Behot. 1. pro v. l. *nigrisque teguntur.*—544 *Acthea* unus Behot.—546 Lipsian. Put. et Venett. 3. 4. *in terga solutus.*—547 *Semianimes artus* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. et edd. vett. —549 Put. *territus hastæ.*—550 *Sulcus arat* codd. Lindenbrogii, et Behott. 1. 2. In quibusdam *longe.*—551 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et nonnulli Barthiani: *orbita lata.*—553 *Obsessasque fores sonitu perstrinxit* Petrens. *Obseptasque fores sonitu perstringit* Taurin. *perstringit* etiam Burm. et Buslid.—555

NOTÆ

Græcis *fulmen* est. Circa hos autem montes frequentissimæ fiunt tempestates, unde 'infames scopuli' dicuntur Horatio: 'Infames scopulos Acroceraunia.'

540 *Agenoreis*] Thebanis.

541 *Virum*] Argivum.

542 *Imber*] Telorum scilicet.

545 *Ogygiæ*] Thebanæ.

547 *Semianimos*] Legit Guyetus *Semianimis,* deletque reliquum versum, ac duos sequentes, duasque voces sequentis versus, jungitque *Semianimis* cum τῷ *longo sequitur.*

549 *Fumantes rotæ*] Ob nimiam enim celeritatem quandoque ignescunt.

Divisere aditus, omnique in limine sævus
Signifer ante omnes sua damna et gaudia portat.
Dira intus facies: vix Mavors ipse videndo
Gaudeat: incertis lymphatam horroribus urbem
Scindunt dissensu vario, luctusque, furorque,
Et pavor, et cæcis fuga circumfusa tenebris.
Bellum intrasse putes: fervent discursibus arces,
Miscentur clamore viæ: ferrum undique, et ignes
Mente vident: sævas mente accepere catenas.
Consumsit ventura timor: jam tecta replerant,
Templaque, et ingratæ vallantur planctibus aræ.
Una omnes eademque subit formido per annos.
Poscunt fata senes, ardet, palletque juventus,
Atria fœmineis trepidant ululata querelis.
Flent pueri, et flendi nequeunt cognoscere causas

rumpit acerbo clangore obsessas portas. Partiti sunt Argivi accessus, et crudelis vexillarius in omnibus portis præ se fert detrimenta quæ est illaturus, et suam lætitiam. Horrida intus facies. Vix ipse Mars lætaretur hanc cernendo. Dolor, rabiesque, ac formido dividunt in diversa studia civitatem efferatam ambiguis terroribus, et fuga sparsa cæcis tenebris. Credas ipsum bellum intrasse: arces replentur discurrentibus: undique cernunt animo ferrum et flammas: et mente acceperunt crudelia vincula: metus putat contigisse, quæ nondum evenerant. Jam replerant tecta et delubra, ac surda altaria cinguntur a plangentibus. Unus et idem metus invadit cunctam ætatem. Longævi exoptant mortem: pubes flagrat ira, palletque: atria reclamant muliebribus lamentis: infantes lacrymantur, nec possunt intelligere cau-



Put. *gaudia portans.*—557 Behot. 1. pro *incertis* habet *insanis.*—563 *Comsumsit* Behott. 1. 2. *tecta replorant* Put. *tecta replerunt* Behott. 1. 2.—568 ‘ Melius videtur, quod est in libro optimo: *nequeunt agnoscere causas.* Etiamsi enim cognoscant a majoribus, multum tamen abest ut agnoscant.’ *Barth.*—

NOTÆ

554 *Divisere aditus*] Hunc versum et quinque sequentes rejicit Guyetus, ut ineptos et supposititios.

559 *Cæcis*] Vel quia fugientes tenebras quærunt: vel quia timore cæcatis mentibus, nesciebant quo fugerent, ut se imminentibus malis eriperent.

562 *Mente accepere catenas*] Præ timore illa videbantur, quæ inferre solet captivitas.

563 *Consumsit ventura timor*] Peracta putant timoris magnitudine, quæ nondum evenerant.

564 *Ingratæ*] Ut quæ oblitæ tot sacrificiorum ad placanda numina.

566 *Ardet, palletque juventus*] Audet et timet, ira et metus miscentur.

568 *Flent pueri*] Hic versus et sequens Guyeto suspecti.

Attoniti, et tantum matrum lamenta timentes.
Illas cogit amor, nec habent extrema pudorem.
Ipsæ tela viris, ipsæ iram animosque ministrant,
Hortanturque, unaque ruunt, nec avita gementes
Limina, nec parvos cessant ostendere natos.
Sic ubi pumiceo pastor rapturus ab antro
Armatas erexit apes, fremit aspera nubes:
Inque vicem sese stridore hortantur, et omnes
Hostis in ora volant; mox deficientibus alis
Amplexæ flavamque domum captivaque plangunt
Mella, laboratasque premunt ad pectora ceras.
Nec non ancipitis pugnat sententia vulgi,
Discordesque serit motus: hi reddere fratrem
Nec mussant; sed voce palam, claroque tumultu

sas lacrymarum consternati, et tantum metuentes ob ejulatus matrum. Caritas illas cogit, nec extrema pericula habent verecundiam. Ipsæ suppeditant conjugibus jacula, ipsæ furorem ac animos; excitant, unaque feruntur, nec desinunt suspirantes monstrare illis ædes majorum, ac parvulos liberos. Sic cum pastor irritavit aculeatas apes, mel capturus a pumiceo alveo, sævum agmen frendet, et se invicem animant stridore, ac cunctæ insiliunt in vultum inimici: mox alis lassatis amplectentes flavam domum, et obsessos favos, plangunt, et constringunt ad pectus fabricatas ceras. Quinetiam sententia dubiæ plebis dissidet, et dispergit seditiosas voces. Hi non solum summisse, sed palam clamore et aperto tumultu, dicunt fratrem

575 *Armatas exegit apes* Dan. Petav. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. *Armatas erexit apes* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Put. omnes Barthiani, Exc. Cantab. Petrens. Venett. 3. 4. Gronov. Barth. Veen. et Delph.—576 ‘ Nescio quid turbant hic fatui nonnulli libri, adeo quidem ut insulse *et hominis* qui-

NOTÆ

569 *Timentes*] Alii codices, *trementes.*

570 *Nec habent extrema pudorem*] Quia in calamitate nullus pudor est fœminis prodire in publicum.

573 *Parvos ostendere natos*] Ut hoc spectaculo acrius excitarent viros ad pugnam. Sallustius: ‘ Ut res magis quam verba gererentur, liberos parentesque in muris collocaverant.’

574 *Sic ubi, &c.*] Hæc comparatio intempesta videtur Guyeto. *Pumiceo antro*] Virgilius Georg. IV. ‘ Penitusque repertæ Pumicibusque cavis, exesæque arboris antro.’

575 *Aspera nubes*] Multitudo enim volantium apum nubem umbramque efficit.

577 *Deficientibus alis*] Lassatis vi volandi, vel vi coactis. *Vet. Scholiastes.*

578 *Flavamque domum*] Ob mel quod plerumque est aurei coloris, seu flavum.

579 *Premunt ad pectora*] Quasi defensuræ.

Reddere regna jubent: periit reverentia regis
Solicitis: veniat, pactumque hic computet annum,
Cadmeosque lares exul, patriasque salutet
Infelix tenebras: cur autem ego sanguine fraudes,
Et perjura luam regalis crimina noxæ?
Inde alii: Sera ista fides; jam vincere mavult.
Tiresian alii lacrymis et supplice cœtu
Orant, quodque unum rebus solamen in arctis,
Nosse futura rogant: tenet ille inclusa, premitque
Fata Deum: Quiane ante duci bene credita nostra
Consilia et monitus, cum perfida bella vetarem?
Te tamen, infelix, inquit, perituraque Thebe,
Si taceam, nequeo miser exaudire cadentem,

debere regnum restituere; reverentia regis intercidit in animis anxiorum: veniat exul, et miser revisat penates Cadmi, et patrem cæcum, atque hic regnet annum conventum. Cur autem ego solvam proprio cruore dolos et scelera perjuri et perfidi regis? Inde alii: Tarda fides ista est: jam mavult vincere. Alii precantur Tiresiam fletibus ac supplice conventu; quodque unicum est levamentum in angusto statu, orant, prædicat futura. Ille tenet, et servat occulta numinum arcana: Quiane antea nostra consilia ac monita admissa sunt a principe, cum dissuaderem bellum infidum? Attamen, ait, Thebe infortunata et peritura, si sileam, non possum in-



dam referre ausint.' *Barth.*—586 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Behott. 1. 2. Venett. 3. 4. Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. et Gevart. *cur aut ego;* optimæ aliæque Barthii membranæ, Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *cur autem ego.*—589 Pro *cœtu* Barthius ex optimis codd. legit *questu.*—591 Unus Behot. *tenet hic inclusa.*—592 Idem codex pro *credita* exhibet *tradita.*—597 *Vincamus* Dan.—602 *An-*

NOTÆ

584 *Pactumque hic computet annum*] Polynices annum integrum regnet.

585 *Patriasque salutet Infelix tenebras*] Invisat cæcum patrem.

587 *Perjura*] Promissis enim non stabat Eteocles.

588 *Mavult*] Supple, Polynices.

591 *Nosse futura*] Doceri ab ipso expetunt, inde fiduciam aut metum sumpturi. *Vetus Schol.* Se dedituri aut pugnaturi. *Alius Schol.* Futura cognoscere prudentiam contra desperationem generat. *Vet. Commentat.*

592 *Quiane ante duci bene credita nostra Consilia*] Nullibi vidimus Tiresiam a bello Eteoclem deterruisse; legimus solum Theb. IV. fecisse sacrum postulante Eteocle, quo tamen certam victoriam Thebis portendi retulerat. *Quiane* vero, Ironicos, cur modo futura non dicam, qui ante cum futura prædicerem, ita sum libenter auditus? Virgilius Æneid. IV. 'Quiane auxilio juvat ante levatos.'

594 *Thebe*] Thebe numero singulari, quod notandum.

Argolicumque oculis haurire vacantibus ignem.
Vincamur, pietas : pone eia altaria, virgo,
Quæramus Superos. Facit illa, acieque sagaci
Sanguineos flammarum apices, geminumque per aras
Ignem, et clara tamen mediæ fastigia lucis
Orta docet : tunc in speciem serpentis inanem
Ancipiti gyro volvi, frangique ruborem
Demonstrat dubio, patriasque illuminat umbras.
Ille coronatos jamdudum amplectitur ignes,
Fatidicum sorbens vultu flagrante vaporem.
Stant tristes horrore comæ, vittasque trementes

felix audire ruinam tuam, et excipere oculis otiosis flammas Argolicas. Cedamus, pietas: eia age, puella, strue aras: consulamus Divos. Illa exequitur, et refert, se observare solerti oculo duplicem ignem in altaribus, et cruentos flammarum apices: attamen mediam lucem assurgere, hujusque clarum esse verticem: deinde declarat ancipiti patri hos apices rotari ambiguo orbe in speciem serpentis, et ruborem extingui, et illuminat paternam noctem. Ille jamdudum amplectitur coronatas flammas, hauriens ardente facie fumum fatidicum: mœsti ejus crines horrore eri-

---

cipiti gyro frangi volvique ruborem unus Behot. ‘Futilis unius literæ adjectio contorquet sententiam, alioquin minime dubiam. Scribe cum melioribus libris duobus: *frangique rubore Demonstrat dubio.* Hæc est vera lectio, quam turbant vulgatæ edd.’ *Barth.*—603 Unus Behot. *patrias illuminat*, omissa copula.—604 *Ille coronati* unus Barthianus.—608 Margo ed. Barth. *rediisse vi-*

NOTÆ

596 *Oculis vacantibus*] Vel otiosis, vel vacuis oculorum orbibus.

599 *Sanguineos flammarum apices*] Hoc genus divinationis vocabatur *πυρομαντεία, pyromantia*, quod a flammæ varietate capiebatur: erat aliud *καπνομαντεία* a fumo. *Sanguineos*] Quia sanguinem effundendum portendebant Menœcei, vel fratrum. *Geminumque per Ignem*] Hinc portendebatur flammas discessuras impositis eidem rogo fratrum corporibus, ut videbimus Theb. XII.

600 *Et clara tamen mediæ fastigia lucis*] Hac ratione spes salutis Thebarum affulsit.

601 *Tunc in speciem serpentis inanem, &c.*] Serpentis specie figurata flamma Menœcei mortem significabat, quia genus ducebat e serpentis semine.

602 *Volvi*] Frangi et obscurari: vel flecti, sive rotari flammam in claram lucem.

603 *Dubio*] Ignaro. Cum enim cæcus erat, quæ signa monstrarent sacrificia nesciebat. *Illuminat umbras*] Qui docet cæcum, cæcitatem ejus illuminare dicitur. Sic Theb. IV. Tiresias sacra faciens dicit filiæ : ‘Nostramque move per singula noctem.’

604 *Coronatos ignes*] Sive quia flamma in orbem ducta instar coronæ, seu quia aræ in omnibus sacrificiis coronabantur.

Cæsaries insana levat: diducta putares
Lumina, consumtumque genis rediisse nitorem.
Tandem exundanti permisit verba furori:
Audite, o sontes, extrema litamina Divum,
Labdacidæ: venit alma salus, sed limite duro.
Martius inferias et sæva efflagitat anguis
Sacra, cadat generis quicumque novissimus extat
Viperei: datur hoc tantum victoria pacto.
Felix, qui tanta lucem mercede relinquet.
Stabat fatidici prope sæva altaria vatis
Mœstus adhuc, patriæ tantum communia lugens
Fata Creon; grandem subiti cum fulminis ictum,
Non secus ac torta trajectus cuspide pectus,
Accipit exanimis, sentitque Menœcea posci.

guntur, et agitata coma tollit trepidas vittas. Crederes patefactos fuisse ejus oculos, et pristinum juventutis nitorem genis rediisse. Tandem permisit verba erumpenti furori: Auscultate, o Thebani nocentes, ultima sacra, quæ possunt Deos placare. Solus alma venit, sed via acerba. Martius draco exposcit inferias et crudelia sacrificia; moriatur superstes ultimus ex anguineo semine: victoria conceditur hac sola conditione. Fortunatus, qui dabit vitam pro tanto præmio. Creon stabat juxta crudeles aras vaticinantis auguris, tristis et flens tantum adhuc communia mala patriæ; cum accipit exsanguis hunc ingentem ictum repentini fulminis, ut si pectus illi transfoderetur vibrato telo: nam sentit peti Menœceum, hoc illi osten-

---

gorem ex codice manuscripto.—609 Unus Behot. *furore.*—613 Petrens. *novissimus exit.*—617 Barthius legit: *Mœstus, adhuc patriæ tantum communia lugens*

NOTÆ

608 *Consumtumque genis*] Id est, totam faciem ævo exhaustam recepisse pristinam suam speciem. Optimus autem et alii duo codices clare legunt, *vigorem.* Assensu nostro, re eadem. *Barthius.* De eodem Tiresia Theb. IV. 'Illius elatis tremefacta assurgere vittis Canities, tenuique impelli sanguine vultus.'

610 *Extrema litamina*] Id est, sacrificia, post quæ iterum sacrificare non licet. Inter 'litare' enim et 'immolare' hoc interest, quod 'sacrificare' est immolare victimas: 'litare' autem per victimarum immolationem obtinere quod postulas.

612 *Martius anguis*] Quem sacrum Marti occiderat Cadmus, ejusque dentes severat, unde orta armatorum seges. *Sæva*] Id est, victimam humanam. Sic 'crudelia sacra' quæ fiebant Dianæ Tauricæ, Latiari Jovi, Cœlesti Carthaginiensi. Ita 'sævæ aræ' Busiridis Papinio in Hercule Vindicis, Claudiano 'sævum sacrum Busiridis.' Valerius Flaccus Arg. 'Omnibus in Superos sævus honor.'

617 *Patriæ tantum communia lugens Fata Creon*] Ut cujus domus nullo adhuc infortunio afflicta fuerat.

620 *Menœcea posci*] Mortem Menœcei.

Monstrat enim, suadetque timor: stupet anxius alto
Corda metu glaciante pater. Trinacria qualis
Ora repercussum Libyco mare sumit ab æstu.
Mox plenum Phœbo vatem et celerare jubentem
Nunc humilis genua amplectens, nunc ora canentis
Nequicquam reticere rogat: jam fama sacratam
Vocem amplexa volat, clamantque oracula Thebæ.
Nunc, age, quis stimulos et pulchræ gaudia mortis
Addiderit juveni (neque enim hæc absentibus unquam
Mens homini transmissa Deis) memor incipe Clio,
Sæcula te quoniam penes et digesta vetustas.
Diva Jovis solio juxta comes, unde per orbem
Rara dari, terrisque solet contingere virtus;

dente metu, et persuadente. Solicitus parens torpet, profundo timore gelante suum cor, eo modo, quo Sicula ripa excipit æquor remissum ab æstu Libyco. Deinde nunc supplex amplectens genua, nunc claudens os vaticinantis, precatur incassum silere augurem plenum Apolline, et imperantem festinare. Jam fama excipiens sanctum vocem cito spargitur, et Thebæ voce passim evulgant responsa. Nunc age, quis dederit juveni cupidinem et lætitiam gloriosæ mortis, (nunquam enim talis animus venit in hominem, nisi a Diis,) Clio memor expone, quoniam sæcula, et ordinata antiquitas tui juris sunt. Dea Virtus assidens solio Jovis, unde solet raro

Fata, Creon grandem, &c. Put. *communia jungens.*—623 Alia lectio est in optimis Barthianis: *mare sentit ab æstu.*—624 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Behot. 1. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *et celare jubentem;* Behot. 2. Dan. Put. Petav. nonnulli Barth. Gevart. Grasser. Lindenbrog. Cruc. et recentt. *et celerare jubentem;* optimus Barthianus: *et scelerata jubentem.*—631 Put. *di-*

NOTÆ

621 *Monstrat enim, suadetque timor*] Habet enim propriam divinationem timor. Virgilius: 'Agnovit gemitum præsaga mali mens.'

622 *Trinacria ora*] Id est, Sicula. Sicilia enim olim *Trinacria* dicta a tribus promontoriis, Pachino, Peloro, et Lilybæo; ἄκρον enim Græcis *promontorium* dicitur.

623 *Libyco*] Africano. Libye enim Græcis 'Africa' vocatur.

624 *Et celerare jubentem*] Mortem scilicet Menœcei.

627 *Clamantque oracula Thebæ*] Clara voce passim evulgant.

629 *Neque enim hæc absentibus unquam Mens homini transmissa Deis*] Non enim præclara facinora, nisi inspirantibus Diis, ab hominibus suscipiuntur.

630 *Memor incipe Clio*] Moris est Poëtis Musas invocare cum magnum quid habent decantandum. *Clio*] Musa, quæ præest canendis virorum fortium præclaris facinoribus.

632 *Diva*] Dea Virtus.

633 *Rara*] Rari enim, qui virtutem colant.

Seu pater omnipotens tribuit, sive ipsa capaces
Elegit penetrare viros, cœlestibus ut nunc
Desiluit gavisa plagis: dant clara meanti
Astra locum, quosque ipsa polis affixerat ignes.
Jamque premit terras, nec vultus ab æthere longe;
Sed placuit mutare genas: fit provida Manto,
Responsis ut plana fides, et fraude priores
Exuitur vultus: abiit horrorque vigorque
Ex oculis, paulum decoris permansit, honosque
Mollior, et posito vatum gestamina ferro
Subdita: descendunt vestes, torvisque ligatur
Vitta comis; (nam laurus erat;) tamen aspera produnt
Ora Deam, nimiique gradus: sic Lydia conjux

communicari orbi, et terris accidere, seu pater omnipotens hanc tribuat, sive ipsa eligat subire animos capaces, ut tunc, læta devolavit de superis locis. Lucida sidera, et ignes, quos ipsa cœlis affixerat, faciunt viam transeunti. Et jam attigit terras; nec facies ejus procul a cœlo est. Sed libuit sumere aliam formam: fit præsaga Manto, ut promtius fides adhiberetur oraculo, ac ut falleret, deposuit priorem vultum: feritas et vivacitas recessit ex oculis; paulum decoris restitit et majestas fit suavior, et ense deposito sumit insignia augurum: vestes defluunt, infulaque devincit torvos crines; (nam alioqui lauro instructa erat;) attamen vultus ferox, et grandior incessus detegunt Deam. Sic uxor Lydia irridebat Hercu-

gesta voluptas.—634 In quibusdam: *sive ipsa rapaces.* Vide Marklandum ad Sylv. I. 2. 107.—635 *Elegit penetrare animos* Markl. ibid. *ut tunc* Dan. Put. Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Behot. 1. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. Gevart. et Grasser.—637 Put. *ipsa potens.*—638 In eodem codice: *nec virtus.*—640 *Responsis ut plena fides* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. et Gevart. *hac fraude* legit Barthius ex optimis membranis.—641 Unus

NOTÆ

637 *Quosque ipsa polis affixerat ignes*] Sidera Castoris, Pollucis, Herculis, et ceterorum Heroum, quos 'ardens evexit ad sidera virtus.'

638 *Nec vultus ab æthere longe*] Sic Fama Virgiliana: 'Ingrediturque solo, et caput inter nubila condit.'

639 *Mutare genas*] Id est, sumere aliam formam.

640 *Responsis*] Tiresiæ. *Fraude*] Arte, ut falleret.

643 *Ferro*] Gladio, armis: Virtus enim armata depingitur.

644 *Descendunt vestes*] Virtus enim repræsentatur succinctis vestibus, utpote parata ad omnia præclara facinora edenda. *Torvisque ligatur vitta comis*] Vittæ enim sacerdotii insignia. Sumserat autem formam Mantus, quæ erat Apollinis sacerdos.

645 *Laurus erat*] Ut proprium virtutis seu fortitudinis insigne: victores enim lauro coronati.

646 *Lydia conjux*] Omphale regina Lydiæ, apud quam Hercules ejus amore captus fœdam servitutem ser-

Amphitryoniaden exutum horrentia terga
Perdere Sidonios humeris ridebat amictus,
Et turbare colus, et tympana rumpere dextra.
Sed neque te indecorem sacris, dignumque juberi
Talia, Dircæa stantem pro turre, Menœceu,
Invenit: immensæ reserato limine portæ
Sternebas Danaos: pariter Mavortius Hæmon.
Sed consanguinei quamvis, atque omnia fratres,
Tu prior: exanimes circumcumulantur acervi.
Omne sedet telum: nulli sine cædibus ictus.
Necdum aderat virtus: non mens, non dextra quiescit,

lem, cum depositis horrendis pellibus, rumperet mole humerorum vestes Sidonias, et turbaret colus, et nimia manu frangeret tympana. Sed, Menœceu, te offendit non indecorem sacris, nec indignum, qui jubereris pro patria mori, stantem ante Dircæam Turrem. Recluso aditu ingentis portæ fundebas Græcos. Similiter bellicosus Hæmon. Verum etsi sitis consanguinei et germani in omnibus, tu præstas. Circum te cumuli occisorum aggeruntur. Omne telum attingit, nulli ictus sunt sine morte, et nondum Virtus advenerat. Non animus, non manus vacat, non otiantur

Behot. *abiitque horrorque vigorque.*—649 *Et turbare colos* in eodem codice.—653 *Sternebat Danaos* Behott. 1. 2. *Mavortius Æmon* multi codd. et edd. vett. *Mavortius hemon* Behott. 1. 2.—655 Venett. Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil.

NOTÆ

vivit: sedebat enim inter illius ancillas, lanamque carpebat, ac pensa faciebat; quin etiam depositis leonis exuviis muliebrem habitum induit. Hinc dicit Poëta illum irrisui fuisse Omphale, cum perderet Sidonios amictus, et turbaret colus, et tympana frangeret.

647 *Amphitryoniaden*] Herculem Amphitryonis filium.

648 *Perdere*] Mole membrorum, et tractandi imperitia. *Sidonios amictus*] Id est, purpureos. Purpura enim tingere Sidoniorum seu Tyriorum erat inventum.

649 *Tympana rumpere dextra*] Ob fortiores ictus.

650 *Indecorem sacris*] Hoc duplici sensu potest intelligi, id est, virtute tua non indignus visus es Diis, qui te voluntario sacrificio pro patria devoveres, vel non indignus cui post mortem fiant sacra.

651 *Dircæa*] Nomen turris Thebanæ.

652 *Invenit*] Hunc versum et octo sequentes insititios et inepta garrulitate plenos judicant aliqui.

653 *Danaos*] Argivos. *Mavortius*] Vel fortis, vel dictus *Mavortius*, quod esset de semine serpentis Marti sacri.

654 *Omnia fratres*] Hellenismus, pro in omnibus. Fratres enim Hæmon et Menœceus et Creontis filii.

656 *Omne sedet telum*] Id est, nulli ictus in vanum cadebant.

657 *Necdum aderat virtus*] Hæc faciebat Menœceus nondum præsente et inspirante Virtute.

Non avida arma vacant, ipsa insanire videtur
Sphinx galeæ custos, visoque animata cruore
Emicat effigies, et sparsa orichalca renident;
Cum Dea pugnantis capulum, dextramque repressit:
Magnanime o juvenis, quo non agnoverit ullum
Certius armifero Cadmi de semine Mavors,
Linque humiles pugnas, non hæc tibi debita virtus:
Astra vocant, cœloque animam (plus concipe) mittes.
Jamdudum hoc hilares genitor bacchatur ad aras,
Hoc ignes, fibræque volunt, hoc urget Apollo.
Terrigenam cuncto patriæ pro sanguine poscunt.
Fama canit monitus: gaudet Cadmeia plebes
Certa tui: rape mente Deos, rape nobile fatum.

arma cupida sanguinis. Ipsa Sphinx, custos cassidis, videtur furere, et imago animata fulget aspecto sanguine, eoque perfusa orichalca micant; cum numen retinuit ensem et manum certantis: O fortis juvenis, quo Mars nullum certius agnoverit ex armifero Cadmi semine, linque viliora certamina; non hæc tibi fortitudo fatis decreta. Majora concipe. Te appellant sidera. Mittes animam in cœlum. Jamdudum pater ob id exultat ad læta altaria, ignes et exta hoc efflagitant, Apollo instat. Postulant ortum e terra, pro omni patriæ sanguine. Fama vulgat oracula: juventus Thebana lætatur, tui certa: rape animo Superos, rape præclaram sortem.

et Plant. *circum tumulantur.*—662 'Perquam egregie egregius ille liber scriptus: *Magnanime o juvenum:* quod ego quidem minime suo loco circumscripserim.' *Barth.*—663 *Cadmi de sanguine* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. Gevart. Grasser. et Amstel. *Cadmi de semine* Behott. 1. 2. multi codd. Gronovii, et edd. recentt. et ita legit Lactantius.—665 Pro *mittes* Put. habet *mittis.*—668 *Terrigenam cuncti* optimus Barth.—669 *Cadmeia pubes* Put. Petav. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. et Gevart. *Cadmeia plebes* meliores Barth. Behott. 1. 2. Dan. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Venett. et re-

NOTÆ

659 *Sphinx galeæ custos*] Sphingem enim in cono galeæ habebat Menœceus, ut vidimus Theb. VII.

661 *Pugnantis*] Menœcei.

663 *Armifero Cadmi de semine Mavors*] Hoc est, de Spartis, quos seminaverat ille 'agricola Martis operti.' Creon enim Menœcei pater, filius erat Menœcei, nepos Penthei, cui pater Echion unus ex Spartis. *Armifero*] Ob prodeuntes e terra armatorum copias.

668 *Cuncto patriæ pro sanguine*] Te devove pro salute omnium civium.

670 *Certa tui*] Id est, persuasum omnino habens, tanto amore a te patriam diligi, ut pro ea libenter morti te devoveas. *Rape mente Deos*] Ovid. Met. I. 'Et concipit æthera mente.' *Rape nobile fatum*] Totus hic locus celeriter pronuntiandus est, ut jubentis exprimat affectum.

I, precor, accelera, ne proximus occupet Hæmon.
Sic ait, et magna cunctantis pectora dextra
Permulsit tacite, seseque in corde reliquit.
Fulminis haud citius radiis afflata cupressus
Combibit infestas et stirpe et vertice flammas,
Quam juvenis multo possessus numine pectus
Erexit sensus, letique invasit amorem.
Ut vero aversæ gressumque habitumque notavit,
Et subitam a terris in nubila crescere Manto,
Obstupuit. Sequimur, Divum quæcumque vocasti,
Nec tarde paremus, ait: jamjamque recedens,
Instantem vallo Pylium tamen Agrea fixit.
Armigeri fessum excipiunt: tum vulgus euntem
Auctorem pacis, servatoremque, Deumque
Conclamat gaudens, atque ignibus implet honestis.

Vade, rogo, propera, ne frater Hæmon præripiat. Sic ait, et tacite permulsit grandi manu tardantis pectora, et sese reliquit in ejus corde. Cupressus afflata radiis fulminis non ocyus concipit inimicas flammas in radice et in cacumine, quam juvenis, habens pectus plenum magna Dea, sustulit animum et arripuit cupidinem mortis. Ut autem animadvertit gradum et habitum Deæ terga vertentis, et Manto repente a terra extolli in nubes, obtorpuit: Sequimur te, quæcunque numinum nos appellasti, nec lente obsequemur, inquit. Et jamjam abiens, tamen occidit Agreum Pylium prementem vallum. Armigeri excipiunt fatigatum. Et cum transiret, plebs læta eum appellat auctorem pacis, liberatoremque ac Deum, et eum

centt.—671 Edd. vett. cum plurimis codd. *Æmon;* Behott. 1. 2. *hemon.*—673 Behott. 1. 2. *in corde relinquit.*—680 Dan. Behott. 1. 2. Put. Petav. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. et Gevart. *quicunque vocasti;* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. optimi Barthiani, Venett. 3. 4. et recentt. *quæcunque vocasti.*—683 *Armigeri fixum* optimæ Barthii membranæ, Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Put. Petav. Lindenbrog. Cruc. Gevart. Grasser. et Amstel. *Armigeri fessum* Dan. nonnulli Barthiani, Behott. 1. 2. et edd. recentt. Vide

NOTÆ

673 *Seseque in corde reliquit*] Dii Poëtici, cum aliquem allocuti sunt, numinis sui vestigia in animis illorum relinquunt; adeo efficax est deitatis sola præsentia: ut colligitur ex pluribus locis Homeri et Poëtarum. Papinius Hercule Surrentino: 'Dixit, mentemque relinquit.'

678 *Habitumque notavit*] Virgilius, 'et vera incessu patuit Dea.'

679 *Crescere*] Quia Dea Virtus resumserat propriam staturam: vel *crescere*, sursum tolli. Vide supra vs. 632.

683 *Armigeri fessum excipiunt*] Id est, pro more principum sustinuerunt. *Fessum*] Præliando et occidendo.

685 *Ignibus implet honestis*] Id est, laudibus, quæ illum ardorem devo-

Jamque iter ad muros cursu festinus anhelo
Obtinet, et miseros gaudet vitasse parentes;
Cum genitor; (steteruntque ambo, et vox hæsit utrimque,
Dejectæque genæ;) tandem pater ante profatur:
Quis novus inceptis rapuit te casus ab armis?
Quæ bello graviora paras? dic, nate, precanti,
Cur tibi torva acies? cur hic truculentus in ore
Pallor? et ad patrios non stant tua lumina vultus?
Audisti responsa, palam est: per ego oro tuosque,
Nate, meosque annos, miseræque per ubera matris,
Ne vati, ne crede, puer: Superine profanum
Dignantur stimulare senem? cui vultus inanis,
Extinctique orbes, et pœna simillima diro
Œdipodæ? quid si insidiis, et fraude dolosa
Rex agit? extrema est cui nostra in sorte timori
Nobilitas, tuaque ante duces notissima virtus.

implet generoso ardore. Jamque emensus est viam ad mœnia, properans anhelo cursu, et lætabatur putans declinasse infelices parentes, cum incidit in patrem. Ambo constiterunt, et vox utrinque deficit, et vultus demittuntur. Tandem genitor prior loquitur. Quis novus casus te revocavit ab inchoata pugna? Quæ moliris bello atrociora? expone mihi roganti, o fili! Cur tibi truces oculi? cur hic terribilis pallor in vultu? et tui oculi non respiciunt in faciem patris? Oraculum ad aures tuas pervenit; hoc animadverto. Ego te precor per meos tuosque annos, et per mammas miseræ matris, ne fidem adhibeas auguri, puer. An Dii dignantur inspirare impium senem, cui facies est inhonesta, cæcatique oculi, et supplicium æquale scelerato Œdipo? Quid si rex moliatur insidias et dolos, cui in extrema fortuna splendor natalium nostrorum, et tua fortitudo inter duces celeberrima for-

Not. Var.—688 Behott. 1. 2. *steterantque.* Pro *utrinque* Gronovius conj. *utrique.*—694 Lang. Laur. Lipsian. Buslid. Dan. Petav. Venett. Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. et Gevart. *palam per ego:* Put. Behott. 1. 2. et edd. recentt. *palam est: per ego, &c.*—695 Unus Behot. *meosque animos,* et pro v. l. *annos.*—700 In altero Behot. *extrema cui* omisso *τῷ*

NOTÆ

vendi se pro patria augerent. *Honestis*] Id est, honorificis. Sic Hercule Surrentino: 'Ceu tædis iterum lustratus honesti Ignis, ab Œtæa conscenderis æthera flamma.' Et Hercule Epitrapezio: 'Præcipue cum sacrilegus face miscuit arces Ipsius, immeritæque domos ac templa Sagunti Polluit, et populis furias immisit honestas.'

688 *Steteruntque ambo*] Neuter volens præterire alterum. Mira emphasi rem exprimit, quam sermone valde accommodato prosequitur. *Vet. Schol. Utrimque*] Nec male foret *utrique.*

693 *Non stant*] Incerta sunt, ac solicitudinem arguunt.

694 *Audisti responsa palam*] Quæ te jubeant mori pro patria.

Illius hæc forsan remur, quæ verba Deorum
Ille monet: ne fræna animo permitte calenti:
Da spatium, tenuemque moram: male cuncta ministrat
Impetus: hoc, oro, munus concede parenti.
Sic tua maturis signentur tempora canis,
Et sis ipse parens, et ad hunc, animose, timorem
Pervenias: ne perge meos orbare penates.
Externi te nempe patres, alienaque tangunt
Pignora? si pudor est, primum miserere tuorum.
Hæc pietas, hic verus honos, ibi gloria tantum
Ventosumque decus, titulique in morte latentes.

midini est? putemus hæc forsan esse illius, quæ hic Tiresias refert esse numinum responsa. Ne laxes habenas animi ardori. Da spatium et modicam dilationem: festinatio male agit omnia. Concede precor hoc donum genitori. Sic tua tempora notentur prudenti canitie, et ipse fias pater, et, animose, pervenias ad hunc metùm in quo sum. Ne persevera orbare meam domum. Scilicet alieni genitores, externique liberi te tangunt. Si pudor est, primum tuorum miserere. Hæc pietas, hoc verum decus; ibi vanitas solum, et inanis honor, ac tituli in morte sepulti. Nec

est.—702 ‘Valde plebeius hic sermo est, ut suspicet intrusum esse aliunde versum, quo optime sententia careat. Quid enim aptius hac scriptione? *tuaque ante duces notissima virtus, Ille monet: ne fræna animo permitte calenti.* Generosior utique sermo, et istud *illius*, et mox *ille* sapiunt glossema. ‘Monere’ vatum, de quo supra.’ *Barth.*—703 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. et Cruc. *nec fræna;* Behott. 1. 2. Exc. Cantab. Petrens. Gevart. Grasser. Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *ne fræna.*—706 Barthius ex optimo codice legit: *Sis ut et ipse parens, &c.*—710 In eodem codice: *si certum est.*—712 Buslid. *in*

NOTÆ

702 *Illius*] Regis supple.

703 *Ille*] Amphiaraus.

704 *Male cuncta ministrat Impetus*] Intellexit id Fabius Maximus apud Livium. ‘Omnia,’ inquit, ‘audentem contemnet Hannibal: nihil temere agentem metuet. Omnia non properanti clara certaque erunt: festinatio improvida est et cæca.’ Et Thucydides: Δύω μὲν ἐναντιώτατα τῇ εὐβουλίᾳ, τάχος τε καὶ ὀργή. *Duo adversissima rectæ menti, celeritas et ira.* Nam, ut ait Demosthenes Exord. 22. Δεῖ μὲν βουλεύεσθαι ἐφ' ἡσυχίας, ποιεῖν δὲ τὰ δόξαντα μετὰ σπουδῆς. *Deliberare quidem oportet lente, consulta exequi festinanter.*

706 *Sic tua*] Adjurantis affectus.

707 *Et ad hunc, animose, timorem Pervenias*] Ut et filios habeas tui similes, et pro iis timeas.

711 *Ibi gloria tantum ventosumque decus*] Non potuit aptiore epitheto humanæ gloriæ vanitatem perstringere, cujus tamen aucupio mortales omnia faciunt, cui vitam suam, parentum caritatem, cuncta denique posthabenda arbitrantur.

712 *Latentes*] Alii *jacentes.*

Nec timidus te flecto parens: i, prælia misce,
Per Danaas acies, mediosque per obvius enses;
Non teneo: liceat misero tremebunda lavare
Vulnera, et undantem lacrymis siccare cruorem,
Teque iterum sævis, iterumque remittere bellis.
Hoc malunt Thebæ. Sic colla manusque tenebat
Implicitus: sed nec lacrymæ, nec verba movebant
Dis votum juvenem: quin et monstrantibus illis
Fraude patrem tacita subit, avertitque timorem:
Falleris heu, verosque metus, pater optime, nescis.
Non me ulli monitus, nec vatum exorsa furentum
Solicitant, manesque movent: sibi callidus ista
Tiresias, natæque canat: non si ipse reclusis
Cominus ex adytis in me insaniret Apollo.
Sed gravis unanimi casus me fratris ad urbem
Sponte refert: gemit Inachia mihi saucius Hæmon

pavidus dimoveo te genitor; vade, consere pugnas; vade obvius per phalanges Danaas, et per medios enses, non retineo. Fas sit infelici abluere trepidantes plagas, et tergere fletibus effluentem sanguinem, et te rursus ac rursus remittere in atroces pugnas. Hoc Thebæ potius optant. Sic stringebat cervicem et dextram, totus totum complectens. Sed nec fletus, nec sermones tangebant Diis sacrum juvenem. Quin et eis inspirantibus, circumvenit patrem occulta arte, et demit formidinem. Deciperis heu, genitor optime, et ignoras verum meum timorem. Nulli me monitus, nec verba furentium augurum movent, nec manes serpentis me tangunt: astutus Tiresias canat ista sibi et filiæ: non, si Apollo propius in me fureret ex apertis penetralibus. Sed casus acerbus dilecti fratris remisit me ultro in urbem. Hæmon

morte jacentes: et ita ex optimis codd. legi vult Barthius.—714 *I Danaas acies* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. et Gevart. *In Danaas acies* unus Behot. *Per Danaas acies* Gronov. Barth. Veen. et Delph.—717 *Teque iterum, sævisque iterum remittere* Aldd. Colin. Gryph. et Basil. Bernartius correxit ex codd. mannscriptis.—721 Scriptio: *Fraude patrem tacita,* suspecta est Barthio. *avertitque timere* optimæ ejusdem membranæ.—722 Unus Behot. *nescisque metus pater optime veros.*—227 *Sed gravis unanimis* unus Behot.—228 *Æmon* edd. vett.

NOTÆ

719 *Implicitus*] Totus totum complectens.

720 *Monstrantibus illis*] Supple Diis.

724 *Manesque*] Draconis a Cadmo occisi. Supra: 'Martius inferias et sæva efflagitat anguis Sacra, cadat generis quicumque novissimus extat Viperei.'

Cuspide: vix illum medio de pulvere belli
Inter utrasque acies, jamjamque tenentibus Argis.
Sed moror: i, refove dubium, turbæque ferenti
Dic, pareant, leviterque vehant: ego vulnera doctum
Jungere, supremique fugam revocare cruoris,
Eetiona petam. Sic imperfecta locutus
Effugit: illi atra mersum caligine pectus
Confudit sensus: pietas incerta vagatur,
Discordantque metus: impellunt credere Parcæ.
Turbidus interea ruptis venientia portis
Agmina belligeri Capaneus agit æquore campi.
Cornua nunc equitum, cuneos nunc ille pedestres,

vulneratus Argivo mucrone mihi plangit. Vix eum eripui de medio prælii pulvere, inter utrumque exercitum, et Argivis jam ipsum captivum ducentibus. Sed cunctor, vade, cura graviter saucium, et turbæ, quæ illum portat, dic, parcant, et molliter ferant. Ego conveniam Eetionem peritum sanandarum plagarum et sistendi effluentis sanguinis. Sic fatus imperfecta, celeriter abiit. Creontis animo atris tenebris immerso, sensus illius perturbati sunt. Pietas errat anceps, et timores dissentiunt: Parcæ inspirant fidem adhibere Menœceo. Interea furens Capaneus insequitur in campo bellico acies erumpentes effractis portis. Nunc fundit alas

cum multis codd. *hemon* uterque Behot.—731 Ed. Bipontina: *tubæque ferenti* ex errore typographico. *turbæque furenti* unus Behot.—732 *Dic parcant* Gronov. Obss. III. 5. *leviterque trahant* unus Behot.—734 *Actiona* Behot. 1. *Æthiona* Behot. 2. *Æchiona* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. Gevart. Grasser. et Amstel. *Machaona* unus Barth. *Eetiona* Gronov. Barth. Veen. et Delph. Vide Not. Var.—736 *Confundit sensus* Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *Confudit sensus* Dan. Put. Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian.—740 Unus Behot.

NOTÆ

729 *Medio de pulvere*] Supple, eripui.

731 *Dubium*] Hæmona.

734 *Eetiona*] 'Hετίων Homero frequens.

735 *Illi atra caligine mersum Confundit sensus*] Nescit enim cui magis timere debeat, Hæmoni vulnerato, an Menœceo, cujus cum virtutem compertam haberet, merito timere debebat, ne se pro patria servanda devoveret.

736 *Pietas incerta vagatur*] Circa Hæmonem et Menœceum.

737 *Impellunt credere Parcæ*] Menœceo affirmanti, sibi non esse talem mentem, qualem ille suspicabatur.

738 *Ruptis*] Quibus eruperant Thebani.

739 *Æquore campi*] *Æquor* Latinis scriptoribus quicquid planum est: non solum de mari, sed etiam de fluvio, terra, et cœlo dicitur. Testimonia passim obvia apud Poëtas et scriptores.

740 *Cornua nunc equitum*] Hic versus cum septem sequentibus suspectus est quibusdam: in illis enim multa repetita invenies.

Et proculcantes moderantum funera currus.
Idem altas turres saxis, et turbine crebro
Laxat: agit turmas idem, atque in sanguine fumat.
Nunc spargit torquens volucri nova vulnera plumbo,
Nunc jaculum excusso rotat in sublime lacerto,
Nullaque tectorum subit ad fastigia, quæ non
Deferat hasta virum, perfusaque cæde recurrat.
Nec jam aut Œniden, aut Hippomedonta peremtos,
Aut vatem Pelopea phalanx, aut Arcada credunt:
Quin socium coiisse animas, et corpore in uno
Stare omnes: ita cuncta replet: non ullius ætas,
Non cultus, non forma movet: pugnantibus idem,
Supplicibusque furit: non quisquam obsistere contra,
Non belli tentare vices: procul arma furentis,
Terribilesque jubas, et frontem cassidis horrent.
At pius electa murorum in parte Menœceus,
Jam sacer aspectu solitoque augustior ore,

equitum, nunc peditum manipulos et currus proterentes corpora eos ducentium. Idem labefactat excelsas turres lapidibus, ac frequenti turbine. Idem agit catervas, et in cruore fumat. Nunc jaculans spargit celeri plumbo novas plagas: nunc torquet jaculum in altum excusso brachio; nullaque ejus hasta attingit culmina domorum, quæ non dejiciat hostem, et resiliat respersa sanguine. Nec jam Argivus exercitus putat interemtos aut Tydeum, aut Hippomedontem, aut augurem, aut Arcadem; sed eorum convenisse animas, et omnes esse in corpore Capanei: ita fungitur omnium vice. Non anni, aut insignia, aut venustas ullius eum tangunt. Sævit eodem modo in supplices ac in certantes. Nullus audet ei se opponere, nec belli vices tentare. Longe expavent furentis arma, et horrendas cristas, et frontem galeæ. At pius Menœceus stetit in loco mœnium delecto, jam augustus visu, et

ille pedestris.—743 *Lassat* in eodem codice pro *Laxat.*—747 *Deserat hasta* Dan. Put. Petav. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. et Cruc. *Deferat hasta* Exc. Fabr. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Behott. 1. 2. Venett. 3. 4. et recentt.—752 Optimi codd. Barthiani *non forma movent.*—754 *Aut belli* unus Behot. Optimæ Barthii membranæ: *procul arma ruentis.*—758 'In

NOTÆ

748 *Œniden*] Tydeum.

749 *Vatem*] Amphiaraum. *Pelopea*] Argiva, seu Peloponnesiaca. *Arcada*] Parthenopæum.

754 *Belli vices*] Apte, vicibus enim pugnabant.

756 *Electa murorum in parte*] Apollodorus Biblioth. lib. III. tradit Menœceum se ante portas Thebarum occidisse.

757 *Jam sacer aspectu*] Vide Livium eadem dicentem de Decio se devovente pro salute exercitus.

Ceu subito in terras supero demissus ab axe,
Constitit, exemta manifestus casside nosci,
Despexitque acies hominum, et clamore profundo
Convertit campum, jussitque silentia bello.
Armorum Superi, tuque o qui funere tanto
Indulges mihi, Phœbe, mori, date gaudia Thebis,
Quæ pepigi, et toto quæ sanguine prodigus emi.
Ferte retro bellum, captæque impingite Lernæ
Reliquias turpes, confixaque terga foventes
Inachus indecores pater aversetur alumnos.
At Tyriis templa, arva, domos, connubia, natos
Reddite morte mea: si vos placida hostia juvi,
Si non attonitis vatis consulta recepi
Auribus, et Thebis nondum credentibus hausi,
Hæc Amphioniis pro me persolvite terris,
Ac mihi deceptum, precor, exorate parentem.

vultu solito venerabilior, ceu repente delapsus in tellurem de summo cœlo, agnitu facilis ablata galea. Ille comtemplatur bellantium agmina, et clamore alto ora in se convertit, imperavitque silentium pugnantibus. Numina Bellorum, et tu, Apollo, qui mihi concedis occumbere tam pulchra morte, præbete gaudia Thebis, quæ pepigi, et quæ prodigus comparavi meo cruore. Retro hostes agite, et illidite ad victam Lernam fœdas eorum reliquias, et pater Inachus aversetur inglorios accolas suos, curantes vulnera in tergo recepta. At restituite Thebanis, mea nece, delubra, agros, ædes, conjuges, liberos. Si vobis placui obsequens victima, si non timidis auribus admisi responsa auguris, eaque excepi, Thebis nondum credentibus, hæc, pro me, persolvite telluri Amphionis, et oro, placate, erga me, circumventum patrem. Sic

optimo alioque uno libro diserte legitur: *supera demissus ab arce;* quod non est librariorum.' *Barth.*—759 ' Non solicitanda videtur hæc lectio: in optimo tamen et altero libro clarissimis literis legitur: *Constitit, et demta, &c.*' Idem.—767 Unus Behot. *adversetur alumnos.*—769 Vide Gronov. in Not. Var. ad Theb. VII. 190.—771 Nonnulli codd. Barth. *nondum cedentibus.*—772 Unus Behot. *pro me persolvite;* ita etiam omnes Barthiani, Lipsian. Exc.

NOTÆ

759 *Exemta manifestus casside nosci*] Qui facile agnoscebatur ademta casside.

761 *Convertit*] In se.

766 *Confixaque terga foventes Inachus indecores pater aversetur alumnos*] Vulnera in tergo ignominiosa. *Inachus*] Fluvius Argolidis. *Alumnos*] Argivos.

768 *Templa, arva, domos, connubia, natos*] Paucissimis verbis complexus est totum id quod salvum optare possunt homines: id est, religionem, agros, urbes, conjuges, sobolem. Ita in carmine sæculari Horatius.

769 *Placida*] Quidam corrigunt *placita.*

770 *Attonitis*] Ut ignavorum est.

772 *Amphioniis*] Thebanis, ab Amphione rege.

Sic ait, insignemque animam mucrone corusco
Dedignantem artus pridem, mœstamque teneri
Arripit, atque uno quæsitam vulnere rumpit.
Sanguine tunc spargit turres, et mœnia lustrat,
Seque super medias acies, nondum ense remisso,
Jecit, et in sævos cadere est conatus Achivos.
Ast illum amplexæ Pietas Virtusque, ferebant
Leniter ad terras corpus: jam spiritus olim
Ante Jovem, et summis apicem sibi poscit in astris.
Jamque intra muros nullo sudore receptum
Gaudentes heroa ferunt: abscesserat ultro
Tantalidum venerata cohors: subit agmine longo

inquit, et arripit fulgenti cuspide magnam animam, dudum aspernantem corpus; et tristem, quod retineretur: ac quæsitam dissipat in una plaga. Tunc perfudit turres cruore suo, et expiat muros, et nondum retracto gladio, egit se in medium agmen pugnantium, et enisus est corruere inter crudeles Græcos. Sed Pietas et Virtus eum amplexæ, portabant molliter corpus ad terram. Statim anima ejus est coram Jove, et petit sibi priorem locum inter sidera. Thebani exultantes portant intra mœnia Heroëm nullo labore recuperatum: acies enim Argivorum venerata ul-

Fabr. et Venett.—776 *Arripit inque uno* Behott. 1. 2.—777 ' Optimæ aliæque membranæ nec volam nec vestigium hujus versus agnoscunt. Poterat sane abesse.' *Barth.*—780 ' Optimus codicum aliter hæc concipit: *Ast Idūm;* in alio codice extat: *At sudum amplexæ.*' Idem.—781 ' Scribendum ex auctoritate optimarum membranarum: *nam spiritus olim.*' Idem. Ita habent etiam Bebott. 1. 2.—782 Dan. *quærit in astris.*—784 Unus Behot. *accesserat*

NOTÆ

775 *Mœstamque teneri*] Carcere scilicet corporis. Quippe quæ jam cœlum petebat.

777 *Et mœnia lustrat*] Non memini apud Paganos expiationes sanguine factas. Solum id fiebat apud Judæos, ut colligitur ex utroque testamento.

780 *Pietas*] Apte, quia pietas nihil aliud est quam officium præstitum sanguine conjunctis, ac patriæ. Hinc Poëta inducit Pietatem et Virtutem corpus Menœcei amplexantes, et leniter ferentes ad terram.

782 *Et summis apicem sibi poscit in astris*] Ut qui præclarissimum ac fortissimum facinus ediderat, pro patria moriendo. Veteres enim miris laudibus efferebant eos, qui pro patria moriebantur, et pleni sunt auctores laudibus quibus populi hosce Heroës prosecuti sunt, eosque ut humanam conditionem prætergressos, et ut Deos coluerunt.

783 *Nullo sudore*] Corrigit Peyraredus *multo*, quia per medias acies perrumpere illis opus fuit, ut corpus extraherent; nam se supra medias acies jecerat. Sed fallitur; dicit enim infra Poëta veneratum Argivorum exercitum ultro abscessisse.

Colla inter juvenum, lætisque favoribus omni
Concinitur vulgo, Cadmum atque Amphiona supra
Conditor: hi sertis, hi veris honore soluto
Accumulant artus, patriaque in sede reponunt
Corpus adoratum: repetunt mox bella peractis
Laudibus: hic victa genitor lacrymabilis ira
Congemit, et tandem matri data flere potestas:
Lustralemne feris ego te, puer inclyte, Thebis,

tro discesserat. Fertur longo comitatu inter cervices juvenum, et hilari applausu, ab omni ordine, conditor celebratur supra Cadmum et Amphionem. Hi sertis, hi vernis rosis, conspergunt ejus membra, et locant adoratum corpus in tumulo majorum. Deinde redeunt ad prælium, finitis laudibus. Hic deplorandus pater plangit sedata ira, et tandem licuit matri plorare. Egone, inclyte adolescens, educa-

ultro. 'Meliores libri scribunt *abcesserat.*' Barth.—796 Nonnulli codd. exhibent: *lætisque faventibus.*—787 Petrens. habet: *Amphiona super.*—788 Unus codex: *hi ruris honore,* ex Horatio I. Od. 17. 16. Vide Bentl. ibid. et Sylv. IV. 5. 1.—789 Nonnulli codd. Barth. *Adtumulant.* Unus Behot. *patria jam sede reponunt.*—793 *Lustralemne feris* unus Behot.—796 Behott. 1. 2. Lang. Laur.

NOTÆ

788 *Conditor*] Plus enim erat servasse conditam urbem, quam primum condidisse ac mœnibus cinxisse, quod Cadmus et Amphion fecerant. Sic Camillus secundus Romæ fundator dictus, quod Gallos expulit, Romamque ab eorum armis pæne extinctam liberavit, ac servavit. *Sertis, &c.*] Φυλλοβολίαν intelligit, qua Deos seu homines, quos honore auctos volebant, prosequebantur. In more etiam erat mortuorum corpora floribus aspergere ac venerari. Sic Augustus prolatum e penetrali corpus Alexandri Magni floribus aspersis veneratus est. Et Virgilius Æn. VI. 'Manibus date lilia plenis, Purpureos spargam flores.' Sepulcra etiam floribus conspersa, ac rosis ornata, qui mos etiam Christianis observatus. *Serta* sunt vel coronæ, a sertis, id est, digestis invicem floribus frondibusque, ex quibus ab initio coronæ fiebant: vel flores una simulque colligati. *Veris honore soluto*] Id est, Rosis, quæ sunt Veris honor. *Soluto*] Vel in serta non ligato, vel aperto.

790 *Adoratum*] Alii legunt *odoratum,* id est, unguentis delibutum. *Peractis Laudibus*] Alludit absque dubio ad morem Romanum, quo insignes viri pro Rostris publice post mortem laudabantur.

793 *Lustralemne, &c.*] Hic Lactantius: 'Lustrare civitatem humana hostia Gallicus est mos: nam aliquis de egentissimis pelliciebatur præmiis, ut se ad hoc venderet; qui anno toto publicis sumtibus alebatur purioribus cibis, denique certo et solenni die per totam civitatem ductus, ex urbe extra pomaria saxis occidebatur a populo.' Sed quod Gallis universe attribuit Lactantius, hoc de Massiliensibus proprie, et in pestilentia ex Petronio refert Servius ad Æneid. III. Observatum etiam illud apud Athenienses, qui φαρμάκους illos

Devotumque caput, vilis ceu mater alebam?
Quod molita nefas? cui tantum invisa Deorum?
Non ego monstrifero coitu revoluta notavi
Pignora, nec nato peperi funesta nepotes.
Quid refert? habet ecce suos Iocasta ducesque,
Regnantesque videt: nos sæva piacula bello
Demus, ut alternis (placet hoc tibi fulminis auctor)
Œdipodionii mutent diademata fratres.
Quid Superos, hominesve queror? tu, sæve Menœceu,
Tu miseram ante omnes properasti extinguere matrem.

bam te lustralem victimam et caput sacrum atrocibus Thebis, ceu genitrix plebeia? Quid sceleris commisi? Cui numinum tam odiosa? Non ego, monstrifero cum filio concubitu, renovavi liberos, nec illi genui nepotes. Quid prodest? En Jocasta possidet suos, et cernit eos duces et dominantes. Nos præbeamus crudeles hostias bello, ut fratres, Œdipi filii, (hoc tibi gratum, auctor fulminis,) vicissim regnent. Quid incuso Divos et homines? Tu, crudelis Menœceu, tu præcipue festinasti occi-



Buslid. Lipsian. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. *revoluta novavi;* Dan. Put. Petav. Lindenbrog. Cruc. et recentt. *revoluta notavi.*—797 'Nihil mutandum, licet in duobus libris non inscite legitur *natos.*' Barth.—798 *Quid refert? potitur natis Iocasta* Put.—800 'Scribam *alterni* cum nostris omnibus libris.' *Barth.* Ita habent Behott. 1. 2. Lang. Laur. Buslid. et Lipsian. *actor* pro *auctor* habet unus Behot.—801 *Œdipodionidæ* unus Behot. alter Lindenbrogii et Exc. Fabri.—802 Codd. Barthiani, *hominesque.*—805 Lang. Laur. Buslid.

NOTÆ

vocabant, qui sic se devovebant. Græcis etiam καθάρματα dicuntur, et περιψήματα. Sic urbem suam expiarant Ephesii, apud Philostratum lib. IV. Eundem quoque morem observari in Saxonia, refert Alciatus lib. IX. παρέργων.

794 *Vilis ceu mater*] Nam ex egentissimis et vilioribus capiebantur hæ hostiæ.

796 *Non ego monstrifero coitu revoluta notavi* [*novavi*] Tangit Jocastæ factum quæ filio nupserat. *Novavi*] Pro 'renovavi.' Sicut supra dixit 'novare gregem.' Et Ovidius Fast. I. 'Ingratos nulla prole novare viros.' Quod in liberis patres renasci videntur. *Revoluta*] Sic Theb. I. Œdipus dicitur 'proprios revolutus in ortus.'

798 *Quid refert? habet ecce suos Iocasta*] Simili loquendi modo Ovidius pluribus in locis Epistola Paridis: 'Quid tamen hoc refert, si te tenet ortus ab illis?' Met. XIII. 'Quid tamen hoc refert, si se pro classe Pelasga Arma tulisse refert?' Et alibi.

800 *Alternis*] Quidam codices *alterni. Placet hoc tibi fulminis auctor*] Hæc cum indignatione pronuntianda. Veteres enim invehi solebant in Deos, cum piis probisque mala evenirent, malique bonis affluerent. Exempla passim obvia. Sic Œdipus Theb. I. 'Et videt ista Deorum Ignavus genitor.'

Unde hic mortis amor? quæ sacra insania menti?
Quosve ego conceptus, aut quæ male pignora fudi
Tam diversa mihi? nimirum Martius anguis,
Quæque novis proavum tellus effloruit armis.
Hinc animi tristes, nimiusque in pectore Mavors,
Et de matre nihil: sponte en ultroque peremtus
Irrumpis mœstas fatis nolentibus umbras.
Ast egomet Danaos, Capaneaque tela verebar.
Hæc erat, hæc metuenda manus, ferrumque, quod amens
Ipsa dedi: viden', ut jugulo consumserit ensem?
Altius haud quisquam Danaum mucrone subisset.
Diceret infelix etiamnum et cuncta repleret
Questibus: abducunt comites, famulæque perosam
Solantes thalamoque tenent: sedet eruta multo
Ungue genas: non illa diem, non verba precantum

dere infelicem matrem. Unde hæc cupido leti? Quæ animo execrabilis vecordia? Quosve ego concepi, et quos male genui liberos, tam a me diversos? Nempe Martius draco, et terra, quæ e sinu produxit armatum proavum. Inde ferox animus, et Mars nimius in corde, et nihil de matre sumtum. En sponte et ultro occisus irruis invitis fatis in tristes Inferos. Verum ego timebam Græcos et sagittas Capanei. Tua dextra erat cavenda, cavendus ensis, quem ipsa amens tibi tradidi. Cerne, ut immersit totum ensem in guttur. Nullus Græcorum cuspide altius penetrasset. Locuta fuisset adhuc infortunata, et replevisset omnia lamentis. Matronæ et ancillæ lenientes abducunt invitam, et in cubiculo tenent. Sedet vultu laniato multo ungue. Illa non intuetur lucem, non admittit sermones consolantium, aut detorquet

Lipsian. Dan. Put. Petav. et edd. vett. *mala pignora.* Vide Not. Var.—807 In quibusdam codd. Barthii: *effloruit arvis.*—811 *At egomet* unus Behot. *Ast ego vel Danaos* optimi codd. Barthii.—815 Unus Behot. *cuncta replesset.*—816 *Plantibus* pro *Questibus* in eodem codice.—818 Heins. in Advers. p. 629.

NOTÆ

805 *Male*] Hoc est, infeliciter, meo magno luctu et malo. Noster Theb. VII. 'Et in tumulos si quid male fœta reliquit Mater.' Ovid. II. 'Dumque male optatos nondum premis inscius axes.'

807 *Effloruit armis*] Ex dentibus enim serpentis satis armatorum seges effloruerat, seu germinaverat.

810 *Fatis nolentibus*] Diutius enim vixisses per fata.

812 *Hæc erat*] Tua scilicet, o Menœceu.

813 *Viden', ut jugulo*] Sic Virgilius: 'Viden' ut geminæ stent vertice cristæ?' *Consumserit ensem*] Quia totum ferrum in pectus condiderat Menœceus, ideo dicitur 'ensem consumsisse.'

815 *Diceret infelix et repleret*] Pro dixisset et replevisset.

816 *Perosam*] Consolantes.

818 *Ungue genas*] Ut fit in luctu. *Non illa diem, &c.*] Ex more Romanorum, qui se domi continebant, et neminem audire et videre volebant.

Respicit, aut visus flectit tellure relictos,
Jam vocis, jam mentis inops: sic aspera tigris
Fœtibus abreptis Scythico deserta sub antro
Accubat, et tepidi lambit vestigia saxi.
Nusquam iræ: sedit rabies, feritasque, famesque
Oris, eunt præter secura armenta, gregesque.
Aspicit illa jacens: ubi enim, quibus ubera pascat,
Aut quos ingenti premat expectata rapina?
Hactenus arma, tubæ, ferrumque, et vulnera: sed nunc
Cominus astrigeros Capaneus tollendus in axes.
Non mihi jam solito vatum de more canendum:
Major ab Aoniis sumenda audacia lucis.
Mecum omnes audete Deæ: sive ille profunda
Missus nocte furor, Capaneaque signa secutæ
Arma Jovem contra Stygiæ rapuere sorores,
Seu virtus egressa modum, seu gloria præceps,

oculos humi fixos. Jam vox, jam animus illam deficiunt. Sic tigris aspera jacet orba in spelunca Scythiæ, ablatis catulis, et lingit tepidum lapidem, in quo cubuerant: nusquam furor: feritas, iraque, ac fames faucium pacatur: armenta et greges prope transeunt secura. Illa cubans cernit: ubi enim sunt, quibus impleat mammas, aut quos premat expectata, afferens magnam prædam? Hactenus arma, buccinæ, et ferrum, et plagæ. Sed nunc Capaneus efferendus prope stellatos cœlos. Non jam mihi canendum est solita Poëtarum consuetudine. Major audacia accipienda est a sylvis Aoniis. Cunctæ Deæ mecum tentate. Sive hæc rabies ei fuit immissa ab alta nocte, et infernæ sorores secutæ vexilla Capanei, cepere arma adversus Jovem, seu fortitudo excessit modum, seu ambitio inconsulta fuit, seu honor,

legit: *non verba precantem.*—828 *Cominus astriferos* Behot. 1. et omnes Barthiani. Unus Behot. *in axis.*—829 Put. *de more canentum.*—835 Lang. Laur.

NOTÆ

Vide Phœnissas Euripidis, in quo hæc omnia de Menœceo describuntur.

822 *Saxi*] Id est, cubilis, in quo catuli jacuerant. Quatuor autem versus sequentes suspecti sunt Guyeto.

827 *Hactenus arma, tubæ*] Jam de humanis pugnis dictum sit. Superest nunc, ut Capanei cum Jove bellum memoremus.

831 *Mecum omnes, &c.*] Hic versus et quinque sequentes garrulitatis suspecti sunt quibusdam. Ceterum mos Poëtarum, ut, cum quid novum ac inexpectatum dicere aggrediuntur, Musas de novo invocent, ac novas vires sibi subministrari petant. *Profunda nocte*] Inferna.

832 *Signa secutæ*] Velut Capaneo militent.

833 *Stygiæ sorores*] Furiæ.

834 *Præceps*] Temeraria, et per præcipitia ruens.

Seu magnæ data fama neci, seu læta malorum
Principia, et blandæ Superum mortalibus iræ.
Jam sordent terrena viro, tædetque profundæ
Cædis, et exhaustis olim Graiumque suisque
Missilibus, lassa respexit in æthera dextra.
Ardua mox torvo metitur culmina visu,
Innumerosque gradus, gemina latus arbore clusus,
Aërium sibi portat iter, longeque timendus
Multifidam quercum flagranti lumine vibrat.
Arma rubent una, clypeoque incenditur ignis.
Hac, ait, in Thebas, hac me jubet ardua virtus
Ire, Menœceo qua lubrica sanguine turris.
Experiar, quid sacra juvent, an falsus Apollo.
Dixit, et alterno captiva in mœnia gressu

qui reddi solet glorioso leto, eum pellexit, seu jucunda sunt scelerum initia, et homines iram Deorum tardam reputant; jam res terrenæ Heroi pro nihilo videntur, tædet homines occidere, et fatigata manu, consumtis Græcorum telis, suisque, in altum respexit. Deinde mensurat terribili oculo alta tecta, et habens latus clausum duplici tigillo, fert scalam innumerorum graduum, qua sibi facit viam in aëre: et valde formidabilis quatit multifidam facem accensam. Arma coruscant simul, et ignis nitore clypei repercussus splendidior fit. Hac, inquit, virtus ardua me imperat intrare Thebas, qua turris perfusa est cruore Menœcei. Tentabo, quid sacra valeant, an Apollo sit mendax. Inquit, et exultans assurgit nunc dextro nunc si-

Buslid. Lipsian. Put. et Venett. 3. 4. *fata neci.* Pro *læta* Lactantius legit *cæca*, cum gloss. 'Incerta, quia interdum quæ putamus bona, malo eveniunt exitu.'—839 Uterque Behot. *in æthere.*—841 In iisdem codd. *in arbore clausis.*—844 Behot. 1. *accenditur ignis.*—845 'In nonnemine librorum fuit *improba virtus;* quod castigatum apparet recentiore manu. Nihil mu-

NOTÆ

835 *Seu læta malorum Principia*] Quando gaudemus arduas res et periculosas aggredi, quarum nos postea pœnitet.

837 *Profundæ Cædis*] Id est, plurimæ.

841 *Gemina latus arbore clusus Aërium sibi portat iter*] Pulcherrima scalarum periphrasis. Pomponius sane in armorum judicio: 'Tum præ se portant ascensibilem semitam, quam vocant scalam.' Porro observandum est, Capaneum primum fuisse, qui scalis admotis hostium muros ascendere tentaverit: cum autem lapidibus a Thebanis obrutus fuisset, hinc Poëtæ locum cepere fingendi, hunc fuisse a Jove fulmine percussum. Vide et Phœnissas Euripidis.

844 *Arma rubent*] Hic versus delendus videtur Guyeto.

847 *Quid sacra juvent*] Audierat enim Menœceum se ex oraculo pro patria devovisse.

848 *Captiva*] Quæ capere animo jam præsumserat. *Alterno gressu*]

Surgit ovans: quales mediis in nubibus æther
Vidit Aloidas, cum cresceret impia tellus
Despectura Deos, nec adhuc immane veniret
Pelion, et trepidum jam tangeret Ossa Tonantem.
Tum vero attoniti fatorum in cardine summo,
Ceu suprema lues urbem, facibusque cruentis
Æquatura solo turres Bellona subiret,
Omnibus e tectis certatim ingentia saxa,
Roboraque, et gravidas fundæ balearis habenas,

nistro pede in muros jam spe captos. Quemadmodum cœlum respexit Aloidas in excelso aëre, cum terra impia cresceret, Deos despectura: nec adhuc Pelion immane assurgeret, nec jam Ossa tangeret trementem Jovem. Tunc consternati Thebani in summo rerum discrimine, ceu ultimum esset exitium, et Bellona intraret urbem, eversura turres sanguineis tædis, jaculantur certatim e cunctis culminibus immanes lapides, truncosque arborum, et plumbeas glandes excussas Baleari funda, (nam

tamus.' *Barth.*—854 Put. *lues urbi.*—857 In eodem libro: *et validas fundæ.*—858 'In manuscriptorum optimo sic ista concipiuntur: *cœloque vagis spes unde sagittis?*' Barth. *spes nulla* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Petav. et

NOTÆ

Id est, modo dextro, modo sinistro pede.

850 *Aloidas*] Id est, Othum et Ephialtem Aloëi Gigantis filios, qui una cum ceteris gigantibus bellum Diis intulerunt, quique Dianæ et Apollinis sagittis confixi perierunt. *Impia*] Hos enim Gigantes dicitur terra genuisse, ut Deos bello invaderent.

851 *Nec immane veniret Pelion, &c.*] Gigantes enim, ut facilius Deos in cœlo aggrederentur, dicuntur tres montes Olympum, Pelion, et Ossam imposuisse unum supra alterum. Apud Homerum hi montes eodem ordine collocati, quo apud Nostrum: Ὄσσαν ἐπ' Οὐλύμπῳ μέμασαν θέμεν, αὐτὰρ ἐπ' Ὄσσῃ Πήλιον. *Tentarunt imponere Ossam Olympo, deinde Pelion Ossæ.* Aliter eos collocat Ovidius Met. I. 'Tum pater omnipotens misso perfregit Olympum Fulmine, et excussit subjecto Pelion Ossæ.' Et Virg. Georg. I. 'Ter sunt conati imponere Pelion Ossæ, Scilicet atque Ossæ frondosum involvere Olympum.'

853 *Cardine summo*] Prodigiosa res, unius viri metu, quem contra in acie sæpe steterant, tot millia hominum, et quidem intra munimenta, tantopere consternari. Cardo est ultima imminens necessitas. Virg. Æn. I. 'Haud tanto cessabit cardine rerum.'

857 *Fundæ Balearis*] Inventio fundæ Phœnicibus tribuitur a Plinio Naturalis Historiæ lib. VII. cap. 57. Contra Vegetius secutus Florum, aliosque, Balearibus præter usum, etiam fundæ inventionem tribuit. Certe Baleares peritissimi funditores erant, unde etiam ea arte nomen invenisse creduntur, nempe ἀπὸ τοῦ βάλλειν, a *feriendo.* Florus equidem lib. III. cap. 8. tribus quemque fundis præliari solitum testis est, et cibum pueros a matre non accepisse,

(Nam jaculis, cœloque vagis spes unde sagittis ?)
Verum avidi et tormenta rotant, et molibus urgent.
Ille nec ingestis, nec terga sequentibus unquam
Detrahitur telis, vacuoque sub aëre pendens
Plana velut terra certus vestigia figat,
Tendit, et ingenti subit occurrente ruina.
Amnis ut incumbens longævi robora pontis
Assiduis oppugnat aquis: jam saxa fatiscunt,
Emotæque trabes: tanto violentior ille
(Sævit enim majore salo) quassatque, trahitque
Molem ægram, nexus donec celer alveus omnes

unde spes in jaculis, telisve errantibus per aërem ?) verum ardentes torquent machinas et premunt eum molibus. Ille nec his injectis deturbatur, nec sagittis tergum impetentibus, et suspensus in inani aëre, certus vadit, tanquam poneret pedes in æquo solo, et ingreditur magna ruina occurrente. Ut fluvius incumbens aggreditur continuis fluctibus molem veteris pontis; jam lapides nutant, et secedunt tigna: et ille vehementior (grassatur enim majori cumulo undarum) concutit, et solvit molem fatiscentem; donec rapidum fluentum abrumpat totam compagem, et ovans sese effundat libero

edd. vett. Vide Not. Var. *spes una* Behott. 1. 2.—860 'In fine versus cum tribus melioribus libris scribendum *usquam.*' Barth.—865 *Assiduis impugnat* unus Behot.—867 *Sentit enim* Put. 'Duo membranacei veteres libri non agnoscunt hunc versum. Agnoscit optimus, et optime quidem. Non enim potest commode abesse, et est eruditior quam pro insititio.' *Barth.*—869

NOTÆ

nisi quem ipsa monstrante percussissent: certos etiam eorum ictus fuisse; cum hæc sola genti arma fuerint, id unum ab infantia studium. Eis erant tres fundæ: una caput cingebant; altera ventrem; tertiam in manibus gestabant. Funda semel tantum circa caput rotabatur, auctore Vegetio lib. III. cap. 23. Diversum tamen apud Virgilium Æneid. IX. servatum videbis: 'Stridentem fundam positis Mezentius armis Ipse ter adducta circum caput egit habena: Et media adversi liquefacto tempora plumbo Diffidit, ac multa porrectum extendit arena.' Baleares autem insulæ duæ sunt in mari Mediterraneo, Tarraconensi Hispaniæ obversæ, quarum major hodie *Majorca*, minor *Minorca* dicitur.

858 *Spes unde sagittis*] Nimirum interdum quo caremus, cujusve potiundi vel nulla est, vel difficilis copia, de illo dicebant: 'Unde mihi res illa ?' et 'unde rem illam mihi ?' et 'unde illud ?' Nam quis speret jaculis aut sagittis muros posse defendi ? Noster lib. VI. 'Unde ego bella tibi Thebasque ignara timerem ?'

864 *Amnis ut incumbens*] Hæc comparatio Guyeto suspecta est, sed mihi non incommoda videtur.

867 *Salo*] Poëtice pro aquarum et undarum mole. Virg. Æn. I. 'Perque undas superante salo, perque invia saxa Dispulit.'

868 *Molem ægram*] Invalidam, et jam quassatam.

Abscidit, et cursu victor respirat aperto.
Utque petita diu celsus fastigia supra
Eminuit, trepidamque assurgens desuper urbem
Vidit, et ingenti Thebas exterruit umbra,
Increpat attonitos: Humilesne Amphionis arces,
Pro pudor, hi faciles, carmenque imbelle secuti,
Et, mentita diu Thebarum fabula, muri?
Et quidnam egregium prosternere mœnia molli
Structa lyra? simul insultans, gressuque, manuque
Molibus obstantes cuneos, tabulataque sævus
Destruit: absiliunt pontes, tectique trementis
Saxea fræna labant, disseptoque aggere rursus
Utitur, et truncas rupes in templa, domosque
Præcipitat, frangitque suis jam mœnibus urbem.

cursu. Et cum sublimis diu eminuit supra optata culmina, et erectus desuper aspexit trementem civitatem, et consternavit Thebas immani umbra, objurgat territos cives: humilesne Amphionis arces, proh dedecus; hæcne illa mobilia mœnia, et secuta ignavum cantum, et falso decantata Thebarum fabula? Et quidnam insigne evertere muros constructos inerti cithara? Una insultans, diruit crudelis, pedibus, et manibus, tabulata et cuneos, qui obstabant præ magnitudine et pondere. Pontes dissolvuntur, et lapidea compages trepidantis tecti nutat; et ille rursus utitur destructo aggere, et ruit fragmenta rupium in delubra ædesque, ac labefac-



'Fatui sunt nonnulli libri, qui variam lectionem annotant: *respirat*, vel *requiescit*.' Idem.—871 *Emicuit* optimæ Barthii membranæ; *Exsiluit* alter codex ejusdem.—873 *Increpat attonitos: Hæne illæ Amphionis arces* optimæ Barthii membranæ.—875 *Hi merita dies* in iisdem membranis; unde Barthius: *Hi mentita Deos, &c.*—876 *Et quid enim* ex optimo codice legit Barthius; *Et quid tam egregium* Exc. Cantab. Petrens. et codex Collegii Emanuelis. Ita quoque ex codd. emendat Bentl. ad Horat. III. Od. 3. 65. et II. Sat. 3. 283.—879 *Restruit* Dan. *textique trementis* in quibusdam codd. Barthii.—886

NOTÆ

869 *Respirat*] Libere vagatur.

872 *Ingenti*] Quia staturæ velut Giganteæ Capaneus.

873 *Humilesne Amphionis arces*] Legit Peyraredus *artes*, et vult *humiles*, sive despectas artes, lyram esse.

874 *Carmenque imbelle secuti, Et, mentita diu Thebarum fabula, muri*] Diximus lib. I. Poëtas finxisse Thebarum muros constructos fuisse ab Amphione ad lyræ cantum.

878 *Cuneos*] Munimenta, quibus moles innitebantur. Cunei, cuneata munimenta, a forma cunei in acutum desinentis.

879 *Pontes*] Tabulatorum species.

880 *Fræna*] Compages quadratorum, quæ constringunt et continent ædificationem. Ingentia saxa quæ tectum sustinebant.

Jamque Jovem circa studiis diversa fremebant
Argolici, Tyriique Dei: pater æquus utrisque
Aspicit ingentes ardentum cominus iras,
Seque obstare videt: gemit inservante noverca
Liber, et obliquo respectans lumine patrem:
Nunc ubi sæva manus, meaque heu cunabula flammæ,
Fulmen, io ubi fulmen? ait: gemit auctor Apollo,
Quas dedit ipse, domos. Lernam, Thebasque rependit
Mœstus, et intento dubitat Tirynthius arcu.
Maternos plangit volucer Danaëius Argos.
Flet Venus Harmoniæ populos: metuensque mariti

tat oppidum propriis muris. Jamque Argiva et Tyria numina, studiis divisa, frendebant circa Jovem. Pater neutris favens cernit propius magnus eorum contentiones, et videt se solum obstare, quominus congrediantur. Bacchus queritur, noverca eum observante, et intuens Jovem obliquis oculis: Nunc ubi, ait, tua crudelis manus, ubi ignes, heu mea incunabula; fulmen, io ubi fulmen? Apollo Thebarum auctor plangit urbem quam jussit construi. Tristis Tirynthius, animi dubius inter Lernam et Thebas, ambigit curvato arcu, cui faveat. Ales Danaës filius deflet Argos maternos. Venus plorat cives Harmoniæ, et timens conju-

Behot. 1. pro v. l. *inspectante noverca;* Behot. 2. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *infestante noverca;* Dan. Put. Petav. Lindenbrog. Cruc. Gevart. Grasser. Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *inservante noverca;* duo codd. Barthii: *infestare noverca.* Vide Not. Var.—889 Unus Behot. *actor Apollo.*—893 'In plerisque veteribus libris corruptum

NOTÆ

884 *Pater æquus utrisque*] Neutris favens.

886 *Seque obstare videt*] Ne manus conserant, ac dimicent. *Inservante noverca*] Id est, trucibus et solicitis eum oculis denotante ac aspiciente. Verbum alioqui Papinio proprium. Theb. VI. 'Piget inservare, peritque venturi promissa fides.' Theb. VIII. 'Dedit inservare volucres.' Vel *inservante*, custodiente, ne quid pro Thebanis diceret.

887 *Obliquo*] Non ea parte aspiciens propter Junonem, sive quasi iratus Jovi.

888 *Meaque heu cunabula flammæ*] Bacchus enim extractus fuerat ex utero ardentis matris.

889 *Gemit auctor Apollo, quas dedit ipse, domos*] Quia Cadmus oraculo Apollinis monitus Thebas condiderat: unde *auctor*, sive conditor Thebarum dici poterat Apollo.

890 *Lernam, Thebasque rependit*] Incertus erat Hercules, quibus faveret partibus: Thebis quidem erat natus, sed ab Argivis originem ducebat per Perseum Danaës filium, cujus filia Gorgophone genuerat Electrionem, ex quo Amphitryo Herculis pater. Dicunt etiam aliqui Herculem natum apud Tirynthum Argolidis oppidum, unde dictus *Tirynthius*.

892 *Volucer Danaëius*] Perseus Danaës filius, *volucer*, quia alas habebat. *Maternos Argos*] Quia Danaë mater Argiva erat, et ipse Argivus.

893 *Harmoniæ populos*] Thebanos.

Stat procul, et tacita Gradivum respicit ira.
Increpat Aonios audax Tritonia Divos.
Junonem tacitam furibunda silentia torquent.
Non tamen hæc turbant pacem Jovis: ecce quierant
Jurgia, cum mediis Capaneus auditus in astris.
Nullane pro trepidis, clamabat, numina Thebis
Statis? ubi infandæ segnes telluris alumni,
Bacchus et Alcides? piget instigare minores.
Tu potius venias, (quis enim concurrere nobis
Dignior?) en cineres Semeleaque busta tenentur.
Nunc age, nunc totis in me connitere flammis,
Jupiter: an pavidas tonitru turbare puellas

gem, stat longe, et muta ira convertit oculos ad Martem. Superba Tritonia objurgat numina Aonia. Furiosa Juno intus angitur, quod tacere cogatur. Non tamen hæc turbant tranquillitatem Jovis. Ecce rixæ consederunt, cum Capaneus auditur in mediis sideribus. Nulline, vociferabatur, Dii estis pro pavidis Thebis? Ubi inertes alumni scelestæ terræ, Bacchus et Hercules? Piget lacessere inferiores. Tu potius subeas, (quis enim dignior qui nobiscum congrediaris?) en cineres et rogi Semeles occupantur. Nunc age, nunc contende in me totis fulminibus, Jupiter. Anne es validior ad terrendas tonitru timidas puellas, et evertendas turres Cadmi

et hic et alibi hoc nomen scribitur *Hermionæ.*' Barth. *Hermione* Behott. 1. 2. *metuensque maritum* Behott. 1. 2. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *metuensque mariti* Dan. Put. Petav. Lindenbrog. Cruc. Gevart. et recentt.—897 Nonnulli Barthiani: *ecce requirant;* Dan. *ecce queruntur.*—898 Unus Behot. *auditur in astris.*—901 Put. *pudet instigare.* —903 *Simeleaque busta* codex Burmanni; *Simileiaque busta* Taurin. 'Quod si legamus per appositionem: *en cineres Semeleia busta, tenentur?*' Burman. quem vide ad Ovid. Fast. VI. 503.—904 Put. *continere flammis.*—906 For-

NOTÆ

Nupserat enim Harmonia, seu Hermione, Veneris filia, Cadmo Thebarum conditori. *Metuensque mariti*] Idem Noster Theb. XI. 'Trepidumque tubarum Prospiciebat equum.' Lucan. lib. II. 'Metuens pelagi pirata.' Lucretius lib. VI. 'Vitai nimium cupidi, mortisque timentes.'

894 *Et tacita Gradivum respicit ira*] Quod Thebanos desereret, nec eos defenderet. *Tacita*] Ob reverentiam Jovis. Supra: 'Seque obstare videt.'

895 *Aonios*] Thebanos. *Tritonia*] Pallas, favebat enim Argivis.

897 *Pacem Jovis*] Claudianus: 'Tranquillaque magni Pax animi.'

901 *Bacchus et Alcides*] Bacchus enim et Alcides, seu Hercules, ab avo Alceo Thebani erant.

903 *Semeleia busta*] Bustum Semeles, locus Thebis ab eventu sic dictus. Refert Hyginus Zethum et Amphionem Thebas muris cinxisse usque ad Semeles bustum, ubi vulgo male legitur 'Semedustum.' *Turneb.* lib. XXVIII. cap. 43.

905 *An pavidas tonitru turbare puellas*] Hoc dicit propter Semelem ful-

Fortior? et soceri thalamos exscindere Cadmi?
Ingemuit dictis Superum dolor: ipse furentem
Risit, et incussa sanctarum mole comarum,
Quænam spes hominum tumidæ post prælia Phlegræ?
Tune etiam feriendus? ait: premit undique lentum
Turba Deum frendens, et tela ultricia poscit.
Nec jam audet fatis turbata obsistere conjux.
Ipsa dato nondum cœlestis regia signo
Sponte tonat, coëunt ipsæ sine flamine nubes,
Accurruntque imbres. Stygias rupisse catenas
Iapetum, aut victam supera ad convexa levari
Inarimen, Ætnamve putes: pudet ista timere

tui soceri? His verbis Dii offensi ingemuere. Ipse Jupiter irrisit furiosum, et agitato pondere sacrorum crinium: Quænam est spes hominum, ait, post pugnam superbæ Phlegræ? tune etiam percutiendus? Caterva Deorum undique fremens urget tardum Jovem, et petit vindices sagittas. Nec jam uxor perculsa audet fatis obsistere. Ipsa cœlestis regia ex se tonat, non expectato signo. Ipsæ nubes coalescunt sine flatu ventorum, et pluviæ adveniunt. Crederes Iapetum effregisse vincula Stygia, aut victam Inarimen, et Ætnam attolli in superas plagas. Cœlites erubescunt ista metuere. Sed cum, in hac

tis in eodem libro. ‘Non solicitarem hanc lectionem, ceteris omnibus libris servatam, si sine uno illo optimo esset, in quo claris literis est scriptum: *thalamos exscindere Cadmi.*’ Barth.—912 ‘Optimæ et aliæ membranæ non agnoscunt hunc versum. Minime tamen, licet et abesse possit, nos eum ejiciemus.’ Idem.—916 *Laphitum* codd. Lindenbrogii; *Iapeton* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *Iapetum* unus Behot. et edd. recentt.—917 *Imarimen* unus Behot.—920 ‘Optimus codicum, et alius

NOTÆ

mine a Jove percussam.

906 *Soceri*] Per eandem Semelem filiam Cadmi.

909 *Quænam spes hominum tumidæ post prælia Phlegræ*] Id est, quidnam sperare possunt homines, cum Gigantes, qui iis fortiores erant, apud Phlegram perierunt; nam *Phlegra* locus in quo gigantes a Diis victi, et fulmine percussi.

913 *Ipsa dato*] Hunc versum et septem sequentes insititios judicat Guyetus.

909 *Stygias rupisse catenas Iapeton*] Iapetus, unus e ferocioribus gigantibus. In Inferos cum aliis detrusus fuit, et catenis oneratus. Theb. VIII. ‘Habeo jam quassa Gigantum Vincula.’

917 *Inarimen*] Inarime insula in sinu Puteolano, non procul a Neapoli. Primus Virgilius deceptus fuit in vocabulo hujusce insulæ, quæ apud Homerum ‘Arime’ vocatur, ex quo Virgilius sumsit, Æn. IX. Typhœa gigantem sub hanc insulam a Jove detrusum esse. Ovidius aliique, ut et Noster, Virgilium secuti sunt, et eodem modo *Inarimen* protulerunt. Vide Erythræum in Virgilium. Eadem insula dicta fuit ‘Ænaria’ a statione navium Æneæ, et a

Cœlicolas: sed cum in media vertigine mundi
Stare virum, insanasque vident deposcere pugnas,
Mirantur taciti, et dubio pro fulmine pendent.
Cœperat Ogygiæ supra fastigia turris
Arcanum mugire polus, cœlumque tenebris
Auferri: tenet ille tamen, quas non videt, arces,
Fulguraque attritis quoties micuere procellis,
His, ait, in Thebas, his jam decet ignibus uti,
Hinc renovare facem, lassamque accendere quercum.
Talia dicentem toto Jove fulmen adactum
Corripuit: primæ fugere in nubila cristæ,
Et clypei niger umbo cadit: jamque omnia lucent
Membra viri: cedunt acies, et terror utrimque,

mundi agitatione, cernunt virum stare, et furibundum efflagitare prælia, stupent silentes, et incerti sunt de fulminis effectu. Æther murmurare incœperat supra culmina turris Ogygiæ, et cœlum eripi caligine. Ille tamen tenet arces, quas non videt, et quoties fulgura splenduere elisis nubibus: His flammis, inquit, his mihi jam uti convenit adversus Thebas, hinc tædam renovare, et inflammare quercum pæne extinctam. Dum hæc jactaret, fulmen impulsum totis Jovis viribus eum invadit. Cristæ primæ excussæ sunt in aërem, et ater umbo clypei labitur. Jamque cuncta viri membra ardent. Agmina abscedunt, et pavor est utrimque, quo ca-

unus diserte scribunt *fulmine pallent;* quod tantundem facit, nisi quod sermoni temerario etiam aptius venit.' *Barth.* Put. habet etiam: *fulmine pallent.*—926 *Hinc renovare faces* Dan. Behott. 1. 2. Put. Petav. Lindenbrog. et Cruc. *Hinc renovare facem* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. et recentt. *assamque* Dan. *lapsamque* Put. *lassamque* in ceteris omnibus.—928 *Corripit et primæ* unus Behot.—932 Hic versus cum

NOTÆ

coxendicis forma *Ischia,* quod nomen hodie retinet. *Ætnam*] Ætna mons Siciliæ, qui injectus dicitur Encelado.

920 *Dubio pro fulmine pendent*] Id est, timent ne non valeat fulmen Capaneum perimere. Pro *pendent* autem alii codices habent, *pallent.*

921 *Ogygiæ turris*] Id est, quæ ad Ogygiam portam, seu Thebanæ.

923 *Tenet ille tamen, quas non videt, arces*] Ob circumfusas scilicet tenebras.

924 *Attritis*] Physici enim dicunt fulgura nihil aliud esse quam nubium collisionem.

925 *His jam decet ignibus uti*] A te mihi suppeditandi sunt ignes, unde meam quercum accendere et Thebas exurere possim.

926 *Renovare facem*] Silius lib. VI. 'Renovata focis et paupere Vesta Lumina.' *Lassamque accendere quercum*] Capaneus enim facem gerebat. Vide paulo supra.

929 *Niger*] Fulmine afflatus.

930 *Acies*] Argivæ et Thebanæ.

Quo ruat, ardenti feriat quas corpore turmas.
Intra se stridere facem, galeamque, comasque
Quærit, et urentem thoraca repellere dextra
Conatus, ferri cinerem sub pectore tractat.
Stat tamen, extremumque in sidera versus anhelat,
Pectoraque invisis obicit fumantia muris,
Ne caderet: sed membra virum terrena relinquunt,
Exuiturque animus: paulum si tardius artus
Cessissent, potuit fulmen meruisse secundum.

dat, quas percutiat copias accenso corpore. Et jam sentit intra se crepitare fulmen, et cassidem, et crines, et dum nititur manu detrahere ardentem loricam, contrectat supra pectus suum ferri cinerem. Stat tamen, et extremum spiritum projicit, conversus in cœlum, et applicuit fumantia pectora odiosis mœnibus, ne laberetur. Sed mortales artus destituunt virum, animusque separatur a corpore. Si membra paulum serius defecissent, potuisset et mereri alterum fulmen.

duobus sequentibus absunt a Behot. 2. Dan. Put. et Petav. 'Tres hi versus neque Papinii sunt, neque in ullo nostrorum exemplarium inveniuntur. Abfuerunt et Schotto collatis membranis. Merito igitur expungantur.' *Barth.* —933 *Sentit et urentem* Dan. Put. Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Behot. 1. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. et Cruc. Behot. 2. supra *τὸ stridere*, in superiori versu, scriptum habet *sentit.* Vide Gronov. Obss. lib. II. cap. 4.—935 Codd. Lindenbrogii: *versus adhæsit.*—937 Pro *virum* legendum esse *animam* ex Vet. Schol. putat Burmannus ad Ovid. Met. II. 312. Negat Marklandus ad Sylv. III. 1. 90.—938 'Nonnulli libri inserunt exclamatiunculam *o si*, quod annotatum de suis etiam Bernartio. Optimus noster nihil mutat, neque est cur quicquam novandum arbitremur.' *Barth. o si* Lang. Laur. Buslid. Lipsian.—939 Optimæ Barthii membranæ: *poterat fulmen sperare secundum;* quod ille verum putat.

NOTÆ

931 *Quo caderet*] Locum ubi Capaneus fulmine percussus periit annotavit Pausanias lib. IX. Via nimirum a Platæa ad Electridem portam ducente, secutus Æschylum, qui ibi ab eo pugnatum dicit. Fabulati sunt de mortuo aliqui, vivis redditum. Vide Apollodorum lib. III.

932 *Intra se stridere facem*] Hunc versum et duos sequentes rejicit Guyetus tanquam supposititios, et Statio indignos. Extant in quibusdam Mss.

936 *Pectora*] Quod signum erat non cessisse, sed forti animo perseverasse in suo proposito Capaneum.

937 *Ne caderet*] Hic versus et duo sequentes etiam insititii Guyeto.

938 *Exuiturque animus*] Mire *exuitur* dixit, quia anima corpore exuitur: metaphora sumta a vestibus. *Paulum si*] Nonnulli libri inserunt exclamationem *O si*, quod annotatum de suis Bernartio. Sed nihil mutandum.

939 *Cessissent*] Hoc est, consumti fuissent. *Meruisse*] Quidam codices, *sperare*, non male.

P. PAPINII STATII

THEBAIDOS

LIBER XI.

ARGUMENTUM.

Argivi, Capanei fato exterriti, effuse in castra fugiunt. Tandem Tisiphone, fratrum secum invicem certamine, bellum finire statuit. Verum tanto facinori se solam parem non sentiens, sororem Megæram ex Inferis evocat. Duæ Furiæ, consilio habito, munera partiuntur. Tisiphone Thebas tendit Eteoclem instimulatura; Megæra it, eadem mente, ad Polynicem. Hæc eum offendit spectro Argiæ uxoris, quæ illi apparuerat in atra veste, summopere territum, et incertum an turpi fuga aut ferro mala sibi impendentia evitaret. Sed Megæra vix illum flagello tangit, cum subito furore correptus, et sanguinem fratris sitiens, equum conscendens ad portas Thebarum volat, ubi sæpius alta voce fratrem in certamen provocat. Interim Eteocles, ratus Capanei casu confectum bellum, Jovi sacra faciebat, ei gratias acturus. Verum, diro præsagio, ignis in vultum ejus insiliens diadema comburit, et taurus, ante receptum ictum, ara cornibus percussa, e media circumstantium turba aufugit. Cum vero Aruspex redintegrari sacrificium juberet, ecce accurrit Æpytus, Eteocli nuntians, Polynicem muris obequitantem illum in prælium poscere. Aulici regi suadent hoc spernere; ipsos facile hostem repulsuros. Sed Creon morte Menœce efferatus, ut videt Eteoclem cunctantem, illum duris verbis aggreditur, oportere hunc in certamen descendere; non diutius cives toleraturos illum patriæ calamitatibus frui. Eteocles ei respondet; ipsum, sub fictis de morte Menœcei lacrymis, regnandi ambitionem tegere; sed fata non permissura, ut regnum Thebanum in tam indignas manus caderet: sibi nunc ultionem facilem, daturum pœnas, cum vicisset. His dictis arma et equum poscit. Jocasta adveniens, nec lacrymis, nec precibus, obstinatum illius animum potest flectere. Ex alia parte Antigone turrim subito conscendit, et mollioribus quam potest verbis Polynicem deterrere conatur; et illum movebat, cum Tisiphone e portis Eteoclem emisit clamantem, Adsum, et pugnam pari furore poscentem. Accurrens Adrastus ab his nihil obtinet, quo viso, omnia linquens, Argos fugit. Bis concurrunt illæsi,

fortuna primum tali prælio non assentiente; et uterque exercitus certantibus se opponere cogitat. Qua opportunitate utens Pietas e cœlo in campum descendit, tam execrandum facinus impeditura. Tunc fratres subito horrore perstringuntur, et Dea omnium animos flexisset, nisi Tisiphone, perspectis ejus artibus, eam e campo fugasset. Cujus discessu versæ mentes, fratres acrioribus odiorum stimulis in se invicem excitantur, et copiæ, quæ modo motæ fuerant, tam diri spectaculi voluptatem capere percupiunt. Eteocles primus hastam in fratrem jaculatur. Hanc Polynices in clypeo recepit, suaque emissa, equum Eteoclis in latere perfodit. Equus it præceps, et campum cruore inficit. Polynices credens fratris esse sanguinem, tanto impetu equum in eum impellit, ut utrique in terram cadant. Pedibus renovant prælium. Polynices Eteoclem in inguine letaliter vulnerat. Eteocles, sibi vires deficere sentiens, sponte labitur, cum adhuc stare posset, fraudem in media morte molitus. Alter fratrem occisum ratus, tensis ad cœlum manibus, Superis gratias agit; et cum ad detrahenda fratri spolia, in pectus ejus inclinatur, Eteocles tenues vitæ reliquias odio sustentans, erectum clam ensem in cor fratris adigit, qui moriens Eteoclem totis armis obruit. Œdipus, comperto certaminis exitu, filiæ jubet, ut se in locum, ubi filiorum corpora jacebant, ducat. Post multos questus, ensem clam quærit, quo se occidat; sed provida Antigone omnia arma averterat. Jocasta, non expectato pugnæ fine, mortem sibi ferro consciscit. Fratribus interfectis, Creon regni potitur. Qui, primo sui specimine, vetat edictis, ne Argivi in acie cæsi sepulturæ mandarentur. Et invectus in Œdipum, cui obvius fuerat, eum finibus Thebanis excedere jubet. Ei respondet Œdipus ferocibus verbis, ac ejus sævitiam et crudelitatem perstringit, eo animo, ut a Creonte interficeretur. Verum Antigone, mitigato Creonte, obtinet tandem, ut pater in exilium non pellatur. Imperat igitur Creon, Œdipum se recipere in montem Cithæronem. Argivi relictis castris ignominiosam fugam capiunt.

POSTQUAM magnanimus furias virtutis iniquæ
Consumsit Capaneus, expiravitque receptum

Postquam fortis Capaneus consumsit furores impiæ virtutis, et efflavit animam

---

Hoc exhibent Argumentum Behott. 1. 2. unus Barthianus, Venett. 3. 4. Rom. Lindenbrog. Cruc. et Barth.

Tunc Capanei ardentis Danaos incendia terrent.
Castra petunt miseri. Eumenis in tempore belli
Tisiphone, gentis geminæ exaturata cruore,
Germanæ auxilium poscit: fratresque nocentes
Diversis agitant stimulis. Tunc omina dira
Horrescit Tyrius ductor: mox Epytus auctor
Armatum fratrem pulsantem cuspide portas
Nuntiat: ille celer gaudens rapit impius arma:

Fulmen, et ad terras longe comitata cadentem
Signavit muros ultricis semita flammæ;
Componit dextra victor concussa plagarum
Jupiter, et vultu cœlumque diemque reducit.
Gratantur Superi, Phlegræ ceu fessus anhelet
Prælia, et Enceládo fumantem impresserit Ætnam.
Ille jacet laceræ complexus fragmina turris,
Torvus adhuc visu, memorandaque facta relinquens
Gentibus, atque ipsi non illaudata Tonanti.
Quantus Apollineæ temerator matris Averno

cum recepto fulmine, et semita vindicis ignis, longe comitata humi labentem, notavit muros; victor Jupiter manu pacat agitatas orbis partes, et vultu reducit cœlum et diem. Gratulantur numina, ut si fatigatus respiret a certamine Phlegræo, et injecisset Encelado ardentem Ætnam. Ille Capaneus jacet tenens fragmentum dirutæ turris, terribilis adhuc aspectu, relinquens acta memoranda populis, et ipsi Jovi gloriosa. Quanto corpore ille, qui tentavit vim inferre Apollinis matri, exporrigitur

Nec matris lacrymæ revocant, nec verba sororis.
Postquam sacrilegis telis confixus uterque,
Deflevit pietas fratrum miserata ruinam,
Œdipoden Creon Thebanis mœnibus arcet.

Versu 1. Barthius legit ex vet. libro: *Dum Capanei, &c.* Unus Behot. habet: *Tunc Capaneus ardentes d. i. terret.* Vs. 2. *Euminis* Behot. 2. *impar tempore* Behott. 1. 2. *longi per tempora belli* ex vet. cod. legit Barthius. Vs. 3. *Tesiphone* Behot. 1. *Thesiphone* Behot. 2. *Tisiphone geminæ gentis satiata cruore* vet. Barthii. Vs. 5. Behott. 1. 2. *Diversis agunt.* Vs. 6. *Ephytus* edd. vett. *Epitus* Behott. 1. 2. Vs. 10. In iisdem codd. *confusus uterque.* Vs. 12. *Œdipodem inde Creon* Barthii membranæ.

4 *Exussit muros* Lactantius in Commentario.—10 *Sævus adhuc visu* unus Behot.—11 In eodem codice: *illaudanda Tonanti.*—15 Dan. *crescunt in pec-*

NOTÆ

1 *Iniquæ*] An impiæ, an imparis contra Jovem?

2 *Expiravitque receptum Fulmen*] Intra se enim fulmen stridere senserat. Vide sup. lib. vs. 927.

5 *Plagarum*] Cœlestium, supple.

7 *Phlegræ*] Vide Theb. II. et lib. sup. vs. 904.

8 *Encelado fumantem impresserit Ætnam*] Vide et sup. lib. vs. 912. *Fumantem*] Quia Ætna flammas et fumum e jugo emittit.

9 *Ille*] Capaneus. *Jacet laceræ, &c.*] Hæc probant corpus Capanei incombustum permansisse. Quod concordat Physicorum nonnullorum traditis, fulmen nullum corpus consumere. Vide Minutium Felicem Octavio.

10 *Memoranda facta*] Quod a Jove meruit fulmine percuti.

11 *Atque ipsi non illaudata Tonanti*] Propertius lib. II. Eleg. ult. 'Aut Capanei magno grata ruina Jovi.' Hoc vero dixit ad exaggerationem virtutis Capanei, ejus morte etiam Jovem sese potuisse jactare.

12 *Apollineæ temerator matris*] Intelligit Tityon, de quo vide lib. I. vs. 710. Ceterum hunc versum et octo

Tenditur: ipsæ horrent, si quando pectore ab alto
Emergunt volucres, immensaque membra jacentis
Spectant, dum miseræ crescunt in pabula fibræ.
Sic gravat injectus terras, hostiliaque urit
Arva, et anhelantem cœlesti sulfure campum.
Respirant Thebæ, templisque jacentia surgunt
Agmina: jam finis votis, finisque supremis
Planctibus, et natos ausæ deponere matres.
At vaga palantes campo fuga volvit Achivos.
Nec jam hostes turmæ, aut ferrum mortale timetur:

in Inferis; ipsæ aves expavent, si quando evolant e profundo pectore, et cernunt ingentes artus jacentis, dum infortunata viscera renascuntur in alimentum: tanto Capaneus injectus terræ illam onerat et incendit hostiles agros, et campum fumantem sulfure æthereo. Thebæ recreantur, et turbæ prostratæ in templis surgunt. Jam terminus adest precibus, jam terminus summis luctibus, et genitrices audent dimittere liberos. At fuga errabunda præcipitat vagos Achivos. Nec jam metuunt

tora.—21 *At vaga pallentes* Put. *Aut vaga* Ald. Colin. Gryph. et Basil.—22 *Nec jam aut hostiles turmæ, ferrumve timetur* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. et Gevart. *Nec jam hostiles turmæ aut ferrum mortale timetur* Behott. 1. 2. Dan. Petav. optimus aliique Barthiani, Venett. 3. 4. et Rom. Hinc Lindenbrogius et Barth. conj. *Nec turmæ hostiles, ferrum aut mortale timetur.* Solus Put. veritatem exhibet: *Nec jam hostes turmæ, aut ferrum mortale timetur;* quam lectionem receperunt Dan. Heinsius in Amstel. Daum. et Delph. et probat idem Heinsius in Not. ad Claudian. Nupt. Honor. et Mar. 88. *hostes turmæ* pro hostilibus. Sic 'Oceanum littus' Juvenali Sat. XI. 'Satyros gestus' Manilio; *laticem Lyæum* Virgilio; 'mimus scurra Capitolino,' &c. Vide Heins. ibid. Ed. Gronoviana correctoris lapsu habet: *Nec jam aut hostes turmæ, aut ferrum mortale*

NOTÆ.

sequentes damnat et delet Guyetus, ut supposititios et ineptiarum plenos. Quin et totus hic undecimus liber ipsi ita prioribus dissimilis videtur, ut Papinio prorsus indignus sit. Sed non ita sentiendum lectores facile judicabunt.

14 *Emergunt volucres*] Hoc secundum Homerum, qui dicit Tityi viscera exedi a gemino vulture, non uno, ut alii volunt. Vide Th. I. 710. Capaneum jam Tityo comparaverat Theb. VI.

16 *Injectus*] Capaneus scilicet.

17 *Cœlesti sulfure campum*] Quia fulmen odorem et lucem sulfuris habet. Seneca Nat. Quæst. lib. II. cap. 53. 'Quocumque decidit fulmen, ibi odorem sulfuris esse certum est.' Plinius lib. XXXVI. cap. 15. 'Fulmina et fulgura quoque sulfuris odorem habent, et lux ipsa eorum sulfurea est.' Tzetzes: Θειώδης γὰρ ὁ κεραυνὸς βαρεῖαν ὀδμὴν ἔχει. *Sulfureum enim fulmen gravem odorem habet.* Et ipse docet 'fulmen' etiam vocari 'sulfur,' ὁ κεραυνὸς θεῖον.

20 *Natos ausæ deponere matres*] Quos scilicet suo gremio applicitos et pressos tenebant præ timore.

Omnibus ante oculos iræ Jovis, omnibus ardent
Arma metu, galeæque tonant, visusque paventes
Ipse sequi, et profugis opponere Jupiter ignes.
Instat Agenoreus miles, cœlique tumultu
Utitur: indomitos ut cum Massyla per arva
Armenti reges magno leo fregit hiatu,
Et contentus abit: rauci tunc cominus ursi,
Tunc avidi venere lupi, rabieque remissa
Lambunt degeneres alienæ vulnera prædæ.
Hinc premit Eurymedon, cui rusticus horror in armis,
Rustica tela manu, patriumque agitare tumultum.

hostium copias, nec enses hominum: ira Jovis versatur cunctis ante oculos: cuncti credunt præ timore clypeos flagrare, et cassides tonare. Ipse Jupiter videtur insequi consternatos, et objicere flammas fugientibus. Miles Thebanus urget, et captat occasionem fragoris cœli. Ut cum leo dilaniavit ingenti rictu feroces duces gregis in campis Massilis, et recedit hoc contentus: tunc rauci ursi, tunc inhiantes lupi accurrunt, et, sedata fame, lingunt ignavi plagas alienæ prædæ. Hinc instat Eurymedon, agresti armatura horrendus; tenet manu tela rustica, et ei patrium est ter-

timetur; quod postea emaculavit ipse Gronovius in Erratis. Hinc monstrum horrendum, informe, ingens, in ed. Veen. *Nec jam aut hostiles turmæ, aut ferrum mortale timetur;* propagatum etiam in Bipont.—26 *Instat Agenorius* unus Behot.—28 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *leo fregit hiatu;* Behott. 1. 2. Dan. Put. Petav. et edd. recentt. *leo frangit hiatu.*—29 Bernartius legit: *ravi tunc cominus ursi.*—30 Vide infra Notam. —33 'Insaniunt libri nonnulli, qui *Rustica mala* scribunt.' *Barth.* Optimæ ejusdem Barthii membranæ et Put. *agitare tumultus;* quod ille probat.—34

NOTÆ

24 *Arma*] Clypei.

25 *Ipse sequi, et profugis opponere Jupiter ignes*] Huic versui subnectit Guyetus illum: *Arctatur denso fugientum ex agmine vallum*, deletis omnibus intermediis: post quem etiam versum delet omnes usque ad *Stabat in Argolicæ, &c.*

26 *Agenoreus*] Thebanus.

27 *Massyla*] Vide Th. II. 676.

29 *Rauci*] Bernartius correxit *Ravi.*

30 *Tunc avidi venere lupi*] Optimi duo libri nec volam nec vestigium hujus versus agnoscunt. Optime omnino. Assutus est ex Ovidianis ab homine talibus intrudendis infesto huic auctori, ut jam semel deprehensum est. Nam quorsum *rabieque remissa?* Barthius.

32 *Eurymedon*] Vide Theb. VII. catalogum ducum Thebanorum. *Cui rusticus horror in armis*] Hunc enim sic describit Noster lib. VII. 'Cui pastoralia Fauni Arma patris, pinusque jubas imitatur equinas.'

33 *Rustica tela*] Sunt stipites et sudes præustæ rusticorum arma. Virg. lib. VII. 'Non jam certamine agresti Stipitibus duris agitur, sudibusque præustis.' *Patriumque agitare tumultum*] Panis enim erat filius Eurymedon. Pan autem subitos terrores

Pan illi genitor: tener hinc conatibus annos
Egreditur, juvenemque patrem puer æquat Alatreus.
Felices ambo; sed fortunatior ille,
Quem genuisse juvat: nec jam dignoscere promtum,
Quæ magis arma sonent, quo plus eat hasta lacerto.
Arctatur denso fugientum examine vallum.
Quas volvis, Gradive, vices? modo mœnia Cadmi
Scandebant, sua nunc defendunt tecta Pelasgi.
Ceu redeunt nubes, ceu circumflantibus Austris
Alternus procumbit ager, ceu gurgite cano
Nunc retegit bibulas, nunc obruit æstus arenas.
Procumbit late pubes Tirynthia, alumni

rorem injicere. Pan illi pater: hinc urget tener Alatreus, qui conatibus ætatem superat, et puer æquat juvenem patrem. Ambo fortunati; sed ille felicior, quem juvat generasse: nec jam facile est deprehendere, cujus arma plus crepitent, et quod brachium hastam fortius emittat. Vallum angustatur conferta fugientium multitudine. O Mars, quas rerum commutationes facis? Argivi modo scalis invadebant muros Cadmi, nunc tutantur sua castra. Sic nubes redeunt, sic austris circumflantibus seges vicissim decidit, sic in spumoso mari æstus nunc discooperit, nunc condit bibulas arenas. Juventus Tirynthia, quæ gerebat exuvias leonum imitatione Her-

Dan. et unus Bernartii: *tener hic;* i. e. *hic*, vel *hinc*. 'Vera lectio, *tener hinc;* nec mutanda.' *Barth.*—39 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Behott. 1. 2. Venett. Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. et Cruc. *ex agmine vallum.* 'Optime nostri libri *examine vallum;* ut voluit et Bernartius; item ante eum longe Gul. Canterus.' *Barth.* Hoc exhibent Grasser. Gronov. Gevart. Barth. Veen. et Delph.—42 Unus Behot. *circunstantibus Austris.*—43 *Æternis procumbit* Put. *Alternis procumbit* Dan. Petav. Lipsian. Plant. Lindenbrog. Cruc. Gevart. Grasser. et Amstel. *Alternus procumbit* Behott. 1. 2. Exc. Cantab. Petrens. Lang. Laur. Buslid. Venett. 3. 4. Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Gronov. Barth. Veen. et Delph. Vide Not. Var.—44 Put. *induit æstus.* Et ita legit Dan. Heinsius ad Claudian. Rapt. Proserp. II. 92.—45 Dan. Put. Petav. Lipsian. et Venett. 3. 4.

NOTÆ

animis immittere creditus, iique 'Panici' ab ipso dicti. Græcis πανικὰ vocantur, καὶ πανικὰ δείματα. De quibus in Miscellaneis Angelus Politianus. Quod evenisse non raro constat ex historiis, cum in exercitu nulla apparente justa causa viri et equi subito pavore corripiuntur, ac fugam capiunt. Conferendus vero hic locus, in quo agitur de Eurymedonte et Alatreo cum alio lib. VII. in quo de iisdem loquitur Poëta, quia sibi mutuam præbent lucem.

43 *Alternus procumbit*] Nihil Statio frequentius, quam hoc adjectivum poni pro adverbio: ut lib. V. 'Alternaque pectora mutat.' Id est, alternatim sive alternis. Lib. VI. 'Et jam alterna manus frontemque humerosque lacessit.' Hoc ipso lib. 'Quid alternos vultus pallorque ruborque Mutat?' Sic et lib. præced. vs. 796. 'Ut alterni, &c. Œdipodionii mutent diademate fratres.'

Exuvias imitata Dei: trux mœret ab alto
Amphitryoniades Nemeæa in sanguine terga,
Et similes ramos, similesque videre pharetras.
Stabat in Argolicæ ferrato margine turris.
Egregius lituo dextri Mavortis Enipeus
Hortator; sed tunc miseris dabat utile signum,
Suadebatque fugam, et tutos in castra receptus:
Cum subitum obliquo descendit ab aëre vulnus,
Urgentisque sonum læva manus aure retenta est;
Sicut erat: fugit in vacuas jam spiritus auras,
Jam gelida ora tacent, carmen tuba sola peregit.
Jamque potens scelerum, geminæque exercita gentis
Sanguine, Tisiphone fraterna cludere quærit

culis, suæ urbis alumni, late cadit. Ferox Hercules dolet, cernens e cælo Nemeæas pelles, et pares clavas, et pares pharetras sanguine fœdari. Enipeus, qui peritissime viros accendebat ad victoriam, stabat in ferrata pinna turris Argivæ, sed tunc sonabat conveniens classicum et hortabatur ad fugam, et ad tutum perfugium in castra; cum repente plaga venit ex obliquo latere, et dum sonum premit, manus sinistra auri affigitur, ut erat: jam anima volat in inanem aërem, gelidum os jam obmutescit, sola tuba carmen peregit. Jam Tisiphone valida inspirandis flagitiis, et exercita in cruore duarum gentium, vult finire bellum pugna fraterna; nec putat se parem

Expirat late.—46 'Meliores nostri *ab astris* expresse habent.' *Barth.* Ita quoque Dan. Put. et Petav. et receperunt Lindenbrog. et Cruc. *ab alto* servant Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Behott. 1. 2. Venett. Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Gevart. Grasser. et recentt. Pro *imitata Dei* Lipsian. habet: *imitata tui;* unde Bernartius fecit: *imitata sui.*—47 *Nemeæ in sanguine* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Behot. 1. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Gevart. Grasser. Lindenbrog. et Cruc. *Nemees in sanguine* Behot. 2. et optimæ Barthii membranæ, probante Barthio; *Nemeæi in sanguine* alii codd. Barthii. Vide Not. Var.—48 Unus Behot. *similes videre.*—49 Put. *culmine turris.* 'Meliores libri: *limine turris:* omnino melius.' *Barth.*—52 'Magis placet, quod in duobus libris invenio: *et celeres in castra.*' Idem. Pro *receptus* Behot. 1. habet *recessus;* Dan. *nepotes.*—57 Dan. Put. et Petav. *exterrita gentis.*—58 *Thesiphone* Behott. 1. 2. *ducere quærit* Behot. 1. et e regione: *includedere.* In uno Barth. glossa est: '*concludere*, i.

NOTÆ

45 *Alumni*] Herculis, qui apud Tirynthum educatus dicitur.

47 *Amphitryoniades*] Hercules. *Nemeæa terga*] Hoc est, vacuæ leonum pelles. Lib. IV. de iisdem: 'Flavent capiti tergoque leonum Exuviæ.'

48 *Similes ramos*] Clavas.

54 *Læva manus aure retenta est*] Corrigit Peyraredus: *læva manus ære retenta est.*

56 *Carmen tuba sola peregit*] Ennianus versus: 'Cumque caput caderet, carmen tuba sola peregit, Et pereunte viro raucum sonus ære recurrit.'

Bella tuba: nec se tanta in certamina retur
Sufficere, inferna comitem ni sede Megæram,
Et consanguineos in prælia suscitet angues.
Ergo procul vacua consedit valle, solumque
Ense fodit Stygio, terræque immurmurat absens
Nomen, et, Elysiis signum indubitabile regnis,
Crinalem attollit longo stridore cerasten.
Cœruleæ dux ille comæ, quo protinus omnis
Horruit audito tellus, pontusque, polusque,
Et pater Ætnæos iterum prospexit ad ignes.
Accipit illa sonum: stabat tunc forte parenti
Proxima, dum cœtu Capaneus laudatur ab omni
Ditis, et insignem Stygiis fovet amnibus umbram.
Protinus abrupta terrarum mole sub astris

tanto incepto, nisi ex Inferis exciret in hoc prælium sociam Megæram, et cognatas serpentes. Itaque longe constitit in deserta valle, et excavavit solum gladio Stygio, et insusurrat in scrobem nomen absentis, et erexit longo sibilo crinalem cerasten, signum certum Infernis locis. Hic cerastes dux erat crinium viridium, quo audito, statim omnis terra et mare ac cœlum tremuit, et Jupiter rursus prospexit ad Ætnæa fulmina. Illa Megæra sonum audiit. Tunc forte erat prope patrem, dum Capaneus laudibus effertur a cuncto Plutonis concilio, et refrigerat illustrem animam in Stygiis aquis. Confestim subit aërem effracta terræ mole. Umbræ lætantur, et quantum

e. terminare.'—59 Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. et Cruc. *certamina fidit;* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Behott. 1. 2. Exc. Cantab. Petrens. Venett. 3. 4. Rom. Gevart. Grasser. Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *certamina retur.*—64 'In optimo libro est *Numen;* quod et verum puto.' *Barth.*—68 *Et pater Ætheréos* unus Behot. et pro v. l. *Ætneos.* Put. *respexit ad ignes.*—69 Behott. 1. 2. *tum forte.*—72 'Omnino scribendum ex indicio optimi codicis: *Protinus erupta:* prorsus digna Papi-

NOTÆ

60 *Megæram*] Megæra, una ex Furiis.

61 *Consanguineos angues*] Angues enim loco capillorum habent Furiæ.

63 *Absens Nomen*] Pro 'absentis Furiæ nomen.'

65 *Crinalem, &c.*] Conferendus hic locus cum simili primi Theb. vs. 116.

68 *Et pater Ætnæos iterum prospexit ad ignes*] Bene *iterum,* quia paulo ante Jupiter Capaneum fulmine percusserat. Nunc audito tam horrendo stridore, ratus vel eundem, vel novum hostem prodire, requirit fulmen. Ætnæi autem ignes, fulmina, quorum fabricatores Cyclopes Ætnæ montis accolæ, et in quo erat Vulcani officina.

69 *Parenti*] Acheronti. Nam ex Acheronte et Nocte Furiæ natæ.

70 *Laudatur*] Ob impietatem in Deos.

71 *Stygiis amnibus*] Bene *amnibus,* quia anima Capanei ustulata fuerat a fulmine

Constitit, exultant Manes, quantumque profundæ
Rarescunt tenebræ, tantum de luce recessit.
Excipit atra soror, dextræque innexa profatur:
Hac germana tenus Stygii metuenda parentis
Imperia, et jussos potui tolerare furores,
Sola super terras, hostilique obvia mundo,
Dum vos Elysium et faciles compescitis umbras.
Nec pretium deforme moræ, cassique labores.
Hoc quodcumque madent campi, quod sanguine fumant
Stagna, quod innumero Lethæa examine gaudet
Ripa, meæ vires, mea læta insignia: sed quid
Hæc ego? Mars habeat, vulgataque jactet Enyo.

altæ tenebræ in Inferis ejus discessu minuuntur, tantum adventu ejus de diei lumine adimitur. Nigra soror illam excipit, et ejus dextræ innixa loquitur: Hactenus soror potui exequi timenda jussa Stygii patris, et mandatum rabiem, sola super terram, et exposita inimico orbi, dum vos frænatis Elysium, et dociles manes. Nec mea commoratio caruit fructu, nec mea opera fuit vana. Hæc quæcumque, quod agri sanguine redundant, quod fluvii cruorem exhalant, quod Lethæum littus lætatur innumera multitudine, facta mea sunt, et læta insignia. Sed quid ego hæc? Mars illa habeat, et celebrata Bellona his glorietur. Aspexistis (hoc certe paruit

nio scriptura; nec aliam poscit aut admittit sententia.' *Barth.* Cf. Theb. VII. 683.—74 *Rarescunt umbræ* unus Behot.—75 Dan. Petav. Behott. 1. 2. alii, cum edd. vett. *innixa;* Put. omnes Barthiani, Gevart. Grasser. Amstel. Gronov. Barth. et Veen. *innexa.*—80 Behott. 1. 2. *cassique laboris.*—81 *Huc quodcunque* Put. et Venett. 3. 4.—84 *Hoc ego* Dan. Put. Petav. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. et Cruc. *Hæc ego* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Behott. 1. 2. Grasser. Gevart. Amstel. Gronov. Barth. Veen. et

NOTÆ

73 *Quantumque profundæ Rarescunt tenebræ, &c.*] Furiæ, inquit, discessu tantum luminis Inferis accessit, quantum ejus adventu dies amisit.

75 *Atra soror*] Tisiphone. *Innexa* [*innixa*] Quidam codices habens *innexa.*

77 *Jussos*] Bene, *jussos.* Vide lib. VIII. 65. 'Tartareas ulciscere sedes, Tisiphone.'

78 *Hostili mundo*] Supero.

79 *Faciles*] Supple, regi, vel compesci.

83 *Meæ vires*] Ex Virgilio, 'Nate, meæ vires.' *Guyetus.* Sed fallitur. Non enim sic sororem compellat Tisiphone, sed innuit suas esse vires, seu sua esse munia, seu opera, 'quod madent campi,' &c. *Sed quid Hæc ego? Mars habeat, vulgataque jactet Enyo*] Hæc quæ superius dixit, nimirum: 'Hoc quodcumque madent campi,' &c. ut leviora tribui vult Marti et Bellonæ, et sibi soli assignat, quicquid impium in Deos, quicquid contra mores humanos commissum fuerat, ut furorem Tydei, quo caput hostile voravit, et Capanei impietatem, qua bellum Diis denuntiavit, meruitque fulmine percuti. *Enyo* vero, Bellona.

Vidistis (Stygiis certe manifestus in umbris)
Sanguine fœdatum rictus, atroque madentem
Ora ducem tabo: miserum insatiabilis edit
Me tradente caput: modo nempe horrendus ab astris
Descendit vos usque fragor: mea sacra premebat
Tempestas, ego mixta viri furialibus armis
Bella Deum, et magnas ridebam fulminis iras.
Sed jam (effabor enim) longo sudore fatiscunt
Corda, soror, tardæque manus: hebet infera cœlo
Taxus, et insuetos angues nimia astra soporant.
Tu, cui totus adhuc furor, exultantque recentes
Cocyti de fonte comæ, da jungere vires.
Non solitas acies, nec Martia bella paramus,
Sed fratrum, (licet alma fides, pietasque repugnent,
Vincentur,) fratrum stringendi cominus enses.

in Stygia caligine) regem habentem labia contaminata cruore, et os madidum nigra sanie. Insaturabilis mandit infortunatum caput, me præbente. Modo terribilis fragor pervenit a sideribus usque ad vos. Fulmen urgebat caput mihi devotum. Ego inserta armis viri furiosi illudebam bella numinum, et ingentes furores fulminis. Sed jam, soror, (fatebor enim,) animus me deficit longo labore, et manus languent. Inferna fax taxea hebescit a cœlo, et nimius siderum fulgor consopit oculos serpentium, non ei assuetos. Tu cujus rabies adhuc integra est, et novi crines vigent ex aquis Cocyti, da consociare vires. Non molimur sueta prælia, nec bella, qualia Mars solet efficere, sed gladii fratrum propius nudandi sunt. Licet alma

Delph.—85 Put. *manifesta sub umbra.*—86 *Sanguine fœdantem* Petav. Dan. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. et Gevart. *Sanguine fœdatum* Put. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Behott. 1. 2. omnes Barthiani, Venett. 3. 4. et recentt.—95 Nonnulli codd. *recentis;* ita etiam Gevart. et marg. ed. Barth.—97 *Martia tela* Dan.—99 Unus Behot. *stringentur cominus enses.* 'Optima et nullo modo solicitanda scriptura: *stringendi cominus enses.*

NOTÆ

85 *Stygiis certe manifestus in umbris* [*undis*] Alii legunt: *manifesta sub umbris.*

86 *Fœdatum*] Tydeum. Alia lectio *fœdantem.*

87 *Miserum insatiabliis edit Me tradente caput*] Hæc insititia judicat Guyetus, quare jungit τὸ, *tabo*, hujusce versus cum τῷ, *modo*, sequentis.

89 *Fragor*] Supple fulminis, et tonitrus, quo percussus Capaneus. *Mea sacra*] Id est, mihi devotum caput.

90 *Viri*] Capanei.

91 *Bella Deum*] De Thebis contendentium. Vide sup. lib.

94 *Taxus*] Fax taxea. *Insuetos*] Id est, lumini non assuetos.

95 *Recentes de fonte comæ*] Id est, quem recentes potarunt. *Comæ*] Serpentes, qui loco crinium sunt.

98 *Alma Fides, Pietasque*] Earum enim numina hoc atroci crimine nimium offendentur.

Grande opus: ipsæ odiis, ipsæ discordibus armis
Aptemur: quid lenta venis? agedum elige, cujus
Signa feras: ambo faciles, nostrique; sed anceps
Vulgus, et affatus matris, blandamque precatu
Antigonem timeo, paulum ne nostra retardet
Consilia: ipse etiam, qui nos lassare precando
Suetus, et ultrices oculorum exposcere diras,
Jam pater est: cœtu fertur jam solus ab omni
Flere sibi: atque adeo moror ipsa irrumpere Thebas,
Assuetumque larem: tibi pareat impius exul,
Argolicumque impelle nefas; neu mitis Adrastus
Prævaleat, plebesque, cave, Lernæa moretur.
Vade, et in alternas inimica revertere pugnas.
Talia partitæ diversum abiere sorores.
Ut Notus et Boreas, gemino de cardine mundi,
Hic nive Riphæa, Libycis hic pastus arenis,

Fides et Pietas obstent, vincentur. Ingens opus est. Ipsæ accommodemur eorum simultatibus, ipsæ dissidentibus armis. Quid lente accedis? Agedum, opta cujus geras vexilla: ambo proni, nostrique, sed metuo incertam mentem populi, et matris monitus, ac blandas preces Antigones, ne paulum remorentur nostra consilia. Ipse etiam Œdipus, qui solitus erat fatigare nos votis in filios et invocare furias oculorum vindices, nunc tangitur affectu paterno. Nunc separatus ab omni conventu dicitur plorandis suis miseriis occupari. Et quid tam cunctor irruere in Thebas, et assuetos penates? tibi profanus extorris obsequatur, et excita scelus Argolicum, cave ne placidus Adrastus prævaleat, et ne vulgus Lernæum obstet. I, et hostis redi in mutua certamina. Germanæ, sic divisis muneribus, ceperunt diversam viam. Ut cum Notus et Aquilo certant a duplici orbis limite, hic gravidus nive Riphæa, ille

Insaniunt ergò unæ membranæ, quæ referunt: *et fratrum stringatur mutuus ensis.*' Barth.—104 Exc. Cantab. et Petrens. *ne nostra retardent;* omnes alii codd. et edd. *retardet.*—110 'Scribendum ut est in optimo et aliis duobus codd. *Argolicum tu impelle nefas:* plus enim habet energiæ.' *Barth.*—114

NOTÆ

102 *Ambo faciles*] Id est, facile eos in crimina impellemus. Intelligit Eteoclem et Polynicem. De eisdem lib. I. 'Nec tarda sequetur Mens juvenum.'

103 *Blandamque precatu Antigonem timeo*] Ne flectat precibus fratres.

105 *Lassare precando Suetus*] Vide initio Th. I. 56. et seq.

107 *Jam pater est*] Hoc est, jam patris affectu in filios tangitur, vel jam meliora cœpit habere circa filios vota.

108 *Thebas*] Ad instigandum, et in furorem impellendum Eteoclem.

109 *Assuetum*] Vide Theb. I. 101. *Impius exul*] Polynices.

114 *Gemino de cardine mundi*] Alter enim, nimirum Boreas, a Septemtrione flat, Notus vero a Meridie.

115 *Riphæa*] Vide Theb. I. 420.

Bella cient: clamant amnes, freta, nubila, sylvæ;
Jamque patent strages: plangunt sua damna coloni,
Et tamen oppressos miserantur in æquore nautas.
Illas ut summo vidit pater altus Olympo
Incestare diem, trepidumque Hyperionis orbem
Suffundi maculis, torvo sic inchoat ore:
Vidimus armiferos, quo fas erat usque, furores,
Cœlicolæ, licitasque acies, etsi impia bella
Unus init, ausus que mea procumbere dextra.
Nunc par infandum, miserisque incognita terris
Pugna subest: auferte oculos: absentibus ausint
Ista Deis, lateantque Jovem: sat funera mensæ
Tantaleæ, et sontes vidisse Lycaonis aras,

Libycis arenis; strepunt amnes, maria, nubes, nemora: jamque clades detegitur, deflent agricolæ sua detrimenta, et tamen miserantur nautas in mari summersos. Ut summus pater has aspexit e supremo cælo, funestare lucem, et trementem solis orbem conspergi maculis, sic incipit irato ore: Aspeximus, cælites, bellicam rabiem, usque quo licebat ire, et acies permissas, quamvis unus intulerit impium bellum, et ausus fuerit cadere mea dextra. Nunc scelestum par, et prælium miseris mortalibus incognitum prodit, detorquete visus. Attentent ista numinibus absentibus, et occultentur Jovi. Sufficit aspexisse cædes Tantaleæ mensæ, et nocentia altaria

Put. *medio de cardine.*—116 In eodem libro: *clamant manes.*—120 *Infestare diem* in quibusdam codd. sed vide Dan. Heins. ad Claudian. de Rapt. Proserp. II. 217.—122 Bernartius conj. *qua fas erat.*—124 Lang. Laur. Lipsian. Behott. 1. 2. Dan. Put. Petav. Venett. 3. 4. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. Gevart. Grasser. et Amstel. *dignusque mea procumbere dextra;* Buslid. et nonnulli Gronov. *ausus que meam procumbere dextram.* Vide Not. Var.—127 Put. *funera mensis.*—130 Optimi libri: *Nunc iterum:*

NOTÆ

Libycis hic pastus arenis] Id est, vaporibus eductis ex arenis Africanis.

118 *Et tamen oppressos miserantur in æquore nautas*] Ut quos sæva tempestas submerserit.

120 *Incestare diem*] Claud. Bello Getico: 'Patriis lunare venenis Incestare jubar.' Cons. Manlii: 'Latios incestant nomina fastos.' *Hyperionis*] Solis. Vide lib. VIII. 47.

123 *Etsi impia bella Unus init*] Capaneum intelligit. Vide lib. sup. Ceterum de ingenuitate hujusce versus et sequentis dubitat Guyetus, dicitque sententiam suam confirmari a codice Buslidiano.

124 *Ausus que mea procumbere dextra*] Id est, ausus mereri, ut mea procumberet dextra. Quidam codices habent: *dignusque mea, &c.* Alii et plures quidem: *ausus que meum contemnere dextram.*

125 *Par infandum*] Fratrum scilicet secum invicem pugnantium, ut dicitur par gladiatorum.

127 *Sat funera mensæ Tantaleæ*] Tantalus enim filium Pelopem Diis epulandum apposuit.

Et festina polo ducentes astra Mycenas.
Nunc etiam turbanda dies: mala nubila tellus
Accipe, secedantque poli: stat parcere mundo,
Cœlitibusque meis: saltem ne virginis almæ
Sidera, Ledæi videant neu talia fratres.
Sic pater omnipotens, visusque nocentibus arvis
Abstulit, et dulci terræ caruere sereno.
Jamque per Argolicas Erebo sata virgo cohortes
Vestigat Polynicis iter, portisque sub ipsis
Invenit, incertum leto tot iniqua fugane
Exeat, et dubios turbabant omina sensus.
Viderat, obscura vallum dum nocte pererrat
Æger consilii, curisque novissima volvens,

Lycaonis, ac Mycenas fugantes cælo properantia sidera. Nunc etiam dies obscuranda est. Terra accipe infandam caliginem, recedant cœli, stat mundo parcere, et meis cælicolis. Saltem ne sidera piæ virginis, neu fratres Ledæi hæc respiciant. Sic pater omnipotens, et avertit oculos a sontibus terris, et tellus privata fuit suavi serenitate. Et jam puella nata Erebo quærit viam ad Polynicem per phalanges Argivas, et offendit illum in ipsis portis, ancipitem, an evitaret morte vel fuga tot adversa; et præsagia angebant incertam ejus mentem. Nam dum lustrabat vallum per opacam noctem, anxius quid ageret, et rerum extrema volvens animo, viderat

id melius.—131 Dan. *stat parcere solo;* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Petav. et edd. vett. *stat parcere cœlo;* Behott. 1. 2. *stat parcere soli*, et pro v. l. *cœlo;* Put. *stat parcere mundo.* Vide Not. Var.—132 *Syderibusque meis saltem neu virginis, &c.* unus Behot.—138 Dan. Put. Petav. Lindenbrog. et Cruc. *fugave.*—141 *Æger consiliis* Behott. 1. 2. Put. Petav. Venett. 3. 4. Aldd. Colin.

NOTÆ

128 *Et sontes vidisse Lycaonis aras*] Lycaon enim dicitur infantem ad aram Lycæi Jovis mactavisse, et humanum sanguinem libavisse: ac inter sacra in lupum conversus fuisse. Vide Ovidium Met. I. et Pausaniam in Arcadiis.

129 *Et festina polo, &c.*] Tangit fabulam solis retrocedentis propter epulas Atrei, in quibus Thyesti fratri proprium filium comedendum præbuit. *Mycenæ*] Mycenæ Argolidis oppidum.

131 *Mundo*] Id est, cœlo. Neque enim Papinius minus quam alii veteres 'mundum' pro cœlo usurpat. Lib. III. Amphiaraus: 'Immensi fruitur caligine mundi.'

132 *Virginis almæ*] Astrææ vel Erigones ob pietatem in patrem. Vide Theb. IV.

133 *Ledæi fratres*] Pollux et Castor Ledæ filii, qui miro se amore dilexerunt.

135 *Et dulci terræ caruere sereno*] Sic ante prælium Pharsalicum, insignes fuere interdiu tenebræ, ut referunt Florus et Lucanus.

136 *Erebo sata virgo*] Megæra Furia.

139 *Exeat*] Evitet. Verbum gladiatorium et militare.

Conjugis Argiæ lacera cum lampade mœstam
Effigiem: (sunt monstra Deum, sic ire parabat,
Has latura viro tædas erat:) ergo roganti,
Quæ via, quisve dolor, cur mœsta insignia? tantum
Fleverat; atque manu timidos averterat ignes.
Scit mentem vidisse nefas: etenim unde Mycenis
Afforet, et vallum conjux inopina subiret?
Sed fati monitus, vicinaque funera sentit,
Ac sentire timet: cum vero Acherontis operti
Diva ter admoto tetigit thoraca flagello,
Ardet inops animi, nec tam considere regno,
Quam scelus, et cædem, et perfossi in sanguine fratris
Expirare cupit, subitusque affatur Adrastum:
Sera quidem, extremus socium, gentisque superstes

triste spectrum Argiæ uxoris cum trunca tæda: (non desunt Deorum ostenta, sic profectura erat: debebat ferre viro hanc facem:) igitur eo petente, quæ causa itineris, quisve luctus, cur mœsta insignia? illa tantum ploraverat, atque manu deflexerat pavidam tædam. Scit se vidisse rem ominosam: nam unde uxor sua adveniret Mycenis, et inopina intraret castra? Sed sentit monitus fati, et proximam mortem, et vellet non sentire. Cum vero Dea Acherontis abditi, contrectavit ejus loricam ter inflicto flagello, flagrat impos mentis, nec tam optat collocari in sede regia, quam cupit flagitium, et necem, ac efflare animam in cruore occisi germani, et repente alloquitur Adrastum: Ego sane, ultimus comitum, et solus restans ex natione

Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. et Cruc. *Æger consilii* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Gronov. Barth. Veen. et Delph.—142 Put. *laceram c. l. mœstam.*—145 Edd. vett. *cur mœsta insignia tantum, &c.* Interpunctio nostra debetur Bernartio.—146 Omnes fere codd. et edd. vett. *timidos averterat ignes;* Put. vero exhibet: *tacitos averterat ignes.* Et sic legit Handius ad Sylv. I. 1. 35.—150 *Acherontis aperti* Put.—153 Unus Behot. *et perfossi funere;* Dan. *percussum in sanguine.*—154 Dan. Put. Petav. Venett. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. et Cruc. *affatus;* Behott. 1. 2. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Gevart. Grasser. Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *affatur.*—155 Dan. Heinsius ad Claudian. VI. Cons. Honor. 227. corrigit: *gentique superstes*

NOTÆ

143 *Sunt monstra Deum*] Non desunt prodigia futurorum.

144 *Has latura viro tædas*] Tædæ hic mortem proximam Polynici portendebant: tædæ enim funeribus adhibitæ.

145 *Mœsta insignia*] Vestes nigras, et facem.

150 *Acherontis operti Diva*] Furia Megæra.

151 *Ter admoto flagello*] *Ter*, ut furorem melius immitteret. Lib. VII. 'Has ubi vipereo tactas ter utramque flagello,' &c. *Flagello*] Nam Furiæ flagellum gestabant, ut et facem.

155 *Extremus socium*] Omnes enim perierant.

Argolicæ, consulta, pater, jam rebus in arctis
Aggredior: tunc tempus erat, cum sanguis Achivum
Integer, ire ultro, primamque capessere pugnam,
Non plebis Danaæ florem, regumque verendas
Objectare animas, ut lamentabile tantis
Urbibus induerem capiti decus: aspera quando
Præcepit virtus; nunc saltem exsolvere fas sit,
Quæ merui: scis namque, socer, licet alta recondas
Vulnera, et afflictum generi vereare pudorem:
Ille ego sum, qui te pacem et pia jura regentem
Infelix (utinamque aliis datus urbibus hospes)
Extorrem patria, regnoque: sed exige tandem
Supplicia: fratrem suprema in bella (quid horres?
Decretum est, fixumque) voco: desiste morari:
Nec poteris: non si atra parens, miseræque sorores

Argiva, capesso, pater, tarda consilia, jam in angusto statu: tunc oportebat, cum sanguis Archivorum nondum erat fusus, ire me sponte, et subire primam aleam certaminis, non exponere decus juventutis Danaæ, ac venerandam regum vitam, ut evincirem caput insigni, funesto tot populis. Sed cum eorum virtus acerba me prævenit, nunc saltem liceat luere, quæ merui. Scis, socer, quamvis dissimules profundum dolorem, et timeas verecundiam facere tristi genero: ille ego sum qui te in pace regnantem, et jura populis dantem, infortunatus coëgi relinquere imperium et patriam: (et utinam missus fuissem a fatis in alias urbes:) sed tandem reposce pœnas. Eo provocatum fratrem in ultimum certamen: (quid horrore perfunderis?) hoc est mihi propositum, et statutum: desiste me retardare: non valebis. Non, etsi atra mater,

Argolicæ consula, pater, &c.—158 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Put. omnes Barthiani, et Venett. 3. 4. *propriamque c. pugnam.*—159 'Alia est lectio in optimo codice: *magnasque regentum Objectare animas.* Puto ita reliquisse Papinium.' *Barth.*—161 'Vitiatus locus, et utique scriptum Papinio, ut refert unus omnium optimus codex: *at fera quando Præcepit virtus.* Sic melius cohæret sermo, et plenior est sententia.' *Barth.* Ita etiam correxerat Gul. Canterus Novar. Lect. lib. II. cap. 8.—162 *Præteriit virtus* Put.—164 Dan. *venerare pudorem.*—165 *Ille ego sum qui pacem et prælia jure regentem* legere voluit ex optimis membranis.—168 'Sic vulgo editum; (*Supplicia*); nec abeunt ab hac scriptura libri veteres aliorum, nihil enim varians notarunt. Et defendimus hanc similibus productis exemplis, in Analectis Poëticis, et ad III. olim Epigramma Claudiani. At dissimulandum non est principem codicum, cum illo suo traduce, disertissime referre: *Supplicium.* Cui pari bonorum librorum equidem assentimur.' *Barth. quid arces* unus Behot. sed correctum

NOTÆ

158 *Primamque capessere*] Alii legunt, *propriamque.*

161 *Aspera quando Præcepit virtus*] Sunt, qui sic explicent: Quoniam ita me coëgit virtus rem aggredi, armis scilicet.

167 *Regnoque*] Supple feci, scilicet extorrem.

In media arma cadant: non si ipse ad bella ruenti
Obstet, et extinctos galeæ pater ingerat orbes,
Deficiam. Anne bibam superest quodcumque cruoris
Inachii? et vestris etiamnum mortibus utar?
Vidi egomet propter ruptos telluris hiatus,
Nec subii: vidi exanimum, fecique nocentem
Tydea: me Tegee regem indefessa reposcit,
Orbaque Parrhasiis ululat mihi mater in antris.
Ipse nec Ismeni ripas, dum stagna cruentat
Hippomedon, Tyrias potui nec scandere turres,
Dum tonat, et tecum, Capaneu, miscere furores?
Quis tantus pro luce timor? sed digna rependam.
Conveniant ubicumque nurus, matresque Pelasgæ,
Longævique patres, quorum tot gaudia carpsi,
Orbavique domos: fratri concurro: quid ultra est?

et infelices sorores irruerent in media arma: non, si ipse genitor retineret currentem ad pugnam, et opponeret cassidi mortuos oculos, desistam. Anne hauriam, quodcumque reliquum est sanguinis Argivi? et impendam etiam vestras vitas? Vidi ego terram dehiscentem propter me, nec intravi: aspexi Tydea exsanguem, et eum sontem reddidi: Tegee repetit a me continuo suum principem, et parens ejus orbata mihi imprecatur ululando in speluncis Parrhasiis. Nonne ipse potui subire littora Ismeni, dum Hippomedon inficiebat ejus aquas sanguine, et conscendere mœnia Thebana, dum tonabat, et meos furores, Capaneu, tuis miscere? Quis tantus metus pro vita? sed persolram meritas pœnas. Nurus et parentes Pelasgæ, et patres seniores, quorum tot carpsi gaudia, tot orbavi domos, congregentur ex omnibus partibus. Cum fratre

inter lineas.—175 *Vide ego me* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Venett. 3. 4. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. et Gevart. *Vidi egomet* Behot. 1. Gronov. Barth. Veen. et Delph. Vide Not. Var.—177 Put. *indefensa reposcit.*—182 Unus Behot. pro v. l. habet: *pro luce furor.*—185 Behott. 1. 2. *quid ultra,* omisso τῷ *est.*—188 *Ac tu* Aldd. Colin. Gryph.

NOTÆ

172 *Galeæ*] Supple, meæ.

174 *Mortibus utar*] Supra: 'Cœlique tumultu Utitur.'

175 *Hiatus*] Amphiarai casum intelligit.

176 *Fecitque nocentem Tydea*] Cum pro me, furore correptus, hostile caput voraverit.

177 *Tegee*] Arcadia, a Tegea oppido. *Regem*] Parthenopæum.

178 *Parrhasiis*] Arcadiis. Omnia autem hæc clara ex precedentibus libris. *Ululat mihi*] In me, mea causa, seu mihi imprecatur. *Mater*] Atalanta.

179 *Ipse nec Ismeni ripas*] Supple, vel 'subire,' vel 'invadere,' aut simile verbum: nam 'scandere' sequentis versus non potest inservire utrique membro, nisi improprie, quod tamen fieri potest.

183 *Pelasgæ*] Peloponnesiæ.

Spectent, et votis victorem Eteoclea poscant.
Jamque vale, conjux, dulcesque valete Mycenæ.
At tu, care socer, (nec enim omnis culpa malorum
Me penes; et Superi mecum, Parcæque nocentes,)
Sis lenis cineri, meque hæc post prælia raptum
Alitibus, fratrique tegas, urnaque reportes.

dimico: quid restat? Videant et optent victorem Eteoclem. Jamque, uxor, vale, et valete, blandæ Mycenæ. At tu, socer dilecte, (non enim omnis noxa malorum in me est, et sontes mecum sunt Divi Parcæque,) sis placidus ossibus meis, et post hoc certamen me tegas subtractum avibus et fratri, et referas in urna. Hoc solum peto,

Basil. et Plant. et ita quoque nonnulli codd.—191 Dan. Petav. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. Gevart. Grasser. et Amstel. *neges urnaque reponas;* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Put. et Venett. 3. 4. *neges ur-*

NOTÆ

188 *Nec omnis culpa malorum Me penes: et Superi mecum, Parcæque nocentes*] Etiam sunt Dii et fata mecum, quæ me impellunt. Ex illo, Quos Deus vult perdere, dementat. *Peyraredus.* Homerus Iliad. T. Ἐγὼ δ' οὐκ αἴτιός εἰμι, Ἀλλὰ θεὸς, καὶ Μοῖρα, καὶ ἠεροφοῖτις Ἐριννύς. Sic plerique veterum sentiebant, ut quod illi per se facerent, non vererentur ipsi numini tribuere. Si calamitatibus conflictabantur, id Deum fecisse dicebant. Si male agerent, non se, sed Deos Parcasque perpetrasse: unde illa verba Dianæ, apud Euripidem, ad Theseum, cum inscius, Venere ita volente, filium Hippolytum perdidisset: Ἀνθρώποισι γὰρ Θεῶν διδόντων εἰκὸς ἐξαμαρτάνειν: *Hominibus licet, Diis auctoribus, peccare.* Non tamen omnes veteres in hac opinione fuisse Deum causam malorum esse, ex Pindaro clarum est apud Clementem Alexandrinum Strom. v. Ζεὺς ὑψιμέδων, ὃς ἅπαντα δέρκεται, οὐκ αἴτιος θνατοῖς μεγάλων ἀχέων· ἀλλ' ἐν μέσῳ κεῖται κιχεῖν πᾶσιν ἀνθρώποισι δίκαν ὁσίαν, ἁγνὰν, Εὐνομίας ἀκόλουθον, καὶ πινυτᾶς Θέμιδος. Ὀλβίων παῖδες, οἵ νιν εὕροντες σύνοικον. *Jupiter alte dominans, qui videt omnia, non est causa malorum mortalibus; sed in medio proponitur hominibus omnibus, ut apprehendant justitiam sanctam castam, Eunomiæ comitem, et Themidis prudentis. Felicium liberi, qui illam invenerunt secum habitantem.* Et apud Platonem de Rep. II. Οὗτος μὲν τοίνυν (ἦν δὲ ἐγὼ) εἷς ἂν εἴη τῶν περὶ θεοὺς νόμων τε καὶ τύπων, ἐν ᾧ δεήσει τοὺς λέγοντας λέγειν, καὶ τοὺς ποιοῦντας ποιεῖν, μὴ πάντων αἴτιον τὸν θεὸν, ἀλλὰ τῶν ἀγαθῶν. *Illa igitur (dicebam ego) debet esse una ex legibus et sententiis quæ de Diis sunt, in qua oporteat, et scriptores scribere, et Poëtas dicere, Deum non esse causam omnium, sed tantum bonorum.*

190 *Sis lenis cineri*] Veteres magna cura sepulturam suam amicis aut hæredibus commendabant, ac solennia sui funeris præscribebant. Sæpe jubebant, ut corpus suum in patriam et sepulcra majorum inferrentur. Quidam tamen sepulturam neglexere, ut de Tydeo refert Poëta sub finem lib. VIII.

191 *Alitibus fratrique tegas, urnamque reportes*] 'Alitibus fratrique tegere,' est, ab alitibus et fratre defendere, ab illorum injuria prohibere, et

Hoc tantum, et natæ melius connubia jungas.
Ibant in lacrymas; veluti cum vere reverso
Bistoniæ tepuere nives, summittitur ingens
Hæmus, et angustos Rhodope descendit in amnes.
Cœperat et leni senior mulcere furentem
Alloquio: scidit orsa novo terrore cruenta
Eumenis, alipedemque citum, fataliaque arma,
Protinus Inachii vultus expressa Perinthi
Obtulit, ac fidas exclusit casside voces.
Ac super hæc: Abrumpe moras: celeremus, et illum
Adventare ferunt portis. Sic omnia vicit,
Correptumque injecit equo: volat æquore aperto
Pallidus, instantemque Deæ circumspicit umbram.

et des filiam feliciori marito. Effundebantur in fletus; ut cum Thraciæ nives liquefiunt, redeunte vere, celsus Hæmus decrescit, et Rhodope minuitur in parvos torrentes. Et longævus cœperat delinire furentem Polynicem placido sermone. Sanguinea Eumenis interrupit verba ejus recenti terrore, et sumto vultu Perinthi Inachii, statim admovit illi equum pernicem, et obtulit arma fatalia, et obduxit caput galea, ne audiret fidos sermones Adrasti, et ait: Abrumpe moras omnes: properemus, et dicunt illum Eteoclem advenire portis. Sic vicit omnia, et eum apprehensum equo imposuit. Volat per campum latum pallidus, et videt circum se urgentem Deæ imaginem. Rex



naque reportes; Behott. 1. 2. *teges urnaque reportes.* Vide Not. Var.—193 Dan. *vere remisso.*—195 Edd. vett. *Æmus;* Behott. 1. 2. *hemus;* Behot. 2. *Rhodopes.*—199 Dan. Put. Petav. et edd. vett. *Pericli;* Behott. 1. 2. *Perichi;* Behot. 2. a m. pr. *Pericli;* nonnulli alii *Perinthi.*—200 Behott. 1. 2. *excussit casside.*—202 Lipsian. Dan. Put. Petav. et Venett. 3. 4. *omnia vincit.*—203

NOTÆ

'tegere' etiam verbum funebre. Virg. Æn. VI. 'Ossaque lecta cado texit Corinæus aëno.' Nec minus exquisitum, *me reportes urnam,* hoc est, meos cineres, reliquiasque in urna, per metonymiam continentis. Mart. IX. Ep. 79. 'Absentemque patri retulit urna rogum.' Noster Theb. VIII. 'Nec attonito saltem cinis ibo parenti.' Quædam editiones habent: *neges, urnaque reponas.*

192 *Natæ melius connubia jungas*] Id est, natam feliciori marito in conjugium des.

194 *Bistoniæ*] Thraciæ, a Bistonibus gente Thracia. *Summittitur*] Id est, solutis nivibus minuitur.

195 *Hæmus.... Rhodope*] Montes Thraciæ. *Descendit*] Non Rhodope, sed nives liquefactæ descendunt.

196 *Senior*] Adrastus.

199 *Perinthi* [*Pericli*] Alii codices, *Perinthi,* vel *Pherecli.*

200 *Exclusit casside*] Imposita scilicet capiti Polynicis ab armigero Perintho.

Sacra Jovi merito Tyrius pro fulmine ductor
Nequicquam Danaos ratus exarmasse ferebat.
Nec pater æthereus, Divumque has ullus ad aras;
Sed mala Tisiphone trepidis inserta ministris
Astat, et inferno prævertit vota Tonanti.
Summe Deum, tibi namque meæ primordia Thebæ
(Liveat infandum licet Argos, et aspera Juno)
Debent, Sidonios ex quo per littora raptor
Turbasti thyasos, dignatus virgine nostra
Terga premi, et placidas falsum mugire per undas!
Nec te vana fides iterum Cadmeia adeptum
Connubia, et Tyrios nimium irrupisse penates.
Tandem, inquam, soceros, dilectaque mœnia gratus

Thebanus offerebat Jovi vana sacrificia pro merito fulmine, credens illud exarmasse Argivos. Nec pater cœlestis, nec ullus Deorum, sed improba Tisiphone, immixta trepidis sacerdotibus, astat ad hæc altaria, et avertit preces ad Plutonem. Supreme numinum, nam Thebæ meæ tibi debent sua principia, (etsi Argos et acerba Juno multum invideant,) ex quo raptor consternasti choreas in ripa Sidonia, dignatus onerari dorso puella nostra, et edere fictos mugitus in tranquillo mari! Et adhuc constat, te rursus sumsisse uxorem in domo Cadmi, et te nimio fulgore intrasse lares Tyrios. Tandem, inquam, gratus respicis soceros, et caros muros, et defensor tonas,

Aldd. Colin. Gryph. et Basil. *injecit equum.*—205 *Jovis Tyrius merito* unus Behot. *pro fulmine victor* edd. vett. *pro fulmine ductor* omnes fere codd. et edd. recentt.—208 *Tesiphone* Behott. 1. 2.—209 ‘ Lipsian. *pervertit vota*, genus sermonis notum vel ex uno Plauto.’ *Bern.* Vide Not. Var.—210 *Thebe* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et edd. vett.—215 *Cadmeia ademptum* Put.—219 ‘ Vi.

NOTÆ

205 *Tyrius ductor*] Thebanus Eteocles. *Pro fulmine*] Pro fulminato Capaneo.

207 *Pater æthereus*] Jupiter.

209 *Et inferno prævertit vota Tonanti*] Id est, intercepit a Jove et aliis Diis ad Plutonem. Florus II. 4. ‘Mox Ariovisto duce vovere de nostrorum militum præda Marti suo torquem. Intercepit Jupiter votum.’ *Inferno Tonanti*] Plutoni.

210 *Primordia Thebæ*] Si enim Jupiter Europam non rapuisset, Cadmus navem ad sororem recuperandam non conscendisset, nec sic Thebas condidisset.

212 *Sidonios Turbasti thyasos*] Intelligit raptum Europæ, cum e medio saltantium puellarum Sidoniarum seu Tyriarum choro, a Jove rapta est.

213 *Virgine nostra*] Europa, virgine nostræ gentis.

214 *Falsum*] Id est, mutatum in taurum.

215 *Cadmeia Connubia*] Intelligit Semelen Cadmi filiam.

216 *Nimium*] Fulminantem, nimis violentum.

217 *Soceros*] Thebanos principes.

Respicis, assertorque tonas: ceu regia cœli
Attentata tui; sic te pro turribus altis
Vidimus urgentem nubes, lateque benignum
Fulmen, et auditos proavis agnovimus ignes.
Accipe nunc pecudes, et magni thuris acervos,
Votivumque marem: dignas sed pendere grates
Haud mortale opus est: certent tibi reddere Bacchus
Noster et Alcides: illis hæc mœnia serva.
Dixerat: ast illi niger ignis in ora genasque
Prosiluit, raptumque comis diadema cremavit.

ut si tua regia appetita fuisset; sic vidimus te prementem nubes, et late jaculantem propitium fulmen pro celsis turribus, et agnovimus tonitrua proavis audita. Accipe nunc oves, et ingentes thuris cumulos, et promissum taurum. Verum non est in hominum potestate referre meritas gratias. Bacchus noster et Alcides certatim contendant tibi agere. Illis custodi hos muros. Ut dixit, atra flamma prosiluit in ora vultumque ejus, et subito combussit diadema, quo crines cingebantur. Tunc

tiose duo libri: *pro turribus arcis.*' Barth.—220 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Petrens. Exc. Cantab. Burm. alii, cum Venett. 3. 4. Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. Gevart. Grasser. et Amstel. *letique benignum.* Jortinus legit, *lætique.* Edd. Gronov. Barth. Veen. Delph. habent: *lateque benignum.* ' Mirum in codd. et edd. vel *leti*, vel *lethi* legi, exceptis edd. a Gronoviana oriundis, et Barthiana, in quibus *late.* In Barthiana tamen *leti* in margine apparet: quo modo illud *leti* vel *lethi* explicuerint, non facile dictu. In codd. *leti* autem pro *læti* esse positum nulla hæsitatio: ita in meo *leti* cum gloss. 'nos;' at illud *lateque benignum,* licet alteram lectionem sinceram putem, non adeo absurdum, ut defendi aliqua specie non possit. Non aliter 'late victrices catervæ' Horatio IV. Od. 3. dicuntur. Et Val. Flacc. III. 130. 'Late fumanti nube coruscus.' *Burm.* Hoc loco silent Barthius, et Gronovius, qui *lateque* primus in textum intulit.—221 Put. *agnoscimus ignes.*—225 In eodem codice: *hæc mœnia servas.*—226 Behott. 1. 2. *in ore;* sed correctum *in ora.*—230 Dan.

NOTÆ

219 *Tui*] Supple fuisset.

220 *Benignum*] Nempe, quod hostes nostros percuteret.

221 *Auditos proavis*] Nempe, cum ad Semelen cum fulmine accessisti.

223 *Votivumque marem*] Lactantius: 'Sacrificio Jovis dicatum taurum, qui Hæmus dicitur.' Et more Romano victoria parta sacrificabantur tauri, unde sic boves loquuntur Imperatorem Antonium: 'Te jubemus salvere, Imperator; sed si vincis, omnino actum est de nobis.' Οἱ βόες οἱ λευκοὶ Μάρκῳ τῷ Καίσαρι χαίρειν, Ἢν δέ συ νικήσεις ἄμμες ἀπολλύμεθα. Xenophon Cyrop. Τῷ Διῒ ἤγοντο ταῦροι πάγκαλοι εἰς τέσσαρας. Et Julianus ad Libanium: Ἔθυσα τῷ Διῒ βασιλικῶς ταῦρον λευκόν. *Sacrificavit Jovi candidum taurum regie.*

224 *Bacchus noster et Alcides*] Quia hi Dii erant Thebani.

226 *Ast illi niger, &c.*] Hæc omnia mali ominis erant.

Tunc ferus ante ictum spumis delubra cruentat
Taurus, et obstantum mediis e cœtibus exit
Turbidus, insano feriens altaria cornu.
Diffugiunt famuli, et regem solatur haruspex.
Ipse instaurari sacrum male fortis, agique
Imperat, et magnos ficto premit ore timores.
Qualis ubi implicitum Tirynthius ossibus ignem
Sensit, et Œteas membris accedere vestes,

taurus efferatus inquinat templum sanguinolenta spuma, ante ictum, et aufugit e media turba sese opponentium, percutiens aras insano cornu. Ministri diffugiunt, et sacerdos solatur regem. Ipse male pertinax jubet renovari sacrificium et peragi, ac dissimulat, composito vultu, ingentes metus. Ut cum Tirynthius sentit ignem diffusum in ossibus suis, et vestes, in monte Œte sumtas, agglutinari artubus, offe-

NOTÆ

228 *Tunc ferus ante ictum spumis delubra cruentat Taurus, et obstantum mediis e cœtibus exit Turbidus, insano feriens altaria cornu*] Dirum omen hoc veteres esse arbitrabantur, si victima ante receptum ictum fugeret, si ipsum ictum quiete non reciperet, si cornibus aram feriret. Hinc a Lucano inter prodigia Pharsalicæ cladis hoc quoque positum: 'Admotus Superis discussa fugit ab ara Taurus.' Livius quoque ait, factum esse omen cladis futuræ Flaminio consuli, quo immolante vitulus ictus e manibus sacrificantium sese proripuit, multosque circumstantes cruore respersit. Exempla passim obvia apud Poëtas et Scriptores.

232 *Ipse instaurari sacrum male fortis*] Erat enim moris, ut si prima sacrificia minime fuissent numinibus accepta, aruspex secunda sacrificia repararet, donec viderentur esse suscepta. *Agique Imperat*] 'Agi' in sacris verbum usitatum, 'hoc age quod agis.'

234 *Qualis ubi implicitum Tirynthius ossibus ignem, &c.*] In hac comparatione Papinius imitatur Ovidium, qui libr. IX. de eodem Hercule hæc ait: 'Capit inscius heros, Induiturque humeris Lernææ virus Echidnæ. Thura dabat primis et verba precantia flammis, Vinaque marmoreas patera fundebat in aras. Incaluit vis illa mali, resolutaque flammis Herculeos abiit late diffusa per artus. Dum potuit, solita gemitum virtute repressit. Victa malis postquam est patientia, repulit aras Implevitque suis nemorosam vocibus Œten.' Tangit fabulam, qua Dejanira ægre ferens sibi ab Hercule Iolen præferri, misit marito tunicam tinctam sanguine Nessi centauri, qui, sagitta Herculis Hydræ veneno imbuta, occisus fuerat, rata præsentissimum philtrum, ac efficacissimum amoris remedium, quod illi Nessus moriens persuaserat. Hercules tunc temporis sacrificaturus erat Jovi in Cenæo Eubœæ promontorio: sed simul ac hanc tunicam induit, virus exardescere cœpit, vestisque affixa corpori, concepto igne, ossa et carnem Herculis exussit. Ille, doloris impatientia, pyram sibi in monte Œta exstrui jussit, in qua se cum clava ac leonis pelle cremavit. Qua intellecta fabula omnia clara sunt.

235 *Œtæas vestes*] Id est, vestes quæ causa fuerunt, cur sibi Hercules

Vota incepta tamen, libataque thura ferebat
Durus adhuc, patiensque mali, mox grande coactus
Ingemuit, victorque furit per viscera Nessus.
Nuntius exanimi suspensus pectora cursu
Æpytus ad regem portæ statione relicta
Tendit, et hæc trepido vix intellectus anhelat:
Rumpe pios cultus, intempestivaque, rector,
Sacra Deum: frater muris circum omnibus instat,
Portarumque moras frænis assultat, et hastis,
Nomine te crebro, te solum in prælia poscens.
Flent mœsti retro comites, et uterque loquenti
Adgemit, et pulsis exercitus obstrepit armis.
Ille vocat! Nunc tempus erat, sator optime Divum.
Quid meruit Capaneus? turbatus inhorruit altis
Rex odiis, mediaque tamen gavisus in ira est.

rebat tamen patri preces inchoatas, et dicata thura, fortis adhuc, et tolerans doloris, mox violenter pressus exclamavit, et victor Nessus præcordia depascitur. Æpytus, deserta portæ custodia, et succutiens pectus cursu præcipiti, nuntius ad regem vadit, et anhelus, vixque intellectus ab Eteocle, quem tam cita festinatio terruerat, hæc dixit: Interrumpe, Rex, religiosa officia, et sacrificia Deorum non opportuna, germanus urgens circuit omnes muros, et frænis et hasta pulsat vallum, te frequenter nomine solum provocans in certamen. Mœsti ejus comites plorant pone, et utraque acies clamanti adgemit, et obstrepit percussis clypeis. Frater fratrem provocat! Nunc tempus esset, genitor optime Deorum, mittendi fulminis. Quid Capaneus atrocius commisit? Rex perculsus inhorruit ex tanto odio, et tamen lætatus est in

Put. et Petav. *insanoque ferens.*—240 *Æphytus* multi codd. et edd. vett. *Epytus* optimæ Barthii membranæ; *Ephitus* unus Behot. *Æpitus* alter Behot.—248 *Tunc tempus* Lang. Laur. Lipsian. Dan. Put. Petav. Behott. 1. 2. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. et Cruc. 'Omnes meliores nostri libri cum Bernartianis: *Nunc*; quod genuinum putem.' *Barth.* Ita habent

NOTÆ

pyram exstrui jusserit in monte Œta.

236 *Vota incepta tamen*] Sacrificabat enim Jovi Hercules.

237 *Durus adhuc*] Obdurato animo.

238 *Nessus*] Vel potius, sanguis Nessi veneno Hydræ immixtus.

246 *Flent retro comites, &c.*] Hunc versum et aliquos sequentes ineptos et spurios judico. Quid enim vult interpolator? *Guyetus. Comites*] Polynicis.

247 *Uterque exercitus*] Thebanus et Argivus. *Obstrepit armis*] Ad deterrendum Polynicem.

248 *Nunc tempus erat, sator optime Divum. Quid meruit Capaneus*] Prosequitur sermonem nuntius, et interpellat cum indignatione Jovem, affirmans ad hoc usque tempus fulmen reservare debuisse, quo impium Polynicem feriret, nec Capaneum impie furentem tam meruisse, quam Polynicem fulmine percuti.

250 *Odiis*] Forte, odiosa oratione.

Sic ubi regnator post exulis otia tauri,
Mugitum hostilem summa tulit aure juvencus,
Agnovitque minas, magna stat fervidus ira
Ante gregem, spumisque animos ardentibus effert,
Nunc pede torvus humum, nunc cornibus aëra findens.
Horret ager, trepidæque expectant prælia valles.
Non desunt regi comites: Sine, mœnia pulset
Irritus: ille autem fractis huc audeat usque
Viribus? hic miseris furor est instare periclo,
Nec librare metus, et tuta odisse: resiste
Hoc fretus solio: nos propulsabimus hostem.
Hos bellare jube. Sic proxima turba, sed ardens

media ira. Sic cum juvencus dominator, reverso post quietem profugo tauro, suo adversario, excipit summis auribus ejus mugitum, et agnoscit minas, stat ardens magno furore ante armentum, et prodit spiritus flagrantibus spumis, nunc torvus findens terram pede, nunc aërem cornibus: campus pavet, et trementes vaccæ expectant certamen. Non desunt adulatores, qui dicunt regi: Putere, percutiat incassum muros. Ille autem hucusque audeat accisis rebus? Desperatorum est, tentare inconsulto pericula, nec perpendere timores, et secura aversari. Hic mane, fretus hoc solio. Nos repellemus hostem. Impera nos certare. Sic ait turba auli-

Buslid. Gevart. Grasser. Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph.—252 *Augitum* in uno Behot. et pro v. l. *Vagitum*.—254 Dan. Taurin. Burm. et Behott. 1. 2. *ardentibus offert;* Petrens. Buslid. et liber Rottendorphius *efflat*.—256 Burm. Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Behot. 2. pro v. l. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. Gevart. Grasser. et Amstel. *expectant prælia vaccæ*. Dan. Put. Behott. 1. 2. a m. pr. Gronov. Barth. et Veen. *expectant prælia valles*, probante Burmanno. Vide Not. Var.—257 *Non desunt regni* Lipsian.—260 *Non librare metus* nonnulli codd. Lindenbrogii.—262 *Nos bellare jubes* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Behott. 1. 2.

NOTÆ

254 *Effert*] Alia lectio, *efflat*.

256 *Expectant prælia valles* [*vaccæ*] Recepit in sua editione Gronovius *valles*, loco *vaccæ*, ex constanti membranarum, ut ait, scriptura. Quam scripturam confirmare nititur duobus testimoniis Horatii et Ovidii. Horat. Epod. II. 'Aut in reducta valle mugientium Prospectat errantes greges.' Ovid. Met. v. 'Tigris ut auditis diversa valle duorum Exstimulata fame mugitibus armentorum.' Sed nihil mutandum. Sunt enim *vaccæ*, et non *valles*, de quibus præcipue tauri inter se contendunt.

257 *Comites*] Aulici adulatores. *Sine, mœnia pulset Irritus*] Hæc membratim dicenda sunt, ait Lactantius, ut videantur a multis dici; ut alterius sit, *sine mœnia pulset Irritus:* alterius vero, 'Ille autem fractis huc audeat usque Viribus?' alterius item, 'Hic miseris furor est instare periclo.' Instare autem periclo, est temere in pericula ruere.

Ecce aderat luctu, dicturusque omnia belli
Libertate Creon: urit fera corda Menœceus:
Nulla patri requies: illum quæritque, tenetque.
Illum sanguineos proflantem pectore rivos
Aspicit et sæva semper de turre cadentem.
Ut dubium, et pugnas cunctantem Eteoclea vidit:
Ibis, ait, neque te ulterius, fratrumque ducumque
Pessime, funeribus patriæ, lacrymisque potitum,
Eumenidum bellique reum, patiemur inulti.
Sat tua non æquis luimus perjuria Divis.
Urbem armis opibusque gravem, et modo civibus arctam,
Ceu cœlo dimissa lues, inimicave tellus,
Hausisti, vacuamque tamen sublimis obumbras?
Deest servitio plebes: hos ignis egentes

corum, at ecce Creon aderat, flagrans dolore, cui bellum licentiam dabat omnia dicendi. Menœceus accendit ferocem ejus animum; nulla patri requies: quærit illum et mente amplectitur: videt semper illum emittentem e pectore torrentes sanguinis, et ruentem ex crudeli turre. Ut cernit Eteoclem hæsitantem, et differentem certamen: Vades, inquit, neque te, fratrum et ducum pessime, amplius feremus, sontem omnium belli furorum, impune frui funeribus ac fletibus patriæ. Satis pœnarum dedimus iratis Diis, ob tuam perfidiam. Desolasti civitatem potentem armis divitiisque, et modo angustam ob multitudinem incolarum, ut pestis demissa cœlo, et fames sterilitate terræ, et tamen superbus vacuam adhuc opacas? Plebs deest ser-

Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. et Gevart. *Hos bellare jubes* tacite scripsit Gronovius, eumque secuti sunt Daum. Veen. et Delph. —263 Put. *omina belli;* quod reponendum putat Lindenbrogius.—269 Idem codex exhibet: *fratremque ducemque.*—270 'Nescio an non sit τοῦ Ποιητοῦ lectio optimarum membranarum *potentem:* cui assentitur codex Lindenbrogio laudatus.' *Barth.*—274 *Ceu cœlo dijecta* unus codex Lindenbrogii; *Ceu cœlo demissa lues, inimicave tellus: Hausisti, &c.* legit Wakefieldius in Sylv. Crit. P. v. p. 40.—276 *Jam deest* unus Barth. et Behot. 1. 'Inepta scriptura *servitio plebes*, præ illa quæ in optimis membranis perspicue, in aliis adjecta cernitur pro varia lectione, *sævitiæ;* quæ omnino Papiniana est.' *Barth.*

NOTÆ

263 *Belli Libertate*] Major enim proceribus loquendi libertas tempore belli, tunc enim principi eorum opera maxime opus est.

271 *Eumenidum bellique reum*] Id est, oneratum omnibus criminibus in hoc bello commissis, et quæ Eumenides suggesserunt.

272 *Perjuria*] Quia imperium sorte debitum fratri negasti.

274 *Inimicave tellus*] Quæ negando fruges, sterilitate ac fame homines occidit.

276 *Deest servitio plebes*] Hunc versum atque sequentes delet Guyetus, ut insititios.

Fert humus, hos pelago patrius jam detulit amnis.
Hi quærunt artus, illi ardua vulnera curant.
Redde agedum miseris fratres, natosque, patresque,
Redde arvis domibusque viros. Ubi maximus Hypseus,
Finitimusque Dryas. Ubi Phocidos arma sonoræ,
Euboicique duces? illos tamen æqua duelli
Fors tulit ad Manes: at tu (pudet) hostia regni,
Hostia, nate, jaces, ceu mutus et e grege sanguis.
Hei mihi primitiis armorum, et rite nefasto
Libatus, jussusque mori, et cunctabitur ultra
Iste? nec adverso nunc saltem Marte vocatus
Stabit? an in pugnas alium jubet ire profanus
Tiresias? iterumque meos oracula nectit
In gemitus? quid enim misero super unicus Hæmon?
Ille jube subeat, tuque hinc spectator ab alta

vitio. Hi jacent humi, carentes rogis: hos patrius fluvius jam devexit in mare. Hi quærunt membra amputata: hi sanant profundas plagas. Restitue agedum infelicibus fratres liberosque ac parentes, restitue agris ædibusque incolas. Ubi maximus Hypseus, et Dryas vicinus? ubi copiæ vocalis Phocidis, et duces Eubœæ? Illos tamen æqua sors belli demisit ad Inferos. At tu (pudet) victima tyrannidis, peris, fili, ceu mutus agnus, heu me, ablatus primitiis armorum et nefando ritu, jussusque occumbere: et iste ultra cunctabitur? Nec nunc saltem congredietur provocatus? An impius Tiresias imperat alterum filium pugnare? et rursus componit responsa in meos dolores? Quid enim præter Hæmonem restat mihi infelici? Ille, impera, ineat certamen, et tu stans

hos ignis egenos unus Behot. pro v. l.—278 Put. et Behot. 2. pro v. l. *anxia vulnera.*—281 Put. *arma sonare.*—283 *Sors tulit ad Manes* optimæ Barthii membranæ; *Fors tulit* in ceteris Barth. sed illud probat.—285 Pro *armorum* unus Barthianus exhibet *ararum;* alter ejusdem pro v. l. habet *annorum.* Ed. Lindenbrog. habet *rarum.*—290 *Æmon* in edd. vett. *hemon* Behott. 1. 2.—291 Put. Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant.

NOTÆ

277 *Patrius amnis*] Ismenus, in quo pugnatum fuerat, cæsique ab Hippomedonte multi, quorum corpora a fluvio in mare delata fuerant.

278 *Artus*] Perditos supple.

280 *Hypseus, Finitimusque Dryas*] Duces Thebani, qui in hoc bello perierant, ut vidimus.

281 *Sonoræ*] Vel propter oracula, quæ ibi reddebantur, vel propter Musas, quæ in Parnasso omnia cantibus suis replebant, vel tandem propter Cyrrham vocalem.

283 *At tu*] Apostrophe ad filium. *Hostia regni*] Pro regno immolatus.

284 *E grege sanguis*] Vide lib. sup. vs. 788. et sequentibus.

285 *Primitiis armorum*] Alii codices *ararum.* Veteres omnium fere rerum primitias Diis consecrabant. *Rite*] Pro ritu.

287 *Iste*] Per despectum, et Eteoclem intelligit.

Turre sede: quid sæva fremis, famulamque cohortem
Respectas? hi te ire volunt, hi pendere pœnas:
Ipsa etiam genitrix, ipsæque odere sorores.
In te ardens frater ferrum, mortemque minatur,
Sævaque portarum convellit claustra, nec audes?
Sic pater infrendens, miseraque exæstuat ira.
Ille sub hæc: Non fallis, ait, nec te inclyta nati
Fata movent: canere illa patrem, et jactare decebat.
Sed spes sub lacrymis, spes atque occulta cupido
His latet: insano prætendis funera voto,
Meque premis frustra, vacuæ ceu proximus aulæ.
Non ita Sidoniam fortuna reliquerit urbem,

in alta turre, hinc specta. Quid atrocia cogitas, et oculos vertis ad turbam satellitum? Hi cupiunt te vadere, hi luere pœnas: ipsa etiam mater, ipsæ sorores te aversantur, Germanus flagrans odio intentat tibi ensem et letum, ac infringit crudeles obices portarum, nec audis? Sic pater fremens locutus est, et infelici ardet ira. Ille Eteocles ad hæc respondit: Non, inquit, decipis quenquam, nec mors filii gloriosa te tangit: patris erat illam prædicare et efferre laudibus. Sed spes sub fletibus, spes et latens cupido regnandi his tegitur; prætexis tuo luctu ambitiosa vota, meque, ut propinquior orbatæ Regiæ, urges incassum. Non ita fortuna deseruerit res Sido-

Lindenbrog. et Cruc. *tuque hic*; Dan. Behott. 1. 2. et edd. recentt. *tuque hinc*; ut conj. Bernartius.—295 *In me* unus codex Lindenbrogii.—296 Put. Petav. Behott. 1. 2. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et edd. vett. *audis*; Dan. unus Behot. pro v. l. nonnulli Barthiani, Gronov. in erratis, Barth. et Veen. *audes.* —299 Put. *jactare solebat.*—301 *His tacet* edd. Lindenbrog. et Cruc. *His*

NOTÆ

292 *Famulamque cohortem*] Id est, servilem et assentatricem; dicit supra 'regi comites.'

294 *Ipsa etiam genitrix, &c.*] Hunc versum et tres sequentes Guyetus delet.

297 *Pater*] Creon. *Miseraque exæstuat ira*] Melius optimus codicum: *Miseramque exæstuat iram.* Verbis nimirum egerit intus æstuantem iracundiam. Ex imo æstuat. Virg. Æn. IX. de Turno mens exæstuat ira. Vide et Apuleii init. lib. X. *Barthius.*

298 *Ille*] Eteocles. *Non fallis*] Id est, neminem decipis; omnesque intelligunt, quid hac oratione velis: lugere filium simulas, sed, me pugnante ac pereunte, regnare vis.

299 *Canere illa patrem, et jactare decebat*] Affirmative, non interrogative, legit et interpungit Lactantius, et sic placet: sic enim exponit; 'Laudare mortem filii, et præconiis efferre debebas, qui pro patria periit, non dolere.'

300 *Occulta cupido*] Regnandi scilicet.

301 *Funera*] Mortem filii.

302 *Vacuæ*] Successore ac hærede destitutæ.

303 *Sidoniam*] Thebanam.

In te ut sceptra cadant, tanto indignissime nato.
Nec mihi difficilis præsens vindicta: sed arma,
Arma prius famuli: coëant in prælia fratres.
Vult gemitus lenire Creon. Lucrare furorem:
Victori mihi cuncta lues. Sic jurgia paulum
Distulit, atque ensem, quem jam dabat ira, repressit.
Ictus ut incerto pastoris vulnere serpens
Erigitur gyro, longumque e corpore toto
Virus in ora legit; paulum si devius hostis
Torsit iter, cecidere minæ, tumefactaque frustra
Colla sedent, irasque sui bibit ipse veneni.
At genitrix primam funestæ sortis ut amens
Expavit famam, (nec tarde credidit,) ibat
Scissa comas, vultuque, et pectore nuda cruento,
Non sexus, decorisve memor. Pentheia qualis
Mater ad insani scandebat culmina montis,

nias, ut sceptrum veniat in tuas manus, indignissime tanto filio. Nec mihi præsens ultio ardua esset. Sed arma prius, arma ministri afferte. Germani pugnent, Creon vult mulcere suum dolorem. Nunc fruere impune tuo furore; solves mihi omnia, cum vicero. Sic intermisit paulum jurgia, et repressit gladium, quem jam ira stringebat. Ut anguis percussus ictu incerto pastoris assurgit ex orbe suo, et cogit ex omni corpore longum venenum in fauces; si inimicus paulum deflexit de via, minæ pacantur, et cervix frustra inflata detumescit, et ille sorbet furorem virus sui. At excors mater Jocasta, ut accepit primum rumorem funesti certaminis, (nec lente adhibuit fidem,) ibat laceratis crinibus et ore nudato ac sanguinolento pectore, non recordata sexus, nec dignitatis suæ. Sic genitrix Penthei ascendebat furiosa verti-

---

latet in ceteris. Lindenbrogius tacet tamen.—311 'In duobus libris est: *longoque e corpore totum;* sed nulla mutatione opus habemus.' *Barth.*—314 Edd. vett. *bibit ille*, improbante Barthio, cujus membranæ cum Behott. 1. 2. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Gevart. Grasser. Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph. exhibent: *bibit ipse.*—315 Dan. Petav. et edd. vett. *primum.* 'Omnes nostri libri cum Bernartianis et Behottii *primam;* quod pariter nobis probatur.' *Barth.* Ita etiam Put. et Venett. 3. 4.—316 Put. *nec tandem.*—

NOTÆ

307 *Vult gemitus lenire Creon*] Ironice. *Lucrare furorem*] Furore tuo fruere nunc impune. Vel lucro appone furorem, quo feror in fratrem, qui tantus est, ut mihi non det tempus puniendi te, ut meruisti.

308 *Victori*] Postquam vicero.

315 *Genitrix*] Jocasta.

316 *Nec tarde credidit*] Quia similibus cladibus, vel monstris assueta.

318 *Pentheia Mater*] Agave. Nota Penthæi fabula.

319 *Insani montis*] Cithæronis, *insani* ob insanientes furentesque in orgiis Bacchas.

Promissum sævo caput allatura Lyæo.
Non comites, non ferre ipsæ vestigia natæ
Æqua valent: tantum miseræ dolor ultimus addit
Robur, et exsangues crudescunt luctibus anni.
Jamque decus galeæ, jam spicula sæva ligabat
Ductor, et ad lituos hilarem, trepidumque tubarum
Prospiciebat equum; subito cum apparuit ingens
Mater, et ipse metu famulumque expalluit omnis
Cœtus, et oblatam retro dedit armiger hastam.
Quis furor? unde iterum regni integrata resurgit
Eumenis? ipsi etiam post omnia, cominus ipsi
Stabitis? usque adeo geminas duxisse cohortes,
Et facinus mandasse parum est? quo deinde redibit
Victor? in hosne sinus? o diri conjugis olim
Felices tenebræ! datis, improba lumina, pœnas.

cem montis, ut apportaret Baccho caput filii, quod illi pollicita fuerat. Non famulæ Jocastæ, non ipsæ filiæ possunt pari gradu incedere: tantas vires supremus dolor dat infelici, et tantum confecta ætas corroboratur calamitatibus. Jam rex ligabat vincula decoræ cassidis, et crudelia jacula, et spectabat equum alacrem ad lituos, et interritum ad clangorem tubarum; cum longæva genitrix repente visa est, et ipse et cuncta cohors timore palluit, et armiger reduxit pone hastam, quam ei offerebat. Quæ rabies, inquit? unde Furia, quæ exagitat hoc regnum, ex integro inchoat? Ipsi etiam, post omnia, in certamen descendetis? Adeone est parum, duxisse in invicem exercitus, et jussisse flagitium? Quo tandem victor revertetur? In hocce gremium? O fortunata a longo tempore cæcitas diri mariti! improbi oculi,

317 *Scissa comam* Behott. 1. 2.—320 Unus Behot. *caput ablatura.*—321 Membranæ Daum. *ferre piæ.* Vide Not. Var.—325 'Duo meliores libri diserte scribunt: *intremidumque;* a 'tremendo' nimirum: nec possim ex facili damnare hanc vocem fortassis in pluribus scriptoribus corruptam.' *Barth. intrepidumque* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Behott. 1. 2. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. et Gevart. *trepidumque* tacite reposuit Gronovius, eumque secuti sunt Daum. et Veen.—326 *Respiciebat equum* optimæ Barthii membranæ.—331 In quibusdam codd. Barthianis *ge-*

NOTÆ

320 *Lyæo*] Baccho.

321 *Non ferre ipsæ*] Quædam membranæ habent *piæ*, et bene, quia hic melior sexus liberorum Œdipi.

325 *Ductor*] Eteocles.

327 *Mater*] Jocasta. *Et ipse metu*] Vide interpolatorum insaniam, qui ea quæ breviter et eleganter dicta erant, ineptiis suis turbare et confundere ausi sunt. *Guyetus.*

331 *Cohortes*] Exercitus.

334 *Datis improba lumina pœnas*] Oculos suos alloquitur Jocasta, vocatque 'felices tenebras' seu cæcitatem Œdipi, quod atrox facinus, quod sibi spectandum erat, videre non poterat.

Hæc spectanda dies? quo, sæve, minantia flectis
Ora? quid alternos vultus pallorque ruborque
Mutat? et obnixi frangunt mala murmura dentes?
Me miseram, vinces! prius hæc tamen arma necesse est
Experiare domi: stabo ipsa in limine portæ
Auspicium infelix, scelerumque immanis imago.
Hæc tibi canities, hæc sunt calcanda, nefande,
Ubera, perque uterum sonipes hic matris agendus.
Parce: quid oppositam capulo parmaque repellis?
Non ego te contra Stygiis feralia sanxi
Vota Deis, cæco nec Erinnyas ore rogavi.
Exaudi miseram: genitrix te, sæve, precatur,
Non pater: adde moram sceleri, et metire, quod audes.
Sed pulsat muros germanus, et impia contra
Bella ciet? non mater enim, non obstat eunti

pœnas luitis, hactenus vidisse. Hæc dies est spectanda? Quo crudelis avertis minantem vultum? Quid pallor ruborque occupant vicissim tuam faciem, et dentes cum conatu stricti elidunt improba murmura? Me miseram, ibis, me invita! Oportet tamen prius, ut tentes domi hæc arma. Ipsa ero in foribus portæ omen infaustum, et horrida criminum imago. Hi cani crines, hæ mammæ proterendæ tibi sunt, nefarie? et hic equus impellendus per uterum genitricis. Cede: quid rejicis scuto et capulo obstantem? Non ego fudi numinibus infernis preces funestas contra te, nec sum precata furias cæco ore. Ausculta infelicem: dire, mater te rogat, non genitor. Da spatium et moram crimini, et considera quid moliris. Sed frater percutit mœnia, et movet contra te impium bellum. Non enim genitrix, et

minos, i. e. germanos. 'Sed nihil mutandum videtur.' *Barth.*—336 'Legendum cum optimis libris, *alternus;* quanquam eadem sit sententia in vulgata scriptura.' *Idem.* Unus Behot. habet etiam *alternus;* atque ita correctum in altero perveteri atramento. Buslid. et Venett. 3. 4. *alternis.* Vide Gronov. in Not. Var. ad Theb. II. 184.—339 *Exspectare domi* Put.—345 *Erinadas* Be-

NOTÆ

336 *Alternos*] Alii *alternis.*

337 *Obnixi*] Cum sonitu stricti.

338 *Vinces*] Id est, contemnes gemitus ac preces matris, et ibis.

341 *Hæc canities*] Δεικτικῶς.

344 *Feralia sanxi Vota Deis*] *Feralia vota*, diras dicit, quibus pater Œdipus devovit filios suos ob impietatem in se ipsum. Sæpius horum supra mentio facta est. *Sanxi*] Confirmavi ascitis Deorum numinibus. *Vetus Schol. Sanxi* Lactantio: 'Devovi.'

345 *Cæco ore*] Id est, insaniente, furente: quia furor mentem excæcat. Pater enim filiis imprecabatur. Barthius vero Poëtam alludere dicit ad excæcationem Œdipi.

348 *Sed pulsat*] Supple, inquies.

Ulla soror: te cuncta rogant, hic plangimus omnes.
Ast ibi vix unus pugnas dissuadet Adrastus,
Aut fortasse jubet: tu limina avita Deosque
Linquis, et a nostris in fratrem amplexibus exis?
At parte ex alia tacitos obstante tumultu
Antigone furata gradus (nec casta retardat
Virginitas) volat Ogygii fastigia muri
Exsuperare furens: senior comes hæret eunti
Actor, et hic summas non duraturus ad arces.
Utque procul visis paulum dubitavit in armis,
Agnovitque (nefas!) jaculis et voce superba
Tecta incessentem, magno prius omnia planctu
Implet, et e muris ceu descensura profatur:
Comprime tela manu, paulumque hanc aspice turrim,
Frater, et horrentes refer in mea lumina cristas.

nulla soror eum retinet. Omnia te orant, hic cuncti flemus. Sed illic vix unus Adrastus dehortatur a prælio, aut forsitan id imperat. Tu deseris domos majorum, et numina, et a nostris amplexibus tendis in germanum. At parte ex alia Antigone, quæ clam se surripuerat, tumultu impediente ne exitus ejus sentiretur, ardenter currit, (nec pudica virginitas remoratur illam,) et in summos muros evadit. Longævus Actor eam sequitur, et hic non perventurus ob senium ad culmen arcis. At cum procul paulum dubia hæsit, ut inter armatos fratrem secerneret, et illum (nefas!) agnovit tecta pulsantem jaculis et superba voce, implet prius omnia ingenti planctu, et quasi e muris descensura, loquitur: Germane retine in manu sagittas, et paulum hanc specta turrim, et converte formidabiles cristas ad oculos meos. Videsne

hot. 1. *Erinas* Behot. 2.—360 Edd. vett. *Agnovitque nefas.* 'In optimis libris parenthesi includitur hæc vocula *nefas*: bene.' *Barth.*—361 'Citat hunc versum, et *incessantem* legit in suis libris Eutyches Grammaticus lib. II. quo tamen opus non est, licet ita habeant duo etiam optimi codices nostri.' *Idem.*—363 Behott. 1. 2. *hanc respice turrem.*—373 Venett. 3. 4. Rom. Aldd.

NOTÆ

351 *Ast ibi vix unus pugnas dissuadet Adrastus, Aut fortasse jubet*] Ergo magis excusari debet frater Polynices, quam tu, qui invita matre, sorore et omnibus, vis pugnare cum fratre: frater autem ab omnibus incitatur, a nemine retinetur. *Fortasse jubet*] Excusare vult mater filium: vult impulsum potius quam sponte ad arma prosiluisse.

354 *Obstante tumultu*] Id est, strepitu obstante ne audiretur aut sentiretur exitus ejus.

356 *Ogygii*] Thebani.

358 *Actor*] Custos Antigones. Vide lib. VII. *Non duraturus*] Ob senium non perventurus ad summas arces.

360 *Voce superba*] Alta, qualis est superborum.

361 *Tecta incessentem*] Fratrem Polynicem.

Agnoscisne hostes? sic annua pacta fidemque
Poscimus? hi questus? hæc est bona causa modesti
Exulis? Argolicos per te, germane, penates,
(Nam Tyriis jam nullus honos,) per si quid in illa
Dulce domo, summitte animos: en utraque gentis
Turba rogant, ambæque acies: rogat illa suorum
Antigone devota malis, suspectaque regi,
Et tantum tua, dure, soror: saltem ora trucesque
Solve genas: liceat vultus fortasse supremum
Noscere dilectos, et, ad hæc lamenta, videre,
Anne fleas. Illum gemitu jam supplice mater
Frangit, et exertum dimittere dicitur ensem.
Tu mihi fortis adhuc? mihi, quæ tua nocte dieque
Exilia erroresque fleo? jam jamque tumentem
Placavi tibi, sæve, patrem: quid crimine solvis
Germanum? nempe ille fidem et stata fœdera rupit,
Ille nocens, sævusque suis: tamen ecce vocatus

hostes? sicne petis, ut annua conventa et fides serventur? Sic quereris? Hæcne est bona causa modesti exulis? Te frater, oro, per Argivos lares, (nulla enim est tibi reverentia pro Thebanis,) per si quid carum est in illa domo, reprime spiritus. En obsecrant utraque gens, et ambo exercitus. Illa Antigone devota malis suorum, et suspecta regi, et tantum tua, sæve, germana, te obsecrat. Saltem detegas ora, et terribiles genas, soluta galea; detur hoc forsitan ultimum, videre tuam caram faciem, et an plores ad hos ejulatus. Jam genitrix flexit illum Eteoclem supplicibus lacrymis, et ille fertur deposuisse strictum gladium. Tu durus adhuc mihi? mihi, quæ ploro diu noctuque discessum tuum, et tuos errores. Jam jam lenivi erga te patrem iratum, crudelis! Quid purgas scelere germanum? scilicet ille fregit fidem, et sancita conventa, ille sons et crudelis erga suos; tamen ecce lacessitus

Colin. Gryph. et Basil. *fortasse supremos;* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Behott. 1. 2. Petrens. Exc. Cantab. et edd. recentt. *fortasse supremum.*—375 'In duobus optimis libris legitur: *illum gemitu par supplice mater Frangit;* quod non puto librariorum esse commentum.' *Barth.*—382

NOTÆ

366 *Poscimus*] Pro poscis.

370 *Ambæque acies*] Supra vs. 246. 'Et uterque loquenti Adgemit, et pulsis exercitus obstrepit armis.'

371 *Suspectaque regi*] Ob amorem in te meum. *Regi*] Eteocli.

372 *Et tantum tua, dure, soror*] Id est, tuis malis ac calamitatibus implicita.

375 *Illum*] Eteoclem. Oratio admodum artificiosa.

378 *Jamque tumentem Placavit tibi, sæve, patrem*] Hæc duo hemistichia delenda censet Guyetus.

Non venit. His paulum furor elanguescere dictis
Cœperat, obstreperet quanquam atque obstaret Erinnys.
Jam summissa manus, lente jam flectit habenas,
Jam tacet: erumpunt gemitus, lacrymasque fatetur
Cassis: hebent iræ: pariterque et abire nocentem,
Et venisse pudet; subito cum matre repulsa
Eumenis ejecit fractis Eteoclea portis
Clamantem, Venio, solumque, quod ante vocasti,
Invideo: ne incesse moras, gravis arma tenebat
Mater: io patria, o regum incertissima tellus,
Nunc certe victoris eris. Nec mitior ille,
Tandem, inquit, scis, sæve, fidem? et descendis in æquum?
O mihi nunc primum longo post tempore frater,
Congredere: hæ leges, hæc fœdera sola supersunt.
Sic hostile tuens fratrem: namque uritur alto
Corde, quod innumeri comites, quod regia cassis,

non venit. Cœperat paulum rabies hebescere his verbis, quamvis Furia obstreperet, et impediret. Jam summittit manum, jam segnius regit frænos, jam silet. Gemitus cum impetu exeunt, et galea prodit fletus. Iræ languescunt, et ille erubescit æqualiter recedere et sontem venisse: cum repente Furia, rejecta matre, ejecit Eteoclem perruptis portis vociferantem: Adsum, et invideo solum, quod me primus provocasti. Ne exprobra cunctationem, molesta parens retinebat arma. Io patria, o terra incerta cujus sis regis, nunc certe illius eris, qui vicerit. Nec lenius ille Polynices, Tandem, ait, agnoscis fidem, perfide? et in æquum venis? O nunc primum congredere mecum, germane, longo post tempore: hæc pacta, hæc sola jura restant. Sic respiciens torve fratrem: namque ardet in profundo animo, quod innumeri comites

Unus Behot. *furor liquescere dictis.*—391 *Mater et o patria, o regni incertissima* Behott. 1. 2. Venett. 3. 4. Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. et Gevart. *Mater et o patria, o regum incertissima* Dan. Put. Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Behot. 1. pro v. l. Lindenbrog. et Cruc. *Mater: io patria, o regum incertissima* optimæ Barthii membranæ, Gronov. Barth. Veen. et Delph. Vide Not. Var.—393 Put. *in æquam.*—395 Unus Behot. *hæ leges et fœdera ;*

NOTÆ

391 *Io patria, o regum incertissima*] Id est, nullum certum regem habens. Sup. lib. 'Fulmen io ubi fulmen?' Hunc versum delet Guyetus.

393 *Descendis in æquum*] Jocus ex duplici significatione vocis, *æquum*, quæ pro campo accipi potest, et pro jure seu æquitate.

394 *O mihi nunc primum*] Hic versus insititius videtur Guyeto.

396 *Sic hostile tuens*] Quid istis ineptius, ait Guyetus, et intempestivum magis? 'Ἐπέχω tamen; nam, pergit ille, toto hoc libro dormitat Papinius. Non id tamen lectores judicabunt.

397 *Regia cassis*] Cum diademate.

Instratusque ostro sonipes, quod fulva metallo
Parma micet: quanquam haud armis inhonorus et ipse,
Nec palla vulgare nitens: opus ipsa novarat
Mœoniis Argia modis, et pollice docto
Stamina purpureæ sociaverat aurea telæ.
Jamque in pulvereum Furiis hortantibus æquor
Prosiliunt: sua quemque comes stimulatque, regitque.
Fræna tenent ipsæ, phalerasque, et lucida comunt
Arma manu, mixtisque jubas serpentibus augent.
Stat consanguineum campo scelus, unius ingens
Bellum uteri, coëuntque pares sub casside vultus.
Signa tacent, siluere tubæ, stupefactaque Martis

eum sequantur, quod ei regalis galea, equusque sit coopertus purpura, quod fulvus clypeus auro luceat: quamvis ipse haud habeat indecora arma, nec splendeat plebeia chlamyde. Ipsa Argia confecerat opus Phrygiis modis, et perita manu intexuerat fila aurea telæ purpureæ. Et jam procurrunt in pulverulentum campum stimulantibus Furiis: sua quemque comite instigante et ducente. Ipsæ regunt habenas, et comunt manu phaleras, et fulgentia arma, et amplificant cristas insertis anguibus. Fraternum crimen stat campo: immanis pugna unius uteri, et congrediuntur similes vultus sub galeis. Classica silent, buccinæ obmutuere, et consternati litui Martis.

et ita in aliis codd.—398 Taurin. et Burm. *fulta metallo.* Cf. Theb. I. 144. Vide etiam Gronov. Diatr. p. 358.—401 Unus Behot. *ac pollice docto.*—404 Put. Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. et Gevart. *stimulatque movetque;* Dan. Behott. 1. 2. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *stimulatque regitque;* nonnulli codd. Barthiani: *stimulatque monetque.*—408 *Duellum uteri* optimæ Barthii membranæ, ἀρχαϊκῶς· quod ille probat.—409 *Signa pavent* in uno codice Lindenbrogii.—413 *Re-*

NOTÆ

398 *Fulva metallo*] Pirckaimeri codex *fulta. Metallo*] Auro.

400 *Opus ipsa novarat Mœoniis Argia modis*] Ut Argiam hic Statius, sic Pantheam viro suo vestem nevisse fecit Xenophon. Horatiam commemorat Livius lib. I. paludamentum sponso suo nevisse. *Mœoniis*] Cur *Mœoniis?* an quia ex Lydia, quæ antea 'Mœonia' dicebatur, fuit Arachne lanificii peritissima, ut vult Lactantius? An pro 'Phrygiis,' ob vicinitatem Mœoniæ et Phrygiæ? primi enim Phryges invenere acu facere, inde 'Phrygiones' appellati. 'Mæonia' autem, postea 'Lydia' appellata, regio Minoris Asiæ, ab exortu solis Phrygiæ vicina, a Septemtrione Mysiæ, meridiana parte Cariam amplectens, ad occasum supra Ioniam excurrens, ita dicta a fluvio Mœone.

404 *Sua quemque comes*] Supple, Furia.

407 *Unius ingens Bellum uteri*] Eleganter dictum, pro pugna duorum contra se fratrum.

409 *Signa tacent*] Hic versus et octo sequentes suspecti quibusdam.

Cornua: ter nigris avidus regnator ab oris
Intonuit, terque ima soli concussit, et ipsi
Armorum fugere Dei: nusquam inclyta Virtus,
Restinxit Bellona faces, longeque paventes
Mars rapuit currus, et Gorgone cruda virago
Abstitit, inque vicem Stygiæ rubuere sorores.
Prominet excelsis vulgus miserabile tectis:
Cuncta madent lacrymis, et ab omni plangitur arce.
Hinc questi vixisse senes, hinc pectore nudo
Stant matres, parvosque vetant attendere natos.
Ipse quoque Ogygios monstra ad gentilia manes
Tartareus rector porta jubet ire reclusa.

Rex insatiabilis ter intonuit ab atris plagis, terque tremefecit ima terræ. Et ipsa numina armorum fugerunt. Inclyta Virtus abest, Bellona extinxit tædas, et Mars longe impulit attonitos currus, et virago terribilis Gorgone discessit, et infernæ sorores in eorum locum successerunt accensis. Plebs miseranda prominet e sublimibus tectis. Omnia rigantur fletibus, et ab omni arce planctus audiuntur. Hinc longævi dolent tamdiu vixisse, hinc matres stant detecto pectore, et avertunt parvos natos ab hoc spectaculo. Ipse quoque rex Inferorum, apertis foribus, imperat umbras Ogygias exire, ut videant portenta suæ gentis. Occupant patrios

strinxit Dan. Put. Petav. Behott. 1. 2. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. et Cruc. *Restinxit* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. omnes Barthiani, Petrens. Exc. Cantab. Gevart. Grasser. Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph.—415 *Obstitit* in uno codice Lindenbrogii.—419 'Non inepta lectio: *vetant attendere;* meliores tamen libri *ascendere*, illo supra scripto.' *Barth.*—

NOTÆ

410 *Ter*] Impar numerus in plerisque casibus felicis erat ominis; sed quia hoc a Plutone veniebat, in malum omen erat existimandum. *Avidus*] Quia insatiabilis.

412 *Armorum Dei*] Mars, Minerva, Bellona, ut infra dicitur.

413 *Restinxit Bellona faces*] Bellona enim facem gerebat.

414 *Et Gorgone cruda virago*] Pallas, quæ caput Medusæ seu Gorgonis in media ægide portabat. *Cruda virago*] Bellicosa et armorum tractatrix. Sic 'ferox diva' lib. II. 715. Viraginem etiam Minervam dicit Noster Syl. IV. 5. 'Mea carmina Regina bellorum virago Cæsareo peraravit auro.'

415 *Abstitit*] Legunt alii *Obstitit*. *Stygiæ sorores*] Furiæ. *Rubuere*] Quod furor fratrum ultra modum etiam ipsis intentum procedebat.

418 *Hinc questi, &c.*] Hæ tragœdiæ, ut vocat, Guyeto non placent, et suspectæ sunt, et ille delet 28. versus sequentes.

419 *Parvosque vetant attendere natos*] Ne hinc parricidia et fratricidia discerent.

420 *Ogygios*] Thebanos. *Monstra ad gentilia*] An hi manes eorum qui, orti e dentibus serpentis satis, mutuis se invicem vulneribus confecerunt? Ceterum veteribus persuasum

Montibus insidunt patriis, tristique corona
Infecere diem, et vinci sua crimina gaudent.
Illos ut stimulis ire in discrimen apertis
Audiit, et sceleri nullum jam obstare pudorem,
Advolat, et medias immittit Adrastus habenas.
Ipse quidem regnis multum et venerabilis ævo,
Sed quid apud tales, quis nec sua pignora curæ?
Alternos tamen ille rogat: Spectabimus ergo,
Inachidæ, Tyriique nefas? ubi jura, Deique?
Bella ubi? ne perstate animis: te deprecor, hostis,
(Quanquam, hæc ira sinat, nec tu mihi sanguine longe,)
Te, gener, et jubeo: sceptri si tanta cupido est,

montes, et inquinavere lucem atro cœtu, ac lætantur superari sua scelera. Ut Adrastus accepit eos descendere in certamen odiis manifestis, et nullum pudorem crimini se opponere, accurrit, et immittit medium currum inter eos. Ipse quidem valde venerandus annis, et regia dignitate, sed quid apud tales, quibus nulla erat sanguinis sui reverentia? Illos tamen alternis precatur: Ergone Argivi et Thebani videbimus hoc nefas? ubi leges, et Dii? ubi jura bellorum? ne obstinate animos. Te rogo, hostis, (quamvis te rogare possem, ut mihi genere conjunctum, modo ira hoc sinat te animadvertere,) te rogo, gener, et tibi impero. Si tantus amor est

424 Put. *in discrimina certos.*—426 Uterque Behot. *et mediis;* Behot. vero primus: *habenas.*—427 *Ipse quidem et regnis* Put.—428 Bernartius conjectabat: *Sed quis apud tales?* Put. *quis nunc sua;* Edd. vett. *quis non sua;* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Petav. Behott. 1. 2. et recentt. *quis nec sua.*—429 *Extet honos? tamen, &c.* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *Externos* Dan. Put. Petav. Behott. 1. 2. Lindenbrog. et Cruc. *Alternos* unus Behot. pro v. l. Vide Not. Var. *Spectabimus ergo hoc* Put.—432 *Quanquam haud ira sinat* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. optimæ Barthii membranæ, et Venett. *Quanquam hæc ira sinat* Behott. 1. 2. Dan.

NOTÆ

fuit in aliqua ingenti clade manes, maniumque Deos, oberrare. Hoc ex Poëtarum lectione notare facile est, et tetigit Noster Theb. VII.

428 *Sed quid apud tales*] Aliqui legunt; *Sed quis apud tales.* Sensus: Erat quidem Adrastus, et ratione suæ personæ, et ratione dignitatis regiæ, venerabilis, sed quæ veneratio apud tales, quibus nec pignora, id est, carissimi, ut pater, mater, sorores, et frater, curæ erant?

429 *Alternos*] Id est, alternos fratres, modo hunc, modo illum, aggreditur, et quidem precibus: quod et mox facit. Quidam codices habent *Exter honos*, et *Externos*, nullo sensu.

431 *Ne perstate animis*] Ne perseverate his furoribus. *Vet. Schol.* Virg. Æn. v. 'Nunc quoque mens eadem perstat mihi.' Lucan. lib. III. 'Crebra percussus cuspide perstat.'

432 *Nec tu mihi sanguine longe*] Nam Adrastus origine materna attingebat Agenoridas, seu Cadmi posteros.

Exuo regales habitus: i Lernan, et Argos
Solus habe: non verba magis suadentia frangunt
Accensos, sumtisque semel conatibus obstant,
Quam Scytha curvatis erectus fluctibus unquàm
Pontus Cyaneos vetuit concurrere montes.
Ut periisse preces, geminosque ad prælia fusos
Pulvere cornipedes, explorarique furentum
In digitis amenta videt, fugit, omnia linquens.
Castra, viros, generum, Thebas, ac fata monentem
Conversumque jugo propellit Ariona: qualis
Demissus curru lævæ post præmia sortis
Umbrarum custos, mundique novissimus hæres,
Palluit, amisso veniens in Tartara cœlo.
Non tamen indulsit pugnæ, cunctataque primo
Substitit in scelere, et paulum fortuna morata est.
Bis cassæ periere viæ: bis cominus actos

regnandi, depono regia insignia: vade Lernam, et solus Argis dominare. Hæc mollis oratio non plus movet inflammatos, et impedit semel inceptos nisus, quam mare Scythicum, sublatum undis curvatis, unquam prohibet, quominus scopuli Cyanei sese collidant. Ut cernit irritas preces, duosque equos per campum concurrentes ad certamen, et amenta tentari in dextris furentium, fugit deserens omnia, castra, copias, generum, Thebas, ac egit fatidicum Ariona, jam a jugo ad eum conversum et dicentem futura. Sic rector Manium, et hæres mundi ultimus, post eventum sinistræ sortis, devectus curru, palluit subiens Inferos, perdito cælo. Non tamen fortuna assensit prælio, et primum hæsit in crimine, at paulum cunctata est. Cursus bis fuere irriti: felix error bis deflexit equos propius impulsos, et hastæ non in-

Put. Petav. et edd. vett.—437 *Quam scita* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *Quam Scytha* omnes Barthii codd. Dan. Put. Petav. Behott. 1. 2. Lindenbrog. Cruc. Gevart. Grasser. et recentt.—439 *Utque perisse preces* unus Behot.—440 Put. *exploravitque furentum.*—442 Behot. 1. a m. sec. Venett. 3. 4. Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *ac fata morantem;* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Behott. 1. 2. a m. pr. Lindenbrog. Cruc. Gevart. Grasser. Gronov. Amstel. Barth. Veen. et Delph. *ac fata monentem.*—448 *Sustulit in scelere* Dan.—449 In eodem co-

NOTÆ

437 *Scytha Pontus*] Est Pontus Euxinus: Septemtrionalior enim ejus ora a Scythis accolitur.

438 *Cyaneos concurrere montes*] Symplegades. Vide Th. v. 347.

442 *Fata monentem*] Divinabat enim Arion equus Adrasti.

444 *Lævæ post præmia sortis Umbrarum custos*] Tangit fabulam, qua Jupiter, Neptunus, et Pluto orbem inter se sorte divisisse dicuntur, et Inferos Plutoni obtigisse. 'Læva sors' autem, quia pejor.

449 *Bis cassæ*] Notandum est apud

Avertit bonus error equos, puræque nefandi
Sanguinis obliquis ceciderunt ictibus hastæ.
Tendunt fræna manu, et sævis calcaribus urgent
Immeritos: movet et geminas miserabile Divum
Prodigium turmas, alternaque murmura volvunt
Mussantes; iterare aciem, procurrere sæpe
Impetus, et totum miseris opponere bellum.
Jamdudum terris cœtuque offensa Deorum
Aversa cœli Pietas in parte sedebat,
Non habitu, quo nota prius, non ore sereno,
Sed vittis exuta comam, fraternaque bella,
Ceu soror infelix pugnantum, aut anxia mater,
Deflebat, sævumque Jovem, Parcasque nocentes
Vociferans, seseque polis et luce relicta
Descensuram Erebo, et Stygios jam malle penates.
Quid me, ait, ut sævis animantum, ac sæpe Deorum,

quinatæ scelesto cruore obliquis ictibus ceciderunt. Laxant habenas, et instigant equos immeritos sævis calcaribus. Deplorandum hoc prodigium, quod Dii sinebant, tangit duos exercitus, et illi murmurantes fundunt alternos susurros. Sæpe volunt repetere prælium, procurrere, et opponere miseris totas copias. Pietas terris et Superis infensa jam pridem sedebat in remota plaga cœli, non cultu, quo prius visa, non explicita fronte, sed coma nudata infulis, et deplorabat fraterna certamina, ceu infortunata soror certantium, aut solicita parens; appellans Jovem crudelem, ac Parcas sontes, seque deserto cælo, ac lumine, descensuram in Erebum, et jam malle infernos lares. Quid me, inquit, alma natura generabas, ut resisterem

dice: *cominus actus;* Put. *cominus ictus.*—450 Dan. *paresque nefandi.*—453 Optimæ Barthii membranæ et uterque Behott. *venerabile Divum.*—455 Put. *iterare acies.*—457 In eodem codice: *offensa duorum.*—458 ‘Omnes meliores libri habent: *Adversa;* nihil tamen mutandum videtur.’ *Barth.*—468 Dan.

NOTÆ

Poëtas hunc numerum esse rei non perfectæ, quæ procurabatur. Ita hic etiam Poëta posuit. Ternarius autem solet rem perfectam prænotare. *Vet. Schol.*

453 *Miserabile Divum Prodigium*] Id est, fratres secum invicem dimicantes, quod inter majora prodigia, quibus Dii iram in homines significant, annumerandum erat.

458 *Aversa in parte*] Ut non videret fratres pugnantes: hoc enim spectaculo numen suum violabatur.

462 *Sævumque Jovem, Parcasque nocentes*] Quod tale certamen permitterent.

465 *Ac sæpe Deorum Obstaturam animis*] Sæpe enim jurgia et contentiones ortæ inter Deos, qui omnes sanguine conjuncti sunt.

Obstaturam animis, princeps natura, creabas?
Nil jam ego per populos, nusquam reverentia nostri.
O furor, o homines, diræque Prometheos artes!
Quam bene post Pyrrham tellus pontusque vacabant!
En mortale genus! Dixit: speculataque tempus,
Auxilium tentemus, ait, licet irrita coner.
Desiluitque polo: niveus sub nubibus altis
Quanquam mœsta Deæ sequitur vestigia limes.
Vix steterat campo, subita mansuescere pace
Agmina, sentirique nefas: tunc ora madescunt,
Pectoraque, et tacitus subrepsit fratribus horror.
Arma etiam simulata gerens, cultusque viriles,
Nunc his, nunc illis, Agite, ite, obsistite, clamat,

crudelibus hominum, et sæpe Deorum, consiliis? Pro nihilo videor apud populos, nusquam nostri reverentia. O furor, o homines, ac improba Prometheos opera! Utinam terra et mare post Pyrrham cessassent? En genus mortale! inquit, et, observata temporis opportunitate, Tentemus eos juvare, ait, licet vana moliar: et devolavit de cœlo. Quamquam Dea sit tristis, luminosa semita per excelsas nubes sequitur ejus gressus. Vix descenderat in campum, cum subito copiæ mitescunt, et scelus animadvertitur. Tunc vultus et pectora rigantur lacrymis, ac secretus horror invadit fratres. Ferens etiam ficta arma, et vestes viriles, vociferatur, nunc his, nunc illis: Agite, currite, prohibete, vos, quibus liberi et fratres domi sunt, quibus

Put. Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. omnes Barthiani, Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. et Gevart. *dirique Prometheos artes;* Behott. 1. 2. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *diræque Prometheos artes.* 'Male consulunt sibi et lectoribus nonnulli prisci libri, qui *arces* repræsentant.' *Barth.*—469 Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et edd. vett. *vacarent;* Dan. Put. *vacabunt;* Behott. 1. 2. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *vacabant.*—470 *Et mortale genus* unus Behot.—471 In duobus optimis libris est: *speculataque tempus Auxilio; tentemus ait, &c.* quod non aspernor.' *Barth.* Ita

NOTÆ

468 *Prometheos artes*] Quia Prometheus dicitur ex luto homines formasse.

469 *Post Pyrrham*] Hæc enim, ut volunt fabulæ, genus humanum, jactis post tergum lapidibus, reparasse proditur.

470 *Speculataque tempus, Auxilium tentemus, ait*] Omnes scripti recte habent *auxilio:* modo bene interpungas: *Speculataque tempus Auxilio, tentemus, ait, licet irrita coner.* Utrumque elegantius: *tempus auxilio,* ut sæpe 'locus insidiis' ex Livio, et *tentemus,* sine casu nominis. *Gronovius.*

472 *Niveus sub nubibus altis Quanquam mœsta Deæ sequitur vestigia limes*] Jam diximus numina, cum cœlo desilirent, lucida sui meatus vestigia relinquere.

477 *Arma etiam simulata gerens*] Repetita ex superioribus lib. x. de Virtute.

Quis nati fratresque domi, quis pignora tanta.
His quoque (nonne palam est, ultro miserescere Divos?
Tela cadunt: cunctantur equi: fors ipsa repugnat.
Nonnihil impulerat dubios, ni torva notasset
Tisiphone fraudes, cœlestique ocyor igne
Afforet increpitans: Quid belli obverteris ausis,
Numen iners, pacique datum? cede, improba: noster
Hic campus, nosterque dies: nunc sera nocentes
Defendis Thebas: ubi tunc, cum bella cieret
Bacchus? et armatas furiarent orgia matres?
Aut ubi segnis eras, dum Martius impia serpens
Stagna bibit? dum Cadmus arat? dum victa cadit Sphinx?
Dum rogat Œdipoden genitor? dum lampade nostra
In thalamos Iocasta venit? Sic urget, et ultro
Vitantem aspectus, etiam, pudibundaque longe

cara pignora. Nonne manifestum est sponte Deos misereri? manibus eorum hastæ labuntur: equi recedunt, ipsa resistit fortuna. Paululum excitaverat incertos, nisi dira Tisiphone animadvertisset ejus artes, et advenisset velocior cælesti flamma, objurgans eum. Quid obstas inceptis belli, o Dea inutilis, et paci addita? Exi improba: hic est noster campus, et noster dies. Nunc tarde tutaris sontes Thebas. Ubi tunc eras, cum Bacchus moveret bellum? et orgia verterent in furorem armatas parentes? Aut ubi iners, dum Martius anguis potabat profanos lacus! dum Cadmus arabat? dum Sphinx superata corruit? dum pater precabatur Œdipum, ne eum necaret? dum Jocasta venit in filii thalamum face nostra? Sic instat, et astridentibus serpentibus, urget illam sponte vitantem conspectum ipsius, et longe avertentem

etiam Dan. Vide Not. Var.—479 'Optimi duo libri scribunt: *tanti.* Scripsit sic Papinius.' *Barth.*—483 *Tesiphone* uterque Behot. et sic passim.—490 *Cadmus erat* Dan. Put. Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et edd. vett. *Cadmus arat* Behott. 1. 2. Gronov. Barth. Veen. et Delph. Pro *victa cadit*

NOTÆ

480 *Miserescere*] Causam affert versu sequenti.

483 *Cælesti igne*] Fulmine.

486 *Hic campus, nosterque dies*] Veteres, ut supra diximus, cum aliquo die insigne facinus ediderant, aut aliquod magnum gaudium receperant, dicere solebant: 'Hic meus est dies.'

487 *Cum bella cieret Bacchus? et armatas furiarent orgia matres*] Tangit fabulam Agaves. *Armatas* autem Thyasis.

489 *Aut ubi segnis eras, dum Martius impia serpens Stagna bibit? dum Cadmus arat? dum victa cadit Sphinx? Dum rogat Œdipoden genitor? &c.*] Hæc omnia clara ex precedentibus.

491 *Dum lampade nostra In thalamos Iocasta venit*] Facibus enim accensis deducebantur novæ sponsæ domum maritorum. Et bene *nostra.* Scelus enim inde consequebatur.

Ora reducentem, premit astridentibus Hydris,
Intentatque faces: dejectam in lumina pallam
Diva trahit, magnoque fugit questura Tonanti.
Tunc vero accensæ stimulis majoribus iræ.
Arma placent, versæque volunt spectare cohortes.
Instaurant crudele nefas: rex impius aptat
Tela, et funestæ casum prior occupat hastæ.
Illa viam medium clypei conata per orbem
Non perfert ictus, atque alto vincitur auro.
Tunc exul subit, et clare funesta precatur:
Di, quos effosso non irritus ore rogavit
Œdipodes, firmate nefas, non improba posco
Vota: piabo manus, et eodem pectora ferro
Rescindam, dum me moriens hic sceptra tenentem
Linquat, et hunc secum portet minor umbra dolorem.
Hasta subit velox equitis femur inter, equique

pudibundum vultum, et intentat ei tædas. Dea deprimit pallam super oculos suos, et fugit questura apud magnum Jovem. Tunc vero furores inflammati sunt acrioribus aculeis: bella juvant, et copiæ convertuntur ad illud certamen, tanquam ad spectaculum. Iterant sævam pugnam. Rex impius accommodat tela, et prior emittit funestam hastam. Illa, tentato transitu per medium umbonem scuti, non infligit ictum, et impeditur a denso auro. Tunc profugus subit, et fundit clara voce has funestas preces: Dii, quos Œdipus oculis erutis non frustra oravit, scelus consummate, non facio perversa vota: purgabo dextram, et eodem gladio transfodiam pectus meum, modo hic occumbens deserat me tenentem sceptrum, et umbra inferior auferat secum hunc dolorem. Celeris hasta dirigitur in femur equitis, et ilia equi,

Sphinx, vel, ut exhibent edd. vett. *Sphynx*, Put. habet: *semina surgunt.*—494 Aldd. Colin. Gryph. et Basil. *premit a stridentibus hydris.* Bernartius correxit ex codd.—495 In quibusdam codd. *detectam;* et ita e suo notavit Daum. in margine ed. Barth.—503 *Nunc exul* ed. Gronov. ex negligentia correctoris. *Tunc exul subiit* unus Behot.—504 *Di quos effesso* Put.—505 In eodem codice: *flammate nefas.*—506 Idem codex: *eodem tempora ferro.*—508 Unus Behot. *memor umbra.*—509 *Hasta subit felix* in duobus Barthianis.—510

NOTÆ

498. *Versæque*] Id est, conversæ ad illud certamen, tanquam ad spectaculum.

499 *Rex impius*] Eteocles.

506 *Piabo manus*] Expiabo fratricidium mea morte. Et en quo provehit insana ambitio, et vindictæ furor; nihil pensi habet Polynices, dum fratri vivo et sentienti sceptrum adimat, cujus vel momentaneam possessionem paratus est voluntaria morte mercari.

508 *Minor umbra*] Nempe regio solio deturbati, et victi. Ut Horatius: 'Medumque flumen gentibus additum Victis minores volvere vortices.'

Ilia, letum utrique volens: sed plaga sedentis
Laxato vitata genu; tamen irrita voti
Cuspis in obliquis invenit vulnera costis.
It præceps sonipes strictæ contemtor habenæ,
Arvaque sanguineo scribit rutilantia gyro.
Exultat, fratris credens hunc esse cruorem.
Credit et ipse metu: totis jamque exul habenis
Indulget, cæcusque avidos illidit in ægrum
Cornipedem cursus: miscentur fræna, manusque,
Telaque, et ad terram turbatis gressibus ambo
Præcipitant: ut nocte rates, quas nubilus Auster
Implicuit, frangunt tonsas, mutantque rudentes,
Luctatæque diu tenebris, hyemique, sibique,
Sicut erant, imo pariter sedere profundo.
Hæc pugnæ facies: coëunt sine more, sine arte,

utrique volens mortem: sed eques declinavit ictum soluto genu: mucro tamen haud voti compos subit, et inflixit plagam in obliquis costis equi. Equus rapide currit, spernens adductum frænum, et signavit rubentem campum cruento orbe. Polynices lætatur, ratus hunc sanguinem esse fratris, et ipse Eteocles putat, præ pavore. Et jam profugus laxat totos frænos, et obcæcatus furore impegit præcipiti cursu in equum sauciatum. Habenæ, dextræque, et jacula implicantur, et ambo cadunt in terram, permixtis pedibus. Ut naves, quas caliginosus Auster noctu involvit, rumpunt remos, et mutant funes, ac deprœliatæ diu contra umbras procellamque ac sese invicem, demerguntur una, sicut erant, in imum mare. Hæc est imago certa-

Ilia lentum utrique volans Put.—515 Omnes meliores códd. Barth. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et Behott. 1. 2. *ille cruorem;* in alio Barthii: *ipse cruorem;* Dan. Put. Petav. et edd. omnes: *esse cruorem.*—517 'Male nonnulli scripti libri: *illudit in ægrum.*' Barth.—519 'Optimus liber aliter hæc concipit: *Telaque, moxque solo, turbatis gressibus, ambo Præcipitant.* Quis negabit Papinium sic scripsisse? In secundæ notæ codice scriptum est: *mox terram.* Nihil ab optimo muto.' *Idem.*—521 Unus Behot. *frangunt tonsos;* Dan. *pangunt tensas.* Duo codd. Barthii *mucantque rudentes;* unde ille: *multantque*

NOTÆ

511 *Tamen irrita voti*] Non totius, quia percusserat equum, cui letum volebat.

516 *Credit et ipse*] Eteocles.

519 *Turbatis gressibus*] 'Turbati gressus,' sunt permixti et impliciti, ut non discernatur a spectantibus, utri, cujusque sint. Nam et mox 'enses Impliciti, nexæque manus.'

523 *Sedere*] Consedere, depressæ sunt. Sic lib. IX. 'Huc undæ coëunt, et ineluctabile cœnum Verticibusque cavis sedit.' Prop. lib. II. El. 14. 'Veniat mea littore navis Servata, an mediis sidat onusta vadis.' Seneca Hercule Furente de navi Charontis: 'Sedit, et gravior ratis Utrimque Lethen latere titubanti bibit.'

Tantum animis, iraque, atque ignescentia cernunt
Per galeas odia, et vultus rimantur acerbo
Lumine: nil adeo mediæ telluris, et enses
Impliciti, nexæque manus, alternaque sævi
Murmura, ceu lituos rapiunt, aut signa tubarum.
Fulmineos veluti præceps cum cominus egit
Ira sues, strictisque erexit pectora setis:
Igne tremunt oculi, lunataque dentibus uncis
Ora sonant: spectat pugnas de rupe propinqua
Venator pallens, canibusque silentia suadet.
Sic avidi incurrunt: nec dum letalia miscent
Vulnera, sed cœptus sanguis: facinusque peractum.
Nec jam opus est Furiis: tantum mirantur, et astant
Laudantes, hominumque dolent plus posse furores.
Fratris uterque furens cupit affectatque cruorem,
Et nescit manare suum: tandem irruit exul,
Hortatusque manum, cui fortior ira, nefasque
Justius, alte ensem germani in corpore pressit,
Qua male jam plumis imus tegit inguina thorax.

minis. Congrediuntur sine peritia, sine disciplina, sed tantum animis et furore, et aspiciunt inflammata odia per cassides, et quisque torvis oculis pervestigat alterius vultum. Nihil spatii intererat, et gladii erant impliciti, insertæque invicem manus; ac mutua murmura sunt diris tanquam cornua, aut sonitus tubarum. Ut cum rapidus furor impulit propius ardentes apros, et inflat eorum pectora sub arrectis setis; oculi eorum scintillant, et ora crepitant falcatis dentibus: pallidus venator videt certamen de scopulo proximo, et prohibet canes latrare. Incurrunt pari ardore: nec dum sibi intulerunt mortiferas plagas, sed jam cruor cœpit fundi, et crimen est consummatum. Nunc non opus est, ut Furiæ eos stimulent: tantum illæ mirantur, et astant laudantes, et dolent humanam rabiem suam vincere. Uterque furens avet, et sitit sanguinem fratris, et ignorat suum fluere. Tandem profugus Polynices, cui ira erat fortior et justius scelus, irruit, et dextram hortatus, adegit alte gladium in corpus fratris, qua ima pars loricæ non bene operit squamis

rudentes, vel: *rumpuntque rudentes.*—527 Optimæ Barthii membranæ: *nil adeo medium;* quod verum putat.—528 *Inlicitique innexæque* Put.—532 *Igne premunt* in eodem libro; *Igne micant* unus Behot. pro v. l. *laniataque dentibus* Behot. 2. et pro v. l. *lunataque.*—536 Put. *sed cætus.* Unus Behot. *facinusque peractum est.*—542 Unus Behot. *germani corpore.*—543 *Quam male jam plumis*

NOTÆ

527 *Telluris*] Supple intererat.

528 *Alternaque Murmura, &c.*] Id est, excitantur suis invicem murmuribus, tanquam si litui et tubæ canerent.

537 *Astant Laudantes*] Furiæ.

Ille dolens nondum, sed ferri frigore primo
Territus, in clypeum turbatos colligit artus,
Mox intellecto magis ac magis æger anhelat
Vulnere, nec parcit cedenti, atque increpat hosti:
Quo retrahis, germane, gradus? o languida somno,
Et regnis effœta quies! longaque sub umbra
Imperia! exilio rebusque exercita egenis
Membra vides: disce arma pati, nec fidere lætis.
Sic pugnant miseri: restabat lassa nefando
Vita duci, summusque cruor, poterantque parumper
Stare gradus: sed sponte ruit, fraudemque supremam
In media jam morte parat: clamore Cithæron
Erigitur, fraterque ratus vicisse, levavit
Ad cœlum palmas. Bene habet: non irrita vovi,
Cerno graves oculos, atque ora natantia leto.

suis inguina. Ille Eteocles, nondum dolorem sentiens, sed consternatus primo frigore laminæ, se totum turbatus in scuto colligit. Mox cognita magis ac magis fratris plaga, æger Polynices anhelat, et imminet hosti recedenti, atque ei insultat: Quo, frater, retrocedis? O iners somno desidia, et effœta regni mollitie! et longum imperium in alta quiete! Cernis artus induratos exilio et calamitatibus. Disce ferre arma, nec fidere prosperis rebus. Sic certant miseri. Paululum vitæ deficientis et supremi sanguinis supererat scelesto regi, et pedes paulisper consistere poterant: sed ultro cadit, et jam molitur ultimam fraudem in media morte. Cithæron, excitato spectatorum clamore, resonat, et germanus Polynices putans se vicisse, tendit manus ad cœlum. Bene est, vota non fuerunt vana. Video gravatos

---

imis Aldd. Colin. Gryph. et Basil.—545 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. et edd. vett. *turbatus;* Behot. 1. *turbatos*, interpolatis postremis literis: ita edd. Grasser. Gevart. Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph.—547 Dan. Put. Petav. Lindenbrog. et Cruc. *increpat, hostis Quo, &c.* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Behot. 1. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Grasser. Gevart. et Amstel. *increpat hostem: Quo, &c.* Behot. 2. *increpat hoste, Quo, &c.* Vide Not. Var. Nic. Heinsius ad Ovid. Heroid. Epist. legit: *hostes;* i. e. hostiles. Cf. vs. 22. supra.—548 Put. *hoc languida somno.*—549 In eodem libro: *hoc longa sub umbra.*—553 Unus Behot. *poteratque parūper.*—557 Dan.

NOTÆ

545 *In clypeum turbatos colligit artus*] Virgilius Æn. XII. 'Et se collegit in arma.'

546 *Æger*] Polynices.

547 *Atque increpat hosti:* [*hostem:*] *Quo retrahis, germāne, gradus*] Legendum censet Nicolaus Heinsius: *Atque increpat, hostes Quo retrahis, germane, gradus?* non, ut nunc legitur, *hostis*, vel *hosti*, vel *hostem.*

554 *Fraudemque supremam*] P. Syrus: 'Boni est viri etiam in morte nullum fallere.'

555 *Clamore*] Spectantium scilicet.

Huc aliquis propere sceptrum atque insigne comarum,
Dum videt. Hæc dicens gressus admovit, et arma,
Ceu templis decus et patriæ laturus ovanti,
Arma etiam spoliare cupit: nondum ille peractis
Manibus, ultrices animam servabat in iras.
Utque superstantem, pronumque in pectore sensit,
Erigit occulte ferrum, vitæque labantis
Reliquias tenues odio supplevit, et ensem
Jam lætus fratris non frater corde reliquit.

oculos, et vultum leto immersum. Huc aliquis cito afferat sceptrum, et diadema, dum ille videt. Hæc loquens appropinquavit, et vult etiam detrahere arma, velut ea in triumphum Thebas portaturus, et iis decoraturus templa. Nondum illi peracta erat vita, et ille custodiebat animam, ut se vindicaret. Utque animadvertit fratrem suprastantem, et inclinatum pectori suo, levavit clam ensem, et firmavit odio tenues reliquias vitæ deficientis, et jam exultans frater reliquit gladium in corde

Put. Petav. Lindenbrog. et Cruc. *an irrita.*—559 Put. *insigne coronæ.*—562 Nic. Heinsius in Advers. lib. III. cap. 9. p. 464. legit: *nondum ille peractus Manibus:* ita nimirum contendit corrigi debere. Cf. Theb. VIII. 9. seqq. de Amphiarao.—563 Edd. vett. *ultricemque.*—564 'Scribendum cum unis optimis membranis: *in pectora.*' Barth.—567 *Jam lætus frater fratris sub corde reliquit* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plaut. *Jam lætus fati fraterno in corde reliquit* Behot. 1. Dan. Put. Petav. Lindenbrog. et

NOTÆ

559 *Huc aliquis propere sceptrum, atque insigne comarum, Dum videt*] Aposiopesis. Supprimitur enim verbum, 'afferat,' aut aliud simile. Verba sunt Polynicis fratri morienti insultantis. Huc aliquis mihi protinus afferat sceptrum et diadema, quod Noster vocat *insigne comarum*, ut frater, dum exiguum adhuc ei vitæ superest, aspiciat me regni Thebani insignia gestantem; eoque dolore moriens torqueatur. Hæc enim fuit summa votorum ipsius, quæ supra expressit his verbis: 'Non improba posco Vota, piabo manus, et eodem pectora ferro Rescindam, dum me moriens hic sceptra tenentem Linquat, et hunc secum portet minor umbra dolorem.'

560 *Et arma*] In vetustissimo optimoque codice versus margini est ascriptus, tanquam per parenthesim huic subjungendus: *Demens, qui primo fratrem haud spoliaverit ense.* De quo esto aliorum censere: ego intrudere nolim, etsi nec sit malus, et sententiam habeat oppido quam bonam, cum in nullo alio libro ejus extet vestigium. Locutio etiam Virgiliana. Æn. IX. 'Demens, qui Rutulum in medio non agmine regem Viderit irrumpentem, ultroque incluserit urbi.'

563 *Ultrices*] Alii legunt *ultricem.*

567 *Jam lætus fratris non frater* [*frater fratris sub*] *corde reliquit*] Variant, scripti codices. Alii *jam lætus fati;* alii *fraterno in corde*, et *fratri fraterno corde.* Sed codex Berneggeri *fratris non frater corde reliquit:* idemque invenitur in codice Bavar. et Monaciensi, et explicandum est,

Ille autem, Vivisne? et adhuc manet ira superstes,
Perfide, nec sedes unquam meriture quietas?
I mecum ad manes: illic quoque pacta reposcam,
Si modo Agenorei stat Gnossia judicis urna,
Qua reges punire datur. Nec plura locutus,
Concidit, et totis fratrem gravis obruit armis.
Ite truces animæ, funestaque Tartara leto
Polluite, et cunctas Erebi consumite pœnas.
Vosque malis hominum, Stygiæ, jam parcite, Divæ.
Omnibus in terris scelus hoc, omnique sub ævo
Viderit una dies, monstrumque infame futuris
Excidat, et soli memorent hæc prælia reges.
At genitor, sceleris comperto fine, profundis
Erepsit tenebris, sævoque e limine profert

fratris. Ille autem Polynices: Vivisne? et adhuc post te ira manet, perjure, nec unquam meriture tranquillas sedes? Descende mecum in Inferos: illic etiam fidem repetam, si tamen quæsitor Cretensis, Agenoris nepos, urnam moveat, qua reges plectantur. Nec fatus plura, corruit, et oppressit germanum toto armorum pondere. Ite feroces animæ, et contaminate morte vestra atros Inferos, et exhaurite omnia Erebi supplicia. Vosque, Deæ Stygiæ, jam ignoscite criminibus hominum: unica dies spectaverit hoc scelus in universis terris, et in omni ævo, ac infandum portentum effluat e nepotum memoria, solique reges recordentur hoc certamen. At pater, ut audit crimen consummatum, deserit obscurum antrum, et producit e crude-

Cruc. *Jam lætus fratri fraterno in corde* Behot. 2. Vide Not. Var.—570 *Huc mecum* Put.—572 *Quæ reges* Dan. *Qui reges* Behot. 1. et Behot. 2. a m. sec. 'Omnino legendum *Quæ*, ut diserte præferunt duo optimi libri.' *Barth.*—581

NOTÆ

non fraterno animo. Nihil erant illa priora: hoc demum lætus erat, hoc maxime placebat eorum, quæ tanquam minime frater fratri fecerat. Pertinet huc illud, quod est simile Ovidiano: 'Pugnat materque sororque,' pro materno et sororio affectu. *Gronovius.*

569 *Quietas*] Quia in mortem ipsam usque sceleratus es. *Vet. Schol.*

571 *Agenorei stat Gnossia judicis urna*] Minois scilicet, Agenoris per Europam filiam nepotis, et qui in Creta, cujus Gnossos caput, justissime regnaverat: unde apud Inferos post mortem judex factus creditur.

575 *Consumite*] Id est, omnes sustinete pœnas. Lactantius explicat: 'Subite transeundo.'

576 *Stygiæ Divæ*] Eumenides, Furiæ.

578 *Una dies*] Ista tantum, quo factum est certamen.

579 *Et soli memorent hæc prælia reges*] Ut caveant, ne in similes incidant contentiones, quarum tam infaustus solet esse exitus.

580 *Genitor*] Œdipus.

Mortem imperfectam: veteri stat sordida tabo
Utraque canities, et durus sanguine crinis
Obnubit furiale caput: procul ora, genæque
Intus, et effossæ squalent vestigia lucis.
Virgo autem impositæ sustentat pondera lævæ,
Dextra sedet baculo: qualis si puppe relicta
Exosus pigri manes sulcator Averni
Exeat ad Superos, solemque et pallida turbet
Astra, nec ipse diu fortis, patiensque superni
Aëris: interea longum cessante magistro
Crescat opus, totisque expectent sæcula ripis.
Talis init campum, comitique extrema gementi,
Duc, ait, ad natos, patremque recentibus oro
Injice funeribus: cunctatur nescia virgo
Quid paret: impediunt iter, implicitosque morantur
Arma, viri, currus, altaque in strage seniles
Deficiunt gressus, et dux miseranda laborat.

libus foribus mortem imperfectam. Cani crines et cana barba squalent antiqua sanie, ac capilli cruore concreti tegunt horridum caput. Os et genæ longe introrsum recedunt, et cavi sinus erutorum oculorum sordent. Puella autem sustinet pondus impositæ manus sinistræ, dextra scipione innititur. Qualis portitor pigri Averni, si iratus umbris revisat Superos, deserta cymba, et suo aspectu turbet solem ac pallida reddat astra; quamvis non diu possit sustinere lucem: et interea, nauta multum tardante, opus crescat, et umbræ illum præstolentur in omnibus ripis. Talis Œdipus petit campum, et dixit comiti multum gementi, Duc, precor, ad liberos, et injice patrem in eorum recentia cadavera. Puella cunctatur ignara quid ille volvat animo. Arma, homines, currus impediunt viam, et retardant illos iis implicitos. Senex ægre incedit per celsum cumulum occisorum, et deploranda dux fatigatur. Ut

Erupit tenebris Dan. *Erepsit latebris* optimæ Barthii membranæ.—582 Dan. *fit sordida tabo.*—583 Put. *et duri sanguine crines.*—584 *Obnubit ferale caput* correxit Marklandus ad Sylv. v. 1. 219.—588 Behot. 1. Aldd. Colin. Gryph. et Basil. *nigri m. s. Averni*: Bernartius correxit ex codd. manuscriptis.—600

NOTÆ

582 *Mortem imperfectam*] Sic vocat cæcitatem; cæci enim, cum non fruantur luce, pæne mortui judicantur.

583 *Utraque canities*] Capitis scilicet, et barbæ.

588 *Pigri sulcator Averni*] Charon Inferorum portitor.

590 *Nec ipse diu*] Qui enim diu in tenebris sederunt, cum inde exeunt, vix lucem perferre possunt. Quidam et nimio lumine visum amiserunt.

591 *Magistro*] Nauta, portitore.

592 *Sæcula*] Pro hominibus posuit, secutus Lucretium, qui dixit lib. v. 'Inde loci mortalia sæcla creavit.' Et ibidem: 'Tum tibi terra dedit primum mortalia sæcla.'

595 *Virgo*] Antigone.

Ut quæsita diu monstravit corpora clamor
Virginis, insternit totos frigentibus artus.
Nec vox ulla seni: jacet, immugitque cruentis
Vulneribus, nec verba diu tentata sequuntur.
Dum tractat galeas, atque ora latentia quærit,
Tandem muta furens genitor suspiria solvit:
Tarda meam, pietas, longo post tempore mentem
Percutis? estne sub hoc hominis clementia corde?
Vincis me miserum, vincis, natura, parentem.
En habeo gemitus, lacrymæque per arida serpunt
Vulnera, et in molles sequitur manus impia planctus.
Accipite infandæ justa exequialia mortis,
Crudeles, nimiumque mei: nec noscere natos,
Alloquiumque aptare licet: dic, virgo, precanti,
Quem teneo? quo nunc vestras ego sævus honore
Prosequar inferias? o si fodienda redirent

ejulatus puellæ ostendit corpora diu investigata, injecit totum se in rigentes filios. Nec vox ulla est grandævo. Stratus ululat tangendo sanguineas plagas, nec verba diu quæsita illi veniunt. Dum tangit cassides, et scrutatur vultus sub iis abditos, tandem furens pater laxavit gemitus, quos dolor retinuerat: Sera pietas, post longum tempus tangis meum animum? Estne commiseratio in hoc hominis corde? Expugnas me, natura, expugnas infelicem patrem. En suspiro, et fletus fluunt ex extinctis oculis. Jam manus impia sequitur teneros planctus tundendo pectus meum. Accipite funebres inferias sceleratæ necis, sævi et nimium mei. Nec licet videre natos, nec hos alloqui. Dic, puella, mihi roganti, quem teneo? Quo nunc honore crudelis afficiam vestra funera? O si restituerentur oculi, quos possem

Unus Behot. *instravit totos.*—604 *Tandem multa* Dan. et Behott. 1. 2.—609 *Lumina* in quibusdam codd. Sed vide Nic. Heins. ad Ovid. Tom. I. 96. 'Melior lectio optimorum duorum, et Bernartii librorum: *et in molles sequitur*

NOTÆ

602 *Nec verba diu tentata sequuntur*] Imitatio ex Ovidio Met. XI. 'Lingua tacet; nec vox tentataque verba sequuntur.' Virg. Æn. XII. 'Nec vox aut verba sequuntur.'

606 *Sub hoc hominis*] Id est, meo, demonstrative.

608 *Per arida serpunt Vulnera*] Per oculos effossos: et cæcitatem *aridam* dixit, eo quod, deficientibus oculis, lacrymarum origo cessaverit.

609 *Molles*] Miseris enim molliores animi.

610 *Exequialia mortis*] In morte vestra lacrymas fundo, quibus solis vobis parentare possum.

611 *Nimiumque mei*] Id est, similes criminibus. Cruceus existimat Œdipum appellare filios 'nimium suos,' quod sint ejus filii simul et fratres, ut ex incestis Jocastæ nuptiis procreati.

Lumina, et in vultus sævire ex more potestas!
Heu dolor, heu justo magis exaudita parentis
Vota, malæque preces! quisnam fuit ille Deorum,
Qui stetit orantem juxta, præceptaque verba
Dictavit fatis? furor illa, et movit Erinnys,
Et pater, et genitrix, et regna oculique cadentes;
Nil ego: per Ditem juro dulcesque tenebras,
Immeritamque ducem, subeam sic Tartara digna
Morte, nec irata fugiat me Laius umbra.
Hei mihi, quos nexus fratrum, quæ vulnera tracto!
Solvite, quæso, manus, infestaque vincula tandem
Dividite, et medium nunc saltem admittite patrem.
Talia dequestus, paulatim sumserat iras
Mortis, et occulte telum, ni nata vetaret,
Quærebat; sed casta manu subtraxerat enses
Antigone: furit inde senex: Ubi noxia tela?

eruere, et facultas adhuc esset sæviendi, ex more, in meam faciem. Heu dolor, heu plus æquo exaudita patris vota, et diræ preces. Quodnam illud fuit numinum, quod affuit precanti, et dedit fatis exequenda verba mihi jussa? Hæc posuit in ore furor, et Erinnys, et genitor, ac mater, regnumque, et effossi oculi; nihil ego contuli. Testor Plutonem, gratamque cæcitatem, et ducem innoxiam; sic ingrediar Inferos merita morte, et umbra irata Laii mihi semper obversetur ante oculos. Heu me, quos amplexus fratrum, quas plagas tango? Laxate, precor, manus, et dirimite tandem invisos nexus, et nunc saltem admittite medium patrem. Inter hos questus, paulatim ceperat cupidinem moriendi, et clam telum quærebat, sed casta Antigone prohibuit, subtractis ensibus. Hinc longævus furore corripitur: Ubi

manus impia planctus.' Barth.—621 *Hæc ego* Put.—627 *Talia conquestus* Aldd. Colin. Gryph. et Basil. *Talia dequestus* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Behott. 1. 2. et edd. recentt.—629 Marklandus ad Sylv. III. 4. 87. correxit: *sed cauta manu.* 'Plerique manuscripti libri habent *subrepserat*; quod fortasse ex *suppresserat* natum. Nihil tamen a vulgata lectione mutan-

NOTÆ

616 *Exaudita parentis Vota, malæque preces*] Liberi maxime cavere debent, ne provocent iram parentum: irati enim erumpunt in vota contra filios, quæ nimium exaudiuntur a Deo, ut constat pluribus exemplis.

619 *Dictavit fatis*] Ut evenirent fataliter fecit.

621 *Nil ego*] Miseri enim et nocentes scelera sua potius Diis cœloque ascribunt, quam sibi. Vide supra.

623 *Nec irata fugiat me Laius umbra*] Virgilius Æn. IV. 'Omnibus umbra locis adero.'

627 *Dequestus*] Frequens Papinio verbum lib. I. 'Similesque notos dequestus et imbres.' Sidonius lib. IX. Ep. 9. 'Longum tacere nos, vir sacratissime, in commune dequestus es.'

Heu furiæ, num totum abiit in corpora ferrum?
Dicentem comes ægra levat, mutumque dolorem
Ipsa premit, sævum gaudens planxisse parentem.
Olim autem inceptæ clamore exterrita pugnæ
Regina extulerat notum penetralibus ensem,
Ensem sceptriferi spolium lacrymabile Laii.
Multaque cum Superis et diro questa cubili,
Et nati furiis, et primi conjugis umbris,
Luctata est dextra, et prono vix pectore ferrum
Intravit tandem, et venas prorupit aniles
Vulnus, et infelix lustratur sanguine lectus.
Illius exili stridentem in pectore plagam
Ismene collapsa super lacrymisque comisque
Siccabat plangens: qualis Marathonide sylva
Flebilis Erigone, cæsi prope funera patris,

letalia tela? Heu furiæ, an totum ferrum conditum est corporibus filiorum? Comes mœsta erigit loquentem, et ipsa dissimulat tacitum luctum, læta quod fleverit crudelis pater. Verum regina consternata clamore inchoati prælii extraxerat e penetralibus notum gladium, flebile gestamen regis Laii. Et cum multa expostulasset cum Superis, et incesto lecto, et furiis filii, ac umbra prioris mariti, obnixa est dextra, et inclinato pectore in ferrum, tandem illud intravit, et plaga secuit seniles venas, et infortunatum cubile expiatur cruore suo. Ismene corruens super matrem tergebat fletibus suis ac capillis vulnus, quod stridebat in debili illius pectore. Qualis deploranda Erigone in nemore Marathonio, juxta cadaver occisi patris, exhaustis

dum.' *Barth.*—632 Put. *comes atra levat.*—640 'In majore librorum parte *irrupit* scribitur. Nihil tamen mutandum.' *Barth. prorumpit aniles* Put.—641 Behot. 1. 2. *in sanguine pectus;* sed Behot. 1. pro v. l. habet *lectus.* Nonnulli

NOTÆ

631 *Corpora*] Filiorum scilicet.

635 *Regina*] Jocasta.

638 *Furiis*] Parricidio, et incesto.

639 *Luctata est dextra*] Ob debilitatem scilicet manus, et senium. Sunt et auctores qui tradunt Jocastam laqueo vitam finivisse.

641 *Lustratur*] Expiatur. Pollutus enim fuerat incestu cum filio.

644 *Qualis Marathonide sylva, &c.*] Sylva fuit prope Marathonem Atticæ locum, ubi Icarius pater Erigones peremtus fuit a pastoribus. Ad quem locum cum pervenisset Erigone, præeunte cane, et patrem occisum vidisset, nimio dolore victa, se laqueo ad arborem interfecit, electis fortioribus ramis, ne forte infirmioribus fractis lapsu corporis mortem effugeret. Pinu postea, in qua pependerat, hanc regionem, ejus umbra, infestante, incolæ, ad placandos ejus manes, ora in humanam speciem ipsi efformata in eadem arbore suspenderunt, ac pastorum frequentia ac cantibus diem celebrem fecerunt. Ad quod forte alludit Virgilius: 'Tibique Oscilla ex alta suspendunt mollia pinu.'

Questibus absumtis tristem jam solvere nodum
Cœperat, et fortes ramos moritura legebat.
At jam, læta ducum spes elusisse duorum,
Res Amphionias alio sceptrumque maligna
Transtulerat Fortuna manu, Cadmique tenebat
Jura Creon. Miser heu bellorum terminus! illi
Pugnarant fratres: hunc et Mavortia clamant
Semina, et impensus patriæ paulo ante Menœceus
Conciliat populis: scandit fatale tyrannus
Flebilis Aoniæ solium: pro blanda potestas,
Et sceptri male suadus amor! nunquamne priorum
Hærebunt documenta novis! juvat ecce nefasto
Stare loco, regimenque manu tractare cruentum.
Quid melior Fortuna potest? jam flectere patrem

lamentis jam cœperat laxare tristem nodum, et eligebat validiores ramos, ut se suspenderet. At jam fortuna gaudens decepisse vota duorum regum, alio transmiserat, iniqua dextra, imperium et sceptrum Amphionis, et Creon occupabat regnum Cadmi. Infortunatus heu finis bellorum! Germani pro illo decertaverant. Martia semina hunc vocant, et Menœceus, qui paulo ante se devoverat pro patria, dat ei favorem civium. Ascendit tyrannus in funestum solium miserandæ Bœotiæ. Proh lenocinans potestas, et malesuada regnandi libido! Nunquamne exempla regum priorum infigentur successorum animis! En placet insidere nefariæ sedi, et manu tenere sanguineum sceptrum. Quid non possunt res secundæ? Jam incipit paternos affectus

Barthiani habent etiam *pectus.*—646 Put. *jam vulnere nodum.*—647 'Melior est scriptura optimi aliorumque codicum, *ligagbat;* quam concinnare non erat librariorum. Cum nostris libris faciunt Lindenbrogianus melior, et vett. duo edd. Alterum tamen tuetur Lutatius.' *Barth. ligabat* habent etiam Buslid. et Behot. 2. pro v. l.—652 Jortinus pro *clamant* conjectabat *clarant.* 'Minime mutandum *clamant;* nam rei inanimatæ sæpe hoc verbum tribuitur, pro indicant, manifestant, testes sunt. Propert. I. 18. 18. 'Et non ulla meo clamat in ore fides:' ubi plura habet Passeratius.' *Burman.*—654 *Conciliat populos* unus Lindenbrogii.—656 *Et sceptri male suasus amor* unus Behot. *male suadus honor* unus Barth.—658 Unus Behot. *regnumque.*—660 Codd. Linden-

NOTÆ

646 *Jam solvere*] Id est, laxare, ut se strangularet. *Nodum*] Laqueum.

649 *Amphionias*] Thebanas, ab Amphione.

650 *Cadmique tenebat Jura Creon*] Pausanias Creontem non regem facit, sed tantum tutorem regis parvuli Laodamantis Eteoclis filii.

651 *Illi Pugnarant*] Vide Theb. I. 42. *Illi*] Creonti.

652 *Clamant*] Ad regni successionem.

659 *Jam flectere patrem Incipit*] Eodem spectat oratio Charidemi ad Darium apud Curtium lib. III. cap. 7. 'Tu quidem licentia regni subito mutatus, documentum eris posteris,

Incipit, atque datis abolere Menœcea regnis.
Primum adeo sævis imbutus amoribus aulæ,
Indicium specimenque sui, jubet igne supremo
Arceri Danaos, nudoque sub axe relinqui
Infelix bellum, et tristes sine sedibus umbras.
Mox reducem Ogygiæ congressus limine portæ
Œdipoden timuit paulum, seseque minorem
Confessus tacite, promtamque coërcuit iram.
Mox redit in regem, cæcumque audentibus hostem
Increpitans, Procul, inquit, abi victoribus omen
Invisum, et Furias averte, ac mœnia lustra
Discessu Thebana tuo: spes longa peracta est.
Vade, jacent nati: quæ jam tibi vota supersunt?
Horruit instinctu rabido, steteruntque trementes,
Ceu visu præsente, genæ, seniumque recessit.
Tunc natam baculumque manu dimisit, et iræ

inflectere, et delere memoriam Menœcei, adepto principatu. Itaque infectus crudelis aulæ moribus, dedit hoc primum sui experimentum et documentum: imperat Græcos summoveri a supremis flammis, et in bello occisorum cadavera deseri sub aperto aëre, et mœstos manes vagari. Mox in limine portæ Ogygiæ habens obviam Œdipum qui revertebatur, eum paulum reveritus est, et tacite se confessus est ei inferiorem, et repressit erumpentem iracundiam. Deinde resumit animum tyranni, et objurgans audacius cæcum inimicum: Longe, ait, exi, præsagium odiosum victoribus, et detorque Furias, et expia exitu tuo muros Thebanos. Longa tua vota adimpleta sunt. I, periere liberi. Quid tibi jam restat optandum? Horruit Œdipus motu furioso, et palpebræ antea trepidantes steterunt fixæ, seu habuisset oculos, et abiit senium. Tunc reliquit filiam, et scipionem, et fultus ira protulit hæc verba feroci

brogii: *atque Ditis.*—661 Put. *imbutus moribus.* 'Omnino cum nostris melioribus, et uno tali ex Lindenbrogii codicibus, scribendum est: *imbutus moribus aulæ.*' Barth.—668 *Sed redit in regem* Burm. Taurin. Dan. et Behott. 1. 2. *cacumque* Dan. *audentius* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Burm. unus Behot. Dan. Put. Petav. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. et Cruc. ut malint Jortinus, et Burman. ad Ovid. Art. I. 608. *audacius* alter Behot. *audentibus* Gronov. Barth. et Veen.—673 Put. Petav. Behott. 1. 2. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. et Cruc. *steterantque trementes;* Dan. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *steteruntque trementes.* —674 *Ceu visæ squalore genæ* Put.—676 Dan. Petav. Behott. 1. 2. Lang. Laur.

NOTÆ

cum se permisere fortunæ, etiam naturam dediscere.'

660 *Menœcea*] Menœcei memoriam, virtutes.

661 *Amoribus* [*Moribus*] Alia lectio, *amoribus*, sed altera melior videtur.

662 *Jubet igne supremo, &c.*] Hoc jam notum est.

Innixus tumido vocem de pectore rumpit:
Jamne vacat sævire, Creon? modo perfida regna
Fortunæque locum nostræ, miserande, subisti,
Et tibi jam fas est regum calcare ruinas?
Jam tumulis victos, socios jam mœnibus arces?
Macte, potes digne Thebarum sceptra tueri.
Hæc tua prima dies: sed cur nova contrahis amens
Jura? quid anguste tantos metiris honores?
Exilium intendis? timida inclementia regum
Ista: feros avidus quin protinus imbuis enses?
Crede: licet veniat cupidus parere satelles,
Intrepidusque secet non evitantia colla.
Incipe: an expectas ut pronus supplice dextra
Sternar? et immitis domini vestigia quæram?
Finge autem tentare, sines? mihine ulla minaris
Supplicia? aut ullos reris superesse timores?

pectore: Jamne, o Creon, te decet sævire? Modo miser adeptus es perfidum imperium, et sedem dignitatis nostræ, et tibi jam licet proterere jacentes reges? Jam prohibes victos a sepulcris, et cives patria? Macte, potes digne tenere sceptrum Thebanum. Hæc est tua dies prima. Sed cur demens restringis recentem potentiam? Quid angustam reddis tantam dignitatem? Minaris exilium? Hæc sævitia arguit pavorem principum. Quin potius avidus meo sanguine statim inficis sævum gladium? Crede, lictor promtus ad obsequendum accedat: licet, et nihil metuens amputet cervicem non declinantem. Aggredere: an expectas ut curvatus supplex procumbam, et quæram porrectis manibus pedes sævi domini? Pone velim, permittas? Mihine intentas aliquas pœnas? aut arbitraris ullos metus mihi restare? Imperas deserere

Buslid. Lipsian. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. et Cruc. *de pectore rupit;* Put. et edd. recentt. *de pectore rumpit.*—677 *Jamne vovcat* Behot. 1. expuncta litera *a*, relictum *vovet*, cum his gloss. 'Id est, desiderat. Alias est *vacat:* i. e. tempus estne jam sæviendi?'—679 Dan. *regum inculcare ruinas.*—680 *Jam tumulis junctos socios, &c.* Aldd. Colin. Gryph. et Basil. correxit Bernartius ex codd. manuscriptis.—682 *Hæc tibi prima dies* unus Behot. —685 Put. *imbuit enses.*—686 'Distinctio vitiata nonnihil. Scribe: *Crede*

NOTÆ

677 *Perfida regna*] Ob Eteoclis perfidiam.

682 *Hæc tua prima dies*] Hoc tui specimen prima die imperii tui. *Nova contrahis*] Cur parce usurpas tua jura, cur ea contrahis, quæ extendere debebas? rudis adhuc es, nec expertus, quid tyranno liceat.

683 *Anguste metiris honores*] Exilium imperas ei, quem potes occidere. Cur non sævius aliquid jubes? Ista mihi parva sunt, qui sponte in me ipsum aliquid crudelius exercui.

Linquere tecta jubes? cœlum terrasque reliqui
Sponte, atque ultricem crudelis in ora retorsi
Non ullo cogente manum: quid tale jubere,
Rex inimice, potes? fugio, excedoque nefandis
Sedibus: an refert, quo funera longa, measque
Transportem tenebras? ne non gens cuncta precanti
Concedat, patriæ quantum miser incubo terræ?
Sed dulces Thebæ! nimirum hic clarior ortus,
Et meliora meos permulcent sidera vultus.
Hic genitrix, natique: habeas Thebana regasque
Mœnia, quo Cadmus, quo Laius omine rexit,
Quoque ego: sic thalamos, sic pignora fida capessas:
Nec tibi sit virtus fortunam evadere dextra;
Sed lucem deprensus ames: satis omina sanxi:
Duc, age, nata procul: quid te autem luctibus addo?
Da, rex magne, ducem: timuit miseranda relinqui
Antigone, mutatque preces: Felicia per te

urbem? Ultro deserui cœlum terramque, ac sævus converti vindicem manum in proprium vultum, nullo adigente. Quid rex in tuo odio tale potes imperare? fugio et emigro nocentibus locis. An interest, quo transferam longam mortem, et noctes meas? Non ne omnis natio indulgebit roganti mihi tantum terræ, quantum miser occupo in patria? Sed blandæ Thebæ: nempe ortus solis hic mihi clarior est, et gratiora astra recreant meos oculos. Hic mater, et nati. Habeas Thebas, et eas gubernes iisdem auspiciis, quibus Cadmus eas gubernavit, quibus Laius, et quibus ego. Habeas tale conjugium, et æque pios liberos. Nec ea sis virtute præditus, ut possis manu tua effugere miseram sortem; sed ignavus diligas vitam. Satis imprecatus sum. Duc me longe, filia. Sed cur te adjiciam meis calamitatibus? Præbe mihi ducem, rex magne. Misera Antigone metuens avelli a patre, mutat preces: Te

licet: Veniat cupidus, &c.' Barth.—692 ' Melior emphasis in lectione optimi exemplaris: *cœlumque terramque.* Id est elementa ipsa aëris et terræ. Cum alternum illud regiones tantum indicare videatur. Sic et unus ex reliquis libris.' *Barth.*—697 ' Obscurior sermo, quem, vere ut Divus ex machina quidem, expedit more suo, ille omnium optimus maximus liber: *an non:* sensu clarissimo: An non quælibet gens mihi tantum terræ concedet, quantum patriæ terræ hic incubo?' *Idem. nec non* unus Behot.—701 *Huic genitrix* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. nonnulli codd. Barthiani et Venett. 3. 4. *Hinc genitrix* Behot. 1. et Dan. *Hic genitrix* Put. Petav. et edd. vett.—706 ' In libris nonnullis est: *Dux age nata procul:* id est, præ te age, aut duc manu. Ta-

NOTÆ

704 *Nec tibi sit virtus fortunam evadere dextra*] Postquam omnia calamitatum genera imprecatus est Creonti, addit illud ultimum, ut illi animus non sit ad effugienda tot mala generosa morte. Sic sentiebant veteres.

Regna, verende Creon, sanctasque Menœceos umbras:
Da veniam afflicto, dictisque ignosce superbis.
Hunc morem fandi longæ fecere querelæ.
Nec soli ferus iste tibi: sic fata, Deosque
Alloquitur: durus luctu, facilisque nec ipsi
Sæpe mihi: pridem indomito sub pectore fervet
Libertas misera, et sævæ spes anxia mortis.
Et nunc ecce tuas irritat callidus iras,
Suppliciumque cupit: sed tu majoribus, oro,
Imperii potiare bonis, altusque jacentes
Prætereas, et magna ducum vereare priorum
Funera. Et hic quondam solio sublimis, et armis
Septus, opem miseris, jura et poscentibus æquus,
Supplicibusque dabat: cui nunc ex agmine tanto

oro, venerande Creon, per fortunatum regnum, et per sacros manes Menœcei: ignosce afflicto. Indulge veniam tumidis verbis. Longæ calamitates hanc illi fecere loquendi consuetudinem. Nec asper est tibi soli; sic alloquitur fata, et Deos. Morosus ob luctum, et sæpe intractabilis mihi ipsi. Infelix libertas, et spes inquieta crudelis leti dudum fervent in effræno ejus pectore. Et nunc ecce astutus lacessit tuam iram, et optat puniri. Sed tu fruare, precor, majoribus commodis principatus, et excelsus negligas quæ humiles dicunt, et extimescas ingentes casus priorum regum. Et hic quondam altus solio, et stipatus armatis, præbebat auxilium supplicibus et miseris, et tribuebat jus poscentibus: cui nunc, nondum profugo, una comes restat

men a vulgata et perspicua lectione nihil mutandum puto.' *Barth.*—714 Put. *sub pectore vivit;* Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. et Cruc. *sub pectore ferves;* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Behott. 1. 2. Venett. 3. 4. et recentt. *sub pectore fervet.*—715 Petrens. et Burm. pro v. l. *spes aspera;* Lang. Laur. Lipsian. Burm. Taurin. Behott. 1. 2. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. et Cruc. *spes irrita;* Buslid. Venett. 3. 4. et recentt. *spes anxia.*—719 Put. *venerare priorum.*—721 Petrens. Burm. Taurin. Behot. 2. et tres codd. Lindenbrogii: *et jura potentibus æquis:* ita etiam emendavit Marklandus ad Sylv. IV. 6. 69. sic quoque codex Lugdunensis Bibliothecæ. *et jura potentibus æqua* Burm. pro v. l. *et jura petentibus æquus* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et edd. vett. *jura et poscentibus æquis* alter Behot. Gronov. Barth. Veen.

NOTÆ

712 *Sic fata, Deosque*] Perpetuis jurgiis incessit homines et Deos, tam diuturnorum malorum impatientia desperabundus. *Vet. Schol.*

713 *Durus luctu*] Malis induruit, nec quenquam timet. *Vet. Schol.*

718 *Altusque jacentes*] Elatus imperii dignitate, miseros, humilesque despicias.

719 *Vereare priorum*] Ante oculos habeas fata priorum ducum.

722 *Cui nunc ex agmine tanto Una comes*] Quod plus misericordiam movere debet.

Una comes, necdum exul erat: felicibus hicne
Obstat? in hunc odiis et regni viribus exis?
Hunc abigis tectis? an ne prope limina clarum
Ingemat, et votis intempestivus oberret?
Pone metum, procul usque tua summotus ab aula
Flebit: ego erectum subigam, et servire docebo.
Cœtibus abducam, solaque in sede recondam.
Exul erit: nam quæ migranti externa patebunt
Mœnia? vis Argos eat, hostilesque Mycenas
Squalidus irreptet? victique ad limen Adrasti
Aonias narret clades? tenuemque precetur
Rex Thebanus opem? miseræ quid crimina gentis
Pandere, quid casus juvat ostentare pudendos?
Conde, precor, quodcumque sumus: nec longa precamur
Dona, Creon: miserere senis mœstique parentis.
Hic precor, hic manes indulge ponere: certe
Thebanos sepelire licet. Sic orat, humique
Volvitur: abducit genitor, sævumque minatur

ex tanta stipatorum multitudine. Hicne obstat felicitati tuæ? In hunc insurgis totis odiis, et tota vi principatus? Hunc urbe expellis? An, ne ingemiscat alta voce ad fores tuas, et votis inominatus circum vagetur? Abjice timorem hunc: longe usque seductus a tua regia plorabit. Ego mansuefaciam ferocem ejus animum, et docebo parere. Eum avellam e conventibus, et occultabo solum domi: sic exulabit. Nam si emigraret, qui muri extranei ei aperientur? Vis, eat Argos, et sordidus irreptet ad hostiles Mycenas? et narret calamitates Thebanas ad portam debellati Adrasti? et rex Thebanus mendicet modicum victum. Quid juvat divulgare scelera infelicis nationis? Quid monstrare ignominiosos casus? Occulta, rogo, quodcumque sumus: nec petimus munera longe duratura, Creon: miserere senis, et afflicti patris. Hic, oro, hic illi concede finire vitam. Certe permittitur inhumare Thebanos. Sic precatur, ac humi volvitur. Pater abducit eam, et minas jactat, in-

et Delph.—723 Optimus Barthianus *nec dum exul erit.*—728 *Flebit et erectum* unus Behot.—729 ‘Sic legunt omnes nostri libri: *Cœtibus abducam.* Nihil mutatione opus, licet τὸ *avellam* imperiosæ sententiæ videatur accommodatius.’ *Barth. avellam* Lipsian. et codd. Lindenbrogii.—730 Put. *nam quem.*—733 *Aonias referat clades* in eodem codice.—737 Behott. 1. 2. Lang. Lipsian.

NOTÆ

724 *Et regni viribus exis*] Tacitus: ‘Vi principis non ulciscar.’

728 *Erectum*] Id est, ferocem, indomitum, superbum.

Indignans veniam: qualis leo rupe sub alta,
Quem viridem quondam sylvæ montesque tremebant,
Jam piger, et longo jacet exarmatus ab ævo,
Magna tamen facies, et non adeunda senectus:
Et si demissas veniat mugitus ad aures,
Erigitur, meminitque sui, viresque peractas
Ingemit, et campis alios regnare leones.
Flectitur affatu, sed non tamen omnia rector
Supplicis indulget lacrymis, partemque recidit
Muneris. Haud, inquit, patriis prohibebere longe
Finibus, occursu dum non pia templa domosque
Commacules, habeant te lustra, tuusque Cithæron:
Atque hæc ecce tuis tellus habitabilis umbris,
Qua bellum, geminæque jacent in sanguine gentes.
Sic ait, et ficto comitum vulgique gementis
Assensu, limen tumidus regale petebat.
Interea pulsi vallum exitiale Pelasgi

dignans veniam. Ut leo, quem olim vegetum nemora et montes timebant, recubat sub excelso scopulo, jam iners et effœtus prolixa ætate; formidabilis tamen facies, et non lacessendum senium: et si mugitus pulset aures dejectas, assurgit, et recordatur pristini vigoris, et gemit confectum esse robur, atque alios leones agris dominari. Rex movetur hoc sermone, sed tamen non impertit cuncta fletibus obsecrantis, et demsit partem beneficii, quod petebatur. Non, ait, procul arcebere a limitibus patriis, modo non contamines, tua præsentia, sancta delubra et ædes. Te cubilia bestiarum, ac tuus Cithæron possideant: atque hæc terra, in qua bellum gestum est, et duo populi natant in cruore suo, incolatur a tua cæcitate. Sic inquit, et simulato applausu aulicorum, ac dolentis plebis, ibat superbus ad palatium. Interea victi

et omnes codd. Barthii: *mœstosque parentis.*—741 *Quem juvenem* in quibusdam codd. *sylvæque amnesque tremebant* Put. *sylvæ montesque timebant* Petav. —742 *Impiger et longo* Put.—746 Omnes codd. Barthii, et Buslid. *viresque solutas.*—748 *Flectitur effatu* optimæ Barthii membranæ.—751 Solus Petrens.

NOTÆ

743 *Exarmatus ab ævo*] Dentibus et unguibus obtusis imbellis redditus. *Vet. Schol.* Ita Silius lib. I. 'Necnon serpentes diro exarmare veneno.'

751 *Occursu dum non pia templa domosque Commacules*] Credebant enim præsentia et occursu nocentium ac miserorum se, templa, ac domos commaculari.

752 *Tuusque Cithæron*] In hoc enim monte expositus fuerat Œdipus.

753 *Tuis umbris*] Ob cæcitatem.

754 *Qua bellum*] Pugna enim commissa fuerat prope Cithæronem.

Destituunt furto: nulli sua signa, suusque
Ductor: eunt taciti passim, et pro funere pulchro
Dedecorem amplexi vitam reditusque pudendos.
Nox favet, et grata profugos amplectitur umbra.

Pelasgi clam deserunt perniciosa castra. Nulli sua vexilla, suusque dux: silentes vadunt passim, et præferentes infamem vitam et ignominiosum reditum gloriosæ morti. Nox favet, et involvit fugientes gratis tenebris.

pia templa Deosque.—759 'Nihil mntandum, qnamvis in nonnullis codd. scriptum offendamns *pro munere.*' Barth. Ita legitur etiam in Dan.

P. PAPINII STATII

THEBAIDOS

LIBER XII.

ARGUMENTUM.

THEBANI, orto die, urbe effunduntur, et justa suis persolvunt. Crematur Eteocles plebeio busto. At Menœceus rogo ex armis exuviisque hostium exstructo imponitur, super quem Creon pater vivos captivos et frænatos equos tanquam inferias immolat. Renovat edicta, quibus, sub mortis pœna, Argivos, quos inter numeratur Polynices, vetuerat comburi, et custodes servandis eorum corporibus apponit. Interea matronæ Argivæ passis crinibus, atra veste, et laniato vultu, præeunte Argia, Thebas petunt, ut suorum exequias celebrent. Obviam habent Ornitum ex acie fugientem, qui inhumanitatem Creontis illis narrat: hunc in illas sæviturum; redeant potius, et mortuis tumulos inanes constituant; aut eant Athenas, Thesei auxilium, qui ex Amazonum bello victor revertebatur, imploraturæ. Consilio habito, in diversa trahuntur. Hæ Thebas pergere, illæ Athenas; turpe omnibus visum, Argos reverti. Argia vero, cujus pietas vel minimam moram pati non poterat, comitibus suadet ad Theseum confugiant; et illa, assumto secum solo Menœte, qui custos olim et moderator juventæ ejus fuerat, præcipiti gradu viam persequitur. Pervenit tandem summo cum labore ad pugnæ locum. Et cum, ob noctis tenebras, corpus mariti invenire non posset, Juno illius miserta, lunam rogat, ut jubar suum accendat, et custodes sopiat. Hujus lucis ope chlamydem primum et deinde mariti corpus agnovit. Eodem tempore Antigone clam urbe egressa, ed eundem locum venit, ut fratri Polynici sepulturam daret. Stupet videns incognitam Argiam, quæ corpus ejus inter brachia tenebat. Non minus stupet Argia, ignara, quæ esset Antigone: mox se sibi invicem cognoscendas præbent. Cum autem tempus in fletibus et lamentis, ac mortuo osculando terunt, eas festinare admonet Menœtes, die appropinquante, qui illas proderet. Corpus igitur ad Ismenum fluvium præcipites ferunt, et illud lavant; ac postquam novissima oscula ei dedissent, id busto imponunt, in quo tenuis lux adhuc vivebat, eum precantes, cujus illud sit, supremi cineris socium placide admittat. Vix imposito corpore, flamma subito erum-

pit, seque in duas partes scindit, altera cum altera dimicante et confligente. Ad hoc prodigium, agnoscunt rogum fuisse Eteoclis, et odia inter fratres nondum morte extincta. Dum hæc horrent, magno tremore terra concutitur, quo custodes exciti Argiam et Antigonen in hoc pietatis officio deprehensas ad Creontem rapiunt, lætas, consumto Polynicis corpore. Interim matronæ Argivæ, Junone duce, Athenas inducuntur, Pallade ipsa his favorem et commiserationem civium conciliante. Illæ, summisso vultu, ramos oleæ, et vacuas urnas in manibus tenentes, ad celebrem Misericordiæ aram, quæ in media urbe erat, confugiunt. Illo die Theseus, debellatis Amazonibus, urbem triumphali curru ingrediebatur. Cum transit prope Misericordiæ aram, flentes Argivæ accedunt, et Evadne, Capanei uxor, ipsi exponit quæ essent, cæsos maritos pro Polynice dimicantes, Creontem illis sepulturam denegare, se ejus opem implorare. Ut locuta, cunctæ tendunt supplices manus. Theseus primo commiseratione permotus, mox ira exardet, et statim ad Creontem Phegeum mittit, qui bellum ei denuntiet, nisi sinat Argivos sepeliri. Et ipse, breviter causæ justitia milites adhortatus, cum exercitu proficiscitur. Argia autem et Antigone ad supplicium ducebantur, cum ecce Phegeus advenit, qui mandata Thesei audacter exequitur. Sed cum illi Creon audacius responderet, Theseum celeri gradu appropinquantem cernit. Thebanos armat; sed illis non idem animus, qui prius. Omnia cedunt Theseo. Hic, quibusdam occisis, solum Creontem optat, et vocat. Illum tandem invenit, solusque eum aggreditur, suis ejus jussu digressis. Creontis comites etiam secedunt, quos frustra retinere vult. Tunc Creon sese colligit, et audax morte proxima, Theseum superbe alloquitur, et in illum hastam emittit, vano ictu. Theseus manum et superbiam Creontis irridens, hunc telo conficit, et armis spoliat. Hujus cæde pax facta, et Theseus in urbem ut hospes et amicus excipitur. Argivæ adveniunt; incertæ an Theseum primo adirent, ei grates acturæ, an Creontis corpori insultarent, an maritos sepulturæ mandarent. Vicit pietas. Hic Poëta operi finem imponit, dicens, etiamsi centum ora haberet, referre non posse, quæ illustres matronæ in his exequiis fecerunt: et alloquens suam Thebaida, famam apud posteros ei pollicetur: jam Cæsarem hanc dignari legere, jam juventutem Romanam addiscere; sed caveat divinam Æneida æmulari; longe illam sequatur, et ejus vestigia adoret.

NONDUM cuncta polo vigil inclinaverat astra
Ortus, et instantem cornu tenuiore videbat

Lucis ortus, qui expergefacit animantes, nondum occidere fecerat omnia cœli astra,

Sequens Argumentum præbent Behott. 1. 2. Venett. Rom. Cruc. et Barth. Non tamen comparet in codd. Barthianis; nec in editione Lindenbrogii illa, qua usus sum; ibi enim Argumentum lib. XI. huic perperam supponitur.

Luna diem: trepidas subito Tithonia nubes
Discutit, ac reduci magnum parat æthera Phœbo.
Agmina jam raris Dircæa penatibus errant,
Noctis questa moras: quamvis tunc otia tandem,
Et primus post bella sopor: tamen ægra quietem
Pax fugat, et sævi meminit victoria belli.
Vix primo proferre gradum, et munimina valli

et luna cernebat exiliore cornu imminentem diem, cum subito Aurora dissipat festinas nubes, et adornat latum aërem revertenti Soli. Cohortes Thebanæ jam vagantur circa desolatas ædes, incusantes longitudinem noctis. Etsi tunc tandem possent quiescere, et frui primo somno post bellum: tamen solicita pax abigit quietem, et victoria recordatur crudelis pugnæ. Vix aliquis audet promovere gressus, et laxare

Postquam alterno ceciderunt vulnere fratres
Moxque Creon deflens persolvit justa Menœceo
Busta negans victis: at Graias fama perurget
Quærere clam matres, per campos membra suorum
Vix Argia sui corpus Polynicis amati
Reperit: Antigone Etheoclis funera quærens
Advenit, ignaræ communia funera plangunt.
Succensusque rogus flammis communibus ardet,
Theseaque Evadne constanti voce precatur.
Iret ut ad Thebas vindex aliosque triumphos.
Mox ille infrendens optatque vocatque Creonta,
Quem sternit telo, Graiorumque immolat umbris.

Versu 1. Barthius legi jussit: *Posteaquam alterno;* Behottius: *Alterno postquam* quod et Barthio placet. Vs. 4. Unus Behot. habet: *ora suorum.* Vs. 5. Uterque Behot. *Vix Argiva.* Vs. 6. *Ethioclis* Behott. 1. 2. *Eteoclis* Barth. Vs. 8. Unus Behot. *Subcensusque.* Vs. 10. Behot. 1. Venett. 3. 4. Rom. et Cruc. *optat vocatque;* Behot. 2. *optatque vocatque,* ut conjectabat Barthius.

3 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Petav. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. Gevart. Grasser. et Amstel. *trepidas ubi jam Tithonia;* Put. *trepidas ubi jam Tritonia;* Petrens. Behott. 1. 2. tres Barthiani, alii: *trepidas subito Tithonia.* Vide Not. Var. Nic. Heinsius ad Ovid. Fast. p. 165. legit *Titania.* Vide Barth. Advers. lib. XIV. cap. 19.—9 'Manuscripti nostri: *primos proferre gradus,* quam lectionem agnoscit etiam Lactantius: nam falso editur *primus.*' Barth. *primus* edidit Lindenbrogius in

NOTÆ

1 *Vigil*] Quia omnia animalia expergefacit.

2 *Cornu tenuiore*] Id est, hebetiore propter solis adventum.

3 *Trepidas subito*] Alia lectio *trepidas ubi jam.* *Tithonia*] Aurora, a marito Tithono.

5 *Raris penatibus errant*] Quia pauci erant habitatores. *Mss. Scholia.* Qui tamen sensus Poëtæ non est: intelligit enim, ut sequentia verba notant, 'Noctis questa moras,' degere Thebanos extra domos, ut sole oriente quantocyus justa suis persolverent. *Dircæa*] Thebana.

7 *Ægra*] Nondum discussa omni belli formidine.

Solvere, vix totas reserare audacia portas.
Stant veteres ante ora metus, campique vacantis
Horror: ut assiduo jactatis æquore tellus
Prima labat, sic attoniti nil cominus ire
Mirantur, fusasque putant assurgere turmas.
Sic ubi prospicuæ scandentem limina turris
Idaliæ volucres fulvum aspexere draconem,
Intus agunt natos, et fœta cubilia vallant
Unguibus, imbellesque citant ad prælia pennas:
Mox ruerit licet ille retro, tamen aëra nudum
Candida turba timet, tandemque ingressa volatus
Horret, et a mediis etiamnum respicit astris.
Itur in exsanguem populum, bellique jacentis
Reliquias, qua quemque dolor luctusque cruenti
Exegere duces: hi tela, hi corpora, at illi
Cæsorum tantum ora vident, alienaque juxta

valli propugnacula, vix aperire totas portas. Antiqui pavores, et horror vacui campi versantur ante oculos. Ut terra videtur tremere iis, qui continua procella agitati fuerunt, cum primum de nave descendunt, sic consternati putant aliquid prope accedere, et credunt jacentes cohortes surgere. Sic cum Idaliæ aves viderunt fulvum anguem scandentem limen excelsæ turris, pellunt intus pullos suos, et unguibus circum muniunt nidos refertos, et movent debiles alas ad certandum: deinde licet ille supinus ceciderit, alba tamen turba reformidat vacuum aërem, et tandem ubi volare cœperit, pavet, et adhuc respicit a mediis sideribus. Vadunt ad exanimem gentem, et prostratas belli reliquias, qua mœror et acerbus luctus unumquemque ducunt. Hi cernunt tela, hi cadavera, illi vero solum vultus interemtorum, et



Comment. Lactantii.—11 Unus Barthianus in margine habet: 'Vel *vocantis*, scilicet ad pugnam.'—15 *Sic ubi perspicuæ* Behott. 1. 2.—20 *Candida turma* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. et Cruc. *Candida turba* Behott. 1. 2. Dan. Put. Petav. omnes Barthiani, Gevart. Grasser. Gronov. Barth. Veen. et Delph.—23 *Reliquias quacũque* Pe-

NOTÆ

12 *Ut assiduo jactatis æquore tellus Prima labat*] Virgil. 'Dum trepidi, egressique labant vestigia prima.'

16 *Idaliæ volucres*] Columbæ sacræ Veneri, *Idaliæ* dictæ ab Idalio nemore. Virgilius de Ænea loquens: 'Maternas agnoscit aves.' Ovidius quoque ad Amorem sic ait: 'Necte comam myrto, maternas junge columbas.'

24 *Duces*] Hic adjective sumi debent, et referri ad *luctus dolorque* præcedentes: et construenda sic oratio: Qua dolor luctusque cruenti exegere quenquam. Luctus et Dolor monstrant viam.

Pectora: pars currus deflent, viduisque loquuntur,
Hoc solum quia restat, equis: pars oscula figunt
Vulneribus magnis, et de virtute queruntur.
Frigida digeritur strages: patuere recisæ
Cum capulis, hastisque manus, mediisque sagittæ
Luminibus stantes: multis vestigia cædis
Nulla, ruunt planctu pendente et ubique parato.
At circum informes truncos miserabile surgit
Certamen, qui justa ferant, qui funera ducant.
Sæpe etiam hostiles (lusit Fortuna parumper)
Decepti flevere viros: nec certa facultas
Noscere, quem miseri vitent, calcentve cruorem.

hostes prope jacentes. Pars ad currus plorant, et alloquuntur orbatos equos, quia hoc solum superest: pars dant oscula ingentibus plagis, et incusant suorum fortitudinem. Frigida cadavera ordinantur. Apparuere manus amputatæ cum capulis, et hastis, et sagittæ infixæ mediis oculis. Multi, qui nondum amicorum, aut consanguineorum corpora invenerant, cadunt suspenso luctu, et parato ad omnia cadavera. Deploranda æmulatio oritur circa truncos eorum, quorum cæsa erant capita, qui dent eis inferias, qui comitentur funera. Sæpe etiam decepti ploravere adversarios, (Fortuna lusit parumper,) nec possunt certo agnoscere, quem infelices evitent, aut



trens. ceteri vero codd. *qua quemque.*—26 Ed. Gronovii vitio typographico: *viduisque locutus;* quem errorem propagavit Veenhusius; propagarunt etiam editores Bipontini. Consuli debuisset index errorum in minimæ formæ editione Gronovii; ubi *locutus* in *loquuntur* mutare jubemur. Petrens. Exc. Cantab. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. omnes Barthiani, Taurin. Burm. Behott. 1. 2. Venett. 3. 4. Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. Gevart. Grasser. Amstel. Barth. et Delph. *viduisque loquuntur.*—27 Behott. 1. 2. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. et Cruc. *quod restat;* Petrens. Exc. Cantab. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Taurin. Burm. Dan. Put. Petav. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *quia restat.*—30 *Cum scapulis* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Petav. Plant. Lindenbrog. Cruc. Gevart. Grasser. et Amstel. *Cum capulis* Petrens. Exc. Cantab. Dan. Put. Behott. 1. 2. Venett. 3. 4. Rom. Aldd. Colin. Gryph. et Basil. Vide Not. Var.—32 Unus Behot. *et ubique peracto.*—37 In eodem codice:

NOTÆ

29 *Frigida digeritur strages*] Cadavera ordinantur.

30 *Cum capulis*] Capuli sunt gladiorum, quibus perinde ut hastis manus immortuæ. Quædam editiones habent *scapulis.* Male.

31 *Vestigia cædis Nulla*] Nondum invenerant amicorum aut propinquorum cadavera.

32 *Et ubique parato*] Ad omnia cadavera.

33 *Informes truncos*] Abscissis scilicet capitibus.

35 *Lusit Fortuna parumper*] Decepti opinione sua homines 'ludi' dicuntur a fortuna.

At quibus est illæsa domus, vacuique dolores,
Aut deserta vagi Danaum tentoria lustrant,
Immittuntque faces, aut (quæ post bella voluptas)
Quærunt dispersi, jaceat quo pulvere Tydeus,
An rapti pateat specus auguris, aut ubi Divum
Hostis, an ætheriæ vivant per membra favillæ.
Jam lacrymis exemta dies, nec serus abegit
Vesper: amant miseri lamenta, malisque fruuntur.
Nec subiere domos, sed circum funera pernox
Turba sedet, vicibusque datis alterna gementes
Igne feras planctuque fugant: nec dulcibus astris
Victa, nec assiduo coierunt lumina fletu.
Tertius Auroram pulsabat Lucifer, et jam
Montibus orbatis lucorum gloria, magnæ
Theumesi venere trabes, et amica Cithæron

proferant sanguinem. At quibus domus est inoffensa, et doloris expers, aut errantes obeunt vacua Graiorum tentoria, ignemque injiciunt, aut (quæ oblectatio est post bellum) scrutantur dispersi, quo loco Tydeus prosternatur, an antrum absorpti vatis adhuc dehiscat, aut ubi jaceat Deorum inimicus, an cœlestes ignes adhuc ardeant in ejus artubus. Jam dies flendo erat transacta, nec tardus vesper eos fugavit. Infortunati diligunt luctus suos, et suis malis fruuntur. Nec intraverunt in ædes, sed vigil multitudo sedet circa cadavera, et partitis vicibus, et alternatim gementes abigunt bestias ignibus et ejulatibus. Nec oculi expugnati sunt a blando somno, quem sidera conciliant, nec clausi ob continuas lacrymas. Tertius Lucifer adducebat Auroram, et jam altiores arbores, ornamentum lucorum Theumesi, et nemora Cithæ-

calcentque cruorem.—38 Gronovius legi jussit: *vacuique doloris.*—40 Put. et Exc. Fabri: *post bella facultas.*—41 *Quærunt diversi* Lipsian. *Quærunt dispersus* Put. et pro v. l. *diversi.*—52 *Theumesiæ* Dan. Put. Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. et Cruc. ita quoque in Behot. 2. recenti opera, in lituris ignotis; *Theumesi* Behot. 1. Exc. Fabri, Gevart. Grasser. Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *Theumeso*

NOTÆ

38 *Vacuique dolores*] Id est, qui carent dolore, qui mala belli non sentiunt suorum cæde.

43 *Hostis*] Capaneus.

45 *Amant miseri lamenta, malisque fruuntur*] Sic infra, 'funus amat.' Euripides Œnomao: Ἔστι γὰρ δὴ κἀν κακοῖσιν ἡδονὴ Θνητοῖς ὀδυρμοὶ δακρύων τ' ἐπιῤῥοαί. *Est enim quædam in malis voluptas mortalibus cum lamentantur, et fundunt lacrymas.* S. Aug. Conf. lib. IV. 'Solus fletus dulcis erat mihi, et successerat amico in deliciis animi mei.'

48 *Nec dulcibus astris*] Nocte.

49 *Nec assiduo coierunt lumina fletu*] Quamvis, ut ait Noster lib. VIII. 'Facilis lacrymis irrepere somnus.' Ob nimium scilicet dolorem.

Sylva rogis: ardent excisæ viscera gentis
Molibus exstructis: supremo munere gaudent
Ogygii manes: queritur miserabile Graium
Nuda cohors, vetitumque gemens circumvolat ignem.
Accipit et sævi manes Eteoclis iniquos
Haudquaquam regalis honos, Argivus haberi
Frater jussus adhuc, atque exule pellitur umbra.
At non plebeio fumare Menœcea busto
Rex genitor Thebæque sinunt: nec robora vilem
Struxerunt de more rogum: sed bellicus agger
Curribus, et clypeis, Graiorumque omnibus armis
Sternitur: hostiles super ipse, ut victor, acervos,
Pacifera lauro crinem vittisque decorus,
Accubat: haud aliter, quam cum poscentibus astris
Lætus in accensa jacuit Tirynthius Œta.
Spirantes super inferias captiva Pelasgum

ronis apta funeribus, montibus his exutis, advolvuntur. Cadavera Thebanorum cremantur molibus ædificatis. Umbræ Thebanæ lætantur ultimo honore sepulturæ. Nuda Græcorum multitudo dolet flebiliter, et querens volat circa flammam sibi interdictam. Corpus diri Eteoclis apparatu minime regio crematur. Frater Polynices jubetur adhuc censeri Argivus. At rex pater et Thebæ non patiuntur Menœceum cremari vulgari rogo. Nec arbores ex more ædificaverunt ei ignobilem pyram: sed Martia moles struitur e curribus, scutisque, ac cunctis Argivorum armis. Ipse, ut triumphator, imponitur super cumulos hostiles, habens caput ornatum pacifica lauro ac vittis: non aliter quam cum Tirynthius recubuit gaudens in ardenti Œta, Diis eum appellantibus. Et pater in solatium sui doloris immolabat filio, ut

cum duobus libris scriptis reponendum putat Barthius.—53 Barthius conj. *accisæ viscera gentis.*—54 Exc. Fabri et Petav. *supremo funere.*—69 Lang.

NOTÆ

54 *Supremo munere*] Honore sepulturæ.

55 *Ogygii*] Thebani. *Miserabile*] Pro miserabiliter. *Lactantius.*

56 *Vetitumque gemens circumvolat ignem*] Quia Creon edictis vetuerat, ne Argivi mortui sepelirentur.

58 *Argivus*] Quia comprehensus eodem Edicto, quo Argivi.

62 *Bellicus agger*] Exuviis enim armisque hostium exstruebatur mortuis victoribus pyra.

65 *Pacifera lauro*] Quia se tanquam victimam devoverat, ut pacem Thebanis procuraret, ideoque *pacifica lauro* redimitum dixit.

67 *Lætus in accensa jacuit Tirynthius Œta*] Vide lib. sup.

68 *Spirantes super inferias captiva Pelasgum, &c.*] Alludit ad consuetudinem veterum, arbitrantium mortuorum umbras humano sanguine propitiari, et ideo captivos ad rogum victorum jugulare solebant. Home-

Corpora frænatosque pater, solatia, fortes
Bellorum, mactabat equos: his arduus ignis
Palpitat, et gemitus tandem erupere paterni:
O, nisi magnanimus tantæ te laudis inisset
Ardor, Echionios mecum venerande penates,
Atque ultra, recture puer: venientia qui nunc
Gaudia et ingratum regni mihi munus acerbas:
Tu, Superum convexa licet cœtusque perenni
(Credo equidem) virtute colas, mihi flebile semper
Numen eris: ponant aras, excelsaque Thebæ
Templa dicent: uni fas sit lugere parenti.
Et nunc heu quæ digna tibi solennia, quasve
Largiar exequias? nec si fatale potestas

viventes inferias, captivos Pelasgos, ac bellatores equos frænatos: his excelsus ignis crepitat, et tandem gemitus paterni eruperunt: O venerande adolescens, qui gubernaturus esses mecum, et post mortem meam, regnum Thebanum, nisi generosa cupido tantæ famæ te invasisset: qui nunc mihi acerbum reddis recens gaudium, et invisum donum imperii: tu, quamvis habites, ob virtutem immortalem, sedes et concilia Cœlitum, (puto equidem,) mihi semper eris Deus, quem defleam. Thebæ struant tibi altaria, et consecrent sublimia delubra: fas sit soli parenti te plorare. Et heu, quæ nunc tibi impertiar digna sacra, quæve funera? Non, etiamsi confun-

Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. et Gevart. *fortis;* unus Behot. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *fortes.* 'Huic loco insigne mendum est: scripsit enim, ut omnia circumjecta indicant, Papinius utique: *forti Bellorum.* Vide quæ pridem scripsimus Advers. lib. XIV. cap. 19.' *Barth.*—72 *O nisi magnanimæ nimius te* Dan. Put. Petav. Lindenbrog. et Cruc. *O nisi magnanimus tantæ te* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Behott. 1. 2. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Gevart. Grasser. Amstel. et recentt. Vide Gronov. Diatr. p. 232.—76 Petrens. Burm. pro v. l. et Rom. *perennes.*—77 Gronovius in Elench. Antidiatr. p. 92. scribit: *mihi flebile nomen* [lege *numen*] *Semper eris.* Vide Markl. ad Sylv. I. 1. 21.—81 Lang. Laur. Buslid. Dan. Put. Petav. Behott. 1. 2. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. et Gevart. *non si fatale;* Lipsian.

NOTÆ

rus Il. Ψ. Δώδεκα δὲ Τρώων μεγαθύμων υἱέας ἐσθλοὺς Χαλκῷ δηϊόων. *Duodecim fortes filios magnanimorum Trojanorum ferro occiderunt.* Virgilius Æneid. XI. 'Vinxerat et post terga manus, quas mitteret umbris Inferias, cæso sparsuros sanguine flammas.' Equos etiam solebant mactare: hujus enim animalis plurimus in bello usus.

69 *Solatia, fortes Bellorum*] An *sortis bellorum?*

73 *Echionios*] Thebanos.

74 *Ultra*] Post mortem meam.

78 *Ponant aras*] Menœceus enim Thebanis Deus habitus, ipsique erecta templa.

Argos et impulsas cineri miscere Mycenas,
Meque super, cui vita (nefas!) et sanguine nati
Partus honos. Eademne dies, eadem impia bella
Te, puer, et diros misere in Tartara fratres?
Et nunc Œdipodi par est fortuna doloris
Ac mihi: quam similes gemimus, bone Jupiter, umbras!
Accipe, nate, tui nova libamenta triumphi,
Accipe, et hoc regimen dextræ, frontisque superbæ
Vincula, quæ patri nimium gestanda dedisti.
Regem te, regem, tristes Eteocleos umbræ
Aspiciant. Simul hæc dicens, crinemque, manumque
Destruit, accensaque iterat violentius ira:
Sævum agedum, immitemque vocent, nunc funera Lernæ
Tecum ardere veto: longos utinam addere sensus
Corporibus, cœloque animas Ereboque nocentes

derem cum cineribus tuis fatales Argos et destructas Mycenas, et me insuper, cui vita (nefas!) et dignitas regia comparata est filii cruore. Diesne eadem, et eadem profana bella demiserunt te, o puer, et scelestos germanos in Inferos? et nunc eadem sors communis est Œdipo et mihi: quam similes, o bone Jupiter, manes plangimus! Accipe, fili, recentia dona tui triumphi, accipe et hoc gestamen dextræ, et hæc vincula superbæ frontis, quæ tradidisti ferenda patri cum nimio dolore. Mæsti manes Eteoclis cernant te regem. Simul hæc loquens, spoliat comam, et dextram, et repetit inflammato vehementius furore: appellent agedum me crudelem et inhumanum, nunc iterum prohibeo Argivorum cadavera tecum cremari. Utinam mihi liceret dare longum sensum corporibus, et expellere cælo et Inferis sontes animas,

Barthiani, Gronov. Amstel. Barth. Veen. et Delph. *nec si fatale.*—83 Petrens. *cui sanguine nati;* et sic legit Marklandus ad Sylv. II. 6. 3. probante Burmanno.—84 Margo ed. Barth. *eademque dies.*—86 *Et nunc Œdipodæ* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. et Gevart. *Et nunc Œdipodi* Behott. 1. 2. Petrens. optimæ Barthii membranæ, Gronov. Barth. Veen. et Delph.—89 Unus Behot. *frontisque superne.*—90 ' Suspecta est hæc vox *nimium;* sed consensu

NOTÆ

84 *Eademne dies*] Unius igitur diei res duobus libris X. et XI. complexus est Poëta, et hoc quidem Antimachicum est. *Barthius.*

87 *Quam similes*] Id est, dissimiles, et invidiose pronuntiandum.

89 *Accipe*] Vide lib. VII. in funere Archemori. *Regimen dextræ*] Sceptrum. *Frontisque superbæ Vincula*] Diadema.

90 *Quæ patri nimium gestanda dedisti*] Codex Puteani: *minimum lætanda.*

92 *Crinemque, manumque Destruit*] Nam instructus erat sceptro et corona. ' Instruere ' et ' destruere ' opposita.

Pellere fas, ipsumque feras, ipsum unca volucrum
Ora sequi, atque artus regum monstrare nefandos.
Hei mihi, quod positos humus alma diesque resolvit.
Quare iterum repetens, iterumque edico, suprema
Ne quis ope, aut flammis ausit juvisse Pelasgos:
Aut nece facta luet, numeroque explebit ademta
Corpora: per Superos, magnumque Menœcea juro.
Dixit, et abreptum comites in tecta ferebant.
Flebilis interea vacuis comitatus ab Argis
(Fama trahit miseras) orbæ viduæque ruebant
Inachides, ceu capta manus: sua vulnera cuique,
Par habitus cunctis, dejecti in pectora crines,
Accinctique sinus: manant lacera ora cruentis
Unguibus, et molles planctu crevere lacerti.
Prima per attonitas nigræ regina catervæ

meque ipsum sequi bestias, ipsum curva rostra avium, atque eis ostendere membra scelestorum regum. Heu me, quod benignior terra et tempus paulatim consumunt jacentes. Quare iterans rursus, rursusque statuo, ne quis audeat dare Pelasgis sepulturam, aut ignes: aut morte sua solvet facinus, et tot ex sua familia occidentur, quot sublata erunt cadavera. Hæc attestor Superos et ingentem Menœceum. Inquit, et proceres illum apprehensum in palatium portant. Interea Argivæ orbæ et viduæ, lamentabilis turba, prosiliebant e desolatis Argis, ut captiva cohors. Fama trahit has infelices: suus luctus unicuique erat; similis omnibus amictus, passi capilli, et vestes accinctæ. Vultus fluunt laniati sanguinolentis unguibus, et tenera brachia percussu intumuere. Misera Argia, regina pullatæ catervæ, procidens in

omnium librorum servata.' *Barth.* Jortinus conj. *nimio.*—99 *Dii male quod positos* legit Barthius ex optimis membranis ad Theb. II. 170.—100 Dan. *iterum quoque dico;* Behot. 1. *iterumque et dico;* Behot. 2. *iterum dicoque.*—101 'In duobus manuscriptis libris est: *Nam nece facta luet.* Tantundem est.' *Barth.*—104 Nonnulli codd. Barth. *raptumque;* unus ejusdem *arreptumque.*—109 'Hic locus suspectus, nisi *accincti sinus* opponantur 'vestibus fluentibus et luxuriosis:' vel cum Barthio explicandum *accinctus*, ut ad currendum paratiores essent. Theb. IV. 313. in lugente dicit: 'correpta sinus.'' *Burman.*—

NOTÆ

94 *Funera Lernæ*] Cadavera Argivorum.

102 *Numeroque explebit ademta Corpora*] Totidem enim corpora redhibere debebit, quot ablata forent.

104 *Abreptum*] Iracundia enim nimia ei deliquium faciebat. *Vet. Schol.* *Comites*] Summi amicorum.

107 *Inachides*] Argivæ. *Vulnera*] Dolores, luctus.

109 *Manant lacera ora cruentis Unguibus*] In luctu enim ora sibi lacerabant, ac pectus tundebant.

111 *Nigræ*] Nigra vestis in luctu usurpata non modo Romanis, sed et aliis nationibus. Hinc 'nigræ solennia pompæ' dixit Statius in Epicedio Glauciæ,

Tristibus illabens famulis, iterumque resurgens,
Quærit inops Argia vias: non regia cordi,
Non pater: una fides, unum Polynicis amati
Nomen in ore sedet. Dircen, infaustaque Cadmi
Mœnia, posthabitis velit incoluisse Mycenis.
Proxima Lernæo Calydonidas agmine mixtas
Tydeos exequias trahit haud cessura sorori
Deiphile: scelus illa quidem, morsusque profanos
Audierat miseranda viri: sed cuncta jacenti
Infelix ignoscit amor: post aspera visu,
Ac deflenda tamen, digno plangore Nealce
Hippomedonta ciens: vatis mox impia conjux
Heu vacuos positura rogos: postrema gementum
Agmina Mænaliæ ducit comes orba Dianæ,
Et gravis Evadne: dolet hæc, queriturque labores
Audacis pueri: magni memor illa mariti
It torvum lacrymans, summisque irascitur astris.

mœstas ancillas, et rursus resurgens, prima inter afflictas graditur. Regia non tangit illam, non genitor: solus maritus eam occupat, unum nomen cari Polynicis in ore versatur. Cuperet habitare Bœotium, et funestos muros Cadmi, et his postponit Mycenas. Proxima Deiphile, luctu non inferior sorori, ducit matronas Calydonias, insertas Argivæ turbæ, ad funus Tydeos. Illa quidem miseranda audiverat crimen, morsusque impios mariti: sed infelix amor omnia mortuo indulget. Post Nealce, horrorem et commiserationum simul movens, vocabat Hippomedontem digno ejulatu. Sequitur impia uxor auguris, heu exstructura inane bustum. Orba Atalanta, comes Mænaliæ Dianæ, et gravis Evadne agunt ultimam turbam plangentium: hæc gemit et incusat facta temerarii adolescentis; illa corde gerens ingentem virum, it flens truculenter, et summis Diis succenset. Hecate respiciens e

119 *Deipyle* legit Danm. ex codd.—126 *It gravis Evadne* Lang. Laur. Lipsian. Behott. 1. 2. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. et Cruc. *Id gravis Evadne* Dan. *Et gravis Evadne* Buslid. Petrens. Put. Gevart. Grasser.

NOTÆ

115 *Dircen, infaustaque Cadmi Mœnia*] Thebas.

119 *Deiphile*] Quidam codices habent *Deipyle.*

122 *Nealce*] Hippomedontis uxor.

123 *Vatis*] Amphiarai. *Conjux*] Eriphyle.

124 *Vacuos positura rogos*] Corpus enim mariti nullibi inveniri poterat, quia hiatu terræ perierat.

125 *Mænaliæ comes Dianæ*] Atalanta Parthenopæi mater. *Mænaliæ*] Arcadiæ.

126 *Evadne*] Uxor Capanei. *Hæc*] Atalanta.

127 *Pueri*] Parthenopæi.

128 *Summisque irascitur astris*] Quia fulmine percussus maritus.

Illas et lucis Hecate speculata Lycæis
Prosequitur gemitu, duplexque ad littus euntes
Planxit ab Isthmiaco genitrix Thebana sepulcro:
Noctivagumque gregem, quamvis sibi luget, Eleusin
Flevit, et arcanos errantibus extulit ignes.
Ipsa per aversos ducit Saturnia colles,
Occultatque vias, ne plebs congressa suorum
Ire vetet, pereatque ingentis gloria cœpti.

saltibus Lycæis prosequitur eas fletibus, et mater Thebana ex sepulcro Isthmiaco deflevit incedentes per geminam ripam. Et Eleusin, etsi plangat sibi, ploravit turbam noctu errantem, et elevavit mysticos ignes, ut viam illuminaret. Ipsa Saturni filia agit illas per secretos colles, et celat itinera, ne vulgus suorum congregatum eas prohibeat progredi, et fama gloriosi facti intercidat. Quinetiam Iris habet id

Gronov. Barth. Veen. et Delph.—129 *Illas e lucis* Dan. Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. et Gevart. *Illas et lucis* Put. Behott. 1. 2. Gronov. Barth. Veen. et Delph.—131 Put. *genitrix abena.*—132 *Eleusis* Behott. pro v. l. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *Eleusin* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Lindenbrog. Cruc. et recentt. Vide Gronov. in Not. Var. ad Theb. II. 382.—133 *Flebit et arcani* codd. Lindenbrogii.—134 Edd. vett. *adversos.*—135 *Occultasque vias* Behott. 1. 2. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *Occultatque vias* Dan. Put.

NOTÆ

129 *Hecate*] Diana, quæ confunditur cum Hecate ac Luna. *Lycæis*] Arcadiis.

130 *Duplexque ad littus*] Isthmus enim Corinthiacus hinc Ionio, illinc Ægæo Mari alluitur.

131 *Isthmiaco sepulcro*] Id est, Palæmonis sepulti in Isthmo a Sisypho rege. *Genitrix Thebana*] Leucothoë, seu Ino, Cadmi filia. Hæc clara ex præcedentibus.

132 *Noctivagumque gregem*] Argivas noctu errantes. *Sibi luget Eleusin*] Quidam codices habent: *Eleusis.* Utrumque dici grammatici monent. Servius Georg. I. 'Talis est et in Græcis ratio. Nam Attis et Attin dicunt, delphin et delphis, Eleusin et Eleusis. Sed verius in N desinunt, quod in obliquis habent Altinos, delphinos, Eleusinos.' Similia habes apud Priscianum lib. VI. 'Et sciendum quod omnia in IN desinentia etiam in IS producta finiuntur. Attin proprium nomen et Attis, delphin et delphis, Eleusin et Eleusis, Trachin et Trachis. Et notandum quod auctores Græcorum in IS magis terminatione usi sint: nostri vero frequentius in IN. Etsi Cicero pro Scauro Aris et Arin dixerit.' Neque aliter Ammianus Marcellinus lib. XVII. Pomponius Mela, Seneca, Plinius, alii. Eleusin autem locus Atticæ, in quo sacra celebrabantur in honorem Cereris. Agebantur autem cum maximo luctu et ululatibus ob raptum Proserpinæ. Unde *luget.* Nihil notius.

133 *Arcanos*] Evulgare enim nefas erat ea quæ in his sacris agerentur. Vide Tertullianum adversus Valentinianos cap. 1. Originem horum sacrorum vide apud Clementem Alexand. λόγῳ προτρεπτικῷ, ut de Arnobio, Eusebio, aliisque taceam.

Nec non functa ducum refovendi corpora curam
Iris habet: putresque arcanis roribus artus
Ambrosiæque rigat succis, ut longius obstent
Expectentque rogos, flammas neve ante fatiscant.
Squalidus ecce genas, et hianti vulnere pallens,
Ornitus (hic socio desertus ab agmine, tardat
Plaga recens) timidus secreta per avia furto
Debile carpit iter, fractæque innititur hastæ.
Isque ubi mota novo stupuit loca sola tumultu,
Fœmineumque gregem, quæ jam super agmina Lernæ
Sola videt, non ille viam causasque requirit,
Quippe patent, mœsto sed sic prior occupat ore:
Quo miseræ, quo fertis iter? funusne peremtis
Speratis, cineremque viris? stat pervigil illic
Umbrarum custos, inhumataque corpora regi
Annumerat: nusquam lacrymæ, procul usque fugati
Accessus hominum: solis avibusque ferisque
Ire licet: vestrisne Creon dabit æquus honorem

muneris, ut conservet regum cadavera: perfunditque corrupta membra mystico imbre, et liquoribus Ambrosiæ, ut longius durent, et opperiantur pyras, nec dissolvantur ante supremos ignes. Ecce Ornitus habens squalidas genas, et pallidus ob latam plagam, (hic derelictus fuerat a comitum caterva, et vulnus, quod acceperat, illum morutur,) pavidus clam debiliter incedit per semotos tramites, et innititur trunco hastæ. Is, cum miratus est deserta loca personare novo strepitu, et cernit muliebrem turbam, quæ tunc sola supererat Lernæ, non ille tristis petit causas itineris, quippe ei manifestæ sunt, sed sic prior eas alloquitur: Quo infelices, quo tenditis? speratisne vos posse præbere sepulturam et exequias viris vestris occisis? Stat illic insomnis custos umbrarum, qui numerata servat regi insepulta cadavera. Hic fletus non audiuntur, longe ab hoc loco aditus interdictus est hominibus. Licet solis volucribus, bestiisve accedere. Justusne Creon tribuet hunc honorem vestris

Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Venett. 3. 4. et recentt.—137 Behott. 1. 2. *ducum fovendi.*—140 ‘ Melior sonus in optimo libro: *nec flammas ante fatiscant.*’ Barth. *flammas non ante* Behott. 1. 2. et codd. Lindenbrogii; *et flammas ante* Put.—141 Dan. et Behott. 1. 2. *inani vulnere.*—146 Exc. Fabri, Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et Venett. 3. 4. *quem jam.*—148 ‘ Duo hæc verba tantum (*Quippe patent*) parenthesi includenda, ceteris relictis liberis. Hallucinatæ in hac re sunt edd. Bern. Lindenbrog. Gevart. Grasser. Aldd. et

NOTÆ

138 *Iris*] Vide lib. x.

145 *Novo tumultu*] Muliebri scilicet, qui in solitudine non solet audiri.

151 *Umbrarum custos*] Custodes enim apposuerat Creon, ne quis corpora Argivorum furaretur, ac sepulturæ mandaret.

Luctibus? immites citius Busiridos aras,
Odrysiique famem stabuli, Siculosque licebit
Exorare Deos: rapiet fortasse precantes,
(Si mens nota mihi,) nec conjugalia supra
Funera, sed caris longe mactabit ab umbris.
Quin fugitis, dum tuta via est, Lernamque reversæ
Nomina (quod superest) vacuis datis orba sepulcris,
Absentesque animas ad inania busta vocatis?
Aut vos Cecropiam (prope namque et Thesea fama est
Thermodontiaco lætum remeare triumpho)

lamentis? Licebit potius flectere sæva altaria Busiridis, et famem equilis Thracii, ac numina Siciliæ. Forsitan rapiet vos supplicantes, (si animus ejus mihi notus est,) nec immolabit vos supra corpora maritorum, sed procul a dilectis umbris. Quin fugitis, dum securum est iter, et reversæ Argos inscribitis sola eorum nomina (quod vobis reliquum est) inanibus tumulis, et accersitis absentes umbras ad vacuos rogos? aut vos requiritis auxilium Athenarum? namque juxta est, et rumor est Theseum

Gryph.' *Barth.*—155 *Busiridis* unus Behot.—156 *Odrisiique* edd. vett. *Olrisiique* unus Behot.—158 Barthius legit *conjugialia;* edd. vett. et codd. omnes habent *conjugalia.* Vide Not. Var.—162 *Absentes animas* unus Behot. omisso τῷ *que.*—164 In eodem codice: *remeare sepulcro;* sed correctum inter lineas,

NOTÆ

155 *Busiridos aras*] Busiris rex Ægypti solitus erat advenas mactare ad aras suas, sed ipse tandem ab Hercule ad easdem immolatus est.

156 *Odrysii stabuli*] Diomedes rex Thraciæ equos humanis carnibus alebat, sed ipse ab Hercule iisdem epulandus appositus est. *Siculos Deos*] Intelligit Palicos Deos Siciliæ, qui humanis victimis placabantur. Vide Servium ad illum versum Æneid. IX. 'Et implacabilis ara Palici.' Cruceus per *Siculos Deos* intelligit Cyclopes, qui et Dii Hesiodo in Theogonia, et qui humanis carnibus vescebantur. Notum autem omnibus Cyclopes sedem habuisse in Sicilia.

161 *Nomina (quod superest) vacuis datis orba sepulcris*] Respicit Poëta ad veterum morem, quo solebant iis, quorum corpora non reperiebantur, inania sepulcra statuere, quæ κενοτάφια vocabant, cujus præclarum exemplum vide apud Xenophontem lib. VI. Expeditionis Cyri. Tacitum Annal. I. et II. Suetonium Claudio. Putabant enim animas eorum, qui humati non erant, errare, nec optata frui quiete. Itaque illis hæc officia, etsi imaginaria, sepulturæ reddebant, et nomina sepulcris inscribebant.

162 *Absentesque animas ad inania busta vocatis*] Et hoc ex more etiam. Virgilius Æn. III. 'Manesque vocabat Hectoreos.'

163 *Cecropiam*] Id est, Atheniensium. Athenienses enim 'Cecropii' dicti a Cecrope primo eorum rege. *Thesea*] Regem Athenarum Ægei filium. Vide Plutarchum Theseo.

164 *Thermodontiaco triumpho*] Id est, Amazonio. Theseus enim subegerat Amazones, quæ accolebant Thermodonta fluvium Themiscyræ

Imploratis opem? bello cogendus et armis
In mores hominemque Creon. Sic fatus, at illis
Horruerant lacrymæ, stupuitque immanis eundi
Impetus, atque uno vultus pallore notati.
Non secus afflavit molles si quando juvencas
Tigridis Hyrcanæ jejunum murmur, et ipse
Auditu turbatur ager, timor omnibus ingens,
Quæ placeat, quos illa fames descendat in armos.
Continuo discors vario sententia motu
Scinditur: his Thebas, tumidumque ambire Creonta,
His placet Actææ si quid clementia gentis
Annuat: extremum curarum, ac turpe reverti.
At non fœmineæ subitum virtutis honorem

redire exultantem Amazonia victoria. Creon compellendus est bello et armis ad mores humanos. Sic locutus est. At illarum fletus repressi horrore, et ingens ardor pergendi torpuit, et facies earum signatæ sunt simili pallore. Ut si famelicus ululatus tigridis Hyrcanæ, quo ipse campus pavet, pervenit ad timidas vaccas, magnus metus est cunctis, quam malit, in quos humeros illa fames irruat. Extemplo discrepantes sententiæ dividuntur tumultu vario. His melius videtur precari Thebas, et superbum Creontem; his tentare, si quid misericordia populi Atheniensis indulgeat: fœdum reverti et ultima cogitatio. At Argia arripit repente gloriam

triumpho.—167 *Horruerunt* in quibusdam scriptis. Vide Nic. Heinsium ad Ovid. Tom. I. p. 64.—168 Alii codd. *atque imo.* Dan. Put. Petav. Lindenbrog. et Cruc. *pallore gelati.*—171 *Auditu turbatus ager* uterque Behot.—172 *Quæ repleat* Exc. Fabri.—177 *Hic non fœmineæ* Dan. Put. Petav. Behott. 1. 2. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *At non fœmineæ* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Gevart. Grasser, Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *virtutis amorem* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Behot. 1. Behot. 2. pro v. l. Exc. Fabri,

NOTÆ

regionis Asiæ Minoris, Cappadociæ conterminæ. Hinc 'Thermodontiacus triumphus.'

167 *Horruerant*] Horrore repressæ sunt.

168 *Notati* [*gelati*] Ut lib. IV. 'Sic fata gelatis vultibus.' Inibi: 'Gelat ora pavor gressusque tremiscunt.' Lib. X. 'Stupet anxius alto Corda metu glaciante pater.' Juv. Sat. VI. 'Pavidoque gelantur Pectore.' Alii codices *notari* habent.

170 *Jejunum murmur*] Quo scilicet significat se fame premi.

175 *Actææ*] Atheniensis. Attica enim antiquitus vocabatur 'Acte.' *Clementia*] Misericordia enim propria Athenarum virtus, de quibus hæc Callimachus in Ætiis: *οἰκτείρειν οἶδε μόνη πόλεων. Sola hæc urbs novit misereri.* Illic fuit ara Misericordiæ, de qua infra Statius, et ejusdem aræ mentionem fecerunt Cicero et Libanius Sophista, Pausanias, Servius, et Theophilus in Institutis.

Colligit Argia, sexuque immane relicto
Tractat opus: placet egregii spes dura pericli
Cominus infandi leges accedere regni:
Quo Rhodopes non ulla nurus, nec alumna nivosi
Phasidis, innuptis vallata cohortibus, iret.
Tunc movet arte dolum, quo semet ab agmine fido
Segreget, immitesque Deos, regemque cruentum
Contemtrix animæ, et magno temeraria luctu
Provocet: hortantur pietas, ignesque pudici.
Ipse etiam ante oculos omni manifestus in actu
Nunc hospes miseræ, primas nunc sponsus ad aras,
Nunc mitis conjux, nunc jam sub casside torva
Mœstus in amplexu, multumque a limine summo
Respiciens: sed nulla animo obversatur imago
Crebrior, Aonii quam quæ de sanguine campi
Nuda venit, poscitque rogos: his anxia mentem
Ægrescit curis, et, qui castissimus ardor,
Funus amat: tunc ad comites conversa Pelasgas:

virtutis non muliebris, et, dimisso sexu, cogitat ingens facinus. Spes aspera illustris discriminis ei placet, et cominus accedere spretis edictis pravi regis, quod nulla nurus Rhodopes, et nulla alumna nivosi Phasidos, stipata innuptis catervis, tentaret. Tunc struit astu fraudem, quo se divellat ab amica turba, et audax immani dolore, et prodiga vitæ, irritet crudeles Deos, et immitem principem. Pietas, et castæ flammæ illam excitant. Ipse etiam Polynices obversatur oculis infortunatæ in omni actione, nunc hospes, nunc sponsus ad prima altaria, nunc placidus maritus, nunc cum discedens eam tristis amplecteretur sub truci galea, et multum prospectaret a supremis portis. Sed nulla frequentior imago menti occurrit, quam quæ ei repræsentat nudum illius corpus in cruore campi Thebani, et bustum efflagitans. Mœsta excruciat animum his solicitudinibus, et, qui amor castissimus, amat luctum. Tunc

et Venett. 3. 4.—179 *Spes dira* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et edd. vett. *Spes dura* Dan. Put. Petav. Behott. 1. 2. Lindenbrog. Cruc. Gevart. et recentt.—180 Behot. 2. pro v. l. *accedere regi.*—181 Dan. *non ulla manus.*—188 Edd. vett. interpungunt: *Nunc hospes miseræ primas, nunc sponsus ad aras, &c.* Bernartius correxit.—192 ‘ In nonnemine librorum est: *pulvere campi.* Nihil mutandum.’ *Barth.*—194 *Ægrescit furiis* Lipsian. Put. et optimæ Barthii mem-

NOTÆ

181 *Rhodopes*] Rhodope Thraciæ mons. *Alumna nivosi Phasidis*] Id est, Amazon. Phasis autem fluvius Colchidis. Vide Theb. v.

182 *Innuptis*] Id est, Amazoniis. Amazones enim non nubebant.

188 *Primas nunc sponsus ad aras*] Respicit Poëta ritum priscum, quo nuptiæ sacrificiis celebrabantur. Vide Theb. II.

195 *Funus amat*] Vide supra vs. 45. Lucanus: ‘ Sævumque arcte

Vos, ait, Actæas acies, Marathoniaque arma
Elicite, aspiretque pio fortuna labori.
Me sinite Ogygias, tantæ quæ sola ruinæ
Causa fui, penetrare domos, et fulmina regni
Prima pati: nec surda feræ pulsabimus urbis
Limina: sunt illic soceri mihi, suntque sorores
Conjugis, et Thebas haud ignoranda subibo.
Ne tantum revocate gradus: illo impetus ingens,
Auguriumque animi. Nec plura: unumque Menœtem
(Olim hic virginei custos monitorque pudoris)
Eligit, et quanquam rudis, atque ignara locorum,
Præcipites gressus, qua venerat Ornitus, affert.
Atque ubi visa procul socias liquisse malorum,
Anne, ait, hostiles ego te labente per agros,
Heu dolor, expectem, quænam sententia lenti
Theseos? an bello proceres, an dexter aruspex

conversa ad socias Graias: Vos, inquit, excite copias Athenienses, ac arma Marathonia, et fortuna faveat piis inceptis. Patiamini me, quæ fui causa tantæ cladis, subire ædes Thebanas, et sustinere primum impetum tyrannidis. Nec percutiam surdas fores barbaræ civitatis, habeo illic soceros, habeo sorores mariti, nec incognita ingrediar Thebas. Solum ne cohibete gressus meos. Illo secreta vi impellor, ac mens quid boni mihi præsagit. Nec plura dixit. Assumit unum Menœtem, (hic olim fuerat custos et monitor virginalis verecundiæ,) et licet imperita, ac imprudens locorum, convertit rapidos gradus, qua Ornitus venerat. Atque cum sibi visa est longe processisse a comitibus calamitatum: Anne, inquit, ego, te jacente in campis inimicis, opperiar, heu dolor, quæ sit mens tardi Thesei? An primores, an favens

branæ.—199 *Causa fui* Behott. 1. 2.—207 *Ornitus aufert* Put. et Behot. 1. a m. sec. in quo prius exscriptum *affert*. 'Lege cum duobus optimis libris *effert*, a via nimirum, quam ceteræ mulieres institerant, sese aufert in aliam.' *Barth.*—208 'Iidem libri: *socias liquisse dolorum*. Tantundem rei est.' *Idem.* —210 'Male nonnulli libri, qui *lecti* [pro *lenti*] hic inducere volunt.' *Idem.*—

NOTÆ

complexa dolorem Perfruitur lacrymis, et amat pro conjuge luctum.'

196 *Actæas*] Athenienses. *Marathonia*] Attica, a Marathone in agro Attico loco, in quo Athenienses clarissimam de Persis victoriam duce Miltiade adepti sunt.

209 *Labente*] An *tabente* a 'tabeo?' id est, diffluente, putrescente.

211 *An bello proceres*] Nihil enim apud Athenienses sine senatus consilio suscipiebant reges. *Aruspex*] Veteres bella non suscipiebant, nisi prius Diis consultis per victimarum exta, et acceptis Aruspicum responsis, an Dii fausta signa ostendissent.

Annuat? interea funus decrescit: et uncis
Alitibus non hos potius supponimus artus?
Et nunc me duram, si quis tibi sensus, ad umbras
Me tardam quereris Stygiis, fidissime, Divis.
Heu si nudus adhuc, heu si jam forte sepultus,
Nostrum utrumque nefas: adeo vis nulla dolenti,
Mors nusquam, sævusque Creon: hortaris euntem,
Ornite. Sic dicens magno Megareia præceps
Arva rapit passu: demonstrat proxima quisquis
Obvius, horrescitque habitus, miseramque veretur.
Vadit atrox visu, nec corde, nec aure pavescens,
Et nimiis confisa malis, propiorque timeri.

aruspex bellum approbent? Interea tuæ reliquiæ minuuntur: et cur non potius exhibemus hæc membra aduncis avium rostris? Et nunc, o carissime, (si quis sensus tibi est,) incusas meam duritiem et meam cunctationem apud Deos Inferos. Heu, si insepultus adhuc es, heu si forte humatus, utrumque meum est scelus. Verbis dehortantibus me ad eundum excitas, Ornite, nam vis nulla, nec mors, nec sævus Creon possunt me dolentem deterrere. Sic loquens rapida emetitur ingenti gradu campos Megaridis: quisquis occurrit, ei ostendit loca propinqua, et miratur habitus, et reveretur miseram. It horrenda aspectu, nec animo pavens, nec aure, et freta nimiis calamitatibus, et quæ potius metuatur. Ut in nocturnis sacris Phrygiæ

212 In uno Behot. recentior stylus induxit: *aduncis Alitibus.*—218 Put. *sævusne Creon.*—220 In eodem codice: *proxima quisque.*—221 'Bona scriptura, [*miseramque veretur,*] nec mutanda: in duobus vero libris legitur: *miseransque veretur.* Ambigua res sit; nec muto tamen vulgatam lectionem.' *Barth.*—222 'Minus bonum est, quod in libro uno et altero repertum: *nil corde nec aure.*' Idem. Ita habent Behot. 1. unus Lindenbrogii, Lipsian. et Venett. 1. 2. alter vero Behot. *nil corde, nil aure.*—223 Put. *propriorque timeri.*—225 Unus Behot. *pinigeri.* Gronovius conj. *Simoëntis ad undam Dux vesane*

NOTÆ

213 *Hos artus*] Suos intelligit.

214 *Si quis tibi sensus*] Dubitat in eo, quod Philosophorum alii negant hoc, alii credunt. Cicero in Catone Majore residere in morte sensum putat. Isocrates dubitat. Nam in Evagora εἴτις, ait, ἐστὶν αἴσθησις τοῖς τετελευτηκόσι περὶ τῶν ἐνθάδε γιγνομένων. *Si quis sensus mortuis de his quæ hic fiunt.* Eadem habet in Platæensium supplicatione, et in oratione Æginetica.

215 *Tardam*] Non respondentem fidei erga te meæ quereris *tardam* venire ad Stygios Divos, id est, protrahere meam mortem contra debitam fidem. *Vet. Schol.* Sed *tardam* hic intelligo, quod retardet, et nondum eum sepulturæ mandaverit.

217 *Nostrum utrumque nefas*] Vel quia sepulturæ te non mandaverim, vel quod alius in hocce pietatis officio tibi præstito, me prævenerit.

219 *Megareia Arva*] Megaridem. Vide Th. I. 29.

222 *Nec*] Alii codices, *nil.*

Nocte velut Phrygia cum lamentata resultant
Dindyma, pinigeri rapitur Simoëntis ad amnem
Dux vesana chori, cujus Dea sanguine lecto
Ipsa dedit ferrum, et vittata fronte notavit.
Jam pater Hesperio flagrantem gurgite currum
Abdiderat Titan, aliis rediturus ab undis,

Deæ, cum Dindyma ejulatibus percussa resonant, insana dux cœtus, cui numen ipsum præbuit cultrum, cruore illius collecto, et quam designavit vittata fronte, fertur præceps ad fluvium Simoënta, Jam pater Titan condiderat ardentem currum in mare Hesperium, reversurus ab aliis aquis; cum tamen illa ignorat diem efflux-

chori.—226. 227 In optimis Barthii membranis: *cui jus Dea sanguine lecto*

NOTÆ

224 *Nocte velut Phrygia cum lamentata resultant Dindyma*] Dindymus, seu Dindyma in plurali, mons Phrygiæ, in quo noctu magnis luctibus et ululatibus Cybeles sacra a Phrygibus celebrabantur: unde 'nox Phrygia.'

225 *Simoëntis*] Simois Troadis fluvius, qui ex Ida monte defluit in agrum Trojanum, et mari vicinus, labitur in Xanthum, atque in paludem cogitur: deinde in Hellespontum, prope Sigæum Promontorium, se exonerat.

226 *Dux vesana chori*] Archigallum intelligit, et vocat illum θηλυκῶς 'ducem vesanam chori,' non solum quia castratus erat, sed quia muliebri habitu indutus erat. Lucianus enim testatur, ipsos Gallos vestitu muliebri usos fuisse, et Gallorum choro fœminas immistas. Ovidius eodem modo Phædræ Epistola: 'Quæque sub Idæo tympana colle movent.' Ibi enim argute Gallos tanquam fœminas describit. Gallas simili modo Catullus in Galliambo vocavit, ubi passim ludit, Attyn tanquam fœminam describens, ut et Claudianus Eutropium Eunuchum. Dicitur 'chorus piniger,' quod Galli sacerdotes pinus ferebant, quibus sibi pectus tundebant, ut notavimus superiori lib. *Cujus Dea sanguine lecto*] Cujus sanguine vult placari Cybele. *Vet. Schol.* In optimo libro alia est lectio: *Cui jus Dea sanguine lecto Ipsa dedit ferri.* Non est fortassis librariorum aut nasutorum hominum hæc scriptura, cum de Modimperatrice sacrorum horum clarus sit sermo. Nihil tamen mutamus. *Barthius. Sanguine lecto*] His verbis innuere videtur Papinius fanaticos illos Cybeles sacerdotes, sanguinem, qui scissis ferro brachiis profluebat, in vasa quædam collegisse, quem scilicet Deæ offerrent. Quod confirmari potest loco Valerii Flacci Argon. lib. III. ubi agens de iisdem fanaticis hæc dicit: 'Et barbara buxus Si vocet, et motis ululantia Dindyma sacris, Tunc ensis, placeatque furor; modo tela sacerdos Porrigat, et justa sanguis exuberet urna.' Videmus etiam in Miscellaneis Erud. Antiquitatis doctissimi Spon medici Lugdunensis, fanaticum repræsentari, tenentem manu vasculum quoddam. An ad hunc usum colligendi sanguinis, an ad cogendam stipem, mendicabant enim Idææ matris famuli, incompertum habeo. *Dea*] Cybele.

227 *Vittata fronte*] Vitta enim insigne sacerdotii.

Cum tamen illa gravem luctu fallente laborem
Nescit abisse diem: nec caligantibus arvis
Terretur, nec frangit iter, per et invia saxa,
Lapsurasque trabes, nemorumque arcana sereno
Nigra die, cæcisque incisa novalia fossis,
Per fluvios secura vadi, somnosque ferarum
Præter, et horrendis insessa cubilia monstris.
Tantum animi, luctusque valent: pudet ire Menœtem
Tardius, invalidæque gradum miratur alumnæ.
Quas non illa domos pecorumque hominumque modesto
Pulsavit gemitu? quoties amissus eunti
Limes, et errantem comites solatia flammæ
Destituunt, gelidæque facem vicere tenebræ?
Jamque supinantur fessis, lateque fatiscunt

isse, dolore decipiente acerbum itineris laborem. Nec percellitur tenebris quibus campi obscurantur, et incedit non fatigata per lapides invios, et trabes casuras, et densas sylvas, obscuras etiam lucente sole, et per jugera scissa occultis fossis, perque amnes, certa vadi, et secus cubilia bestiarum, et lustra habitata ab atrocibus feris: tantum animus et dolor valent. Menœtes erubescit ire lentius, et miratur incessum debilis alumnæ. Quas casas hominum et pecorum non percussit modesto gemitu? Quoties semita eunti perdita, et socii ignes, levamentum itineris, deserunt palantem, et frigidæ tenebræ tædam extinxerunt? Et jam latera montis Penthei

Ipsa dedit ferri, &c.*—232 In nonnullis codd. Barth. et uno Behot. *petit invia saxa.*—234 Put. *novalia saxis.*—235 *Per fluvios secura ruit* Behot. 1. Venett. 3. 4. Rom. Aldd. Colin. Gryph. et Basil. *secura vadit* Behot. 2. Dan. Put. Petav. *secura vadi* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et edd. recentt. Nic. Heinsius in Advers. lib. IV. cap. 3. p. 583. omnino scribendum censet: *Per fluvios secura vadi, somnosque ferarum Fertur, &c.* Put. *somnoque ferarum.*—236 Daum. ex cod. suo manuscripto affert: *obsessa cubilia;* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *infesta cubilia.*—237 *Menecem* Behot. 1.—239 Heinsius ibidem correxit: *pecorumque hominumque molesto, &c.* etsi veteres membranæ consensum non præbent.—240 Uterque Behot. *quotiens amissus.*—241 Barthius conj. *comitis solatia flammæ;* ut postea inve-

NOTÆ

229 *Aliis*] Orientalibus.

230 *Illa*] Argia.

231 *Caligantibus*] Absentia solis obscuratis.

233 *Lapsuras trabes*] *Des planches.*

241 *Comites*] Quidam *comitis flammæ.* Faces a viatoribus in itinere gestatæ per obscuram noctem. Varro R. R. I. 'Ac victoris lascivi facem non metuet ardentem.' Ovidius in fabula Daphnes: 'Ut facibus sepes ardent, quas forte viator Vel nimis admovit, vel jam sub luce reliquit.'

Penthei devexa jugi, cum pectore anhelo
Jam prope deficiens, sic inchoat orsa Menœtes:
Haud procul (exacti si spes non blanda laboris)
Ogygias, Argia, domos, et egena sepulcri
Busta jacere reor: grave cominus æstuat aër
Sordidus, et magnæ redeunt per inane volucres.
Hæc illa est crudelis humus: nec mœnia longe.
Cernis, ut ingentes murorum porrigat umbras
Campus, et e speculis moriens intermicet ignis?
Mœnia sunt juxta: modo nox magis ipsa tacebat,
Solaque nigrantes laxabant astra tenebras.
Horruit Argia, dextramque ad mœnia tendens:
Urbs optata prius, nunc tecta hostilia Thebæ,
Et tamen illæsas si reddis conjugis umbras,
Sic quoque dulce solum; cernis, quo prædita cultu,
Qua stipata manu, juxta tua mœnia primum
Œdipodis magni venio nurus? improba non sunt
Vota: rogos hospes, planctumque, et funera posco.
Illum, oro, extorrem regni, belloque fugatum,

superantur a fatigatis, et late iis subjiciuntur, cum jam deficiens Menœtes sic incipit pectore anhelanti: Argia, si spes finiti laboris non me fallit, puto Thebas non longe esse, nec locum, ubi jacent insepulta cadavera. Squalidus aër graviter exhalat, et ingentes aves circumvolitant per aërem. Hæc est illa crudelis terra: nec longe civitas. Aspicis, ut magnæ mœnium umbræ per agrum extendantur, et e speculis deficiens ignis interluceat? Muri sunt prope: ipsa nox modo plus silebat, et solæ stellæ minuebant atram obscuritatem. Intremuit Argia, et tendens manus ad muros, ait: Thebæ, civitas antea desiderata, nunc terra hostilis, et grata tamen, si mihi restituas integrum cadaver mei mariti; vides quo instructa ornatu, quo comitata agmine, nurus ingentis Œdipi primum accedo ad tuos muros? nimia non sunt vota. Hospes peto, sinas me struere rogum, plangere, et exequias facere. Redde mihi, precor, illum regno profugum, et armis repulsum: illum quem non dignata es

nit in optimo libro.—244 *Penthei convexa jugi* codd. Lindenbrogii.—245 Codex Daumii: *incipit orsa Menœtes;* Barthius ex optimis membranis legit: *inchoat ore Menœtes.*—246 Behott. 1. 2. *blanda doloris;* sed in utroque correctum: *laboris.*—247 In iisdem codd. *et egena sepulchris.*—261 Unus Behot. *in*

NOTÆ

244 *Penthei jugi*] Id est, Cithæronis, *Penthei jugi* dicti a Pentheo, qui ibi a Bacchantibus discerptus fuit.

246 *Non blanda*] Non falsa, seu fallax.

258 *Quo prædita cultu*] Ironice dicta. *Guyetus.*

Illum, quem solio non es dignata paterno,
Redde mihi: tuque, oro, veni, si Manibus ulla
Effigies, errantque animæ post membra solutæ.
Tu mihi pande vias, tuaque ipse ad funera deduc,
Si merui. Dixit, tectumque aggressa propinquæ
Pastorale casæ, reficit spiramina fessi
Ignis, et horrendos irrumpit turbida campos.
Qualis ab Ætnæis accensa lampade saxis
Orba Ceres magnæ variabat imagine flammæ
Ausonium Siculumque latus, vestigia nigri
Raptoris, vastosque legens in pulvere sulcos.
Illius insanis ululatibus ipse remugit
Enceladus, ruptoque vias illuminat igni.
Persephonen amnes, sylvæ, freta, nubila clamant:
Persephonen tantum Stygii tacet aula mariti.

collocare in paterno solio; et tu, precor, veni, si ullum restat mortuis simulacrum, et animæ vagantur a corpore separatæ. Tu mihi iter aperi, et duc me ad tuas exequias, si digna sum. Inquit, et intrans pastoralem casam accendit extinctam facem, et præceps irrumpit in horrendos agros. Sic Ceres, post raptum filiæ, tæda accensa ab Ætneis scopulis, varie colorabat splendore ingentis flammæ Italicam et Siculam ripam, sequens passus atri prædonis, et amplus orbitas rotarum in arena. Ipse Enceladus reclamat illius vesanis clamoribus, et illustrat ejus iter erumpentibus flammis: fluvii, nemora, maria, nubes resonant nomine Proserpinæ. Regia conjugis inferi tantum silet Proserpinam. Ut erat turbata, fidelis nutritius monet

funera posco.—277 ‘Versus non indignus Papinio, et in libris Behottianis, Bernartianis, Aldinis, pluribusque nostris, sed deterioribus, sine nota servatus. At optimi duo libri nostri, alter omnium princeps, nec volam ejus habet

NOTÆ

268 *Reficit spiramina fessi Ignis*] Facem extinctam accendit.

270 *Ætnæis saxis*] Quia Ætna flammas emittit e jugo.

271 *Orba*] Rapta Proserpina. *Variabat*] Varie colorabat, illustrabat: face enim accensa filiam raptam quærebat Ceres.

272 *Ausonium*] Italicum. Italia enim est ex opposito Siciliæ. *Siculum*] Quia in Sicilia quærebat filiam Ceres. Eadem in re Claudianus: ‘Extremaque lucis imago Italiam Libyamque ferit, clarescit Etruscum Littus, et accenso resplendent æquore Syrtes.’ *Nigri Raptoris*] Plutonis.

273 *Sulcos*] Rotarum vestigia: Pluto enim curru vectus Proserpinam rapuit.

275 *Enceladus*] Gigas, cui dicitur mons Ætna impositus. *Ruptoque*] Id est, erumpente ab Ætna.

276 *Persephonen, &c.*] Quia Ceres magna voce filiam vocabat, eam quærendo.

277 *Persephonen tantum*] Hic versus deest in omnibus Mss. *Stygii*

Admonet attonitam fidus meminisse Creontis
Altor, et occultam summittere lampada furto.
Regina Argolicas modo formidata per urbes,
Votum immane procis, spesque augustissima gentis,
Nocte sub infesta, nullo duce, et hoste propinquo,
Sola per offensus armorum, et lubrica tabo
Gramina, non tenebras, non circumfusa tremiscens
Concilia umbrarum, atque animas sua membra gementes.
Sæpe gradu cæco ferrum, calcataque tela
Dissimulat, solusque labor vitare jacentes,
Dum funus putat omne suum, visuque sagaci
Rimatur positos, et corpora prona supinat
Incumbens, queriturque parum lucentibus astris.
Forte soporiferas cœli secreta per umbras
Juno, sinu magni semet furata mariti,
Theseos ad muros, ut Pallada flecteret, ibat,

illam recordari edictorum Creontis, et tædam occultare. Regina modo venerata per Argolidis civitates, votum immensum procorum, et spes civium amplissima, in obscura nocte, nullo duce, et hoste proximo sola it per arma lædentia, et herbas sanie lubricas, non exhorrens tenebras, nec dispersam circum umbrarum multitudinem, et animas sua corpora plangentes. Sæpe dissimulat ferrum, et protrita tela, incerto gradu, solaque opera evitare prostratos, dum existimat omne cadaver suum, et scrutatur solerti oculo jacentes, et inclinata convertit prona cadavera, et queritur, quod stellæ parum fulgeant. Forte Juno, quæ se surripuerat e sinu summi Jovis, clam vadebat per somniferas noctis tenebras ad mœnia Thesei, ut Minervam move-

nec vestigium, alter subscriptum spatio paginæ habet, cum indice hoc loco esse inserendum. Lindenbrogianorum autem nullus omnino agnovit. Videtur tamen ipso acumine sententiæ, et forma elocutionis, a Poëta esse. Liber ille bonus noster transposita vocabula etiam meliorem facere voluit. Sic enim refert: *Persephonen Stygii tantum tacet aula mariti.*' Barth.—279 Petav. *occulte submittere ;* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Behott. 1. 2. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. et Gevart. *occulto summittere ;* nonnulli Barth. *ut occulto.*—287 Put. *vitasse jacentes.*—297 ' Ita me-

NOTÆ

mariti] Plutonis. *Tacet*] Ne proderet raptum ejus.

280 *Regina, &c.*] Hic versus et decem sequentes suspecti sunt Guyeto.

287 *Solusque labor vitare jacentes, Dum funus putat omne suum*] Repetita ex superioribus: ' Nec certa facultas Noscere quem miseri vitent calcentque cruorem.'

290 *Parum lucentibus astris*] Supple, de.

293 *Theseos ad muros*] Athenas. *Pallada*] Pallas enim Athenis religiose colebatur.

Supplicibusque piis faciles aperiret Athenas:
Atque ubi per campos errore fatiscere vano
Immeritam Argian supero respexit ab axe,
Indoluit visu: et lunaribus obvia bigis
Advertit currum, placidaque ita voce locuta est:
Da mihi poscenti munus breve, Cynthia, si quis
Est Junonis honos: certe Jovis improba jussu
Ternoctem Herculeam: veteres sed mitto querelas:
En locus officio: cultrix placidissima nostri
Inachis Argia cernis qua nocte vagetur,
Nec reperire virum densis queat ægra tenebris?

ret, et patefaceret misericordes Athenas piis supplicibus. Et cum vidit e summo cœlo innoxiam Argiam fatigari vane per agros errando, gemuit ad hoc spectaculum, et obvia lunari bigæ direxit ad eam currum suum, atque ita eam alloquitur leni voce: O Cynthia, da mihi petenti munus modicum, si quæ est tibi Junonis reverentia. Certe maligna concessisti Jovi jubenti triplicem noctem ad procreandum Herculem: sed prætermitto antiquos questus: en locus officio. Vides quam obscura nocte erret Argia Inachis, cultrix nostri gratissima, nec mœsta possit invenire corpus mariti

liores codd. optime. In duobus minorum rerum *visum* legitur. Inscite Lindenbrogius edidit *visus* contra legem carminis. Notat idem veritatem ex uno suo codice. Silet omnino de suis Behottius. Nihil certius dicto.' *Barth.* *Indoluit visus* Behott. 1. 2. Dan. et Put. ita etiam nos penes editio Bernartiana, quam recudendam curaverat Lindenbrogius.—298 'Optimus liber: *secuta est.* Non nego hoc bonum esse, nec a manu librarii forte. Non tamen mutarim facile illud.' *Barth.*—302 'Scribendum *placitissima;* gratissimam enim sibi cultricem Argiam agnoscit, et prædicat Juno. Manuscripti libri hactenus nihil mutant, ut putem tamen in optimo fuisse hanc scripturam,

NOTÆ

294 *Athenas*] Athenæ alter Græciæ oculus, urbs a Cecrope condita juxta amnem Ilissum, ingeniorum et eruditionis fons, clarior quam ut debeat indicari.

295 *Vano*] Quia mariti corpus invenire non poterat.

299 *Cynthia*] Luna sive Diana, a Cyntho Deli monte, in qua nata dicitur.

301 *Ternoctem*] Ellipsis. Supple, continuasti. *Ternoctem* uno verbo scribendum, id est, triplicem noctem. Plures autem Aposiopeses notare est in hoc Poëta. *Herculeam*] Quia in hac triplici nocte Hercules conceptus.

302 *Placid.* [*placitissima*] Mihi maxime grata, quæ vox apud Justinum reperitur l. XVIII. c. 3. 'Servisque de statu reipublicæ deliberantibus placuisset regem ex suo corpore creare, eumque placitissimum Diis, qui solem orientem vidisset.' Ita Mss. ubi subdiderunt *acceptissimum.* Suetonius Calig. 36. 'Cum maxime placitam sevocasset.' Vide Th. VII. 190.

303 *Qua nocte*] Quam obscura nocte.

Et tibi nimbosum languet jubar: exere quæso
Cornua, et assueto propior premat orbita terras.
Hunc quoque, qui curru madidas tibi pronus habenas
Ducit, in Aonios vigiles demitte Soporem.
Vix ea, cum scissis magnum Dea nubibus orbem
Protulit: expavere umbræ, fulgorque recisus
Sideribus: vix ipsa tulit Saturnia flammas.
Primum per campos infuso lumine, pallam
Conjugis ipsa suos noscit miseranda labores,
Quanquam texta latent, suffusaque sanguine mœret
Purpura: dumque Deos vocat, et de funere caro
Hoc superesse putat, videt ipsum in pulvere pæne
Calcatum: fugere animus, visusque, sonusque,
Inclusitque dolor lacrymas: tunc corpore toto
Sternitur in vultus, animamque per oscula quærit

ob spissas tenebras? Et tibi caliginosus orbis hebescit. Accende, precor, cornua, et tua biga solito propius terræ accedat. Immitte etiam Thebanis custodibus istum somnum, qui inclinatus tenet humidos frænos currus tui. Vix illa dixerat, cum Dea protulit jubar abscissis nubibus: exhorruere tenebræ, et lumen astris fuit ademtum: vix ipsa Saturni filia sustinuit ejus ignes. Primum immissa per agros luce, ipsa deploranda agnoscit chlamydem viri, suum ipsius opus: quamvis texta occultentur, et splendor purpuræ cruore respersæ hebetetur. Dumque exclamat, O Superi, et credit hoc solum restare de dilecto conjuge, cernit ipsum in pulvere fere protritum. Animus, oculique, ac vox eam defecerunt, et dolor retinuit fletus. Tunc injicit se toto corpore in faciem illius, et scrutatur per oscula absentem animam, et

erasum enim est aliquid.' *Idem.* Vide Not. Var.—309 *Vix ea conscissis manum Dea, &c.* Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. 'Corruptissima hæc sunt, si qua alia. Quid enim *conscissis manum?* portenta verborum, uti vides: sed noli dubitare quin legendum sit ex veteri: *cum scissis magnum, &c.*' Bern. *cum scissis magnum de nubibus* Petav.—314 In quibusdam codd. Lindenbrogii: *sanguine humet.*—316 'In nonnemine librorum est: *pudet ipsum in pulvere;* sed nihil mutandum. Acuta est vocula *pæne,* si enim *plane* dixisset, aut *certo,*

NOTÆ

306 *Orbita*] Currum enim habet Luna.

307 *Qui curru madidas tibi pronus habenas Ducit*] Poëtis Somnus fingitur ducere lunæ currum. *Madidas*] Quia noctes humidæ.

308 *Aonios*] Thebanos.

309 *Dea*] Luna.

310 *Fulgorque recisus Sideribus*] Splendente enim luna, fulgor siderum minuitur.

311 *Saturnia*] Juno Saturni filia.

312 *Pallam*] Palla, hic pro chlamyde.

313 *Suos labores*] Lib. sup. 'Opus ipsa novarat Mœoniis Argia modis.'

319 *Sternitur in vultus*] Ut solent facere admodum afflicti, qui se proji-

Absentem, pressumque comis ac veste cruorem
Servatura legit: mox tandem voce reversa:
Hunc ego te, conjux, ad debita regna profectum
Ductorem belli, generumque potentis Adrasti
Aspicio? talisque tuis occurro triumphis?
Huc attolle genas, defectaque lumina: venit
Ad Thebas Argia tuas: age, mœnibus induc,
Et patrios ostende lares, et mutua redde
Hospitia: heu quid ago? projectus cespite nudo
Hoc patriæ telluris habes? quæ jurgia? certe
Imperium non frater habet: nullasne tuorum
Movisti lacrymas? ubi mater? ubi inclyta fama
Antigone? mihi nempe jaces: mihi victus es uni.
Dicebam, Quo tendis iter? quid sceptra negata
Poscis? habes Argos: soceri regnabis in aula:
Hic tibi longus honos, hic indivisa potestas.
Quid queror? ipsa dedi bellum, mœstumque rogavi
Ipsa patrem, ut talem nunc te complexa tenerem.

collegit sanguinem expressum ex capillis ac ejus vestibus, ut illum servaret. Mox tandem voce redeunte: Egone talem te video, qui profectus eras ad debitum regnum, rector belli, et gener florentis Adrasti? et talis obviam venio tuis triumphis? Huc eleva vultum, et extinctos oculos: Argia venit ad tuas Thebas. Age duc eam intra muros, et monstra patrios penates, et vicissim hospitia restitue. Heu quid facio? Nudus in gramine prostratus, hoc tantum occupas patrii soli? Quis jurgiorum exitus? Certe germanus non habet regnum. Nullosne excitasti fletus tuorum? ubi mater? ubi nomine celebratissima Antigone? scilicet mortuus es uni mihi: victus es soli mihi. Aiebam, quo vadis? quid petis recusatum sceptrum? Obtines Argos, dominaberis in regia soceri: hic tibi continua dignitas, hic potentia non divisa. Quid te accuso? Ipsa sum belli causa, ipsa precata sum tristem genitorem, ut nunc

amentem induxisset Argiam.' *Barth.*—320 *Absentem, expressumque comis* Exc. Cantab.—321 Petav. *voce repulsa.*—328 Behot. 1. *heu quid agam.* Prius fuerat scriptum *ago*, sed idem correxit qui scripserat.—332 *Antigones* unus Behot.—336 'Scribendum puto, uti habent duo meliora exempla: *bello.*' Barth.

NOTÆ

ciunt in corpus defuncti, quem carissimum habuerunt. *Animamque per oscula quærit Absentem*] Sic lib. v. 'Ingeminat misera oscula tantum Incumbens, animæque fugam per membra tepentem Quærit hians.'

335 *Longus*] Sine successoris metu.

336 *Mœstumque rogavi Ipsa patrem*] Vide Theb. III. sub finem.

Sed bene habet, Superi: gratum est, Fortuna: peracta est
Spes longinqua viæ: totos invenimus artus.
Hei mihi, sed quanto descendit vulnus hiatu!
Hoc frater? qua parte, precor, jacet ille nefandus
Prædator? vincam volucres, sit adire potestas,
Excludamque feras: an habet funestus et ignes?
Sed nec te flammis inopem tua terra videbit:
Ardebis, lacrymasque feres, quas ferre negatum
Regibus, æternumque tuo famulata sepulcro
Durabit deserta fides, testisque dolorum
Natus erit, parvoque torum Polynice fovebo.
Ecce alios gemitus, aliamque ad busta ferebat
Antigone miseranda facem, vix nacta petitos
Mœnibus egressus: illam nam tempore in omni
Attendunt vigiles, et rex jubet ipse timeri,

te amplecterer qualis es. Sed bene est, Dii: acceptum est, Fortuna: spes longinqui itineris non delusa est: integrum corpus reperimus. Heu me, sed quam alte penetrat plaga! Hancne germanus inflixit? Sed ubi, quæso, ille perversus prædo jacet? crudelior ero avibus, modo liceat accedere, et bestias expellam. Anne ille scelestus rogo fruitur? Sed tua patria nec te cernet privatum supremis ignibus: cremaberis, et fletus reportabis, hactenus inconcessos regibus, et fides vidua affixa tuo tumulo in perpetuum durabit, et filius erit testis luctus mei, et calefaciam lectum meum parvo Polynice. Ecce infelix Antigone portabat alia lamenta, et aliam tædam ad rogum. Vix invenerat optatum exitum ab urbe. Nam custodes illam semper observant, et

—338 *Sed bene habet: Superi, gratum est. Fortuna, peracta est, &c.* Aldd. Colin. Gryph. et Basil. Bernartius correxit: *Sed bene habet, Superi, gratum est, Fortuna, &c.*—345 *Ardebit* in uno codice Lindenbrogii.—346 In eodem: *Regibus, longumque tuo.*—348 *Polynice favebo* Petav.—351 Optimi duo codices Barthii: *tempus in omne;* quod illi placet.—352 ' Melius iidem libri:

NOTÆ

338 *Sed bene habet, Superi: gratum est fortuna*] Formula flebile gaudentium, cum tamen aliquid est in tam atroci tempore lætum. Sic Epic. in Glauciam: ' Gratum est, fata, tamen, quod non mors lenta jacentis Exedit puerile decus.'

342 *Sit adire*] Adde, modo, vel si.

347 *Durabit*] Conjugis scilicet.

348 *Parvo Polynice*] Thersandro. Et Poëta habuit ante oculos illud Didus Æneid. IV. ' Saltem si qua mihi de te suscepta fuisset Ante fugam soboles; si quis mihi parvulus aula Luderet Æneas, qui te tantum ore referret.' *Fovebo*] Solabor viduitatem meam superstite filio, nec secundas nuptias cupiam.

352 *Timeri*] An *teneri?* Caveri Lactantius explicat.

Contractæque vices, et crebrior excubat ignis.
Ergo Deis, fratrique moras excusat, et amens,
Ut paulum immisso cessit statio horrida somno,
Erumpit muris: fremitu quo territat agros
Virginis ira leæ rabies, cui libera tandem
Et primus sine matre furor: nec longa morata est,
Quippe trucem campum, et positus quo pulvere frater
Noverat: atque illam contra videt ire Menœtes,
Cui vacat, et caræ gemitus compescit alumnæ.
Cum tamen erectas extremus virginis aures
Accessit sonus: utque atra sub veste, comisque
Squalentem, et crasso fœdatam sanguine vultus
Astrorum radiis, et utraque a lampade vidit:
Cujus, ait, Manes, aut quem temeraria quæris
Nocte mea? Nihil illa diu, sed in ora mariti

ipse rex imperat caveri; stationes contrahuntur, et frequentior ignis excubat. Ergo orat Deos et germanum, ut excusatam habeat cunctationem suam. Et ut terribilis custodia paulum succubuit immisso sopori, vecors exsilit e mœnibus, eodem fremitu, ac parva leæna, cui tandem liberum est sine matre egredi, primo furore truculenta consternat campos. Nec diu tardavit, nam sciebat, ubi erat funestus ager, et locus, quo frater jacebat. Menœtes autem, qui cavet, et qui reprimit gemitus dilectæ alumnæ, ne audirentur, cernit illam ex adverso venientem. Cum tamen extremus eorum sonus ferit aures virginis Antigones, et illa cernit ad lucem astrorum, et utriusque tædæ, hanc nigra veste indutam, et habentem sordidos crines, et vultum denso cruore inquinatum: Cujus, inquit, umbram, aut quem quæris audax in nocte mea? Illa

teneri.' Barth.—357 ' Distinctio vitiata est in omnibus editionibus, Aldd Gryph. Grasser. Gevart. Bern. Lindenbrog. &c. Sic enim constituenda *fremitu quo territat agros Virginis ira leæ, rabies cui, &c.*' Idem.—362 ' Manuscripti *arreptas*, [pro *erectas*,] aut *arrectas*, habent plerique: nihil tamen a

NOTÆ

353 *Contractæque vices, et crebrior excubat ignis*] Contractas vices explica vigilias crebrius mutatas, earumve tempora arctata metu Antigones, cui Creon diffidebat. Etenim vigilibus certum, ut nunc, tempus præfiniebatur, nempe tres horæ, ut docet Vegetius lib. III. Vide Lipsium Militiæ Romanæ lib. v.

359 *Quippe, &c.*] Hunc versum et sex sequentes insititios judicat Guyetus.

360 *Ire*] Venire.

361 *Cui vacat* [*cavet*] Quidam legunt *vacat*, et explicant, cessat: nam sola Argia funeri Polynicis erat intenta.

362 *Erectas*] An *arrectas?* Erectas vero more timentium: ad minimum enim murmur aures erigunt.

365 *Utraque a lampade*] Sua, et illa Argiæ. Nam supra dixit Antigonem ad bustum facem attulisse.

367 *Nocte mea*] Quæ soli mihi de-

Dejicit, inque suos pariter velamina vultus,
Capta metu subito, paulumque oblita doloris.
Hoc magis increpitans suspecta silentia, perstat
Antigone, comitemque premens ipsamque: sed ambo
Deficiunt, fixique silent: tandem ora retexit
Argia, corpusque tamen complexa, profatur:
Si quid in hoc veteri bellorum sanguine mecum
Quæsitura venis, si tu quoque dura Creontis
Jussa times, possum, tibi me confisa, fateri.
Si misera es (certe lacrymas lamentaque cerno)
Junge, age, junge fidem: proles ego regis Adrasti:
(Hei mihi! num quis adest?) cari Polynicis ad ignes,
Etsi regna vetant. Stupuit Cadmeia virgo,
Intremuitque simul, dicentemque occupat ultro:
Mene igitur sociam (pro sors ignara!) malorum,
Mene times? mea membra tenes, mea funera plangis.

correpta repentino pavore, et paulum immemor luctus sui, nihil tunc respondit; sed demisit velum in vultum mariti et pariter in suum. Antigone, hoc plus increpans suspectam taciturnitatem, perstat, et urget ipsam Argiam, et ejus socium; sed ambo stupent, et immobiles manent. Tandem Argia nudavit vultum suum, et loquitur, com plectens tamen corpus mariti: Si quid venis indagatura mecum in hoc antiquo certaminum cruore, si tu quoque reformidas aspera Creontis imperia, possum me tibi confidenter prodere. Si es infelix, (certe aspicio fletus tuos et luctum,) implica age, implica dextram in pignus fidei. Ego sum filia Adrasti regis. Hei, aliquisne veniret ad cremandum meum Polynicem, vetante rege? Puella Cadmo orta mirata est, unaque horruit, et insuper loquentem prævenit: Proh fors ignara! Mene igitur times, mene times sociam calamitatum? tenes meos artus, ploras mea funera.

vulgata lectione mutandum.' *Idem.*—372 Unus Behot. *tandem ore resolvit.*—373 *Argie* legunt omnes codd. Barthii.—378 'Portentum hic habent duo libri nostri, quorum alter est ille quem optimum toties vocavimus. Non enim agnoscunt, nisi supra scripta, hæc omnia verba; in sermonis autem verbis Maronis hemistichium repræsentant: *Accipe, daque fidem: proles ego Regis Adrasti.* Nihil mutem a vulgari lectione.' *Barth.*—379 'Fatui sunt libri qui hæc mutant. Metum enim circumspicientis, et a crudelissimo homine deprendi timentis, pulchre referunt, et sunt parenthesi includenda quinque hæc verba: (*Hei mihi num quis adest?*)' Idem. Edd. vett. habent: *Hei mihi num quis adest cari Polynicis ad ignes? Et si regna, &c.* Non alias variantes h. l. inveni.—382 'Et hoc loco læsa est distinctio. Scribe: *Mene igitur sociam, proh: (fors ignara) malorum Mene times?*' Barth. Put. habet: *sociam profers.*—383 *Meque times* in eodem libro.—384 *Cedo tene pudet* omnes

NOTÆ

bebatur, ne quis me ab egregio opere impediret. *Vet. Schol.* Optime.

371 *Comitem*] Menœten. *Ipsamque*] Argiam.

380 *Cadmeia virgo*] Antigone.

383 *Mea membra*] Id est, fratris.

Cedo, ten' pudet? heu pietas ignava sororis!
Hæc prior. Hic pariter lapsæ, junctoque per ipsum
Amplexu, miscent avidæ lacrymasque, comasque,
Partitæque artus redeunt alterna gementes
Ad vultum, et cara vicibus cervice fruuntur.
Dumque modo hæc fratrem memorat, nunc illa maritum,
Mutuaque exorsæ Thebas, Argosque renarrant,
Longius Argia miseros reminiscitur actus:
Per tibi furtivi sacrum commune doloris,
Per socios Manes, et conscia sidera juro;
Non hic amissos, quanquam vagus exul, honores,
Non gentile solum, caræ non pectora matris,
Te cupiens unam, noctesque, diesque, locutus

Cedo. Heu, non te pudet, sororis ignava pietas! hæc prior venit. Hic una corruentes, et amplexu nexo per medium Polynicem, confundunt avidæ fletus et crines, et partitæ artus, gementes vicissim revertuntur ad vultum, et alternis osculantur dilectum caput. Dumque hæc modo memorat germanum, nunc illa conjugem, et alternatim loquuntur, hæc de Thebis, illa de Argis, Argia prolixius deplorat suam miseram sortem: Attestor hoc sacrum commune clandestini luctus nostri, et communem umbram, et stellas, quæ nos rident; hic Polynices, quamvis profugus et extorris, non loquebatur de regno sibi erepto, non de natali humo, non de sinu dilectæ parentis; diu noctuque te solam Antigonem memorabat. Ego minus



codd. cum Venett. 3. 4. Rom. et Aldd. 'Gul. Canterum putasse rescribendum: *ten' pudet* arbitror, licet verba ejus corrupte sint edita Nov. Lect. lib. II. cap. 8. Neque sane aliter potest legi, propter versum. Mihi spurius totus aliquando videbatur, vel latere vetustissimum mendum, quod librarios omnes fefellerit. Possis scribere: *Cedere men' pudet? heu pietas ignava sororis!* Voculam *heu* omnes libri agnoscunt, alioquin facilior esset correctio aut lectio. Quare fortasse sic reliquerit Papinius: *Cedo, tamen pudet! Heu, &c.* Scripseram hæc cum cogitanti displicent hæc omnia, et apparet vera esse scriptura manuscriptorum librorum: *Cedo: tene: pudet, heu, &c.*' Barth. Vide Not. Var.—385 *Hæc prior hinc* Daum. ex cod. et ita Barthiani. *junctæque per ipsum* optimæ Barthii membranæ.—388 Behot. 1. *cervice feruntur*: correctum tamen, et expunctis prioribus literis repositum *fruuntur.*—391 *Longius Argie* optimæ Barthii membranæ.—394 Epitheton *vagus* suspectum est Barthio.—

NOTÆ

384 *Cedo, ten' pudet*] Est in omnibus scriptis: *Cedo, tene, pudet! heu.* Ceterum ego, quæ adhuc putavi meas esse primas partes, et luctus, et officii erga fratrem, nunc a te victam esse me fateor, tibique concedo, quæ tam longo itinere prior tamen ades. Tu potius *tene*, ac amplectere funus, quod ut tenerem ipsa tractaremque, dum supremo officio mando, veni, sed sero tardeque. *Gronovius.*

395 *Gentile solum*] Patriam, quæ omnibus carissima.

Antigonen: ego cura minor, facilisque relinqui.
Tu tamen excelsa sublimis forsitan arce,
Ante nefas Graiis dantem vexilla maniplis
Vidisti, teque ille acie respexit ab ipsa
Ense salutatam, et nutantis vertice coni:
Nos procul: extremas sed quis Deus egit in iras?
Nil vestræ valuere preces? tibine iste negavit
Oranti? Causas ac tristia reddere facta
Cœperat Antigone: fidus comes admonet ambas:
Eia agite inceptum potius! jam sidera pallent
Vicino turbata die: perferte laborem,
Tempus erit lacrymis: accenso flebitis igne.
Haud procul Ismeni monstrabant murmura ripas,
Qui turbatus adhuc et sanguine decolor ibat.
Huc laceros artus socio conamine portant
Invalidæ, jungitque comes non fortior ulnas.
Sic Hyperionium tepido Phaëthonta sorores

cara, et quæ facilius linqueretur. Tu saltem, ante scelestum prælium, sublimis ab alta turre, forsitan illum aspexisti imperantem Graiis copiis, et te ille spectavit ab ipsa acie, ac salutavit ense, et inclinato galeæ apice. Nos longe. Sed quod numen illos impulit in ultimos furores? Nihil vestræ obsecrationes valuerunt? Hocne recusavit tibi precanti. Antigone cœperat narrare ab initio luctuosa facta: sed fidelis comes ambas admonet. Eia cœptum potius perficite. Jam stellæ pallent obscuratæ proximo sole, agatis potius, tempus erit lugendi: plorabitis ardente rogo. Susurrus Ismeni, qui fluebat adhuc infectus cruore et decoloratus, indicabat propinqua esse ejus littora. Illuc communi nisu ferunt laniata membra, comes non robustior brachia admovet. Sic sorores abluerunt Phaëthontem Hyperionium

398 *Tu tamen e celsa* optimæ Barthii membranæ. *sublimen* Dan. *sublimem* Behot. 1. et pro v. l. *sublimis;* contra *sublimis* Behot. 2. et pro v. l. *sublimem.*—403 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Behott. 1. 2. Venett. 3. 4. Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. et Gevart. *tibine ista;* Put. omnes Barthiani, Gronov. Barth. Veen. et Delph. *tibine iste.*—404 'Scribendum cum manuscriptis *fata.*' Barth. Omnes alii codd. et edd. vett. habent *facta*:—410 *Qua turbatus* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Put.

NOTÆ

406 *Inceptum potius*] Perficite, supple.

410 *Turbatus adhuc et sanguine decolor*] Ob commissam in eo pugnam. Vide Theb. IX.

413 *Sic Hyperionium tepido, &c.*] Tangit fabulam, qua dicitur Phaëthon excussus fulmine e curru paterno in Padum fluvium decidisse, ejusque sorores, dum corpus fratris lavant in hoc fluvio, ut eum sepulturæ mandarent, et extinctum immodera-

Fumantem lavere Pado: vix dum ille sepulcro
Conditus, et flentes stant circum flumina sylvæ.
Ut sanies purgata vado, membrisque reversus
Mortis honos, ignem miseræ post ultima quærunt
Oscula: sed gelidæ circum exanimesque favillæ
Putribus in foveis, atque omnia busta quiescunt.
Stabat adhuc seu forte rogus, seu numine Divum,
Cui torrere datum sævos Eteocleos artus,

fumantem in calido Pado: vixdum ille positus erat in tumulo, cum plorantes steterunt ad littus fluvii, conversæ in arbores. Ut tabum elutum fuit aquis, et pallor, decus mortis, redit in artus, infortunatæ scrutantur ignem, postquam ei dederunt novissima oscula. Sed vicini cineres frigidi, mortuique erant in putribus scrobibus, et omnes rogi extincti. Restabat adhuc bustum, seu casu, seu Deorum permissu, in quo cremata fuerant membra crudelis Eteoclis, sive fortuna rursus quærebat pro-

Behott. 1. 2. et Venett. 3. 4.—415 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Behott. 1. 2. Venett. 3. 4. Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. Gevart. Grasser. et Amstel. *stabant ad flumina.* Gronov. Barth. Veen. et Delph. *stant circum flumina.* Vide Not. Var.—419 *Putribus in fotiis* unus Behot. *ambustaque membra quiescunt* Buslid. et Venett. *atque omnia busta quescunt* in ceteris codd. et edd. omnibus. ‘ Male solicitatur hæc lectio a veteribus libris. Nostrorum nonnulli: *et circum busta quiescunt;*

NOTÆ

tius lugent, in populos dicuntur esse conversæ. *Hyperionium*] Quia Phaëthon erat filius solis qui dicitur Poëtis ‘Hyperion.’ Tangit etiam morem lavandi corpora mortuorum, antequam cremarentur. *Tepido*] Ob incendia quæ restinxerat.

414 *Pado*] Padus fluvius Italiæ celeberrimus, Græcis ‘Eridanus,’ ita dictus, quod, ut notat apud Plinium Metrodorus Scepsius, circa ejus fontem arbor multa sit picea, quæ Pades Gallice dicitur. Hodie *Po.* Profluit, ut ait Plinius lib. III. cap. 16. e gremio Vesuli montis, celsissimum in cacumen Alpium elati, finibus Ligurum Vagiennotum visendo fonte, (non qui proprio sic nomine dictus, ut putat Leander, sed qui visu dignus est et admirabilis,) conditque sese cuniculo, et in Forovibiensium agro iterum exoriens, nulli amnium claritate inferior: ac per angustas ac confragosas rupes, et angustas scopulosi montis convalles præcipitat, multaque vi fertur. Augent ipsum, præter fluvios ipsos, liquatæ nives, idque ad Canis ortus, nec cum torrentior est, tam navigiis infestus est, quam agris, quo fit, ut perpetuo accolarum labore utrimque aggeribus coërceatur. Ita Padus multas urbes præterlapsus septem ostiis, ut Sabellicus et Plinius notant, in Adriaticum Mare se exonerat, deferendo secum triginta numero flumina.

415 *Flentes sylvæ*] Sorores Phaëthontis in populos seu alnos conversæ. *Stant circum*] Hæc verba mutationem celeriorem reddunt.

417 *Mortis honos*] Pallor, qui est signum mortis.

Sive locum monstris iterum fortuna parabat,
Seu discessuros servaverat Eumenis ignes.
Hic tenuem nigris etiamnum advivere lucem
Roboribus pariter cupidæ videre, simulque
Flebile gavisæ: nec adhuc, quæ busta, repertum,
Sed placidus quicumque, rogant, mitisque supremi
Admittat cineris consortem, et misceat umbras.
Ecce iterum fratres: primos ut contigit artus
Ignis edax, tremuere rogi, et novus advena bustis
Pellitur: exundant diviso vertice flammæ,
Alternosque apices abrupta luce coruscant.

digiis materiam, seu Furia foverat flammas a se invicem discessuras. Hic pari ardore concitæ, animadverterunt debile lumen adhuc vivere in atris lignis, unaque lætantur flentes. Nec adhuc notum, cujus rogus fuerat: sed precantur, quicumque sit, ut lenis et placidus recipiat socium ultimi cineris, et sinat manes confundi. Ecce iterum fratres apparuerunt: nam ut primum vorax flamma contrectavit membra Polynicis, bustum concussum est, et novus hospes rogo extruditur: flammæ erumpunt discreto apice, et utraque earum fastigia coruscant abrupto lumine. Ut si palli-

quod nec ipsum tamen vulgato præferam.' *Barth.*—423 *Seu dissensuros* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. et edd. vett. Vide Not. Var.—424 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. et edd. vett. *etiamnum vivere.* Vide Not. Var.—426 Optimæ Barthii membranæ: *nec adhuc quæ busta, reperto.*—427 *Sit placidus* multi codd. et edd. vett. *Sed placidus* Behott. 1. 2. Gronov. Barth. Veen. et Delph.—429 *Ecce iterum fratris primos, &c.* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Behott. 1. 2. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. et Gevart. *Ecce iterum fratres. Primos, &c.* optimæ Barthii membranæ. Vide Not. Var.—430 Unus Behot. *novus advena busto.*—431 In quibusdam libris Barthianis *diverso vertice.*—432 *Alternique*

NOTÆ

423 *Seu discessuros*] Seneca in Œdipo: 'Pugnax ignis in partes duas discedit.' Vide ad III. de Benef. cap. 37. Quidam codices habent *dissensuros.*

424 *Etiamnum advivere lucem*] *Advivere* recepit in sua editione Gronovius ex melioribus et pluribus codicibus, cum Editi haberent, *etiamnum vivere lucem.* Verbum servatum et in lapide prisco: QVI. ADVIVENTE. EO DONO. DELPHICÆ. AREÆ. CVM. OMNI CVLTV. EXORNATÆ. SED. ET. TESTAMENTO. DIVISIONE. EXEQVIARUM. EIVS. HONORATI. SVNT.

429 *Ecce iterum fratres*] Sic recepit et idem Gronovius, ex optimis codicibus, et pluribus, cum editi haberent: *Ecce iterum fratris, &c.* Aitque id esse multo vividius. Nimirum qui jam nulli esse credebantur, subito apparuerunt rursus fratres, quales fuerant, discordes et dissociabiles. En iterum specimen horum fratrum.

431 *Exundant diviso vertice flammæ*] Imitatur Lucanum lib. I. 'Vestali raptus ab ara Ignis, et ostendens confectas flamma Latinas, Scinditur in partes, geminoque cacumine surgit, Thebanos imitata rogos.'

Pallidus Eumenidum veluti commiserit ignes
Orcus, uterque minax globus, et conatur uterque
Longius: ipsæ etiam commoto pondere paulum
Secessere trabes: conclamat territa virgo:
Occidimus, functasque manu stimulavimus iras.
Frater erat: quis enim accessus ferus hospitis umbræ
Pelleret? en clypei fragmen, semustaque nosco
Cingula, frater erat: cernisne, ut flamma recedat,
Concurratque tamen? vivunt odia improba, vivunt.
Nil actum bello: miseri, sic dum arma movetis,
Vicit nempe Creon: nusquam jam regna: quis ardor?
Cui furitis? sedate minas: tuque exul ubique,
Semper inops æqui, jam cede: hoc nupta precatur,
Hoc soror, aut sævos mediæ veniemus in ignes.
Vix ea, cum subitus campos tremor, altaque tecta
Impulit, adjuvitque rogi discordis hiatus,
Et vigilum turbata quies, quibus ipse malorum

dus orcus Furiarum ignes commiserit, uterque globus eminet, uterque se separat longius. Ipsa etiam tigna discesserunt mole agitata. Consternata puella vociferatur: Occidimus, et suscitavimus propriis manibus extinctos furores. Frater erat: quis enim tam asper, ut ejiceret umbram hospitis se convenientis. En fragmentum scuti, et agnosco semicrematum balteum. Frater erat. Aspicisne, ut flammæ sese dividant, et tamen confligant? Vivunt diræ inimicitiæ, vivunt. Nil actum est bello. Infortunati, dum sic pugnatis, nempe Creon vicit. Non est amplius regnum, de quo contendatis? Quis furor? in quem sævitis? iras compescite. Et tu, ubique extorris, et cui jus semper negatur, nunc cede. Rogat hoc uxor, hoc soror, aut nos medias injiciemus in crudeles flammas. Vix ea dixit, cum repentinus tremor concussit terram et excelsas ædes, et auxit separationem pyræ dissentientis, et custodes expergefacti, quibus ipse somnus repræsentabat imagines mali ipsis im-

unus Behot. a m. sec.—438 Dan. Put. Petav. Lindenbrog. et Cruc. *umbras.* —439 Dan. Put. Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et edd. vett. *semiustaque.*—446 ‘In optimo codice glossa est indicans alios legere *ambæ veniemus.* Nihil mutamus.’ *Barth.*—447 ‘Optimæ illæ et capitales membranæ non *tecta*, sed *tesca* diserte hoc loco legunt, quo pacto Papinium scripsisse omnino ex-

NOTÆ

433 *Veluti commiserit ignes Orcus*] Ita rogi flamma divisa est, ut et hoc instinctu Furiarum credatur factum.

434 *Minax*] Eminens. *Conatur uterque*] Se ab invicem separare.

445 *Semper inops æqui*] Cui semper jus negatur.

447 *Campos tremor*] Id est, sceleris horrore, quo se flammæ diviserant, terræ factus est motus: et dividebantur quidem odio flammæ, sed plus disjunctæ sunt terræ: prodigiale enim monstrum exhorruit terra.

449 *Quibus ipse malorum Fingebat*

Fingebat simulacra sopor: ruit ilicet, omnem
Prospectum lustrans armata indagine miles.
Illos instantes senior timet unus: at ipsæ
Ante rogum, sævique palam sprevisse Creontis
Imperia, et furtum claro plangore fatentur
Securæ, quippe omne vident fluxisse cadaver.
Ambigitur sæva de morte, animosaque leti
Spes furit: hæc fratris rapuisse, hæc conjugis artus
Contendunt, vicibusque probant: ego corpus, ego ignes,
Me pietas, me duxit amor: deposcere sæva
Supplicia, et dextras juvat insertare catenis.
Nusquam illa alternis modo quæ reverentia verbis;
Iram, odiumque putes: tantus discordat utrimque
Clamor, et ad regem, qui deprendere, trahuntur.

pendentis. Extemplo milites armati irruunt, et lustrantes omnem campum investigant. Solus longævus timet eos imminentes. At ipsæ, ante pyram, fatentur furtum, claro planctu, et se palam contemsisse jussa Creontis, securæ: cernunt enim totum corpus crematum. Certant inter se de crudeli morte, et utraque furit, quod altera vult sibi præripere gloriam generosæ mortis, quam speraverat. Contendunt, hæc se furatam esse corpus fratris, illa mariti, et probant alternis. Ego corpus, ego ignes, pietas egit me, amor me. Juvat efflagitare crudeles pœnas, et inserere manus in vincula. Non est amplius illa mutua reverentia, quæ prius erat in earum verbis; crederes inesse iram et odium: tanto clamore utrimque dissentiunt. Et illi qui

istimo.' *Idem.*—454 Put. *clangore fatentur.*—456 *Amtitur* Dan. Put. Petav. Lindenbrog. et Cruc. *Ambigitur* Behott. 1. 2. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Petrens. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. et recentt.—463 Petav. Lang.

NOTÆ

simulacra sopor] *Mulorum*; nempe quæ ipsos expectabant, quod, dum somno obruti sunt, corpus Polynicis crematum fuerat. Edixerat enim Creon, ne quis 'ope aut flammis Argivos juvaret.' 'Aut nece facta luet, numeroque explebit adempta Corpora.'

451 *Indagine*] Circuitu, circumitione. *Vet. Schol.* Glossarium Vetus: 'Indago, investigatio.' In Isidori Glossis: 'Indago, investigatio.' Ductum a re venatoria, ubi 'indago,' spatium retibus ad capiendas et includendas feras clausum. Lucanus lib. VI. 'Magnoque recessu Amplexus fines, saltus, nemorosaque tesqua, Et sylvas vastasque feras indagine claudit.' Hic vero Scholia: continenti statione militum: dicitur enim *armata.*

452 *Senior*] Menœtes. *Ipsæ*] Argia et Antigone.

456 *Ambigitur*] Alii legunt, *Ambitur.*

458 *Contendunt*] Hunc locum imitatur Torquatus Tassus in obsidione Hierosolymitana.

462 *Iram, odiumque*] Supple, inesse.

At procul Actæis dextra jam Pallade muris
Juno Phoroneas inducit prævia matres
Attonitas, non ipsa minus, cœtumque gementem
Conciliat populis, et flentibus addit honorem.
Ipsa manu ramosque oleæ, vittasque precantes
Tradit, et obtenta summittere lumina palla,
Et præferre docet vacuas sine manibus urnas.
Omnis et Actæis effusa penatibus ætas
Tecta viasque replent: unde hoc examen? et una
Tot miseræ? nec dum causas novere malorum,
Jamque gemunt. Dea conciliis se miscet utrisque
Cuncta docens, qua gente satæ, quæ funera plangant,
Quidve petant: variis nec non affatibus ipsæ
Ogygias leges, immansuetumque Creonta

eas deprehendere, ad regem rapiebant. Interea Juno, dux matronarum Argivarum, eas consternatus introducit, favente Minerva, in urbem Athenas. Nec minus ipsa Minerva conciliat civium gratiam dolenti turbæ, et addit lacrymis reverentiam. Ipsa his manu propria tradit frondes oleæ, ac supplices tænias, et monet dejicere oculos obducta palla, et portare urnas cineribus vacuas. Omnes, cujuscumque sint ætatis, erumpunt ædibus Atticis, et replent tecta et vicos. Unde hæc multitudo? et tot afflictæ simul? Nondum noverant causas malorum earum, et jam dolent. Numen inserit se in utrosque cœtus, exponens, quo populo oriundæ, quæ damna lugeant, et quid postulent. Ipsæ etiam diversis sermonibus ubique accusant et cum fremitu

Laur. Buslid. Lipsian. et edd. vett. *deprendere trahebant;* Put. Dan. et Behott. *deprendere trahuntur.* Vide Not. Var.—467 Put. *fletibus addit.*—468 Dan. *vittasque precantis.*—471 *Omnis Erichtheis* duo Barthiani et Put. et sic ex optimis membranis corrigi jussit Nic. Heinsius in Advers. lib. IV. cap. 2. p. 574.—474 Dan. Put. Petav. Lindenbrog. et Cruc. *sed miscet utrisque;* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Behott. 1. 2. Venett. Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. et recentt. *se miscet utrisque.*—475 Unus Behot. *funera plangunt.*

NOTÆ

463 *Trahuntur* [*trahebant*] Quidam codices *Trahuntur,* quasi tantus esset mulierum ardor, ut satellites ipsos ad regem traherent potius, quam invitæ sequerentur. Sic de perjuro Juvenalis Sat. III. 'Tunc te sacra ad delubra vocantem Præcedit, trahere immo ultro ac vexare paratus.'

464 *Actæis*] Athenarum.

465 *Phoroneas*] Argivas a Phoroneo rege Argivorum.

466 *Attonitas*] Hunc versum et sequentem delendos censet Guyetus.

468 *Ramosque oleæ, vittasque precantes*] Supplicantium more, qui ferebant in manibus ramum oleæ lana obvolutum. Ceteri Græci hunc ramum sic adornatum vocabant ἱκετηρίαν; Athenienses vero εἰρεσιώνην.

474 *Jamque gemunt*] A natura enim insitum est moveri misericordia ad visum insignis calamitatis, et aliena mala plerumque e nostris oculis lacrymas eliciunt.

Multum et ubique fremunt. Geticæ non plura queruntur
Hospitibus tectis trunco sermone volucres,
Cum duplices thalamos, et iniquum Terea clamant.
Urbe fuit media nulli concessa potentum
Ara Deum: mitis posuit Clementia sedem,
Et miseri fecere sacram: sine supplice nunquam
Illâ novo: nulla damnavit vota repulsa.
Auditi, quicumque rogant, noctesque, diesque
Ire datum, et solis numen placare querelis.
Parca superstitio: non thurea flamma, nec altus
Accipitur sanguis, lacrymis altaria sudant,
Mœstarumque super libamina serta comarum

edicta Thebana et Creontis immanitatem. Aves Thraciæ non magis queruntur supra tecta hospitalia mutilis linguis, cum clamant geminos lectos, et infandum Tereum. Erat ara in media urbe, nulli magnorum Deorum dicata. Lenis Misericordia fundavit hanc sedem, et infortunati illum consecrarunt. Illa nunquam est sine novo supplice: nullius rejicit preces: omnes qui orant exauditi: licet accedere diu noctuque, et mitigatur Dea solo planctu. Colitur sine sumtu: suffitus thuris non admittitur, nec largus victimarum cruor. Altaria manant fletibus: coronæ tristium

—478 Idem codex pro v. l. habet: *plura loquuntur.*—484 Optimus codex Barthii: *nulli damnavit;* quod ille probat.—489 Put. et duo Barthiani: *liba-*

NOTÆ

478 *Geticæ*] Thraciæ. Quia Procne in Thracia conversa dicitur in hirundinem. Inde hirundines 'Thraciæ' dicuntur.

479 *Hospitibus tectis*] Hirundines enim sunt volucres advenæ. *Trunco sermone*] Inarticulata voce. *Lactantius. Trunco*] Quia Tereus Philomelæ, quæ postea in hirundinem mutata fuit, linguam præciderat, ne injuriam sibi ab eo illatam proderet. *Volucres*] Hirundines.

480 *Duplices thalamos*] Tereus enim stuprum intulerat Philomelæ, suæ uxoris Procnes sorori. Nota fabula. Hinc 'duplices thalami.'

481 *Nulli concessa potentum Ara Deum*] Græci hos vocabant θεοὺς δυνατοὺς, καὶ μεγάλους, καὶ ἐνδυνάτους. Hi erant Dii Majores, quos hoc disticho Ennius comprehendit: 'Juno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars, Mercurius, Jovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.'

482 *Mitis posuit Clementia sedem*] Hanc 'aram misericordiæ' nominat Cicero in Tusc. Quæst. Celebravit et Claudianus de bello Gildonico: 'Si flentibus aram Et proprium miseris numen posuistis Athenæ.' Vide Eumenium in oratione pro reparandis Scholis.

483 *Et miseri fecere sacram*] Confugiendo scilicet ad hanc aram, et ibi reperiendo solatium suis calamitatibus.

489 *Libamina serta comarum*] In luctu enim et calamitate secti crines.

Pendent, et vestes mutata sorte relictæ.
Mite nemus circa, cultuque insigne verendo
Vittatæ laurus, et supplicis arbor olivæ.
Nulla autem effigies, nulli commissa metallo
Forma Deæ, mentes habitare et pectora gaudet.
Semper habet trepidos, semper locus horret egenis
Cœtibus, ignotæ tantum felicibus aræ.
Fama est, defensos acie, post busta paterni
Numinis, Herculeos sedem fundasse nepotes.
Fama minor factis: ipsos nam credere dignum
Cœlicolas, tellus quibus hospita semper Athenæ,
Ceu leges, hominemque novum, ritusque sacrorum,

capillorum, et vestes, mutata fortuna, depositæ, sunt dona, quæ supra pendent. Placidus lucus, quo cingitur, sunt laurus ornatæ vittis valde venerandis, et olivæ, quarum ramos ferunt supplices. Nulla tamen Deæ statua est, nec imago ejus metallo efficta. Lætatur incolere animos et corda. Locus semper habet supplices, semper horret inopibus turbis. Altaria sunt tantum fortunatis ignota. Fama est Herculis liberos, post rogum patris in cœlum recepti, ab Atheniensibus acie defensos, hanc sedem fundasse. Sed origo supra est: nam fas est existimare ipsos cœlites, quos Athenæ hospitio receperunt, sicut ipsis dederunt leges, et moralem scientiam, et ritus sacro-

mina secta. Vide Heins. ad Ovid. Tom. I. p. 498.—494 *Forma Dei* Put. et Behott. 1. 2.—497 Put. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et edd. vett. *defessos acie.*—501 Dan. Put. Petav. Lindenbrog. et Cruc. *rituque sacrorum.*—506

NOTÆ

Sertis autem ac coronis aras ornari, ac floribus conspergi, notissimum ex scriptoribus et Poëtis.

490 *Vestes mutata sorte relictæ*] Vestes etiam mutatæ in luctu et insigni calamitate.

497 *Fama est, defensos acie, post busta paterni Numinis*] Herculis liberi, post mortem patris, pulsi patria ab Eurystheo, et rejecti ab omnibus Græciæ civitatibus ejusdem metu, tandem Athenas confugerunt, auxilium ab Atheniensibus petituri. Athenienses illos benigne receperunt, et Eurystheum cum magnis copiis venientem ad eos repetendos, egressi ex urbe, commisso prælio fuderunt. In hoc prælio Eurystheus ab Hyllo Herculis filio occisus est. Ipse itaque Hyllus ac fratres hanc aram Athenis condiderunt, tam ut esset monumentum accepti ab Atheniensibus beneficii, quam ut esset etiam in posterum miseris asylum ac perfugium; affirmantes misericordiam nullibi quam Athenis sedem posuisse.

500 *Cœlicolas*] Intelligit Minervam, Cererem ac Themidem, quæ religiosissime colebantur ab Atheniensibus.

501 *Seu leges, hominemque novum*] Ciceronem videtur æmulatus Papinius ex oratione pro Flacco: 'Adsunt Athenienses, unde humanitas, doctrina, religio, fruges, jura, leges ortæ sunt, atque in omnes terras distributæ.' Aristoteles autem non sine morsu dixit, Athenienses frumenta et

Seminaque in vacuas hinc descendentia terras,
Sic sacrasse loco commune animantibus ægris
Confugium, unde procul starent iræque, minæque,
Regnaque, et a justis Fortuna recederet aris.
Jam tunc innumeræ norant altaria gentes.
Huc victi bellis, patriaque e sede fugati,
Regnorumque inopes, scelerumque errore nocentes
Conveniunt, pacemque rogant: mox hospita sedes
Vicit et Œdipodæ Furias, et funus Olynthi

rum, ac segetes inde translatas in vacuas regiones, dedicasse etiam in hoc loco commune asylum afflictis contra vindictam, minas, tyrannidem, et adversam fortunam, quæ ab æquis altaribus longe abessent. Jam tunc innumerabiles populi cognoscebant hanc aram. Illuc armis superati, et expulsi patrio solo, regnisque exuti, et errore, criminum rei confugiunt, et pacem postulant. Mox et hospitalis locus placavit Furias Œdipi, et prohibuit excidium Olynthi, et abegit matrem ab infelici Oreste.

Vide Not. Var.—509 Optimæ Barthii membranæ: *deinde hospita sedes;* Put. *mox aspita sedes.*—510. 511 Barthius tentabat: *mox hospita sedes Vicit, et a misero matrem submovit Oreste, Texit et Œdipodæ Furias, et funus Olynthi.*—

NOTÆ

leges invenisse, at eos frumentis uti, non legibus. Per *hominem* autem *novum* intelligit Poëta doctrinam morum, qua feri hominum mores in mitiores mutantur.

505 *Fortuna*] Ut ne casus quidem læderet eos, qui ad hanc aram confugerent.

506 *Jam tunc innumeræ norant altaria gentes*] Innuit plurimis etiam longinquis populis hanc aram fuisse cognitam, et saluti. Aristides propriam Atheniensium laudem esse ait, quod omnibus infelicibus perfugio ac solatio esset: τὴν τῶν πανταχόθεν δυστυχούντων ὑποδοχὴν καὶ παραμυθίαν. Panath. et 2. de Pace: Τοῖς καθ' ἑκάστους ἀτυχοῦσι κοινὴ πᾶσιν ὕπεστιν εὐτυχία τὸ τῆς πόλεως ταύτης ἦθος ὑφ' οὗ σώζονται: *His, qui ubivis locorum infelices sunt, communis est felicitas bonitas civitatis Atheniensis per quam salutis compotes fiunt.* Apud Xenophontem Patrocles Phliasius in oratione quam Athenis habebat: Ἐζήλουν τήνδε τὴν πόλιν, ὅτι πάντας καὶ τοὺς ἀδικουμένους ἐνθάδε καταφεύγοντας ἐπικουρίας δεομένους ἤκουον τυγχάνειν: *Laudabam hanc urbem, quod omnes aut injuria affectos, aut sibi præmetuentes, si huc perfugissent, auxilii compotes fieri intellexeram.* Idem sensus in Epistola Demosthenis pro Lycurgi liberis.

509 *Mox*] Quia nondum erat factum.

510 *Œdipodæ Furias*] Œdipus expulsus patria a Creonte, Athenas confugit in Colonum, in quo locus erat Furiis dicatus; sed Atheniensium misericordia illa sede eductus fuit, et hospitaliter et humanissime tractatus. Vide Sophoclem in Œdipo Epicolono. *Et funus Olynthi*] Hæc urbs erat sub imperio Atheniensium; sed Philippo Macedoni se dederat, auctoribus Lasthene et Eutycrate, ob quam culpam civitatem evertere

Texit, et a misero matrem summovit Oreste.
Hunc vulgo monstrante locum, manus anxia Lernæ
Deveniunt: cedit miserorum turba priorum.
Vix ibi sedatis requierunt pectora curis:
Ceu patrio, super alta, grues Aquilone fugatæ
Cum videre Pharon; tunc æthera latius implent,
Tunc hilari clangore sonant; juvat orbe sereno
Contemsisse nives, et frigora solvere Nilo.
Jamque domos patrias, Scythicæ post aspera gentis

Afflicta Lernæ turba accedit ad hanc sedem, plebe eam illi ostendente. Multitudo priorum infortunatorum discedit. Vix hic sederunt, et earum animi curis soluti sunt. Ut grues abactæ trans maria patrio Aquilone, cum Pharon aspexerunt; tunc replent lætius aërem, tunc strepunt læto clangore: dulce est in aëre sereno spernere nives, et Nili calore laxare frigora. Et jam plausus hilares et acclamationes

512 *Huc vulgo* Put.—513 In eodem codice: *cedunt miserorum.*—514 *Vix ibi: sedatis, &c.* legit Barthius.—517 Put. *juvat ore sereno.*—525 *Et tristis d. e. t.*

NOTÆ

Atheniensibus placuit, quo a civibus comperto, ad aram Misericordiæ confugerunt, et veniam impetrarunt. Hæc Lactantius. Alii tamen scriptores ab Atheniensibus eversam fuisse tradiderunt. Ceterum hæc urbs notissima ex orationibus Demosthenis, quæ 'Olynthiæ' vocantur. Ponitur a Mela inter Athon montem, et Pallenem, viginti stadiis a Meciberna, ut tradit Suidas. Hujus quoque Plinius et Orosius mentionem fecerunt. Thraciæ urbem maximam vocant Xenophon et Libanius.

511 *Matrem summovit Oreste*] Orestes, ut omnes sciunt, furore correptus ob cædem matris, non prius recepit mentem, quam ad hanc aram confugisset.

512 *Manus anxia Lernæ*] Argivæ.

514 *Vix ibi*] Supple, sederunt.

515 *Patrio grues Aquilone*] Hæ aves calorem pariter et frigus fugiunt: nam hyeme in Ægyptum et calidiores terras avolant, æstate vero Notorum calorem fugiunt, et in Thraciam revertuntur. Cicero de Nat. Deor. lib. II. Strabo lib. I. Servius in Æneid. x.

516 *Pharon*] Id est, Ægyptum a Pharo insula prope Alexandriam.

518 *Nilo*] Ægypti fluvio.

519 *Scythicæ gentis*] Amazonum: Amazones enim ex Scythis originem ducebant, teste Justino lib. II. cap. 4. Idem Justinus, ut et Philochorus, et alii apud Plutarchum, referunt Theseum comitatum fuisse Herculem ad expeditionem Amazonum, atque ad Pontum usque Euxinum navigasse, et virtutis præmium Antiopen accepisse. Sed Pherecides, Hellanicus, aliique, Theseum, post Herculem, propriis navibus navigasse ac Antiopam rapuisse scribunt. Bion vero non vi, sed astu abductam tradit: cum enim Theseus ad littus Amazonum applicuisset, illæ, ut quæ naturaliter homines amarent, et nihil hostile metuerent, non solum non fugerunt, sed etiam dona ipsi miserunt per Antiopen; quæ cum invitata a

Prælia, laurigero subeuntem Thesea curru
Lætifici plausus, missusque ad sidera vulgi
Clamor, et emeritis hilaris tuba nuntiat armis.
Ante ducem spolia et duri Mavortis imago,
Virginei currus, cumulataque fercula cristis,
Et tristes ducuntur equi, truncæque bipennes,
Quis nemora et solidam Mæotida cædere suetæ,
Corytique leves portantur, et ignea gemmis

populi ad astra sublatæ, et buccina læta confecto bello, nuntiant Theseum triumphali curru ingredi patrias ædes, post dura certamina cum Scythica natione. Exuviæ ac effigies trucis Martis et virginum currus ac lances oneratæ cristis et tristes equi præcedunt ducem. Et feruntur secures fractæ, quibus hæ assueverant resecare sylvas, et perfringere Mæotin glacie constrictam; et leves pharetræ, ac Zonæ fulgen-

bipennis Rom.—527 Unus Behot. *et ignea flammis.*—529 Put. *sexuque;* unus

NOTÆ

Theseo, in navem ipsius conscendisset, statim solvere jussit Theseus, ac sic eam rapuit. Hæc causa fuit gravissimi belli: Orithyia enim earum regina, ubi comperit raptorem esse Atheniensium regem, cum magno exercitu Athenas petivit, et occupata magna urbis parte, ac acie instructa, sinistrum cornu Atheniensium gradu moverunt Amazones, sed a dextro cornu fugatæ fuerunt magna accepta clade, ac in castra repulsæ, et tandem ægre victæ.

520 *Laurigero subeuntem Thesea curru*] Describit Poëta triumphalem ingressum in urbem Athenarum, ex more Romano, Poëtica licentia et lascivia.

522 *Hilaris tuba*] Non bellica, sed festivalis. *Vet. Schol.* Calpurnius Ecl. I. 'Pacis opus docuit, jussitque silentibus armis Inter sacra tubas, non inter bella sonare.' De 'triumphalibus tubis' triplici loco in pompa prodeuntibus notavit Panvinius lib. de Triumpho. Ad differentiam alterius 'civilis tuba' dicitur Petro Chrysologo Serm. 9. *Barthius.*

523 *Ante ducem spolia, &c.*] Arma enim hostium in triumpho ferebantur, ut notum est.

525 *Tristes*] Quasi sentientes dominarum calamitatem. *Ducuntur equi*] Equi etiam in triumpho ducti. *Truncæque bipennes*] Hinc 'Amazonia securis' Horatio IV. Od. 4. Hinc Plinius lib. VII. cap. 56. hujus inventionem tribuit Penthesileæ Amazonum reginæ. Plutarchus Rerum Græcarum cap. 45. tradit Herculem, victa Hippolyte Amazonum regina, securim ejus Omphalæ dono dedisse, omnesque Lydorum reges hanc, ut rem sacram, gestasse usque ad Candaulem. Et fere omnes Poëtæ, quando de Amazonibus loquuntur, Securis Amazoniæ mentionem faciunt. Alii quoque populi securibus utebantur, et nunc utuntur.

526 *Solidam Mæotida*] Intelligit Mæotin paludem hyeme congelascentem, Tanaim innumerosque fere fluvios recipientem. Hodie vocatur *mare d'elle Zabache. Solidam*] Conglaciatam.

527 *Et ignea gemmis Cingula*] In-

Cingula, et informes dominarum sanguine peltæ.
Ipsæ autem nondum trepidæ, sexumque fatentur,
Nec vulgare gemunt, aspernanturque precari,
Et tantum innuptæ quærunt delubra Minervæ.
Primus amor niveis victorem cernere vectum
Quadrijugis, nec non populos in semet agebat
Hippolyte, jam blanda genas, patiensque mariti
Fœderis: hanc patriæ ritus fregisse severos
Atthides obliquæ secum mirantur operto
Murmure: quod nitidi crines, quod pectora palla
Tota latent, magnis quod barbara semet Athenis
Misceat, atque hosti veniat paritura marito.
Paulum et ab insessis mœstæ Pelopeides aris

tes gemmis, et peltæ fœdatæ dominarum cruore. Ipsæ vero nec tremunt, nec produnt sexum, nec queruntur more muliebri, et dedignantur supplicare, et solum quærunt templum innuptæ Palladis. Prima omnium cupido est spectandi triumphantem, vectum curru juncto quatuor equis candidis. Nec non Hippolyte convertebat in se populos, jam placido vultu, jam patiens vinculi maritalis. Matronæ Athenienses hanc oblique aspiciendo secum mirantur secreto murmure, quod solverit feros mores patriæ, quod comat capillos, quod totum pectus tegatur palla, quod barbara se immisceat magnis Athenis, et veniat editura liberos inimico conjugi. Argivæ tristes paulum

Behot. Dan. Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et edd. vett. *sexumve.*—532 Put. *cernere victum.*—536 *Alchides* Put.—539 In eodem scripto: *veniat placitura marito.*—540 Behot. 1. *obsessis* in litura, sed non alieno stylo: in altero Behot. ambigua scriptura erat, ita enim exaratæ literæ, ut et *insessis* et *infestis* legere liceret. *obsessis* habent etiam Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *insessis* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Lindenbrog. Cruc. Gevart. Grasser. et recentt. Hoc profert etiam Nic. Heinsius in Advers.

NOTÆ

nuit balteos, quos auro et gemmis veteres exornabant. Claud. II. de Raptu Proserpinæ: 'Parthica quæ tantis variantur cingula gemmis Regales vinctura sinus.' Auratos vero balteos Poëtæ et Scriptores sæpius memorant.

531 *Et tantum innuptæ quærunt delubra Minervæ*] Apposite ad mores Amazonum, quæ arma perpetuo tractabant, et innuptam vitam agebant.

534 *Hippolyte*] Sic etiam vocat eam Clidemus vetus historiographus. Alii vero, ut Plutarchus Theseo, Seneca Tragicus Hippolyto, et Isaacius, hanc appellant Antiopam. *Mariti Fœderis*] Sic 'lege marita' apud Horatium.

535 *Patriæ ritus*] Quod nupserit.

536 *Obliquæ*] An invidæ.

537 *Nitidi crines*] Non enim crines comebant Amazones. *Quod pectora palla Tota latent*] Nudatum enim pectus ferebant Amazones.

540 *Insessis*] Bene; nam in aris considere mos supplicum, et eorum, qui tutelæ suæ causa confugiebant ad Deum aras. Lysias Apologia: 'Ικέ-

Promovere gradum, seriemque et dona triumphi
Mirantur, victique animo rediere mariti.
Atque ubi tardavit currus, et ab axe superbo
Explorat causas victor, poscitque benigna
Aure preces, ausa ante alias Capaneia conjux:
Belliger Ægide, subitæ cui maxima laudis
Semina de nostris aperit Fortuna ruinis,
Non externa genus, diræ nec conscia noxæ,
Turba sumus: domus Argos erat, regesque mariti,
Non utinam et fortes: quid enim septena movere
Castra, et Agenoreos opus emendare penates?
Nec querimur cæsos: hæc bellica jura, vicesque
Armorum: sed non Siculis exorta sub antris
Monstra, nec Ossæi bello cecidere bimembres.

protulerunt pedem ab ara, in qua considebant, et admirantur ordinem, et munera triumphi, et victi conjuges earum animis obversantur. Atque ubi currus moratur, et victor a magnifico jugo quærit causas earum itineris, et expectat benigna aure, quid petant, uxor Capanei aliis audacior incipit: Bellicose Ægei fili, cui fortuna offert ingentem materiam inopinæ laudis de nostris cladibus, non sumus genere alienæ, nec reæ nefandi criminis: nobis patria Argos, et nostri viri erant reges, et utinam non magnanimi: quid enim necesse erat conscribere septem exercitus, et ad æquum adigere domum Agenoris? Nec incusamus, quod peremti sint: hæ leges belli et vices armorum. Sed qui in acie occubuerunt, non erant monstra nata in Siculis cavernis,

lib. IV. cap. 3. p. 583.—542 In duobus codd. Barthii: *vestique animo.*—550 *Non utinam fortes* unus Behot. Dan. Put. Petav. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *Non utinam et fortes* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. alter Behot. Venett. 3. 4. et recentt.—551 Behot. 1. *opus est mandare nepotes;* rescriptum

NOTÆ

ται ἐπὶ τὸν βῶμον ἐκαθέζοντο. *Supplices in ara consederunt.* Sic Themistocles confugiens ad Admetum Molossorum regem, capto ipsius regis filio, ad aram seu focum se conjecit, ibique consedit. Sic index ille, qui Pausaniam regem prodidit, confugit ad fanum Neptuni, quod erat Tænari, et in ara consedit. Mos notissimus ex scriptoribus.

544 *Victor*] Theseus. *Poscitque*] Id est, expectat.

545 *Capaneia conjux*] Evadne. Pausanias tamen Atticis scribit Thesei operam non ab ipsis viduis, sed ab ipso Adrasto, petitam.

546 *Subitæ*] Id est, inopinæ et non expectatæ.

550 *Septena movere Castra*] Septem enim erant duces.

551 *Agenoreos*] Thebanos.

553 *Sed non Siculis exorta sub antris Monstra*] Innuit Cyclopes antra in Sicilia incolentes.

554 *Ossæi bimembres*] Centauros intelligit, qui Ossam montem Thes-

Mitto genus, clarosque patres; hominum, inclyte Theseu,
Sanguis erant, homines, eademque in sidera, eosdem
Sortitus animarum, alimentaque vestra creati,
Quos vetat igne Creon, Stygiæque a limine portæ,
Ceu sator Eumenidum, aut Lethæi portitor amnis,
Summovet, ac dubio cœlique Erebique sub axe
Detinet. Heu princeps natura! ubi numina? ubi ille
Fulminis injusti jaculator? ubi estis, Athenæ?
Septima jam surgens trepidis Aurora jacentes
Aversatur equis: radios declinat, et horret
Stelligeri jubar omne poli: jam cominus ipsæ
Pabula dira feræ, campumque odere volucres
Spirantem tabo, et cœlum, ventosque gravantem.
Quantum etenim superesse rear? nuda ossa, putremque

nec incolæ Semiferi Ossæ. Prætermitto splendidos natales, et avos illustres, Theseu celeberrime, homines erant, ab hominibus orti, habentes tecum communem patriam, et easdem animas et eadem alimenta, quos Creon prohibet a rogis, et arcet ab aditu Inferorum, ut Furiarum pater faceret, aut nauta fluminis Lethes, ac eos servat sub incerta cœli et Erebi plaga. Heu natura rerum omnium creatrix! Ubi Dii? ubi ille jaculator iniqui fulminis? Ubi, Athenæ, estis? Jam Aurora septies oriens detorquet equos trementes a Græcis jacentibus, et avertit lucem, et omnes ignes stellati cœli horrent. Ipsæ bestiæ et aves jam fugiunt dira alimenta, et campum, qui exhalat saniem, et inficit ventos et aërem. Sinat cremare ossa detecta, et corrup-

vero *emendare*, interpolata dictione.—554 *Assæi bello* Dan.—556 *Sanguis erat omnis* in eodem libro; *Sanguis erant, omnes* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Put. Petav. et edd. vett. *homines* habent Behott. 1. 2. et optimæ Barthii membranæ. *eademque sydera* Dan. Put. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. et Cruc. *eademque in sidera* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Petav. Venett. 3. 4. et edd. recentt.—565 'Optimæ duæ membranæ diserte scribunt: *jamque eminus ipsæ;* quam lectionem omnino probo: et videtur ipse eam poscere supra vs. 248.' *Barth.*—568 'Et hic variant scripti illi duo libri, referentes:

NOTÆ

saliæ incolebant.

556 *Eademque in sidera*] Alii legunt solum *sidera*, non *in sidera.*

557 *Alimenta*] An elementa.

558 *Stygiæ portæ*] Inferorum.

559 *Sator Eumenidum*] Acheron fluvius Inferorum. *Lethæi portitor amnis*] Charon.

561 *Princeps natura*] Omnium rerum creatrix. *Ubi numina? ubi ille Fulminis injusti jaculator*] Sic in rebus adversis in Deos invehebantur veteres. *Injusti*] Quia maritum Capaneum fulmine percusserat, vel quia Creontem tam iniquum hominem vivere sinebat.

568 *Quantum etenim, &c.*] Hunc versum et quatuor sequentes suppositios esse vult Guyetus.

Urere permittat saniem: properate, verendi
Cecropidæ: vos ista decet vindicta, priusquam
Emathii, Thracesque volent, quæque extat ubique
Gens arsura rogis, manesque habitura supremos.
Nam quis erit sævire modus? bellavimus: esto;
Sed cecidere odia, et tristes mors obruit iras.
Tu quoque, ut egregios fama cognovimus actus,
Non trucibus monstris Sinin infandumque dedisti

tum tabum: nam quid aliud putem remansisse? Festinate, verendi Athenienses. Hæc ultio vobis convenit, priusquam accurrant Æmathii, et Thraces, ac omnes populi, apud quos mortui cremantur, et obtinent igne supremos sepulturæ honores. Nam quis erit sæviendi modus? Arma intulimus: esto, sed simultates interierunt, et letum extinguit cruentas iras. Tu quoque, ut fama comperimus tua præclara facinora, non tradidisti Sinin et nefandum Cercyona laniandos sævis monstris, et

Quantum etiam.' Idem.—569 *Vertere permittat* Dan.—576 Aldd. Colin. Gryph. et Basil. *Non trucibus monstris Busyrim;* et ita nonnulli codd. Barthiani. Lang. Laur. Buslid. et Lipsian. *Non trucibus monstris si non;* unde lect. nostram exsculpsit Bernartius. Dictionem *Busirim,* quæ omissa fuerat in textu, bis in margine ascriptam habet Behot. 1. in altero vero Behot. scripta est in regione gloss. expuncta dictione *Sinonem,* quæ in contextu locum oc-

NOTÆ

570 *Cecropidæ*] Athenienses, a Cecrope rege.

571 *Emathii*] Macedones: Macedonia enim prius Emathia vocata. *Thraces*] Vide Theb. v. *Volent*] Id est, advolent, seu accurrant, ulturi tam infandum facinus.

572 *Gens arsura rogis*] Quia non omnes populi mortuorum corpora cremabant: Persæ enim et Ægyptii nefas putabant mortuos comburere, ob rationes quas Herodotus refert, agendo de his populis.

573 *Sævire*] Pro sæviendi.

574 *Sed cecidere odia, et tristes mors obruit iras*] Euripides Supplicibus: Εἰ γάρ τι καὶ πεπόνθατ' 'Αργείων ὕπο, Τεθνᾶσιν, ἠμύνασθε πολεμίους καλῶς. *Fecere vobis si quid Argivi male, cecidere, in hostes ista vindicta est satis.* Eandem causam reddit Optatus Milevitanus: 'Si inter viventes fuerat certamen, odia vestra vel mors aliena compescat. Jam tacet cum quo litigabas.' Dio Chrysostomus Oratione de Lege. Διὰ τοῦτον τοὺς ἀποθανόντας οὐδεὶς ἔτι πολεμίους κρίνει, οὐδὲ τὴν ἔχθραν καὶ τὴν ὕβριν εἰς τὰ σώματα αὐτῶν ἐπιδείκνυται. *Propter hanc mortuos nemo judicat hostes, neque ira neque injuria in eorum corpora extenditur.*

576 *Sinin*] Sinis insignis latro et crudelissimus, qui Isthmum obsidebat Corinthiacum, ubi viatores observabat, quosque capere poterat arctissimis vinculis ad ramos diversarum pinorum, vi ad terram usque curvatos, alligabat: mox redeuntibus in priorem locum ramis, ii miserum in modum discerpebantur ac distrahebantur. Ovidius Met. VIII. 'Occidit ille Sinis, magnis male viribus usus, Qui poterat curvare trabes, et agebat ab alto Ad terram late sparsuras corpora pinus.' Occisus tan-

Cercyona, et sævum velles Scyrona crematum.
Credo et Amazoniis Tanain fumasse sepulcris,
Unde hæc arma refers: sed et hunc dignare triumphum.
Da terris unum, cœloque, Ereboque laborem:
Si patrium Marathona metu, si tecta levasti
Cressia, nec fudit vanos anus hospita fletus.
Sic tibi non ullæ socia sine Pallade pugnæ,
Nec sacer invideat paribus Tirynthius actis,
Semper et in curru, semper te mater ovantem
Cernat, et invictæ nil tale precentur Athenæ.

velles crudelem Scyrona ustum fuisse. Arbitror etiam Tanaim, unde reportas hæc arma, emisisse fumum rogorum Amazonum. Sed dignare adhuc hunc triumphum. Sume operam, quæ simul placeat cœlo et Inferis. Si timore liberasti patrium Marathona, si superasti labyrinthum Creticum, nec vetula hospita sparsit inanes lacrymas. Sic Minerva te comitetur semper in tuis prœliis. Et Tirynthius, jam cœlo consecratus, non tibi invideat ob ingentia facinora, quibus illum æquas, et tua genitrix te semper spectet in curru triumphantem, et Athenæ semper invictæ, nunquam decurrant ad eas preces, quas nunc facimus. Locuta erat, et cunctæ assenserunt, et

cupaverat: omnia eadem manu.—577 *Scyrona creatum* Aldd. Colin. Gryph. et Basil. *Scyrona cremari* Behot. 1. postremis literis rescriptis.—578 *Tanai fumasse* Put. Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et edd. vett. *Tanan fumasse* Behot. 1. *Tanain fumasse* Dan. Behot. 2. Gevart. Grasser. Amstel. Gronov.

NOTÆ

dem fuit a Theseo. Vide Plutarchum in Theseo, Pausaniam Corinthiacis, et alios. *Dedisti*] Supple, 'laniandum,' vel 'vorandum.'

577 *Cercyona*] Cercyon insignis etiam latro Atticæ regionis, quem Theseus interfecit. *Scyrona*] Vide Theb. I. 333. *Crematum*] Hunc enim e petra in mare præcipitaverat Theseus.

578 *Tanain*] Tanais fluvius Scythiæ, disterminans Europam ab Asia: influit in paludem Mæotin.

580 *Unum cœloque Ereboque laborem*] Dii enim superi et inferi lege Creontis offenduntur.

581 *Patrium Marathona metu*] Ob occisum leonem Marathonium. *Patrium*] Quia Marathon locus in Attica. *Si tecta levasti Cressia*] Occiso scilicet Minotauro.

582 *Anus hospita*] Hecale, quæ Theseum adolescentem hospitio recepit. Unde sacrum 'Hecalesion' per pagos celebre fuit Hecalo Jovi, non sine ipsius Hecales honoribus. Quam etiam 'Hecalenem,' diminutiva forma, vocabant, quoniam ipsa quoque adolescentem Theseum salutare aniliter, et hujusmodi excipere diminutivorum blanditiis consuevisset. Vide Plutarchum Theseo. Ceterum de ea justum Poëma Callimachus fecisse dicitur.

584 *Sacer*] Id est, magnus, vel jam cœlo consecratus. Sic sacer morbus, qui et Herculeus.

586 *Nil tale*] Quale nos.

Dixerat: excipiunt cunctæ, tenduntque precantes
Cum clamore manus: rubuit Neptunius heros
Permotus lacrymis: justa mox concitus ira
Exclamat: Quænam ista novos induxit Erinnys
Regnorum mores? non hæc ego pectora liqui
Graiorum abscedens, Scythiam pontumque nivalem
Cum peterem: novus unde furor? Victumne putasti
Thesea, dire Creon? Adsum: nec sanguine fessum
Crede: sitit meritos etiamnum hæc hasta cruores.
Nulla mora est: verte hunc adeo, fidissime Phegeu,
Cornipedem, et Tyrias invectus protinus arces
Aut Danais edice rogos, aut prælia Thebis.
Sic ait, oblitus bellique viæque laborum,
Hortaturque suos, viresque instaurat anhelas.
Ut modo connubiis taurus, saltuque recepto,
Cum posuit pugnas; alio si forte remugit

ejulantes porrigunt supplices manus. Heros Neptuni filius rubuit, motus earum fletibus: dein correptus justa ira, exclamat: Quænam est hæc furia, quæ instituit hunc regnandi morem. Ego non reliqui corda Græcorum sic affecta, cum discessi iturus in Scythiam et nivosum Pontum. Unde nova rabies? Anne, barbare Creon, putasti victum Theseum? Adsum, nec existima me sanguine satiatum: hæc hasta sitit adhuc reorum cruorem. Nulla dilatio est. Flecte illuc tuum equum, Phegeu fidissime, et delatus celeriter ad turres Tyrias, aut obtineas Græcis sepulturam, aut denunties bellum Thebanis. Sic inquit, et immemor laborum itineris et belli, animat suos, et refovet fessas copias. Ut taurus, qui post pugnam requievit, recuperata amata vacca, ac sylva, a qua fuerat expulsus; si forte saltus personet alio adversario,

Barth. Veen. et Delph.—589 *Pæne movens lacrymas* optimæ Barthii membranæ. *juxta mox* in quibusdam codd. Lindenbrogii.—596 Unus Behot. *verte hunc adeo;* Behot. 2. *verte hinc adeo.* Behot. 1. *fidissime Pegeu;* Behot. 2. *fidissime Plegeu;* optimus Barthianus: *fidissime Phlegeu.*—597 ‘ Idem liber optimus:

NOTÆ

587 *Tenduntque precantes, &c.*] More supplicum et enixe orantium.

588 *Neptunius heros*] Theseus enim Neptuno genitus creditus.

592 *Pontumque nivalem*] Pontum Euxinum.

595 *Sitit*] Loquendi usu militari.

598 *Aut Danais edice rogos, aut prælia Thebis*] In Supplicibus Euripidis Theseus caduceatori eadem dat mandata ad Creontem. Conditionata est hæc denuntiatio, sicut illa apud Livium lib. VIII. ‘ Eam se injuriam, nisi ab ipsis, qui fecerint dematur, ipsos omni vi depulsuros esse.’ Et apud Tacitum Annal. I. ‘ Ni supplicium in malos præsumant, usurum promiscua cæde.’ Similis denuntiatio est in Amphitryone Plauti initio. Vide et Cromerum 21. Polybius hoc vocat, ῥύσια καταγγέλλειν, Romani veteres ‘ condicere.’

Bellatore nemus, quanquam ora et colla cruento
Imbre madent, novus arma parat, campumque lacessens
Dissimulat gemitus, et vulnera pulvere celat.
Ipsa metus Libycos, servatricemque Medusam
Pectoris, incussa movit Tritonia parma.
Protinus erecti toto simul agmine, Thebas
Respexere angues: nec dum Atticus ire parabat
Miles, et infelix expavit classica Dirce.
Continuo in pugnas haud solum accensa juventus,
Qui modo Caucasei comites rediere triumphi;
Omnis ad arma rudes ager exstimulavit alumnos.
Conveniunt, ultroque ducis vexilla sequuntur,
Qui gelidum Braurona viri, qui rura lacessunt
Munychia, et trepidis stabilem Piræea nautis,
Et nondum Eoo clarum Marathona triumpho.

quanquam ora et cervix rigentur sanguine, arma novus expedit, et feriens terram, celat dolorem suum, et tegit arena plagas suas. Ipsa Pallas, concutiendo ægidem, movit terricula Libyca, et Gorgonem, tegumentum pectoris sui: omnes serpentes statim sublatæ convertunt simul oculos Thebas versus. Nondum exercitus Atheniensis parabat profectionem, et misera Dirce consternatur sonitu tubæ, quem audire putat. Non solum pubes, quæ comes Caucasei triumphi redierat, statim accenditur ad hoc bellum; sed omnis regio ad illud excitavit imperitos incolas. Coëunt et sponte sequuntur signa regis, hi qui arant frigidum Braurona, qui jugera Munychia, et Piræum fidum festinis nautis, ac Marathona nondum celebrem victoria

Tyriasque; quod ad properationem concinnius est.' *Barth.*—615 *Qui gelidam Baurona* unus Behot.—616 *Monicia et trepidis stabilem Pireia* uterque Behot.

NOTÆ

606 *Metus Libycos*] Angues capitis Medusæ, quæ erat Libyca seu Africana. *Servatricemque Medusam*] Caput enim Medusæ in media ægide, seu thorace Pallas gerebat.

612 *Caucasei*] Id est, Amazonii, quia Amazones Caucasum montem incolebant. De Caucaso vide Theb. IV.

615 *Gelidum Braurona*] Brauron Atticæ oppidum, ubi Brauronia Diana colebatur. Epithetum 'gelidi' refert Cruceus ad simulacrum ex frigida Taurorum regione illuc ab Iphigenia delatum. Pausanias Atticis.

616 *Munychia*] Vide Theb. II. 252. *Piræea*] Piræus portus Athenarum. Erant et alii portus Atheniensium. In Munychia unus: in Phalero alter. Thucyd. lib. I. Strabo lib. VIII. Distabat ab urbe 40. stadiis, cui tandem conjunctus fuit a Themistocle utili fabrica, quam 'longos muros' Thucydides et Strabo vocant. Vide et Pausaniam Atticis, et Scholium Aristophanis in Pace.

617 *Eoo triumpho*] Id est, Persico. Persæ enim in hoc agro postea victi

Mittit in arma manus, genialibus hospita Divis
Icarii, Celeique domus, viridesque Melænæ,
Dives et Egaleos nemorum, Parnesque benignus
Vitibus, et pingui melior Lycabessos oliva.
Venit atrox Ileus, et olentis arator Hymetti,
Quæque rudes thyrsos hederis vestistis, Acharnæ.
Linquitur Eois longe speculabile proris
Sunion, unde vagi casurum in nomina ponti

Orientali. Ædes Icarii et Celei, quæ geniales Deos hospitio receperunt, et virides Melænæ, Egaleosque nemoribus consita, et Parnes vitium fertilis, et Lycabessos aptior ferendæ opimæ olivæ, mittunt copias ad bellum. Trux Ileus venit, et cultor odori Hymetti, ac vos, Acharnæ, quæ hederis inelaboratos thyrsos ornavistis. Deseritur Sunion, quod est conspicuum eminus navibus ab oriente venientibus, unde Ægeus se precipitem egit in mare, cui nomen dedit, cum falsum velum navis e Creta

Vide Var. Lect. ad v. Sylv. 3. 107. et II. Theb. 252.—618 Put. *gentilibus hospita Divis.*—620 *Dives et Egeos* in eodem libro.—621 *Lycabetos oliva* Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. et Cruc. *pinguis melior Lycabessos oliva* Put. *Lycabesos olive* Behott. 1. 2. *pingui melior Lycabessos oliva* Dan.—622 *Venit atrox Aleus* unus Burmanni et uterque Behott. *Venit atrox Oleus* alter ejusdem Burmanni. *Venit atrox Alaeus* legit

NOTÆ

fusique ab Atheniensibus duce Miltiade.

618 *Genialibus Divis*] 'Geniales Deos,' ut inquit Festus, dixerunt aquam, terram, ignem, et aërem, quæ Græcorum alii στοιχεῖα, alii σπέρματα vocant. Duodecim quoque signa, lunam, et solem inter eos Deos numerabant. Græcis Θεοὶ γενέθλιοι. Vocabatur et Jupiter γενέθλιος quod gignendis liberis præesse credebatur. Et Ποσειδῶν, seu *Neptunus*, γενέθλιος dicitur Apollon. Arg. II.

619 *Icarii*] De Icario supra. Locus in Attica sic dictus. *Celeique domus*] Celeus Triptolemi pater Cererem quærentem Proserpinam hospitio recepit. *Melænæ*] Melænæ vicus in Attica in tribu Antiochide. *Virides*] Ob prata, vel nemora.

620 *Egaleos*] Mons Atticæ. *Parnes*] Ejusdem Atticæ mons.

621 *Lycabessos*] Mons ejusdem Atticæ.

622 *Ileus*] Gentis Atheniensis nomen. *Hymetti*] Hymettus mons Atticæ, apibus et mellis copia abundans, quod 'Hymettium' vocabatur, unde 'Olens' dicitur.

623 *Acharnæ*] Oppidum Atticæ. In hoc loco hederam apparuisse refert Pausanias Atticis: unde 'thyrsos hederis vestisse' dicuntur. Et Poëta Græcus Antipater in Sophoclem tragœdiarum Scriptorem noto Epigrammate, Ἀχαρνίτην, hoc est, *Acharnensem*, per epitheton hederam nominavit.

624 *Eois*] Ex Oriente venientibus. *Speculabile*] Quia promontorium celebre, et eminens.

625 *Sunion*] Vicus et Promontorium celebre Atticæ regionis, quod est in extrema Helladis parte, supra Athenas et Marathonem. *Unde vagi casurum in nomina ponti Cressia decepit falso ratis Ægea velo*] Tangit fabulam qua dicitur Ægeus, Thesei pater,

Cressia decepit falso ratis Ægea velo.
Hos Salamis populos, illos Cerealis Eleusin
Horrida suspensis ad prælia misit aratris:
Et quos Callirhoë novies errantibus undis
Implicat, et raptæ qui conscius Orithyiæ
Celavit Geticos ripis Ilissos amores.
Ipse quoque in pugnas vacuatur collis ubi ingens
Lis Superum, dubiis donec nova surgeret arbor
Rupibus, et longa refugum mare frangeret umbra.

redeuntis eum decepit. Salamis misit suos populos ad asperas pugnas, et Eleusin, sacra Cereri, suos, relictis aratris. Eunt hi quos Callirhoë involvit intra novem suos rivos, et accolæ Ilissi fluvii, qui conscius raptus Orythiæ, occultavit in littoribus suis amatorem Thracium. Eunt etiam ad bellum qui habitant collem, ubi magna controversia orta est inter Deos, cum subito nova oliva apparuit in ejus rupibus, et

Adrian Heringa in Obss. Misc. Nov. Tom. III. p. 975.—626 *Cræsia* Behot. 1. *Crescia* Behot. 2.—627 *Hos Salanus* unus Behot. *Cerealis Eleusis* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. et edd. vett. Vide Gronov. in Not. Var. ad Theb. II. 282.—631 *Celavit ripis Geticos* Behott. 1. 2.—638 Optimæ Barthii

NOTÆ

ex hoc promontorio se præcipitem in mare egisse, quod inde 'Ægæum' est appellatum, cum navem e Creta redeuntem nigro velo instructam vidisset, ratus Theseum filium periisse. *Decepit*] Quia promiserat Theseus patri, si incolumis rediret, se velum album, pro nigro, cum quo profectus erat, positurum; quod oblitus fuit.

627 *Salamis*] Insula contra Athenas sita, quam prope Græci Xerxem Persarum regem navali prælio vicerunt ducibus Eurybiade Spartano et Themistocle Atheniensi. *Cerealis Eleusin*] Eleusin, ut jam diximus, oppidum Atticæ Cereri sacrum.

629 *Callirhoë novies errantibus undis*] Callirhoë fons Atticæ regionis, novem habens ortus, unde ἐννεάκρουνος dictus est, et novies errantibus undis implicare populos.

630 *Et raptæ qui conscius Orithyiæ Celavit Geticos ripis Ilissos amores*] Ilissus fluvius Atticæ, in cujus ripis Boreas rapturus Orithyiam, Erecthei regis filiam, latuisse dicitur: unde Ilissus 'rapt. conscius Orithyiæ.' *Geticos amores*] Id est, Boream amore Orithyiæ captum. *Geticos*] Seu Thracios, quia Boreas a Thracia flat, Athenarum respectu.

632 *Collis ubi ingens Lis Superum, dubiis donec nova surgeret arbor Rupibus, et longa refugum mare frangeret umbra*] Hujus loci intelligentia pendet ex fabula quam refert Varro. Enata forte in arce Athenarum oliva, sed et aquarum scaturigine mox emergente, Rex Cecrops, hoc prodigio territus, scitatum misit Apollinem. Legatis Pythia respondit, hoc ostentum nihil mali portendere; denotare solum duorum Deorum contentionem, certantium inter se uter eorum Athenis nomen suum imponeret: per 'oleam' significari Minervam, per 'aquam,' Neptunum. Integrum jam nunc esse Atheniensibus,

Isset et Arctoas Cadmea ad mœnia ducens
Hippolyte turmas: retinet jam certa tumentis
Spes uteri, conjuxque rogat dimittere curas
Martis, et emeritas thalamo sacrare pharetras.
Hos ubi velle acies, et dulci gliscere ferro
Dux videt, utque piis raptim dent oscula natis
Amplexusque breves, curru sic fatur ab alto:
Terrarum leges et mundi fœdera mecum
Defensura manus, dignas insumite mentes
Cœptibus: hac omnem Divumque hominumque favorem,

longa umbra coëgit mare recedere. Hippolyte profecta fuisset ad muros Cadmi, agens Septemtrionales turmas: sed spes certa prægnationis eum sistit, et maritus precatur abjicere studium belli, et dicare nuptiali thalamo emeritas sagittas. Ut rex videt eos præliandi avidos, et incensos cupidine armorum, et raptim dare oscula, et breves amplexus piis natis, sic eos alloquitur a celso curru: O copiæ mecum protecturæ jura gentium, et mundi fœdera, capite animos inceptis respondentes. Constat nos habere omnem Deorum et hominum favorem, et Naturam ducem, et cœtus



membranæ: *et emeritas thalamis;* aliæ ejusdem: *et emeritas Veneri.*—643 *Defensura cohors* codd. Lindenbrogii.—644 *Cœptis: hac omnem* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Put. Petav. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *Ceptibus:*

NOTÆ

utrius Dei nomine urbem appellandam vellent decernere. Cecrops, hoc accepto responso, omnes cives, tam viros quam mulieres, (tunc enim temporis mulieres publicis consiliis intererant,) ad ferendum hac de re suffragium convocat. Vicerunt mulieres, quæ una plures erant. Indignatus Neptunus totam Atheniensium terram aquis maris cooperit: verum has repulit Minerva. Innuens igitur hanc fabellam Papinius dixit *frangeret*, id est, vinceret, *refugum mare*, id est, victum Neptunum, qui erumpere aquam jusserat, *longa umbra*, hoc est, olea victrice, quam victrix excitarat Pallas. Ut tamen placaretur Neptunus, lege cautum fuit, ut nequis mulieres 'Athenias' vocaret, ut nullus nascentium materno censeretur nomine, neve ulla earum posthac suffragium ferret. Hic autem *collis* Acropolis est Athenarum. Quidam dicunt, cum Neptunus et Minerva de Athenis contenderent, decrevisse Deos locum ei adjudicandum fore qui rem utiliorem proferret. Neptunum igitur, percussa tridente terra dedisse equum, signum belli, Minervam vero protulisse Olivam insigne pacis, sicque vicisse: pacem enim esse bello meliorem.

635 *Arctoas*] Septemtrionales. *Cadmeia ad mœnia*] Thebas.

639 *Hos*] Athenienses.

640 *Dux*] Theseus.

642 *Terrarum leges et mundi fœdera*] Eusebius Hist. Eccl. XIX. cap. 8. vocat *φύσεως θεσμοὺς*, *leges naturæ.* Josephus et Philo *νόμους βροτῶν*, *leges hominum:* Euripides *κοινὸν νόμον*, *communem legem:* Aristides et Sophocles *νόμον δαιμόνων*, *νόμον θεῶν*, *leges dæmonum, leges Deorum.*

Naturamque ducem, cœtusque silentis Averni
Stare palam est: illic Pœnarum exercita Thebis
Agmina, et anguicomæ ducent vexilla sorores.
Ite alacres, tantæque, precor, confidite causæ.
Dixit, et emissa præceps iter inchoat hasta.
Qualis Hyperboreos ubi nubilus institit axes
Jupiter, et prima tremefecit sidera bruma;
Rumpitur Æolia, et longam indignata quietem
Tollit hyems animos, ventosaque sibilat Arctos.
Tunc montes undæque fremunt, tunc prælia cæsis
Nubibus, et tonitrus insanaque fulmina gaudent.
Icta gemit tellus: virides gravis ungula campos
Mutat, et innumeris peditumque equitumque catervis

muti Averni a nobis stare. Illic, Thebis, sunt copiæ Pœnarum instructæ, et sorores crinibus anguineis, ferent signa. Ite alacres et confidite, oro, tam justæ causæ. Inquit, et vibrata hasta rapidus ire incipit. Ut cum caliginosus Jupiter premit Septemtrionalem axem, et percussit astra prima bruma; carcer Æolius frangitur, et hyems aversata longam pacem, animos erigit, et ventosus Septemtrio sibilat: tunc montes et aquæ strident; tunc disruptæ nubes confligunt, et tonitrus et rapida fulgura lætantur. Terra sonat percussa. Gravis ungula corrumpit virides agros, et campus proculcatus innumeris peditum copiis et turmis equitum, in pulverem dis-

hac omnem Behott. 1. 2. *Cœptibus: hac omnem* Dan.—646 'Vera scriptura est in duobus codicibus nostris, et eo quem a se collatum laudat dicto loco, vir doctissimus J. Zinzerlingius: *Thebarum exercita Pœnis Agmina.* Id est mancipia mera Furiarum.' *Barth.*—650 In quibusdam codd. Barthii glossa est: '*axes* vel *arces.*'—657 *Atterit innumeris* Behot. 1. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *Mutat et innumeris* Dan. Put.

NOTÆ

645 *Naturamque ducem, cœtusque silentis Averni*] Sic supra: 'Da terris unum, cœloque, Ereboque laborem.' *Naturam ducem*] Secundum enim eam est cadavera terræ reddi, cum exinde sint profecta. Unde jus natum agnoscunt sapientes. Gracilis Epitaphio Probinæ: 'Vita subit cœlum, corpus tellure tenetur: Omnia sic repetunt jura, locosque suos.' *Barthius.*

647 *Anguicomæ sorores*] Furiæ.

649 *Et emissa præceps iter inchoat hasta*] Juxta ritum fecialium Romanorum, vel Græcorum. Vide quæ diximus Theb. IV. 6.

650 *Hyperboreos*] Septemtrionales, ab Hyperboreis populis sub Septemtrione degentibus.

652 *Æolia*] Carcer ventorum, quorum rex Æolus.

654 *Undæ*] Effusi imbres et exundantes fluvii.

656 *Icta gemit*] Sub pedibus equorum.

658 *Expirat*] Pulverem emittit.

Expirat protritus ager, nec pulvere crasso
Armorum lux victa perit, sed in æthera longum
Frangitur, et mediis ardent in nubibus hastæ.
Noctem adeo, placidasque operi junxere tenebras,
Certamenque immane viris, quo concita tendant
Agmina, quis visas proclamet ab aggere Thebas,
Cujus in Ogygio stet princeps lancea muro.
At procul ingenti Neptunius agmina Theseus
Angustat clypeo, propriæque exordia laudis,
Centum urbes umbone gerit, centenaque Cretæ
Mœnia; seque ipsum monstrosi ambagibus antri
Hispida torquentem luctantis colla juvenci,
Alternasque manus circum, et nodosa ligantem
Brachia, et abducto vitantem cornua vultu.
Terror habet populos, cum septus imagine torva

solvitur. Nec splendor armorum a denso pulvere superatus obscuratur, sed repercutitur in extensum aërem, et hastæ lucent in mediis nubibus. Continuant iter per noctem et placidas tenebras. Milites inter se certant, quis celerius progrediatur, quis primus exclamet se ab aggere videre Thebas, cujus lancea prima hæreat in mœnibus Ogygiis. At Theseus, Neptuni filius, includit agmina insculpta terribili scuto, et fert in umbone centum oppida et centenos muros Cretæ, initia suæ laudis; et ipse repræsentatur in erroribus portentosi specus torquens et constringens suis manibus et fortibus brachiis hirsutam cervicem tauri contra obnitentis, et deflectens vultum, ut ejus cornua evitaret. Cum init certamina, tectus truci Minotauri effi-

Petav. Behot. 2. Lindenbrog. Cruc. Gevart. et recentt.—658 Put. *pulvere grusso.*—664 *Cujus in Ogygio princeps stet lancea* Heinsius ad Ovid. Fast. II. 714.—666 Put. *ex ordine laudis.*—671 In eodem libro *vitantem cornua luctu.*—

NOTÆ

661 *Operi*] Itineri.

662 *Quo concita tendant agmina*] Id est, ut agmina citato incessu contendant.

664 *Ogygio*] Thebano.

665 *Neptunius*] Neptuno genitus.

666 *Angustat*] Id est, includit insculpta brevi clypeo.

667 *Centum urbes umbone gerit, centenaque Cretæ Mœnia*] Creta enim centum urbes habebat, unde ἑκατόνπολις dicta.

668 *Seque ipsum*] Ex more tunc temporis usurpato. Plinius lib. XXXV. cap. 3. hæc ait: 'Scutis enim, qualibus apud Trojam pugnatum est, continebantur imagines: unde et nomen habuere clypeorum. Origo plena virtutis, faciem reddi in scuto cujusque, qui fuerit eo usus.' *Monstrosi ambagibus antri*] Labyrinthum intelligit.

669 *Juvenci*] Minotauri, quem suffocavit Theseus.

672 *Septus imagine torva*] Id est, septus scuto, in quo continebatur ipsius imago.

Ingreditur pugnas: bis Thesea, bisque cruentas
Cæde videre manus: veteres reminiscitur actus
Ipse tuens sociumque gregem, metuendaque quondam
Limina, et absumto pallentem Gnossida filo.
Sævus at interea ferro post terga revinctas
Antigonen viduamque Creon Adrastida leto
Admovet: ambæ hilares, et mortis amore superbæ,
Ensibus intentant jugulos, regemque cruentum
Destituunt; cum dicta ferens Theseia Phegeus
Astitit: ille quidem ramis insontis olivæ

gie, gentes terrentur, videndo Thesea, et in clypeo et in acie, bis habentem cruentas manus. Ipse recordatur antiqua facinora sua, cum in eo respicit comitum turbam, et fores quondam formidabiles, et Gnossiam Ariadnen pallentem filo consumto. Interea crudelis Creon jubet duci ad supplicium Antigonem et viduam Adrasti filiam, habentes manus ligatas post terga, ferreis catenis. Ambæ lætæ, et gloriantes mortis cupidine, offerunt jugulos gladiis et destituunt expectationem regis; cum Phegeus advenit, gerens Thesei jussa. Ille quidem pacem præ se fert fronde innoxiæ olivæ,

675 Unus Behot. *metuentia quondam.*—676 ‘Omnes nostri libri meliores, non *absumto*, sed *adsumto* habent. Et hoc utique rei veritati convenit.’ *Barth.*——681 *Despiciunt* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. ‘Hæc est optimorum librorum scriptura.’ *Barth.* *Destituunt* Dan. Put. Petav. Behott. 1. 2. Lindenbrog. Cruc. et recentt. Lituræ in utroque Behott. usque adeo ut in altero inscriptum fuerit *Despiciunt;* in alterius margine *Aspiciunt.* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Petav. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. et Cruc. *Phlegeus;* Be-

NOTÆ

673 *Bis Thesea*] Semel in clypeo, et semel in prælio.

674 *Videre*] Regitur a verbo ‘habet.’ ‘Terror habet populos videre,’ seu cum vident.

675 *Ipse*] Theseus. *Sociumque gregem*] Id est, Athenienses qui cum eo venerant. *Metuendaque quondam Limina*] Labyrinthum, in quo inclusus Minotaurus, quem occidere oportebat, ut ipse comitesque mortem evaderent.

676 *Gnossida*] Ariadnen Minois filiam, a Gnosso regia Minois. *Absumto filo*] Ariadne enim filum Theseo dederat, cujus ope regeret vestigia in Labyrintho, et ut inde extricare se posset ex ambagibus et erroribus illiusce antri, post occisum Minotaurum.

678 *Viduam Adrastida*] Argiam, Polynicis viduam, et filiam Adrasti.

681 *Destituunt*] Creon putabat se illis mortem pro magno malo dare; sed illæ e contrario alacriter ad supplicium ibant, et sic destituebant expectationem tyranni. Veteres editiones habent *Despiciunt.* *Phegeus*] Vide supra vs. 596.

682 *Ramis insontis olivæ*] Legati enim ramum olivæ ferebant.

Pacificus, sed bella ciet, bellumque minatur,
Grande fremens, nimiumque memor mandantis, et ipsum
Jam prope, jam medios operire cohortibus agros
Ingeminans: stetit ambiguo Thebanus in æstu
Curarum, nutantque minæ, et prior ira tepescit.
Tunc firmat sese, fictumque, ac triste renidens:
Parvane prostratis, inquit, documenta Mycenis
Sanximus? en iterum, qui mœnia nostra lacessant.
Accipimus: veniant: sed ne post bella querantur.
Lex eadem victis. Dixit: sed pulvere crasso
Caligare diem, et Tyrios juga perdere montes
Aspicit: armari populos tamen, armaque ferri
Ipse jubet pallens, mediæque in sedibus aulæ
Eumenidas subitas, flentemque Menœcea cernit
Turbidus, impositosque rogis gaudere Pelasgos.
Quis fuit ille dies, tanto cum sanguine Thebis
Pax inventa perit? patriis modo fixa revellunt
Arma Deis, clypeisque obducunt pectora fractis,
Et galeas humiles, et adhuc sordentia tabo

sed ciet bellum, intentat bellum, multum frendens et nimium recordatus, cujus erat legatus; et repetens jam ipsum cito affore, jam copiis tegere medios campos. Thebanus hæsit in ancipiti curarum æstu, et minæ labant, ac primus furor languescit. Tunc colligit se, et tristis simulate subridens: Exiguane dedimus nostri specimina, cæsis Argivis? En audimus, qui denuo aggrediantur nostros muros. Accedant; sed ne post cladem querantur: jus idem erit in superatos. Inquit: at cernit diem obscurari denso pulvere, et cacumina Thebanorum montium oculis eripi. Ipse tamen pallens imperat cives armari, et arma sibi afferri, ac perculsus credit videre repentinas furias in penetralibus mediæ aulæ, et lugentem Menœceum, ac Pelasgos lætari, quod sua corpora rogis imponantur. Quæ fuit Thebis dies illa, cum pax tanto cruore comparata evanuit? Deripiunt arma modo infixa templis Deorum patriorum, et obtegunt pectus fractis scutis, et sumunt cassides sine conis, et spicula adhuc sanie

hot. 2. *Pegeus*; Put. et Behot. 1. *Phegeus.*—684 Dan. *memor mandatis.*—692 ‘Melior lectio in optimo alioque codice: *Dicit.*’ Barth. Sic et Behott. 1. 2. —696 ‘Non est optimus sonus horum verborum: *Eumenidas subitus;* nec

NOTÆ

684 *Ipsum*] Mandantem, seu Theseum.

696 *Eumenidas subitas, &c.*] Quod erat omen infaustissimum.

699 *Pax inventa perit*] Pacem enim sperabant, victis et occisis hostibus, sed novus prodit hostis.

701 *Galeas humiles*] Sine cristis, et fractas, sine conis.

Spicula: non pharetris quisquam, non ense decorus,
Non spectandus equo: cessit fiducia valli:
Murorum patet omne latus, munimina portæ
Exposcunt: prior hostis habet: fastigia desunt:
Dejecit Capaneus: exsanguis et ægra juventus
Jam nec conjugibus suprema nec oscula natis
Jungit, et attoniti nil optavere parentes.
Atticus at contra, jubar ut clarescere ruptis
Nubibus, et solem primis aspexit in armis,
Desilit in campum, qui subter mœnia nudos
Asservat manes: dirisque vaporibus ægrum
Aëra pulverea penitus sub casside ducens
Ingemit, et justas belli flammatur in iras.
Hunc saltem miseris ductor Thebanus honorem
Largitur Danais, quod non super ipsa jacentum
Corpora belligeras acies, Martemque secundum

fœdata. Nullus insignis, nec pharetris, nec gladio, non equo conspicuus. Nulla in vallo fiducia. Mœnia undique aperta. Portæ efflagitant propugnacula; prior hostis destruxit. Pinnæ murorum desunt; Capaneus deturbavit eas. Pubes exanimis et ægra, nec jam dat oscula uxoribus aut liberis, et parentes consternati nihil optaverunt. At contra Atheniensis, ut vidit lucem fulgere in scissis nubibus, et primum solem in armis, devolat in agrum, qui subter muros custodit nuda cadavera, et intus attrahens sub pulverulenta galea aërem infectum horrendis exhalationibus, queritur et accenditur justis belli furoribus. Rex Thebanus saltem tribuit hunc honorem infelicibus Danais, quod non conseruit bellicam aciem, et secundam

video tamen quicquam immutari a libris.' *Barth.*—703 Aldd. Colin. Gryph. et Basil. *Non spectandus equos.* Bernartius correxit ex codd. Lang. Laur. Buslid. et Lipsian. nec aliter habent Dan. Put. Petav. et Behott. 1. 2. *cessat* Behott. 1. 2. in quorum altero deleta litera *a*, supposita *i*, ut fieret *cessit.*—

NOTÆ

703 *Cessit fiducia valli*] Id est, nulla spes amplius in munimentis et propugnaculis.

704 *Murorum patet omne latus*] Utpote machinis et tormentis bellicis dirutorum. *Munimina portæ Exposcunt*] Erant olim præter turres, propugnacula prope portas, et in iis cataractæ. Ceterum hunc versum et sequentem supposititios judicat Guyetus.

707 *Jam nec conjugibus suprema nec oscula natis Jungit*] More proficiscentium domo. Suetonius Ner. cap. 37. 'Neque proficiscens quenquam osculo impertivit.' Petronius cap. 75. 'Aut patrem reliquit utique aliquem, cui proficiscens osculum dedit.'

708 *Et attoniti nil optavere parentes*] Character ultimæ desperationis.

715 *Ductor Thebanus*] Creon.

Miscuit: at lacera ne quid de strage nefandus
Perderet, eligitur sævos potura cruores
Terra rudis: jamque alternas in prælia gentes
Dissimilis Bellona ciet: non clamor utrimque,
Non utrimque tubæ: stat debilis altera pubes,
Summissos enses nequicquam, amentaque dextris
Laxa tenens: cedunt tellure, armisque reductis
Ostentant veteres etiamnum in sanguine plagas.
Jam nec Cecropiis idem ductoribus ardor,
Languescuntque minæ, et virtus secura residit:
Ventorum velut ira minor, nisi sylva furentes
Impedit, insanique tacent sine littore fluctus.

pugnam super ipsa corpora prostratorum. Aut, ne quid dirus amitteret de lacera strage, eligitur nova terra, quæ biberet crudelem sanguinem. Et jam dispar Bellona excitat utrosque populos in certamen. Non clamor utrimque auditur, non utrimque tubæ. Ex una parte stat invalida juventus, incassum tenens manibus dejectos gladios et amenta soluta. Retrocedunt in campo et armis reductis ostentant priora vulnera adhuc cruenta. Jam nec idem ardor ducibus Atheniensibus, et minæ hebescunt, et virtus, cui non resistitur, languescit. Ut vis ventorum est minor, cum nemora non resistunt eorum furori, et agitatæ undæ tacent sine littoris objectu.

718 'Perperam ediderunt Bernartius, Lindenbrogius, Aldus, Argentoratenses, et Lugdunenses: *aut lacera;* cui assentitur solus optimus ex nostris codd.' *Barth.* Ita habent Dan. Put. Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Colin. Basil. Lindenbrog. Cruc. et Delph. *ac lacera* exhibent Behott. 1. 2. *at lacera* edd. recentt.—720 Unus Behot. *in prælia mentes,* et superius scriptum *gentes.*—725 Behot. 2. *pulvere,* obliterata dictione *sanguine,* quæ primum exscripta fuerat: eodem stylo omnia.—727 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Behott. 1. 2. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. Gevart. Grasser. et Amstel. *secura resedit;* Gronov. Barth. Veen. et Delph. *secura residit.* Codex Daumii habet etiam *resedit.*—729 'In optimis

NOTÆ

718 *At lacera ne quid de strage nefandus Perderet, eligitur*] Hæc delenda esse dicit Guyetus, et jungendum *τὸ miscuit* cum *τῷ eligitur.*

720 *Rudis*] In qua non gestum bellum.

721 *Dissimilis*] Non enim par utrisque ad bellum alacritas, ut et dicit infra Poëta.

722 *Non tubæ*] Animos accendere solitæ. Scribit Euripides, ante aciem Theseum per præconem utrumque exercitum monuisse, aliud se nihil quærere, nisi ut cadavera extremo officio non fraudarentur: ad ea nihil respondisse Creontem.

724 *Armisque reductis*] In humerum rejectis clypeis.

726 *Cecropiis*] Atheniensibus.

727 *Languescuntque minæ*] Resistentia enim fortius animat.

728 *Ventorum velut ira minor, &c.*] Imitatio Lucani lib. III. 'Ventus ut amittit vires, nisi robore densæ Occurrant sylvæ, spatio diffusus inani.'

729 *Sine littore*] Sine objectu littoris.

Ut vero æquoreus quercum Marathonida Theseus
Extulit, erectæ cujus crudelis in hostes
Umbra cadit, campumque trucem lux cuspidis implet:
Ceu pater Edonos Hæmi de vertice Mavors
Impulerit currus, rapido mortemque fugamque
Axe vehens, sic exanimis in terga reducit
Pallor Agenoridas: tædet fugientibus uti
Thesea, nec facilem dignatur dextra cruorem.
Cetera plebeio desævit sanguine virtus.
Sic juvat exanimis projectaque præda canesque,
Degeneresque lupos, magnos alit ira leones.
Attamen Olenium, Thamirumque, hunc tela pharetra
Promentem, hunc sævi tollentem pondera saxi
Dejicit, et triplici confisos robore gentis

Ut vero Theseus erexit hastam Marathoniam, et ejus sæva umbra cecidit in hostes, et fulgor cuspidis illuminavit dirum campum: ceu Mars pater egerit Edonos currus e cacumine montis Hæmi, ferens, axis rapiditate, fugam et letum, sic pavor vertit in terga exsangues Thebanos. Pudet Theseum sævire in fugientes, nec manus dignatur facilem cædem. Aliorum fortitudo satiatur ignobili sanguine. Sic præda debilis et jacens placet canibus et ignavis lupis, furor nutrit fortes leones. Attamen sternit Olenium et Thamirum, hunc promentem sagittam ex pharetra, illum elevantem molem crudelis lapidis; et fratres Alceidas, fretos viribus trium populorum,

duobus libris non *tacent*, sed *meant* legitur; quod non est deterius, nisi melius dicas.' *Barth.* Daumii codex quoque *meant* exhibet.—733 *Ceu pater Ædonios Æmi, &c.* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Behott. 1. 2. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. et Gevart. *Edonos* Grasser. Gronov. Barth. Veen. et Delph. 'Sic scribendum hoc nomen, nec obstat quod in Lucano lib. I. 696. vulgo legitur: 'Edonis Ogygio decurrit plena Lyæo.' Scribendum enim 'Odonis' eo loco, pæne est ut assentiamur præstantissimo Salmasio, qui et *Edonos* hos illustrat ad Solin. pag. 153. Et *Edonos* claris literis in Papinio referunt optimæ membranæ. Monuit pridem de hoc nomine non aliter legendo Mart. Ant. Delrio Notis ad Claudian. Laud. Stilic. lib. I.' *Barth.*—737 Unus Behot. *nec faciles dignatur dextra cruores.*—738 'Versu undecimo retro dixerat de iisdem: 'virtus secura resedit.' Non constat ergo sibi tantus Poëta a tantillo intervallo. Poterat prorsus omittere hunc versum, nec quicquam absens detraxisset sententiæ; neque nunc sanæ amotus officiat quicquam, cum præsens pudorem faciat Poëtæ.' *Barth.*—741 *Thamarumque hunc tela pharetræ* Behot. 1. *Thamirimque hunc tela*

NOTÆ

730 *Æquoreus*] Quia filius Neptuni, qui rex maris seu æquoris. *Quercum*] Hastam.

733 *Edonos*] Thracios. Edones enim Thraciæ populi. *Hæmi*] Montis Thraciæ.

736 *Agenoridas*] Thebanos.

743 *Triplici*] Tribus enim gentibus stipabantur.

Alceidas fratres, totidem quos eminus hastis
Continuat: ferrum consumsit pectore Phileus,
Ore momordit Helops, humero transmisit Iapix.
Jamque et quadrijugo celsum petit Hæmona curru,
Horrendumque manu telum rotat: ille paventes
Obliquavit equos: longo perlata tenore
Transiit hasta duos: sitiebat vulnera nec non
Tertia, sed medio cuspis temone retenta est.
Sed solum votis, solum clamore fremendo
Omnibus in turmis optatque vocatque Creonta.
Atque hunc diversa bellorum in fronte maniplos
Hortantem dictis, frustraque extrema minantem
Conspicit: abscedunt comites, et Thesea jussi
Linquebant, fretique Deis, atque ipsius armis.
Ille tenet, revocatque suos: utqua æque notavit

quos totidem hastis, unum post alterum, e longinquo occidit: Phyleus totam hastam recepit pectore, Helops momordit ore, per Iapigis humeros ferrum exiit. Et jam tendit contra Hæmona sublimem in curru quadrijugo, et dextra jaculatur in eum immane telum. Ille Hæmon detorquet trepidantes equos. Hasta longo cursu perlata trajecit duos equos; et fecisset tertiam plagam, sed cuspis hæsit in medio temone. Sed tantum votis optat Creontem, hunc solum appellat terribili clamore per omnes ordines. Illum conspicit in diversa certaminis acie copias excitantem et vanas minas jactantem. Socii Thesei ejus jussu abscedunt, et illum linquunt confisi numinibus et ipsius virtuti. Creon frustra retinet, et revocat suos, qui abscedebant.

pharetræ Behot. 2. sed prius fuerat *Thamirumque.*—745 Unus Behot. *Pileus.*—747 *Æmona* multi codd. et edd. vett. *hemona*, ut semper, Behott. 1. 2.—750 *Transilit hasta* Behot. 1. *faciebat vulnera* Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. quod non improbat Barthius. *sitiebat vulnera* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Behott. 1. 2. Lindenbrog. Cruc. Gevart. et recentt.—751 Behot. 2. *tenore retenta est;* sed correctum *temone* æquævis literis: Dan. Put. Petav. Lindenbrog. et Cruc. *terrore retenta est;* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Behot. 1. Gevart. et recentt. *temone retenta est.*—752 Put. et nonnulli Barthiani *clamore premendo.*—757 Barthius ex optimis membranis legit: *et Thesea jussi Destituunt.*—758 *Ille tenet* optimæ Barthii membranæ, Put. et Behot. 1. *Ille timet* Behot. 1. a m. sec. et ceteri codd. cum libris impressis. 'Inscita hæc scriptura est, præ illa quam habent optimæ membranæ.' *Barth.* *Ipse*

NOTÆ

744 *Alceidas fratres*] Eos sequentibus versibus vocat Phileum, Helopem, et Iapigem.

745 *Continuat*] Sine intermissione prosternit.

750 *Duos*] Equos scilicet.

756 *Comites*] Socii Creontis.

758 *Ille tenet, revocatque suos*] Nimirum Creon revocat discedentes, stantes et ambiguos jubet manere, neque loco excedere. Priores Editiones habent: *Ille timet, revocatque*

Hinc atque hinc odia, extrema se colligit ira,
Jam letale furens, atque audax morte futura:
Non cum peltiferis, ait, hæc tibi pugna puellis,
Virgineas nec crede manus: hic cruda virorum
Prælia: nos magnum qui Tydea, quique furentem
Hippomedonta neci, Capaneaque misimus umbris
Pectora. Quæ bellum præceps amentia suasit,
Improbe? nonne vides, quos ulciscare, jacentes?
Sic ait, et frustra periturum missile summo
Affixit clypeo: risit vocesque manumque
Horridus Ægides, ferrataque arbore magnos
Molitur jactus, nec non prius ore superbo
Intonat: Argolici, quibus hæc datur hostia, Manes,
Pandite Tartareum chaos, ultricesque parate
Eumenidas, venit ecce Creon. Sic fatus, et auras
Dissipat hasta tremens: tunc qua subtemine duro

Utque agnovit se odio haberi a suis æque ac ab hostibus, totum animum colligit, jam fremens letaliter, et ferox futura morte: Non hoc certamen tibi est cum peltatis virginibus, inquit, nec puta te invenisse puellares manus. Hic tibi pugnandum est cum fortibus viris. Nos sumus, qui occidimus ingentem Tydea, et furiosum Hippomedontem, et qui tradidimus inferis Capaneum. Quæ te inconsulta stultitia excitavit ad bellum, perverse? Nonne vides, ut jaceant hi, quos vindicas? Sic, inquit, et affixit irritam hastam summæ oræ scuti Thesei. Fortis Ægei filius irrisit minas ejus et manum, et se parat ad illi infligendum magnum ictum ferrata hasta, sed ante intonat superbo ore: Umbræ Argivæ, quibus hæc victima immolatur, aperite Tartareum chaos, et præparate vindices furias, ecce Creon accedit. Sic locutus est, et trepida hasta aërem dividit. Tunc hæc penetrat ferreum textile subtilium



tenet Behot. 2. *æqua notavit* Dan. et Put.—763 Behot. 2. *quique furente;* sed ab alia manu correctum. Hæc erant penitus obliterata in Behot. 1. supplevit recens manus: *quoque furentem.*—765 'Libri omnes nostri habent: *bellum præceps dementia:* est illud Maronis: 'quæ te dementia cepit!'' *Barth. præceps bellum dementia* unus Behot.—768 'Optimus liber diserte habet *Afflixit;* quod et verum puto.' *Barth.*—770 Unus Behot. *ore supremo;* et in margine correctum *superbo.*—773 'Omnino scribendum, ut habent optimi libri: *Sic fatur:* cum dicto enim transactum est, de quo sermo erat. Sicque libro isto supra vs. 692.' *Barth.*—774 'Omnes libri nostri habent *subtegmine:* et ita Lutatius agnoscit, cum expositione: 'textu ferreo.' Tamen magis placet

NOTÆ

suos. Æqua] Quia etiam sui relinquebant eum et abhorrebant ob suam crudelitatem, ut et hostes. Legitur et *ægra.*

760 *Audax morte*] Certus exitii, sine consilio fit audax. *Vet. Schol.*

761 *Peltiferis puellis*] Amazonibus, quæ peltas ferebant.

774 *Subtemine duro*] Textu ferreo.

Multiplicem tenues iterant thoraca catenæ,
Incidit: emicuit per mille foramina sanguis
Impius: ille oculis extremo errore solutis
Labitur: assistit Theseus gravis, armaque tollens:
Jamne dare extinctis justos, ait, hostibus ignes,
Jam victos operire placet? vade atra dature
Supplicia, extremique tamen secure sepulcri.
Accedunt utrimque pio vexilla tumultu,
Permiscentque manus medio jam fœdera bello,
Jamque hospes Theseus: orant succedere muris,
Dignarique domos: nec tecta hostilia victor
Aspernatus init: gaudent matresque, nurusque
Ogygiæ: qualis thyrso bellante subactus
Mollia laudabat jam marcidus Orgia Ganges.
Ecce per adversas Dircæi verticis umbras
Fœmineus quatit astra fragor, matresque Pelasgæ
Decurrunt: quales Bacchæa ad bella vocatæ

catenarum, quibus lorica multoties tegebatur. Impius cruor emicuit per multiplices circulos loricæ. Ille cadit oculis errantibus. Astat Theseus eum gravans, et illi detrahens arma. Jamne placet indulgere debitos mortuis rogos? jam victos inhumare? I in inferos, persoluture æquas pœnas, et sis tamen securus ultimi tumuli. Signa utrimque junguntur pio strepitu, et dextras implicant. Jam fœdus fit in mediis armis. Jam Theseus amicus reputatur. Rogant ingredi mœnia, et honorare urbem sua præsentia. Victor non aspernatus hostilem urbem, in eam intrat. Matres et nurus Thebanæ lætantur. Sic Gangis accolæ thyrso domiti a Baccho, jam ebrii celebrabant effæminata Orgia. Ecce strepitus fœminarum, sidera feriens, auditur ab oppositis sylvis Dircæi cacuminis, et matronæ Pelasgæ ab eo rapide descendunt. Quales insanæ Thyades excitæ ad Bacchi prælia, quas putes efflagitare,

subtemine.' Idem.—775 Unus Behot. in textu habet *iterant;* sed pro v. l. in margine 'al. *vetant:* al. *nectunt.*'—783 'Melioris notæ duo libri: *medio jam fœdera campo;* quod magis poëticum videtur.' *Barth.*—784 Unus Behot. *succurrere muris,* et pro v. l. *succedere.*—786 *Aspernatus abit* nonnulli codd. Lin-

NOTÆ

775 *Multiplicem tenues iterant thoraca catenæ*] Veteres enim non solum laminis ferreis invicem impositis, sed etiam catenis muniebant loricam.

776 *Foramina*] Loricæ circuli, seu annuli.

780 *Atra dature Supplicia*] Ob tuam insignem in mortuos crudelitatem.

789 *Adversas*] Aversas. *Dircæi verticis*] Cithæronis.

790 *Matresque Pelasgæ Decurrunt*] Matronæ enim Argivæ Theseum secutæ fuerant.

Thyades amentes, magnum quas poscere credas,
Aut fecisse nefas: gaudent lamenta, novæque
Exultant lacrymæ: rapit huc, rapit impetus illuc,
Thesea magnanimum quærant prius, anne Creonta,
Anne suos: vidui ducunt ad corpora luctus.
Non ego, centena si quis mea pectora laxet
Voce Deus, tot busta simul, vulgique, ducumque
Tot pariter gemitus, dignis conatibus æquem:
Turbine quo sese caris instraverit audax
Ignibus Evadne, fulmenque in pectore magno
Quæsierit: quo more jacens super oscula sævi
Corporis infelix excuset Tydea conjux,
Ut sævos narret vigiles Argia sorori:
Arcada quo planctu genitrix Erymanthia clamet,

aut commisisse grande scelus. Ejulantes exultant, et recentes fletus gaudio miscentur. Varie agitantur, incertæ, an quærant prius fortem Theseum, an Creontem, an suos. Viduarum luctus eas ducit ad cadavera. Non ego, si quod numen daret centum voces pectori meo, celebrarem dignis conatibus tot simul rogos vulgi et ducum, tot pariter planctus, nec dicerem, quo impetu animosa Evadne se injiciat flammis, quibus dilectus conjux cremabatur, et fulmen indaget in ingenti pectore. Quomodo misera uxor Tydei prostrata super maritum, quem osculabatur, excuset sævitiam ejus. Ut Argia commemoret sorori crudeles custodes. Quo ejulatu mater

denbrogii.—792 'In optimo codicum diserte scriptum est *ementes;* sed et supra hoc libro vs. 765. ubi vulgatur *amentia,* libri habent *dementia.* In optimo eodem prima litera erasa est, ut clare legatur *ementia.* Nihil tamen mutamus.' *Barth.*—800 Put. *impleverat audax.*—801 *Ictibus* pro *Ignibus* in eodem.—805 Unus Behot. cum nonnullis aliis *clamat.*—806 Lang. Laur.

NOTÆ

792 *Thyades*] Bacchantes. Vide Theb. v. 92.

793 *Gaudent lamenta*] Luctus mutantur in gaudia.

796 *Vidui luctus*] Pro luctus viduarum.

798 *Tot busta simul*] Pacto non prælio a Thebanis obtentum jus sepeliendi Argivos vult Plutarchus Theseo. At Pausanias, ut Papinius, prælio. Idem etiam refert Pausanias victorem Theseum deportanda mortuorum corpora in Eleusinum agrum, ibique sepelienda curavisse.

801 *Ignibus Evadne*] Uxor Capanei, quæ se injecit in rogum viri ardentem, et una cremata est.

803 *Excuset Tydea conjux*] Supra: 'Sed cuncta jacenti Infelix ignoscit amor.'

804 *Sorori*] Deiphile.

805 *Arcada*] Parthenopæum. *Erymanthia*] Atalanta, ab Erymantho Arcadiæ monte.

Arcada consumto servantem sanguine vultus,
Arcada, quem geminæ pariter flevere cohortes.
Vix novus ista furor, veniensque implesset Apollo:
Et mea jam longo meruit ratis æquore portum.
Durabisne procul, dominoque legere superstes,
O mihi bissenos multum vigilata per annos
Thebai? jam certe præsens tibi fama benignum
Stravit iter, cœpitque novam monstrare futuris.
Jam te magnanimus dignatur noscere Cæsar,
Itala jam studio discit, memoratque juventus.
Vive, precor: nec tu divinam Æneida tenta,
Sed longe sequere, et vestigia semper adora.
Mox tibi, si quis adhuc prætendit nubila livor,

Erymanthia defleat Arcadem, Arcadem, qui servaverat formam exhausto cruore, quem exercitus ambo æqualiter ploraverunt. Vix ea digne exequerer, etiam si Apollo mihi inspiraret novum furorem. Et mea Thebais jam meruit portum post longam navigationem. O Thebai, a me elaborata per duodecim annos, diune permanebis, et auctori supervivens evolveris? Jam certe præsens fama tibi concinnavit benignum iter, et cœpit in tuo ortu te ostendere posteris. Jam magnanimus Cæsar dignatur te legere. Jam Itala pubes studiose te addiscit et celebrat. Vive, oro; ceterum, ne tu æmulare divinam Æneidem, sed procul sequere, et semper venerare ejus vestigia. Deinde, si invidia adhuc tibi obducit quædam nubila, morietur,

Buslid. Lipsian. et edd. vett. *servantem sanguine vultu.*—808 *Vix novus iste* Behot. 1. et pro v. l. *ista.* Barthius pro *veniens* conjectabat *rediens.*—813 Marklandus ad v. Sylv. 3. 231. ita scribit: 'Monendus es, pro: *cœpitque novam monstrare futuris,* legi debere: *cœpitque viam monstrare futuris:* patet hoc tum ex sensu, qui in altera lectione nullus est, tum ex istis: *Stravit iter.*'—818 *Denique, si quis, &c.* legit Silvester Giraldus Præf. Topographiæ Hiberniæ.

NOTÆ

808 *Implesset*] Alii impleret.

809 *Meruit ratis æquore portum*] Comparare poëmata currui aut navi frequens Poëtis. Hoc suum noster innuit IV. Sylv. ad Victorium Marcellum: 'Jam Sidonios emensa labores Thebais, optato collegit carbasa portu.' Ovidius lib. II. Artis initio: 'Mediis tua pinus in undis Navigat, et longe quem peto portus abest.'

813 *Novam*] Fallitur Petavius credens ex hac voce, *novam,* Thebaidem ab auctore bis editam fuisse; *novam* enim nihil aliud est, quam recentem, calentem ab incude.

818 *Mox tibi, si quis adhuc prætendit nubila livor, Occidet*] Theophrasti dictum: Φθόνος τοῖς ζῶσι πρὸς τὸ ἀντίπαλον· τὸ δὲ μὴ ἐμποδὼν ἀνανταγωνίστῳ εὐνοίᾳ τετίμηται. *Invidia tantum in vivos est: mortuus vero, ut qui nemini obstat, constanti et libera benevolentia colitur.* Sallustius Oratione II. ad Cæsarem de Rep. Ordinanda: 'Nam vivos interdum fortuna, sæpe invidia fatigat: ubi anima naturæ cessit,

Occidet, et meriti post me referentur honores.

et debiti honores, me mortuo, tibi reddentur.

NOTÆ

demtis obtrectationibus, ipsa se virtus magis magisque extollit.' Ovidius: 'Pascitur in vivis livor: post fata quiescit.'

819 *Et meriti post me referentur honores*] Id est, post obitum meum evanescet invidia, et gloria mea permanebit. Propertius lib. III. El. 1. 'At mihi, quod vivo detraxerit invida turba, Post obitum duplici fœnore reddet honos.'

THEBAIDOS FINIS.

[illegible]

P. PAPINII STATII

ACHILLEIDOS

LIBER I.

ARGUMENTUM.

THETIS raptu Helenæ territa, quod inde acerrimum bellum inter Græcos et Trojanos exorturum sciret, et in eo Achillem filium periturum, Neptunum convenit, ab eoque enixe petit, ut classem raptoris Paridis summergat. Negat Neptunus hoc fieri posse: statuisse Deos cruentas miscere Europæ atque Asiæ manus: ingentes clades Trojanis Achillem illaturum, et tot præclara editurum facinora, ut ipsa credat se eum de Jove concepisse. Hac repulsa Thetis animum ad alia convertit, et sibi proponit filium in aliquo tutissimo loco occultare, donec tempestas tam formidati belli detonaret. Achilles apud Chironem Centaurum in Thessalia educabatur. Tendit igitur in Thessaliam Thetis, filium a Chirone repetit, causata se infaustis de filio somniis terreri, ac velle eum in Oceani aquis, ut Proteus jubebat, magicis quibusdam sacris lustrare. Chiron consilium ejus probat, laudataque mirum in modum Achillis indole, humanam supergressa, Invidiam placare matri suadet: unde aucti Thetidis metus. Nocte cogitat, quæ loca abscondendo filio aptiora. Inter alia Scyros insula illi placet, ubi regnabat Lycomedes plurium filiarum pater, cujus aula virgineis choris personabat. Filium igitur arctissimo somno correptum sinu complexa, currum delphinis junctum conscendit, et mare emensa ad Scyrum, oriente sole, pervenit. Experrecto Achilli mater suos metus fatetur, oratque illum, virilem animum paululum summittat, et ad breve tempus muliebrem habitum sumat: non illi fore dedecori: Herculem, Bacchum, et ipsum Jovem fœmineas vestes non dedignatos. Achilles nullis matris precibus flectitur. Verum inopinato casu ejus animus fractus est. Forte Scyrii diem festum Minervæ, cui templum in littore erectum erat, agebant, et filiæ Lycomedis domo exierant, ut veris primitias Deæ offerrent, comasque ejus sertis coronarent. Turbam ducebat Deidamia, cujus ut eximiam pulchritudinem Achilles videt, ejus amore statim corripitur. Animadvertit Thetis, et blande interrogatus filius, an inter tam pulchras virgines degere ipsi acerbum foret, lætus erubuit, et sinit se veste fœminea indui. Thetis Lycomedem aggre-

ditur: illi tradere ait Achillis sororem. Hanc quidem velle Amazonum more vivere, ac ferre arma; sed satis sibi esse curarum pro Achille. Eam igitur inter ejus filias secludat: nec sinat eam venari, nec palæstra exerceri: præcipue vero a portu arceat, ne raperetur. Lycomedes Thetidi gratias agit maximas, quod electus fuerit, cujus fidei tantum depositum crederetur. Sic Achilles simulato sexu in aulam Lycomedis inducitur. Interea Græci, accensi querelis Menelai Helenæ mariti, et Agamemnonis ejus fratris, in Aulidem Eubœæ portum conveniunt, cunctique jurant se non arma posituros, nisi Menelao satisfactum fuerit. At quanquam multi adsint strenui duces, Achilles poscitur. Illum omnes absentem desiderant: hunc solum clamant Trojanis et Hectori fatalem. Protesilaus vatem Calchantem urget, ipsis detegat, ubi Achilles latitaret: nam rumor erat eum nec in aula Pelei patris, nec apud Chironem esse. Calchas Apolline repletus declarat Eversorem Asiæ veste muliebri tectum apud Lycomedem Scyri regem occultari. Ulysses et Diomedes eum hinc ad bellum adducendum suscipiunt. Achilles autem amorem, quem visa Deidamia hauserat, quantum potuit, dissimulat: sed moræ impatiens, dum Bacchi orgia summis ululatibus noctu ex more celebrabantur, vi Deidamia potitur, et solatur afflictam se prodendo. Nutrix, furtivo amori socia addita, surgentem uterum Deidamiæ occuluit, donec peperit.

MAGNANIMUM Æaciden, formidatamque Tonanti
Progeniem, et patrio vetitam succedere cœlo,

Diva, cane fortem Æacidem, et sobolem timendam Jovi, et inhibitam succedere

Hoc Poëma in quinque libros divisum exhibent Dan. Put. Petav. Venett. Rom. Lindenbrog. et Cruc. cum hoc Argumento:

In primo Chirona petit Thetis ante precata.
At Thetis Æmonio Lycomedi tradit Achillem.
Tertius Æaciden quærit, generat quoque Pyrrhum.
Quartus at occultum Peliden prodit Ulyssi.
Navigat Æacides ad debita Pergama quinto.

Deinde sequitur aliud Argumentum, libri primi scilicet:

Themate proposito narrat Thetis alma, rapinam
Tyndaridis conquesta: rates sed vana precatur
Mergere Rhœtæas: alios commenta paratus
Tendit in Æmoniam, curum ablatura magistro
Æaciden: tunc forte feras letale fugantem
Ille redit lætusque dapum post munera matri
Fila movens canit heroas; nox occupat artus.

'Non abs re dubitetur, unusne hic liber sit, an in plures distribuendus. Unum potius esse quam duos hinc autumare licet, quod Commentaria Lactantii continuo ordine sine ulla librorum distinctione scripta erant. Argumentum equidem, sed leve, nec cui satis innitendum. Ergo quam in vett. codd. editisque exemplaribus inveni, eam sequi malui, non novellam istam duorum librorum divisionem.' *Lindenbrog.* 'Argumenta ideo non attendimus, quod ridiculam in quinque libros operis divisionem sequantur, nec in

Diva, refer: quanquam acta viri multum inclyta cantu
Mæonio, sed plura vacant: nos ire per omnem
(Sic amor est) Heroa velis, Scyroque latentem
Dulichia proferre tuba: nec in Hectore tracto

paterno cœlo. Quamvis hujus viri facinora valde celebrata sint versibus Mæoniis; plura tamen restant dicenda. Concedas percurrere (sic mihi placitum) totam Herois vitam, et educere buccina Dulichia illum occultatum in Scyro: nec finire in

nostris Exemplaribus ullo vestigio reperiantur. Duo nostri codices, et glossis egregie oppleti, et valde vetusti, nullam nisi per argumenta marginalia distinctionem habent, qualia in suis etiam libris Franciscus olim Maturantius, in hoc bono judicio usus quod duorum agnoscat probetque statum, explosis nugis aliorum. Pro uno sane libro nimia res est, nec Papinio ascribenda, nec librariis condonanda. Quanquam sic retulerint quatuor alii codd. manuscripti auctore M. Antonio Delrio, Advers. ad Troad. Senecæ vs. 185.' *Barth.* Duorum librorum divisionem retinent Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Gevart. Grasser. Amstel. Gronov. Barth. Veen. et Delph.

4 Codd. Lindenbrogii aliique nonnulli: *sed plura vocant.*—11 *Nec mea nunc*

NOTÆ

1 *Magnanimum*] 'Magnanimus' proprium Epitheton Achillis, qui omnium Græcorum, auctore Homero, fortissimus est habitus. *Æacidem*] Achillem ab Æaco avo paterno; nam Peleus, Æaco ortus, filium habuit Achillem ex Thetide. *Formidatamque Tonanti*] In fatis erat eum, qui nasceretur ex Thetide, fore fortiorem et majorem patre: quo decreto, territus Jupiter concubitum Thetidis, quam adamabat, vitavit. Ovidius: 'Namque senex Thetidi Proteus prædixerat udæ: Concipe: mater eris juvenis, qui fortibus armis Acta patris vincet: majorque vocabitur illo. Ergo ne quicquam mundus Jove majus haberet, (quamvis haud tepidos sub pectore senserat ignes Jupiter,) æquoreæ Thetidis connubia vitat.'

2 *Patrio*] Id est, Jovis: qui Achillis pater fuisset, nisi abstinuisset a Thetide.

4 *Mæonio*] Id est, Homerico. Homeri enim Mæon avus erat maternus. *Plura vacant*] Supple, dicenda, quæ Homerus prætermisit. *Nos ire per omnem Heroa velis*] Id est, perscribere totam vitam ac res gestas Herois illius.

5 *Scyroque latentem*] Thetis timens ne filius Achilles proficisceretur ad Trojanam expeditionem, in quo ingens quidem gloria, sed certa mors eum manebat, abduxit illum a schola Chironis, in qua educabatur, et occultavit in regia Lycomedis, regis Scyri insulæ, fœmineo habitu. Scyros autem insula una est Cycladum contra Magnesios, celeberrima, ut ait Strabo, propter Lycomedis cum Achille affinitatem, et ibi natum educatumque Neoptolemum seu Pyrrhum Achillis filium. Ex ea insula lapidem integrum fluctuare tradunt auctores apud Plinium lib. xxxvi. cap. 17. eundem comminutum mergi.

6 *Dulichia*] Id est, Ulyssea. Ulysses erat dominus insulæ Dulichii in mari Ionio, non procul ab Ithaca. Alludit vero Poëta ad historiam, seu fabulam, qua dicitur Ulysses Achillem inter filias Lycomedis latitantem sono tubæ excitasse, ita ut se ipsum pro-

Sistere, sed tota juvenem deducere Troja.
Tu modo, si veteres digno deplevimus haustu,
Da fontes mihi, Phœbe, novos, ac fronde secunda
Necte comas: neque enim Aonium nemus advena pulso,
Nec mea nunc primis albescunt tempora vittis.
Scit Dircæus ager: meque inter prisca parentum
Nomina, cumque suo numerant Amphione Thebæ.

raptato Hectore, sed comitari juvenem per totam Trojam. Tu modo, Apollo, præbe mihi novos fontes si exhausimus antiquos digno potu, et orna meos crines secundo ramo; neque enim hospes frequento sylvam Aoniam, nec nunc mea tempora albescunt primis vittis. Testis est campus Dircæus, et Thebæ recensent me inter vetera nomina majorum, et cum suo Amphione. At tu, quem summi viri Italiæ et

vittis albescunt tempora primis Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *Nec mea nunc primis albescunt tempora vittis* Exc. Burg. Petrens. Dan. omnes Barthiani, Lindenbrog. Cruc. Gevart. Grasser. et recentt. *Nec mea nunc primis augescunt tempora vittis* Petav. et Put. 'Fatue qui mutant quicquam ab hac lectione: *primis albescunt tempora vittis.* Ridere licet Bernartium cum suo *anguescant:* nec admittendum *augescant*, quod malit And. Schottus Obss. lib. II. cap. 45.' *Barth.*—13 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Petav. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. et Gevart. *memorant Amphione Thebæ;* Petrens. Exc. Burg. Put. Gronov. Barth.

NOTÆ

deret. Apollodorus de Deorum Origine lib. III. Ὀδυσσεὺς δὲ μηνυθέντα περὶ Λυκομήδους ζητῶν Ἀχιλλέα σάλπιγγι χρησάμενος εὗρε. *Ulysses, cum ei indicatum esset apud Lycomedem esse Achillem, quæsitum tuba usus invenit.* *Nec in Hectore tracto Sistere*] Ut fecit Homerus, qui finit suam Iliada hoc opere Achillis. Notatque fabulam, qua dicitur Achilles alligasse currui Hectorem, utroque illius pede perforato, ac ter circum Patrocli tumulum traxisse, ac inde, cum ad tabernaculum reversus esset, in pulvere pronum demisisse. Virgilius vero dissentit ab Homero, scribitque Hectorem non circum Patrocli tumulum, sed circum Iliacos muros ter fuisse raptatum ab Achille.

7 *Sed tota juvenem deducere Troja*] Id est, narrare ea omnia, quæ ad Trojam gessit, donec a Paride occisus fuit. *Deducere* autem est honoris gratia aliquem comitari.

8 *Veteres*] Absoluta nempe Thebaide.

9 *Novos*] Ad suscipiendam scilicet Achilleida. *Ac fronde secunda*] Secunda corona pro Achilleide, prima pro Thebaide.

10 *Aonium*] Id est, Heliconium seu Bœotium, quod Musæ incolebant.

11 *Albescunt*] Sic Noster Theb. III. 'Niveis ornati tempora vittis.' Et Theb. IV. 'Vatem cultu Parnassia monstrant Vellera, frondenti crinitur cassis oliva, Albaque puniceas interplicat infula cristas.' Rursumque lib. VII. 'Concolor est niveis et cassis et infula cristis.'

12 *Dircæus*] Thebanus.

At tu, quem longe primum stupet Itala virtus,
Graiaque, cui geminæ florent vatumque ducumque
Certatim laurus, (olim dolet altera vinci,)
Da veniam, ac trepidum patere hoc sudare parumper
Pulvere: te longo, necdum fidente paratu
Molimur, magnusque tibi præludit Achilles.

Græciæ longe primum suspiciunt, cui duplices laurus Poëtarum ac Ducum cum æmulatione florent, (altera earum nunc mæret superari,) da veniam, ac sinas me trementem exerceri paululum in hac arena. Te meditamur celebrare longo nisu, sed nondum audemus exequi, et ingens Achilles tui gratia prætentatur. Dardanius

Veen. et Delph. *numerant Amphione Thebæ.* Vide Not. Var.—14 Vox *primum* non habetur in Exc. Burg.—19 'In libris aliis lectum memorat Bernartius

NOTÆ

14 *At tu*] Domitianum alloquitur, eumque adulatur, quasi prætergressus sit omnes Heroas et Græcos et Romanos. *Itala virtus, Graiaque*] Id est, summi viri Italiæ et Græciæ.

15 *Geminæ vatumque ducumque Certatim laurus*] Lauro enim Poëtæ ac Imperatores coronabantur. *Geminæ*] Tam ob bellicam virtutem, quam ob poësin; nam Domitianus poëticam primis annis excoluerat. Quam tamen sprevit postea, et abjecit, ut referunt Suetonius et Tacitus: sed contrarium dicunt Fabius et Plinius.

16 *Olim dolet altera vinci*] Poëtica ab Imperatoria.

17 *Sudare parumper Pulvere*] Id est, hac exercitatione, metaphora desumta a curulibus certaminibus; pulverem enim excitant et colligunt. Horatius: 'Sunt quos curriculo pulverem Olympicum Collegisse juvat.' *Sudare*] Quia hæc certamina magna contentione fiebant.

18 *Te longo, necdum fidente paratu*] Adulatorie dicit se imparem scribendis rebus gestis Imperatoris, seque deterreri difficultate operis, quamvis hoc summopere optaret. Epistola ad Marcellum Victorium: 'Troja quidem, magnusque mihi tentatur Achilles; Sed vocat Arcitenens alio pater, armaque monstrat Ausonii majora ducis: trahit impetus illo Jampridem, retrahitque timor. Stabuntne sub illa Mole humeri? an magno vincetur pondere cervix? Dic, Marcelle, feram?'

19 *Præludit Achilles*] Gesta Achillis erunt pro quodam præludio, dum experior, simne aptus perscribendis tuis rebus, metaphora sumta a citharœdis, qui 'proludere' vel 'præludere' dicuntur, cum prætentant ac experiuntur suas chordas. Et 'proludia' Græci vocant προοίμια, id est, cantum illum quem citharœdi faciunt ante verum et legitimum. Unde eleganter noster Papinius in Epistola ad Stellam ait: 'Nec quisquam est illustrium virorum, qui non aliquid operibus suis stylo remissiore præluserit,' id est, ante scripserit. Quidam codices habent *præsudet Achilles.* Sic Statius Theb. VI. 'Ludumque super quo Martia bellis Præsudare paret, seseque accendere virtus.'

Solverat Œbalio classem de littore pastor
Dardanus, incautas blande populatus Amyclas,
Plenaque materni referens præsagia somni
Culpatum relegebat iter, qua condita ponto
Fluctibus invisis jam Nereis imperat Helle:
Cum Thetis Idæos (heu nunquam vana parentum
Auguria!) expavit vitreo sub gurgite remos.
Nec mora: et undosis turba comitante sororum

pastor eduxerat naves ex ora Œbalia, gratam prædam auferens ex improvidis Amyclis, et reportans omina adimpleta materni somnii, culpatus renavigabat mare, quo mersa Helle facta Nereis dominatur odiosis aquis. Ut Thetis perterrita aspexit sub profundo lucido tonsas Trojanas, (heu nunquam irrita matrum præsagia!) non moratur: et cito exiit ex aquosis cubiculis, caterva sororum stipata. Replentur coales-

præsudet. Nihil mutandum.' *Barth.* Put. habet *præludat.*—27 *Nec mora, et undisonis* Exc. Burg. et codex Vossianus; *Nec mora, et undosis* Dan. Put.

NOTÆ

20 *Œbalio*] Id est, Laconico. *Pastor Dardanus*] Paris Alexander, Phrygius seu Trojanus, Priami et Hecubæ filius, qui infans expositus fuerat, ac inter pastores educatus. *Dardanus*] Id est, Trojanus. Troas enim 'Dardania' appellata fuerat a Dardano, Troësque 'Dardani.' Sciunt autem omnes Paridem, cum adhuc pastor esset, et nondum a parentibus agnitus, judicem a Jove constitutum esse inter Deas de pulchritudine contendentes, eumque sententiam tulisse pro Venere.

21 *Blande populatus*] Rapiendo scilicet Helenam, cujus amore captus erat, et quæ eum, ut aiunt, redamabat. *Incautas Amyclas*] Amyclæ urbs Laconiæ: dicuntur 'incautæ,' quia nihil tale suspicari poterant a Paride, qui Spartæ in domum Menelai hospitio receptus, uxorem ejus rapuit. Ceterum Helene non erat Amyclis, sed Spartæ, cum rapta fuit. Sed solitum Poëtis unum locum sumere pro alio, præsertim cum loca vicina sunt.

22 *Plenaque materni referens præsagia somni*] Hecuba enim gravida Paride, inter dormiendum, somniavit se ardentem facem parere, eamque Ilium depascere, atque concremare.

23 *Culpatum*] Bene; quia abducebat uxorem hospitis, quod erat indignissimum facinus.

24 *Jam Nereis imperat Helle*] Respicit fabulam, qua dicitur Helle, fugiens cum fratre Phryxo furorem novercæ, conscendisse aureum arietem, ut trajiceret mare, qua angustius erat, et in illud cecidisse, quod ex ejus nomine appellatur 'Hellespontus:' ac tandem Deam marinam seu Nereida factam fuisse. Sicque ipsa Helle de se narrat apud Valerium Flaccum lib. II. 'Celeri extemplo subiere ruentem Cymothoë Glaucusque manu: pater ipse profundi Has etiam sedes, hæc numine tradidit æquo Regna, nec Inois noster sinus invidet undis.'

25 *Thetis*] Mater Achillis. *Idæos*] Id est, Phrygios, seu Trojanos, ab Ida celeberrimo monte Troadis.

27 *Sororum*] Nereidum.

Prosiluit thalamis: fervent coëuntia Phryxi
Littora, et angustum dominas non explicat æquor.
Illa ubi discusso primum subit aëra ponto:
Me petit hæc, mihi classis, ait, funesta minatur:
Agnosco monitus, et Protea vera locutum.
Ecce novam Priamo, facibus de puppe levatis,
Fert Bellona nurum: video jam mille carinis
Ionium, Ægæumque premi: nec sufficit, omnis

centes Phryxi ripæ, et arctius mare non capit Deas Nymphas. Hæc ubi primum, disjectis undis, subiit aërem: Illa classis, inquit, me aggreditur et aliquid funesti mihi minatur. Intelligo nunc monitus Protei, et verum dixisse. Ecce Bellona vehit novam nurum Priamo, sublatis tædis de puppe. Jam cerno Ionium, et Ægæum mare onerari mille navibus: nec satis est, quod tota gens Græcorum arma sumat pro

Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et Burm. *Nec mora; ab undosis* Petrens. Venett. 3. 4. Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. Gevart. Grasser. et Amstel.—31 Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *funesta*

NOTÆ

28 *Coëuntia Phryxi Littora*] Sic vocat Hellespontum, quia omnis latitudo Hellesponti, quæ Europam Asiamque dirimit, in septem stadiorum angustias stringitur. *Coëuntia*] Quia coire longe intuentibus, et conjungi videntur. *Phryxi*] Propter Hellen sororem Phryxi, quæ nomen dedit huic mari.

29 *Angustum æquor*] Ob rationem supra dictam. *Dominas*] Deas Nymphas.

31 *Me petit*] Quia in bello, quod ob raptam Helenam conflatum est, Achilles periit. *Minatur*] Alia lectio, *paratur*.

32 *Agnosco monitus, et Protea vera locutum*] Prædixerat enim Proteus Thetidi, et Paridem rapturum Helenam, et inde acerrimum bellum conflatum iri, quo bello Achilles periret. Cum enim pars eorum, quæ prædixerat Proteus, jam evenisset, conjicere debebat, et cetera eventura: inde metus pro suo Achille.

33 *Priamo*] Paridis patri. *Facibus de puppe levatis*] Allusum ad morem faculas de puppe attollendi; quod erat signum navigationis. Virg. Æn. III. 'Postquam cuncta videt cœlo constare sereno, Dat clarum e puppi signum.' Ubi Servius: 'Clarum signum: faculam elevavit: ut 'Flammas cum regia puppis Extulerat.''

34 *Bellona*] Eleganter inducit Bellonam ducentem nurum Priamo, quia inde exardere debebat atrocissimum bellum. *Mille carinis*] Totidem enim naves habebant Græci. Virgilius: 'Non anni domuere decem, non mille carinæ.' Ex Homeri Catalogo plures fuisse colligimus.

35 *Ionium*] De Ionio mari vide Theb. I. 14. *Ægæumque*] De mari Ægæo vide Theb. v. 49. *Omnis plaga Grajugenum*] Omnis enim Græcia sumsit arma ad repetendam Helenam, et jam antea cuncti fere principes ad id sacramento se adegerant, cum Menelao Helena matrimonio juncta fuerat.

Quod plaga Grajugenum tumidis conjurat Atridis :
Jam pelago, terrisque meus quæretur Achilles,
Et volet ipse sequi : quid enim cunabula parvo
Pelion, et torvi commisimus antra magistri ?
Illic (ni fallor) Lapitharum prælia ludit
Improbus, et patria jam se metitur in hasta.
O dolor, o seri materno in corde timores!

iratis Atridis: meus Achilles indagabitur terra, marique, et ipse cupiet ire ad bellum. Quid enim mandavimus educandum puerum torvo præceptori in speluncis Pelii montis? Illic, nisi fallor, pro ludo habet pugnare cum Lapithis audax, et vires suas experitur in hasta paterna. O dolor, o tardi metus in materno corde! Non potui

paratur, improbante Barthio.—38 *Evolet ipse* Venett.—43 *Num potui* Venett.

NOTÆ

36 *Conjurat Atridis*] Atridæ, Agamemnon et Menelaus, filii Plisthenis, sed Atreo ejus fratri attributi, tam quod eos educaverat, quam quod Plisthenes juvenis mortuus nihil memorandum gesserat. *Conjurat*] Primo, quia Agamemnon ob magnam opum vim, quibus ceteros Græciæ reges ac principes vincebat, dux expeditionis declaratus fuit in templo Junonis Argivæ ; alteri vero, quia ejus gratia id bellum gerebatur.

37 *Quæretur Achilles*] In fatis enim erat Trojam expugnari non posse, nisi in castra Græcorum veniret Achilles, ac certaret.

38 *Quid enim cunabula parvo Pelion, et torvi commisimus antra magistri*] Pro 'parvum commisimus antris.' Nam Achilles ad disciplinam Chironis Centauri deductus fuerat, ut hoc magistro ingenium ac mores ejus formarentur. *Cunabula*] Pro educatione seu primis rudimentis accipimus. 'Cunabula' enim seu 'incunabula' hac significatione utraque (præter vulgatam) usurpata probis scriptoribus. Suetonius Vesp. cap. 11. 'Quare princeps quoque locum incunabulorum assidue frequentavit,' id est, educationis. Arcadius Jurisconsultus de Officio Præf. Præt. 'His cunabulis Præfectorum auctoritas initiata,' id est, his rudimentis. *Pelion*] Mons Thessaliæ in quo sedes fuit Chironis Centauri. *Torvi*] Vel quia Centaurus erat, vel quia asperioris disciplinæ.

40 *Lapitharum prælia ludit*] Lapithæ erant populi Thessaliæ, mediterraneam ejus regionem Peneo vicinam incolentes, quibus Ixion ac Pirithous, ejus filius, imperarunt. Inter hos populos et Centauros, ejusdem Thessaliæ gentem, orta est acerrima pugna in nuptiis Pirithoi, in qua multi utrimque ceciderunt. Vide Ovidium Met. XII. *Ludit*] Quasi non timeat, veluti pro ludo habeat prælia Lapitharum tanquam levia, quibus se exerceat ad majora.

41 *Et patria se metitur in hasta*] Id est, vires suas experitur. Juvenalis : 'Nec se metitur ad illum, Quem posuit natura modum.' Tentat enim num possit hastam paternam ferre.

42 *O dolor, &c.*] Negligentiam suam arguit : quod Paridem cum ad Helenam rapiendam navigavit, non obruerit in mari. *Seri*] Quia tardius curam gerebat filii.

Non potui infelix, cum primum in gurgite nostro
Rhœtææ cecidere trabes, attollere magnum
Æquor? et incesti prædonis vela profunda
Tempestate sequi? cunctasque inferre sorores?
Nunc quoque: sed tardum est, jam plena injuria raptæ.
Ibo tamen, pelagique Deos, dextramque secundi,
Quod superest, complexa Jovis, per Tethyos annos
Grandævumque patrem, supplex miseranda rogabo
Unam hyemem. Dixit, magnumque in tempore regem

infortunata, cum primum naves Trojanæ se commiserunt nostro mari, inflare ejus fluctus? et insequi atroci procella classem piratæ adulteri? Et immittere in illum cunctas sorores? Nunc quoque possem: sed serum est, jam consumta est raptæ injuria. Vadam tamen, et, quod mihi restat, precabor maris numina, et, prehendens manum secundi Jovis, supplex miseranda ab illo petam per annos Tethyos, perque longævum patrem, unam tempestatem. Inquit, et cernit opportune ingentem maris

Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *Non potui* Burm. Exc. Burg. Petrens. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Lindenbrog. Cruc. Gevart. et recentt.—44 *Rhœtææ cecidere rates* Exc. Burg.—47 *Nunc quoque (sed tardum est) jam plena injuria raptæ, Ibo, &c.* edd. vett. Interpunctio nostra est a Bernartio. *sed tardum: plena est* Exc. Burg.—49 *Tethyos amnes* Dan. Put. Petav. Venett. Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *Tethyos annos* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. omnes Barthiani, duo Gruteri, Petrens. Exc.

NOTÆ

43 *Non*] Alia lectio, *num.*

44 *Rhœtææ*] Id est, Trojanæ, seu Phrygiæ, a Rhœteo seu Rhœto, Promontorio Troadis, in quo sepultus fuit Ajax Telamonius. Est et urbs ejusdem nominis in Troade. *Trabes*] Naves, materiam pro forma posuit.

45 *Et incesti prædonis*] Id est, Paridis.

46 *Sorores*] Id est, Nymphas seu aquas.

47 *Nunc quoque*] Supple, id possum facere. *Sed tardum est*] Id est, etiam si nunc excitarem gravissimam tempestatem, id serius esset: nam raptu Helenæ causæ belli motæ sunt inter Græcos et Trojanos.

48 *Secundi Jovis*] Id est, Neptuni. Sic etiam Sidonius in Burgo Pontii: *Sacra tridentiferi Jovis.* Homerus etiam vocavit Plutonem Δία καταχθόνιον, *Jovem subterraneum.* Virgilius etiam Æn. IV. 'Sacra Jovi Stygio.' Unde patet nomen 'Jovis' apud Poëtas commune fuisse tribus filiis Saturni.

49 *Per Tethyos annos*] Tethys Cœli, et Vestæ filia, soror Saturni, conjux Neptuni, fluminum, et Nympharum mater, ut refert Hesiodus in Theogonia. Alii Tethyn faciunt Terræ et Cœli filiam, Oceani uxorem, Deorum omnium et rerum parentem. *Annos*] Alii legunt *amnes.* Sed melius *annos;* versu enim sequenti habet 'grandævumque patrem.' Et mos hic veterum fuit obtestandi per res ei quem obsecrabant carissimas, quales sunt parentes, uxor, liberi, patria.

50 *Grandævumque patrem*] Oceanum, seu Nereum.

51 *Regem*] Neptunum.

Aspicit. Oceano veniebat ab hospite, mensis
Lætus, et æquoreo diffusus nectare vultus,
Unde hyemes, ventique silent, cantuque quieto
Armigeri Tritones eunt, scopulosaque cete,
Tyrrhenique greges circumque infraque rotantur
Rege salutato: placidis ipse arduus undis
Eminet, et triplici telo jubet ire jugales.
Illi spumiferos glomerant a pectore fluctus,
Pone natant, delentque pedum vestigia cauda.

regem. Ille veniebat ab Oceano, apud quem epulatus fuerat, exhilaratus dapibus, et habens diffusum vultum nectare æquoreo: unde procellæ et venti tacent, ac armigeri Tritones natant leniter canentes, et cete immania, et Tyrrheni greges volvuntur in gyrum circum et infra, salutato rege. Ipse sublimis extat supra tranquillas aquas, et tridente urget suos equos. Illi volvunt a pectore spumantes undas, retro natant,

Burg. Lindenbrog. Cruc. et recentt.—53 Dan. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Venett. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. Gevart. et Amstel. *diffusus nectare vultum*; Put. Petav. Petrens. Exc. Burg. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *diffusus nectare vultus.*—55 *Armiferi tritones* codex Vossianus.

NOTÆ

52 *Oceano*] Oceanus Cœli et Vestæ filius, Deus marinus, maritus Tethyos, apud quem Neptunum ire epulatum ferunt Poëtæ: proprie tamen Oceani nomine intelligitur vastissimum illud mare, quod totum orbem terrarum ambit. *Mensis*] Id est, dapibus, quæ in mensis apponuntur.

54 *Unde*] Ex qua hilaritate. Maturantius refert τὸ *unde* ad Æthiopiam. Illam certe regionem minime fulmini obnoxiam esse tradit Plutarchus de Superstitione. Quo sensu *unde*, id est, qua parte.

55 *Armigeri Tritones*] Triton Deus marinus, Neptuni et Salaciæ Nymphæ filius, quem Poëtæ dicunt Neptuni tubicinem esse. De Tritonibus ita loquitur Plinius lib. IX. cap. 5. 'Tiberio principi nuntiavit Ulyssiponensium legatio, ob id missa, visum auditumque in quodam specu concha canentem Tritonem ea, qua noscitur, forma.' Unde supra dicitur: *Armigeri Tritones eunt.* *Armigeri*] Quia ferunt tridentem Neptuni. *Scopulosa cete*] Cete in mari majores pisces, ut balænæ. *Scopulosa*] Quia magnitudine ac mole scopulos imitantur. Plinius refert lib. IX. cap. 6. de Balænis et Orcis, ejus belluæ, cui dicebatur exposita fuisse Andromeda, ossa Romæ apportata ex oppido Judææ Joppe ostendisse inter reliqua miracula in ædilitate sua M. Scaurum, longitudine pedum 40. altitudine costarum Indicos elephantos excedente, spinæ crassitudine sesquipedali.

56 *Tyrrhenique greges*] Id est, Delphines, in quos fuisse conversos nautas Tyrrhenos a Baccho, produnt Poëtæ. Vide Ovidii Met. III.

57 *Rege*] Neptuno.

58 *Triplici telo*] Fuscina, seu tridente, insigni ejus. *Jugales*] Phocas seu Hippocampos.

60 *Pone natant*] Id est, cauda. *Delentque pedum vestigia cauda*] Nam

Cui Thetis: O magni rector genitorque profundi,
Aspicis, in quales miserum patefeceris usus
Æquor? Eunt tutis terrarum crimina velis,
Ex quo jura freti majestatemque repostam
Rupit Iasonia puppis Pagasæa rapina.
En aliud furto scelus, et spolia hospita portans
Navigat injustæ temerarius arbiter Idæ,
Eheu quos gemitus terris pelagoque daturus!

et cauda delent pedum vestigia. Cui Thetis ait: O gubernator et pater immensi gurgitis, cernis in quales usus aperueris infortunatum mare? Scelera orbis navigant securis velis, ex quo navis, apud Pagasas fabricata, violavit, rapta a Jasone Medea et ablato vellere aureo, leges et verendam majestatem maris. Ecce aliud crimen furto commissum, et temerarius judex iniquæ Idæ vela facit, auferens divitias et uxorem hospitis. Eheu, quos luctus illaturus terris, et mari! Quos mihi!

—59 Put. *pectore cursus.*—61 *Tunc Thetis* Petav. *Cum Thetis* Put. *genitor rectorque profundi* Exc. Burg. et codex Vossianus.—68 Exc. Burg. Dan. Put. Petav. Vossianus, Lipsian. Venett. Lindenbrog. et Cruc. *cæloque daturus.*

NOTÆ

Phocis seu Hippocampis, qui et vituli marini dicuntur, pedes sunt tantum priores; reliqua pars in caudam piscis desinit, ut illos describit Noster Theb. II. 'Illic Ægæo Neptunus gurgite fessos In portum deducit equos; prior haurit arenas Ungula: postremi solvuntur in æquora pisces.'

61 *Thetis*] Mater Achillis. *Genitorque profundi*] Ex Neptuno enim sive mari omnes fontes fluviique ac aquæ oriuntur.

62 *In quales usus*] Scilicet ad furta et scelera.

64 *Ex quo jura freti majestatemque repostam Rupit Iasonia puppis Pagasæa rapina*] Constat enim, teste Plinio, longa nave primum Jasonem navigasse. Nota etiam fabula expeditionis Argonautarum in Colchos. Vide Theb. V. Valerium Flaccum, et Ovidium. Pro *repostam*, alii legunt *verendam*, utrumque bonum. *Iasonia rapina*] Intelligit Medeam, quam rapuit Jason. *Pagasæa puppis*] Est navis Argo, in qua vecti Argonautæ, sic dicta a Pagasis oppido Thessaliæ, Pherarum emporio, a quo distat nonaginta stadiis, ut habet Strabo. Illic navem Argo compegisse dicitur Argus.

66 *En aliud furto scelus*] Sicut Jason rapuit Medeam, vellusque aureum, sic Paris Helenam et bona Menelai abstulit. *Spolia hospita*] Quia hospitio receptus fuerat Paris in domo Menelai.

67 *Injustæ Idæ*] In hoc enim Phrygiæ monte sedens Paris Deas judicaverat. *Injustæ* vero, odioso, quia ex hoc judicio, tanquam prima causa belli inter Græcos et Trojanos, sibi mortem filii portendi videbat. *Arbiter*] 'Arbiter' is appellatur, qui a litigantibus litis cognitor assumitur. Supra autem diximus tres Deas de malo inter se contendentes ad judicium Paridis esse missas.

68 *Terris*] Id est, mortalibus, cæde propinquorum. *Cælo*] Id est, Diis, cæde natorum, ut Jovi, Sarpedone

Quos mihi! sic Phrygiæ pensamus præmia palmæ.
Hi Veneris mores, hoc gratæ munus alumnæ?
Has saltem, (non Semideos, nostrumque reportant
Thesea,) si quis adhuc undis honor, obrue puppes,
Aut permitte fretum: nulla inclementia: fas sit
Pro nato timuisse mihi: da tollere fluctus,
Nec tibi de tantis placeat me fluctibus unum
Littus, et Iliaci scopulos habitare sepulcri.
Orabat laniata comas, et pectore nudo

Sic pendimus mercedem victoriæ Phrygiæ. Hoc ingenium Veneris, hoc præmium memoris alumnæ? Submerge saltem has naves, si quis honor adhuc est undis, (non hæ revehunt Semideos, et nostrum Thesea,) aut mihi trade pontum: nulla arguar sævitia. Liceat mihi timere pro filio. Da fluctus concitare, nec velis de tanto mari me incolere unam ripam, et scopulos tumuli Iliaci. Orabat lacerans vultum, et

---

'Nihil mutandum ab hac lectione, licet sint libri, qui *pelagoque* malint.' *Barth. pelagoque daturus* Lang. Laur. Buslid. Petrens. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Gevart. et recentt.—72 'Unus e veteribus: *si quis adhuc nubit honor;* unde elegantiorem lectionem eruo: *nobis honor.*' Bern. Nonnulli codd. Lindenbrogii: *undis humor.*—74 Put. *da pellere fluctus.* Locus tenebricosus, et fortasse non sanus.' *Bern.*—77 *Orbat laniata genas* Exc. Burg. Petrens. Vossianus, Dan. Put. Petav. Lindenbrog. et Cruc. ita quoque codex

NOTÆ

filio occiso, Auroræ, Memnone filio, Marti, Cycno filio peremtis.

69 *Quos mihi*] Prævidebat enim mortem Achillis in hoc bello. *Sic Phrygiæ pensamus præmia palmæ, &c.*] Invidiose in Venerem, quam ingrati animi accusat, cum, nata et educata in mari, non habuerit rationem salutis Achillis Thetidis filii, qui in bello Trojano periturus sit. *Phrygiæ palmæ*] Id est, victoriæ, quam reportavit Venus judice Paride.

70 *Alumnæ*] In mari natæ et educatæ. Ferunt enim Poëtæ virilia Cœli a Saturno filio falce amputata in mare decidisse, eorumque sanguine et spuma maris procreatam esse Venerem.

71 *Non Semideos*] Ut erant Argonautæ, quorum plerique filii erant Deorum, aut genus ducebant a Diis, ut Hercules, Dioscuri, aliique. *Nostrum Thesea*] Quia Theseus credebatur esse filius Neptuni.

73 *Aut permitte fretum*] Supple mihi, ut possim illud concitare. *Nulla inclementia; fas sit Pro nato timuisse mihi*] Omnes enim metus pro filio justi sunt.

75 *Nec tibi de tantis placeat me fluctibus unum Littus, et Iliaci scopulos habitare sepulcri*] Ne tibi placeat, o Neptune, ut, cum sim Dea, cui totum pelagus sedes est et domicilium, cineres ac tumulus filii uni littori me affixam teneant. *Iliaci scopulos sepulcri*] Id est, promontorium Sigeum in Troade, juxta quod Achillis erat templum et sepulcrum. Noster v. Syl. Pietate Abascantii: 'Aut exsiccata fatiscet Mater Achilleis hyemes affrangere bustis.'

77 *Laniata comas, et pectore nudo*] Ut fit in maximo luctu.

Cœruleis obstabat equis: tunc ductor aquarum
Invitat curru, dictisque ita mulcet amicis:
Ne pete Dardaniam frustra, Theti; mergere classem.
Fata vetant: ratus ordo Deis, miscere cruentas
Europæque Asiæque manus, consultaque bella
Jupiter et tristes edixit cædibus annos.
Quem tu illic natum Sigeo in pulvere? quanta
Aspicies victrix Phrygiarum funera matrum?
Cum tuus Æacides tepido modo sanguine Teucros

opponebat se detecto pectore marinis equis. Tunc moderator undarum illam rogat, ut ascendat currum, et ita consolatur benignis verbis: Theti, ne poscas incassum obruere classem Dardaniam. Fata prohibent: statutum est Superis commiscere sanguineas acies Europæ et Asiæ. Hæc bella decreta sunt, et Jupiter edixit annos tristes cædibus. Qualem tu cernes illic filium in campo Sigeo? Quantos luctus matrum Phrygiarum, ex illius victoria? cum tuus Æacides, nunc calido cruore inunda-

T. R. quem citat vir quidam doctus in Obss. Misc. Tom. IV. p. 394. *laniata comas* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Venett. Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Gevart. Grasser. et recentt. *laniata gene* codex Burmanni. Cf. Ovid. Heroid. Epist. V. 72. et Lucan. II. 39. Vide etiam Nic. Heins. ad Ovid. Heroid. Epist. XI. 92.—78 Dan. Put. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. et Gevart. *tunc rector aquarum;* Petrens. Exc. Burg. Vossian. codex T. R. Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *tunc ductor aquarum.*—81 *Fata verant* Put. *ratus ordo Deum* Exc. Burg. nonnulli codd. Heinsii, Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. et Gevart. *ratus ordo Deis* Petrens. codex T. R. Dan. Put. Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Lindenbrog. Cruc. et recentt. probante Heinsio in Adverss. lib. IV. cap. 17. p. 540.—83 Edd. vett. *sedibus annos.*—84 *Quantum illic* Exc. Burg.—86 Petrens. *tepidos modo sanguine Teucro ;* Dan. Put. Patav. Lindenbrog. et Cruc. *trepidos modo sanguine Teucro;* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Burm. Exc. Burg. et edd. vett. *tepido modo sanguine Teucros;* Romana: *tepi-*

NOTÆ

80 *Dardaniam*] Id est, Trojanam.

81 *Miscere cruentas Europæ Asiæque manus*] Bello enim Trojano Asia et Europa inter se commissæ sunt.

82 *Europæ*] Europa una ex tribus partibus veteris orbis: ab Oriente divisa ab Asia, Mari Ægæo, Hellesponto, Propontide, Bosphoro Thracio, Ponto Euxino, Bosphoro Cimmerio, Mæotide palude, ac fluvio Tanai, lineaque ducta ab eodem ad ostium Obii fluminis. A meridie vero ab Africa Mari Mediterraneo, totaque terminata Oceano a Septemtrione et Occidente. *Asiæque*] Asia una etiam pars veteris orbis, major ceteris duabus, terminata ab Occidente, et divisa ab Europa iis finibus, quas supra posuimus inter illam et Europam, a Meridie vero terminata Mari Mediterraneo, et Mari Indico, a Septemtrione vero Mari Glaciali et Orientali.

83 *Annos*] Decem scilicet.

84 *Sigeo*] Id est, Trojano, a Sigeo promontorio Troadis.

86 *Æacides*] Achilles ab avo Æaco.

Undabit campos, modo crassa exire vetabit
Flumina, et Hectoreo tardabit funere currus,
Impelletque manu nostros, opera irrita, muros.
Pelea jam desiste queri, thalamosque minores,
Credideris peperisse Jovi: nec inulta dolebis,
Cognatis utere fretis: dabo tollere fluctus,
Cum reduces Danai, nocturnaque signa Caphareus
Exeret, et dirum pariter quæremus Ulixem.
Dixerat: illa gravi vultum demissa repulsa,
Quæ jam excire fretum, et ratibus bellare parabat
Iliacis, alios iterum commenta paratus,

bit agros Trojanos, nunc prohibebit fluere amnes repletos corporibus, et reddet currum suum tardiorem cadavere Hectoris, et manu destruet muros, quos vano labore construximus. Jam desine queri, quod Peleo nupseris, nec incuses humilius matrimonium, putabis genuisse de Jove. Inulta non mœrebis. Assume consanguineas aquas. Sinam te undas movere, cum Græci revertentur, et Caphareus elevabit nocturnas faces, et una insequemur invisum Ulyssem. Dixerat. Illa, quæ jam se præparabat ad commovendum mare, et ad bellum inferendum navibus Iliacis, dejecit vultum ob acerbum repulsam, et excogitans rursus alias artes, deflectit mœsta lucer-

dos modo sanguine Teucros. 'Quid si legatur: *Cum tuus Æacides tepido modo sanguine Teucrum Undabit campos.*' Burm.—88 Put. *tardavit funere.*—97 'In

NOTÆ.

87 *Undabit*] Pro 'inundabit.' *Modo crassa exire vetabit Flumina*] Nempe multitudine occisorum.

88 *Hectoreo funere*] Achilles enim alligavit currui corpus Hectoris, ac ter circum tumulum Patrocli traxit.

89 *Nostros muros*] Neptunus enim et Apollo construxisse dicuntur muros Trojæ. *Opera irrita*] Vel quia Neptunus et Apollo fraudati fuerant a Laomedonte mercede pacta pro construendis muris Trojæ: vel quia hi muri resistere non potuerunt conatibus Achillis ac Græcorum.

90 *Pelea jam desiste queri*] Id est, ne queraris, quod Peleo mortali nupseris.

91 *Credideris peperisse Jovi*] Tot enim ac tanta facinora edet in hoc bello filius tuus Achilles, ut illum non de Peleo, sed de Jove concepisse credas. *Inulta*] Nam multi Græcorum redeuntes in patriam gravi naufragio perierunt.

92 *Cognatis fretis*] Quia Thetis Dea marina.

93 *Cum reduces Danai, nocturnaque signa Caphareus Exeret*] Tangit fabulam, qua dicitur Nauplius, ob interfectum a Græcis, Ulyssis fraude, Palamedem filium, eos Troja diruta domum redeuntes, dum noctu procella laborarent, face exerta e Caphareo Eubœæ insulæ promontorio, in saxa et scopulos attraxisse, ubi multi naufragium fecerunt.

94 *Et dirum pariter quæremus Ulixem*] Neptunus ob filium Polyphemum excæcatum, Thetis vero, quod Ulysses Achillem ad bellum adduxerat.

97 *Iliacis*] Trojanis.

Tristis ad Hæmonias detorquet brachia terras.
Ter conata manu, liquidum ter gressibus æquor
Repulit, et niveas feriunt vada Thessala plantas.
Lætantur montes, et connubialia pandunt
Antra sinus, lateque Deæ Sperchios abundat
Obvius, et dulci vestigia circuit unda.
Illa nihil gavisa locis, sed cœpta fatigat
Pectore consilia, et solers pietate magistra
Longævum Chirona petit: domus ardua montem
Perforat, et longo suspendit Pelion arcu.
Pars exhausta manu, partem sua ruperat ætas.

tos ad regiones Æmoniæ. Ter manu enisa est, ter rejecit natando liquidum pontum, et vada Thessaliæ pulsant candidos pedes ejus. Montes exultant, et conjugales specus aperiunt sua receptacula, et Sperchios Deæ obvius late intumuit, et ambit blanda aqua ejus pedes. Illa nihil lætata est his plagis, sed versat animo inchoatum propositum, et ingeniosa pietate duce tendit ad senem Chironem. Alta domus perforat, et suspensum tenet Pelion longo fornice: pars hujus montis excavata manu fuerat: partem series annorum exederat. Vestigia tamen, lectique Deo-

membranis est: *igitur commenta paratus:* tantundem rei est.' *Barth. iterum errata paratus* Exc. Burg.—100 *Repulit et teneras* Exc. Cantab. *Impulit et niveas* Exc. Burg. Vide Not. Var.—104 ' In Francisci Modii libro fuit: *nihil gavisa loci;* quod probat ipse Epist. 52. Novantiq. Nostri libri nihil mutant, quibus assentimur.' *Barth.* Et sic meliores codd. Gronovii; quem vide in Diatr. p. 391. ed. Hand. Vide etiam Burmannum ad Lucan. v. 52. Codex T. R. *sed cœpta fatigant;* unde V. D. in Obss. Misc. Tom. IV. p. 394. conj. *sed*

NOTÆ

98 *Hæmonias*] Thessalicas. Thessalia enim prius ' Hæmonia ' dicta.

99 *Ter conata manu*] Natantis gestum exprimit.

101 *Lætantur montes*] Ob adventum scilicet Thetidis, quia ibi nupserat. *Connubialia Antra*] In quibus nuptiæ ejus celebratæ fuerant.

102 *Sperchios*] Sperchius fluvius Thessaliæ, qui, teste Strabone, Pelio monte effusus, rapidissimo cursu in Maliacum sinum se exonerat. Huic Achilles comam suam voverat. Noster Coma Earini: ' Et quam Sperchio tumidus servabat Achilles.' Hic fluvius Polydoram Achillis sororem duxit uxorem, et ex ea suscepit Menestium. Mos Poëtarum est dare sensum, et affectum locis. Sic Virgilius: ' Ipsæ te, Tityre, pinus, Ipsi te fontes, ipsa hæc arbusta vocabant.'

104 *Illa nihil gavisa locis*] Ut quæ solicita esset de Achille.

106 *Chirona*] Supra diximus Achillem ad Chironem missum fuisse. *Domus ardua montem Perforat, &c.*] Describit domum Chironis, et partim natura, partim opera hominum constructam refert: erat autem ad Pelii montis radices.

107 *Pelion*] Montem Thessaliæ, de quo sæpius diximus.

Signa tamen, Divumque tori, et quem quisque sacrarat
Accubitu, genioque, locus monstrantur: at intra
Centauri stabula alta patent, non æqua nefandis
Fratribus: hic hominum nullos experta cruores
Spicula, nec truncæ bellis genialibus orni,
Aut consanguineos fracti crateres in hostes;
Sed pharetræ insontes, et inania terga ferarum.
Hæc quoque dum viridis; nam nunc labor unus inermi,
Nosse salutiferas dubiis animantibus herbas,
Aut monstrare lyra veteres heroas alumno.

rum, ac sedes, quam eorum quisque sacraverat numine et accubitu suo, ostenduntur. At intra patent celsa stabula Centauri longe dissimilia stabulis nefandorum fratrum. Hic nullæ hastæ sanguine hominum tinctæ, nec orni fractæ in nuptialibus pugnis, aut rupta pocula in inimicos cognatos; sed innoxiæ pharetræ, et pelles bestiarum. Has quoque pharetras pertrectaverat, dum ætas vigebat; nam nunc inermi unicum erat studium noscendi plantas salutares ægrotis animantibus, aut docendi alumnum

cœpta fatigant Pectora.—110 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. *locū monstratur.*—114 *Nec consanguineos* Exc. Burg.—116 'Scribendum cum membranis: *tum viridis.*' Barth. Idem Barthius ex duobus scriptis profert: *Hæc quoque tum*

NOTÆ

109 *Signa tamen, Divumque tori, &c.*] Ad nuptias enim Pelei et Thetidis convocatos fuisse omnes Deos Deasque, excepta Discordia, fabulantur Poëtæ.

110 *Genioque*] Vide Equum Domitiani vs. 69.

111 *Centauri*] Chironis. *Nefandis Fratribus*] Id est, stabulis reliquorum Centaurorum, qui semper feroces impiique describuntur.

112 *Hic*] In antro scilicet Chironis.

113 *Nec truncæ bellis genialibus orni*] Id est, nuptialibus, ut accidit in nuptiis Pirithoi, ad quas invitati Centauri, vino pleni, Hippodamiam ejus sponsam rapere voluerunt: unde orta est inter eos et Lapithas atrocissima pugna, in qua deficientibus telis ac poculis, Centauri arboribus pugnasse dicuntur. Juvenalis: 'Quantas jaculetur Monychus ornos.' In hoc tandem certamine deleti fuerunt omnino Centauri.

114 *Consanguineos hostes*] Id est, Lapithas: nam Centauri erant orti ex Ixione Lapitharum rege, et Nube, quam ei Jupiter supposuit in locum Junonis. Nota fabula. Sed verius: quia Centauri et Lapithæ erant populi Thessaliæ.

115 *Insontes*] Ut quæ solum feras avesque peterent.

117 *Nosse salutiferas dubiis animantibus herbas*] Nam et Chiron medicus erat peritissimus. Invenit herbam, quæ 'Chironeum' appellatur, et aliam quæ 'Centaurion,' quæ omnium morborum remedia promittit, auctore Plinio, qui et Chironem primum Herbariam et Medicamentariam invenisse refert.

118 *Aut monstrare lyra veteres heroas alumno*] Ex more veterum, apud quos præclara facinora heroum ac fortium virorum ad lyram caneban-

Ac tunc venatu rediturum in limine primo
Opperiens, properatque dapes, largoque serenat
Igne domum: cum visa procul de littore mater
Nereis, erumpit sylvis: dant gaudia vires,
Motaque desueto crepuit senis ungula campo.
Tunc blandus dextra, atque imos summissus in armos
Pauperibus tectis inducit, et admovet antris.
Jamdudum tacito lustrat Thetis omnia visu;
Nec perpessa moras: Ubinam mea pignora, Chiron?
Dic, ait, aut cur ulla puer jam tempora ducit
Te sine? num merito trepidus sopor? atraque matri
Signa Deum? magnos utinam mentita timores!
Namque mihi infestos utero modo contuor enses,

canere ad lyram priscos Heroës. At tunc illum expectans in primo domus aditu, cum reverteretur ex venatione, urget prandium et illuminat ædes multo igne. Ut autem longe aspexit matrem Nereidem in ripa, prosiluit e nemoribus: lætitia ei suppeditat vires, et mota longævi ungula sonuit in campo, quem non amplius peragrabat. Tunc blandus manu, et inclinatus in inferiores armos, inducit illam in inopem domum, et excipit in specu. Jamdudum Thetis circuit cuncta silenti intuitu, nec dilationem perpessa: Ubinam, inquit, o Chiron, filius meus est? loquere, aut cur puer transigit ullum tempus sine te? An non somnia me jure exterrent? et infausta genitrici Deorum indicia? utinam falsos metus portendant. Modo enim video gla-



juvenis. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et edd. vett. *nam tunc labor.*—119 *Quem tunc venatu* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. nonnulli Lindenbrogii, Burm. et edd. vett. probante Burmanno; *Ex tunc venatu* Venett. *Et tunc venatu* Dan. Petrens. Put. Petav. Lindenbrog. et Cruc. *Ac tunc venatu* Gronov. typothetico errore, quem correxisse debuit Veen. ex Erratis Gronovianis; *At tunc venenatu* Exc. Burg. T. R. Gronov. in Erratis, Barth. et Delph.—123 *Notaque* Dan. Put. omnes Barthiani, et edd. vett. *Motaque* Exc. Burg. Petrens. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Petav. Venett. 3. 4. Gronov. Barth. Veen. et Delph. Vide Gronov. Diatr. p. 339. ed. Hand. p. 510.—124 Put. *demissus in armos.*—128 *Sunt, ait, aut, &c.* Exc. Burg.—130 *Deum et magnos* Exc. Burg.—131 *Namque modo infestos* nonnulli codd. Lindenbrogii; *Namque modo infestos*

NOTÆ

tur. *Alumno*] Achilli.

119 *Rediturum*] Achillem.

122 *Nereis*] Thetis. *Erumpit*] Subaudi, Chiron.

123 *Desueto campo*] Id est, per quem ire non amplius solebat ob senectutem.

124 *Imos armos*] Id est, inferiores, seu equi: nam superiore parte erat homo, inferiore equus.

126 *Lustrat visu*] Quia ibi Achillem non videbat.

129 *Num merito trepidus sopor*] Agit artificiose cum Chirone, ut Achillem abducat.

Nunc planctu livere manus, modo in ubera sævas
Ire feras: sæpe ipsa (nefas!) sub inania natum
Tartara, et ad Stygios iterum fero mergere fontes.
Hos abolere metus magici jubet ordine sacri
Carpathius vates, puerumque sub axe probato
Secretis lustrare fretis, ubi littora summa
Oceani, et genitor tepet illabentibus astris

dios ventri admotos, nunc meas manus tundendo sugillatas, nunc crudeles bestias irruentes in mammas. Sæpe ipsa (res dira!) videor portare filium sub vacuos Inferos, ut eum denuo mergam in aquas Stygis. Carpathius augur monet avertere hos timores ritu magici sacri, et purgare aquis puerum sub ea cœli plaga, quam magi plurimum probaverunt, ubi sunt extremæ ripæ Oceani, et pater Pontus incalescit

NOTÆ

132 *Livere*] 'Livor' proprie est color plumbeus, qualem contrahunt verberatæ corporis partes.

134 *Et ad Stygios iterum fero mergere fontes*] Thetis dicitur abluisse infantem Achillem aquis Stygiis, ut eum contra vulnera muniret, sed cum oblita esset talos, quibus illum tenebat, mergere, hac parte corporis potuit vulnerari, et a Paride occisus est.

135 *Magici sacri*] Omnia magicis artibus posse fieri credidere veteres, elementa concuti, homines verbis interimi, mentem hominum turbari, lunam e cœlo evocari, flumina sisti, aliaque mira ac stupenda.

136 *Carpathius vates*] Proteus sic dictus a Carpatho, insula inter Ægyptum et Rhodum, quæ nomen dedit Carpathio mari. In hac regnavit Proteus relicta Pallene patria, urbe Thessaliæ, ad quam tamen postea reversus est.

137 *Secretis lustrare fretis*] Aqua marina apta expiationi, ut veteres credebant: purificat enim propter igneam portionem, ut ait Proclus. Unde vulgatus ille Senarius: Κλύζει θάλασσα πάντα τῶν ἀνδρῶν κακά. *Mare purgat omnia hominum mala.* Aristophanes etiam in Pluto notat antiquos mari se expiari solitos. *Ubi littora summa Oceani*] Atlantici, vel Æthiopici. Imitatur Virgilium, qui inducit Didonem sacerdotem ex illis partibus evocantem, qua ab amore Æneæ solveretur: 'Oceani finem juxta, solemque cadentem, Ultimus Æthiopum locus est, ubi maximus Atlas Axem humero torquet stellis ardentibus aptum. Hinc mihi Massylæ gentis monstrata sacerdos.' Potest etiam intelligi Oceanus Britannicus: nam illic arti magicæ magna fides habita est, auctore Plinio lib. XXX. cap. 1. cujus hæc sunt verba: 'Quid ego hæc commemorem in arte, Oceanum quoque transgressa, et ad naturæ inane pervecta. Britannia hodieque eam attonite celebrat tantis cærimoniis, ut dedisse Persis videri possit.' Vide Plinium hoc loco, Strabonem, ac Laërtium de origine magiæ, quæ primum orta est in Perside per Zoroastrum, ac deinde in omnes terras propagata. *Mokh,* unde deductum nomen 'magi' apud Persas, sapientem significat.

138 *Illabentibus astris*] Sic loquitur ex sententia vulgi, qui sidera in mare putat demergi et inde oriri.

Pontus, ubi ignotis horrenda piacula Divis,
Donaque: sed longum cuncta enumerare, vetorque;
Trade magis. Sic fata parens: neque enim ille dedisset,
Si molles habitus et tegmina fœda fateri
Ausa seni: tunc ille refert: Duc, optima, quæso,
Duc genitrix, humilique Deos infringe precatu.
Nam superant tua vota modum, placandaque multum
Invidia est: non addo metum, sed vera fatebor:
Nescio quid magnum (nec me patria omina fallunt)
Vis festina parat, tenerosque supervenit annos.
Olim ferre minas et obire audita solebat
Imperia, et nostris procul haud discedere ab antris.
Nunc illum non Ossa capit, non Pelion ingens,

astris occidentibus, ubi dira sacrificia et munera fiunt ignotis numinibus. At prolixum omnia recensere, et prohibeor. Sed redde. Sic mater locuta est. Non enim ille Chiron reddidisset, si ausa fuisset confiteri muliebres vestitus, ac turpia tegumenta. Tunc ille respondit: Duc, mater optima, duc et flecte, oro, numina summissis votis: nam filius tuus excedit modum, et invidia Deorum lenienda est. Non augeo timorem, sed verum dicam: propera virtus (nec me decipiunt paterna vaticinia) portendit nescio quid ingens, et supergreditur mollem ætatem. Solebat initio pati castigationes, et exequi accepta jussa, nec longe pervagari a nostris cavernis. Nunc Ossa non continet illum, nec excelsus Pelion, nec nives Thessaliæ. Ipsi Centauri

utero mihi Exc. Burg.—143 *Ausa foret* Dan. Put. Petav. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant.—145 *Non superant* multi codd. et edd. vett. *Jam superant* duo codd. Barthii; quod ille probat; *Nam superant* Dan. Put. Petav. Lang. Laur. Buslid. Exc. Burg. et Petrens. *placandaque divum* Exc. Burg. Dan. Put. et Petav.—149 Exc. Burg. *et obire mandata solebat.*—156 *Olim equidem*

NOTÆ

139 *Ignotis Divis*] Quorum nomina nulli novere præter magos: vel per *ignotos Divos* manes intelligit. *Horrenda piacula*] Id est, quæ fiunt per νεκυομαντείαν, elicitis umbris aut Diis Inferis. Sunt autem *piacula* sacra quibus expiatur facinus admissum, et quæcumque purgationis fiunt gratia.

140 *Vetorque*] A Proteo. Vel quia magia secretum vult.

141 *Magis*] Pro sed. Virgilius: 'Non equidem invideo, miror magis.'

145 *Tua vota*] Achilles tuus. *Placandaque multum Invidia*] Vide Theb. VI. 691. Et Sylv. v. Pietate Abascantii: 'Quisnam impacata consanguinitate ligavit Fortunam Invidiamque Deus? quis jussit iniquas Æternum bellare Deas? nullamne notavit Illa domum, torvo quam non hæc lumine figat, Protinus, et sæva proturbet gaudia dextra?'

147 *Nec me patria omina fallunt*] His, inquit, non fallor, quibus parentes plerumque falluntur, qui multa de filiis augurari atque ominari solent.

151 *Ossa*] Mons Thessaliæ. *Pelion ingens*] Mons etiam Thessaliæ, ut jam

Thessaliæve nives: ipsi mihi sæpe queruntur
Centauri raptasque domos, abstractaque coram
Armenta, et campis semet fluviisque fugari.
Insidias et bella parant, tumidique minantur.
Olim equidem Argoos, pinus cum Thessala reges
Hac veheret, juvenem Alciden, et Thesea vidi;
Sed taceo: Figit gelidus Nereida pallor.
Ille aderat multo sudore, et pulvere major.
Attamen arma inter, festinatosque labores,
Dulcis adhuc visu, niveo natat ignis in ore
Purpureus, fulvoque nitet coma gratior auro.
Nec dum prima nova lanugine vertitur ætas,

incusant apud me ædes suas expilatas, et abactos palam greges, seque expelli agris, et fluminibus. Moliuntur vim apertam et occultam, et minantur cum formidine. Olim sane vidi juvenem Herculem et Thesea, cum navis Thessala hac veheret principes Argonautas. Sed sileo. Frigidus pallor reddit immotam Nereida. Ille Achilles advenit major, conspersus multo sudore et pulvere. Attamen inter arma et properatas exercitationes gratus adhuc aspectu. Roseus rubor diffunditur per candidum ejus vultum, et cæsaries micat pulchrior fulvo auro: puerilis ejus ætas nondum mutatur



Argivos Venett. 3. 4. *Olim equidem Argolicos* Nic. Heinsius ad Ovid. Tom. I. p. 163. *puppis cum Thessala* in quibusdam scriptis.—157 *Huc veheret* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. et edd. vett. Ita etiam Nic. Heinsius l. l.—159 *Tunc aderat* Petav.—161 Lang. Laur. Buslid. et Lipsian. *niveo*

NOTÆ

diximus. *Ingens*] Nam Dicæarchus vir eruditus, regum cura montes permensus, editissimum omnium, prodidit, MCCL. passuum, ut refert Plinius Nat. Hist. lib. II. cap. 65.

152 *Thessaliæve nives*] Nam cum montes Thessaliæ editissimi sunt, fere semper toto anno teguntur nivibus.

156 *Argoos reges*] Id est, Argonautas. *Pinus Thessala*] Navis Argo fabricata in Thessalia. Vide Theb. v.

157 *Juvenem Alciden*] Id est, Herculem ab Alcæo avo.

158 *Sed taceo*] Voluit dicere: Præstantior visus est.

161 *Dulcis adhuc visu*] Ut cujus naturalis pulchritudo iis exercitationibus non mutata fuerat. *Natat*] Sic diffunditur, ut natare videatur.

162 *Fulvo nitet coma gratior auro*] Herodianus de Commodo: Κόμη ἦν φύσει ξανθὴ, καὶ οὔλη, ὡς εἴποτε φοιτῴη δι' ἡλίου, τοσοῦτον ἐκλάμπειν αὐτῷ πυροειδές τι, ὡς τοὺς μὲν οἴεσθαι ῥίνημα χρυσοῦ προϊόντι ἐπιπάσσεσθαι. *Flava et crispa cæsaries erat, ut in sole ambulanti velut igne quodam rutilaret, sic ut euntem quidam scobe aurea putarent conspergi.*

163 *Nova lanugine*] Quæ incipit 13. vel 14. ætatis anno, ad quod tempus cum pueri pervenerunt, ephebi dicuntur. *Prima ætas*] Pueritia, quæ pubertatem præcedit.

Tranquillæque faces oculis, et plurima vultu
Mater inest: qualis Lycia venator Apollo
Cum redit, et sævis permutat plectra pharetris.
Forte et lætus adest: (o quantum gaudia formæ
Adjiciunt!) fœtam Pholoës sub rupe leænam
Perculerat ferro, vacuisque reliquerat antris
Ipsam, sed catulos apportat, et incitat ungues.
Quos tamen, ut fido genitrix in limine visa est,
Abjicit, exceptamque avidis circumligat ulnis,
Jam gravis amplexu, jamque æquus vertice matri.
Insequitur magno jam tunc connexus amore
Patroclus, tantisque extenditur æmulus actis,

fruticante pilo, oculi blande micant, et magna matris similitudo inest in ejus ore. Qualis Apollo post venationem, cum revertitur e Lycia, et permutat plectrum crudeli pharetra. Forte et hilaris advenit: (o quantum lætitia addit formæ!) confoderat venabulo sub rupe Pholoës enixam leænam, et reliquerat illam in vacua spelunca, sed affert catulos ejus, et irritat eorum ungues. Quos tamen projicit, ut aspexit parentem in caris foribus, et exceptam avidis lacertis complectitur. Jam ponderosus amplexu, et jam æqualis summo capite genitrici. Patroclus sequitur, jam tunc ei devinctus ingenti amicitia, et nititur imitari tanta facinora: par ætute

---

vacat.—164 Petav. *et plurima visu.*—170 Petrens. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *catulos asportat;* codd. vero alii omnes et Venett. 3. 4. *apportat*, sive *adportat.*—174 Gronov. Obss. III. 1. legit: *jam tum connexus.*—175 Exc. Burg. *tantis on?ditur.* Bernartius conj. *tantisque accenditur,* improbante Barthio.—

NOTÆ

164 *Et plurima Mater inest*] Homerus refert speciosissimum omnium Græcorum fuisse Achillem: quod similis fuit matri, quæ ob eximiam formam Jovi placuit.

165 *Qualis Lycia, &c.*] Virgiliana imitatio. Sic Virgilius Æneid. IV. 'Qualis ubi hybernam Lyciam,' &c. Fingunt Poëtæ Apollinem mensibus hybernis apud Pataram Lyciæ urbem, (a qua 'Patareus' dicitur,) æstivis vero apud Delum oracula dare consuevisse.

168 *Pholoës*] Aliqui interpretum hic per *Pholoën* designari volunt montem Arcadiæ ejusce nominis, hincque animum Achillis colligi, qui late longeque a finibus suis vagaretur. Sed potius *Pholoë* nomen est montis, sive sylvæ Thessaliæ: agnoscit enim Valerius Flaccus *Pholoën* in Thessalia.

170 *Incitat ungues*] Id est, incitat catulos apprehendendo ungues, ut ludentes pueri facere solent.

175 *Patroclus*] Menœtii et Sthenetes filius, oriundus Opunte Locrorum oppido; qui cum imprudens, per ludum astragalorum, Cleonymum, seu, ut vult Strabo, Æanem Amphidamantis filium, occidisset, ac solum mutare coactus fuisset, confugit ad Peleum in Thessaliam, a quo benignissime fuit exceptus propter affinitatem, ac Chironi in disciplinam traditus una cum Achille, cum quo arctissima ami-

Par studiis, ævique modis, sed robore longe,
Et tamen æquali visurus Pergama fato.
Protinus ille subit rapido, quæ proxima, saltu
Flumina, fumantesque genas, crinemque novatur
Fontibus. Eurotæ qualis vada Castor anhelo
Intrat equo, fessumque sui jubar excitat astri.
Miratur, comitque senex, nunc pectora mulcens,
Nunc fortes humeros: angunt sua gaudia matrem.
Tunc libare dapes, Bacchæaque munera Chiron
Orat, et attonitam vario oblectamine mulcens,
Elicit extremo chelyn, et solantia curas
Fila movet, leviterque expertas pollice chordas
Dat puero: canit ille libens immania laudum

et studiis, sed multum inferior fortitudine corporis, et aspecturus tamen Trojam simili sorte. Statim ille Achilles injecit se præcipiti saltu in proximum fluvium, et abluit aquis sudantem vultum, et capillos: qualis Castor subit Eurotam anhelanti equo, et excitat hebetutum fulgorem sideris sui. Longævus stupet, et illum pectit, nunc leniter palpans pectus, nunc robustos armos. Lætitia matris illam torquet. Tunc Chiron eam rogat sumere cibum, et dona Bacchi, solans variis delinimentis anxiam. Tandem extrahit citharam, et movet chordas quæ ærumnas mulcent, et tradit puero nervos pollice exploratos. Ille libenter cantat lau-

176 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et edd. vett. *sed robore dispar.*—179 In iisdem libris et Exc. Burg. *crinemque novavit.*—180 *Eurotæ talis* Petrens. *Eurotæ qualis vaga* Put.—184 *Baccheaque* T. R. ut oportet scribi a Βακχεῖος. *Nunc libare dapes bacchæaque* Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant.—185 Put. *varia*

NOTÆ

citia junctus vixit. *Extenditur*] An *accenditur?*

177 *Et tamen æquali visurus Pergama fato*] Uterque enim Achilles et Patroclus in hoc bello Trojano periit: Patroclus ab Hectore occisus, Achilles vero a Paride.

179 *Crinemque novatur Fontibus*] Id est, abluit, quasi renovaturus. *Eurotæ*] Eurotas fluvius Laconiæ.

180 *Castor*] Frater Pollucis, Jovis et Ledæ filius, equitandi peritissimus.

181 *Fessumque jubar*] Alludit ad fabulam, qua dicitur, versantibus in magna tempestate Argonautis, duas stellas stetisse supra capita Castoris et Pollucis, ventosque statim concidisse et tempestatem cessasse.

183 *Angunt sua gaudia matrem*] Lætabatur tanta virtute ac fortitudine filii; torquebatur quod prævidebat hanc illi fore exitiosam.

188 *Canit ille libens immania laudum Semina*] Sic Ovidius Epist. IX. Dejaniræ vs. 83. 'Eximiis pompis immania semina laudum.' Ut ex Puteano codice Nicolaus Heinsius restituit, cum in vulgatis legatur: 'Eximiis pompis præconia summa triumphi.' Claudianus III. Cons. Honorii: 'Hæc

Semina, qui tumidæ superarit jussa novercæ
Amphitryoniades: crudum quo Bebryca cæstu
Obruerit Pollux: quanto circumdata nexu
Ruperit Ægides Minoi brachia tauri:
Maternos in fine toros, Superisque gravatum
Pelion: hic ficto risit Thetis anxia vultu.
Nox trahit in somnos: saxo collabitur ingens
Centaurus, blandisque humeris se innectit Achilles,
Quanquam ibi fida parens, assuetaque pectora mavult.

des magnorum virorum, quomodo Hercules Amphitryonis filius monstra vicerit jussu superbæ novercæ: quo cæstu Pollux occiderit robustum Bebryca: quantis nodis filius Ægei cingens fregerit lacertos tauri Minoi: extremo cantat maternum conjugium, et Pelion Diis oneratum. Thetis solicita hic risit simulato vultu. Nox invitat ad soporem. Magnus Centaurus se prostravit supra lapidem, et Achilles amplectitur dulces humeros; quamvis mater cara adesset, et præfert solitum pectus.

oblectamine nectens. Vide Not. Var.—190 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. et edd. vett. *crudo quo, &c.* i. e. *cruō, crudom, crudum.* Vide Not. Var. 'Scribendum *crudo qui.*' Barth.—196 'Scribe cum manuscriptis *blandusque.*' Barth. Ita habet codex T. R. in Obss. Misc. Tom. IV. p. 395.—197 Post hunc versum sequuntur sex alii in Exc. Burg.

Attigit imbellem Lycomedis Nereis aulam
Sopitum gemino delphine exportat Achillem
Mox rogat attonitum muliebres sumere cultus
Annuit Æacides nec corda ferocia mollit
Didamia corum ducit tunc victus amore
Fœmina ficta datur læto pro munere regi.

NOTÆ

semina laudum Hæc exempla dabat.' *Immania* autem *semina laudum* sunt facta virorum illustrium, quæ veluti sunt *semina laudum:* ingerunt enim audientibus laudis adipiscendæ cupiditatem. Idcirco mos erat apud Græcos præstantium virorum res gestas in conviviis canere, quo audientes ad virtutem inflammarentur. Qui mos etiam apud veteres Gallos observatus.

189 *Tumidæ novercæ*] Junonis.

190 *Amphitryoniades*] Hercules ab Amphitryone patre. Tangit autem hic labores Herculis. *Bebryca*] Id est, Amycum regem Bebrycum, qui cogebat advenas secum cæstibus congredi, victosque occidebat, sed victus ipse a Polluce occisus est.

191 *Pollux*] Castoris frater et Jovis filius.

192 *Ægides*] Theseus filius Ægei. Tangit hic fabulam Minotauri, quem in labyrintho occidit Theseus. *Quanto circumdata nexu*] Papinius noster de eodem Theseo occidente Minotaurum Theb. XII. 'Seseque ipsum monstrosi ambagibus antri Hispida torquentem luctantis colla juvenci, Alternasque manus circum et nodosa ligantem Brachia, et abducto vitantem cornua vultu.'

193 *Superisque gravatum Pelion*] Nuptiis enim Pelei et Thetidis interfuere omnes Dii Deæque, excepta Discordia.

At Thetis undisonis per noctem in rupibus astans,
Quæ nato secreta velit, quibus abdere terris
Destinet, huc, illuc, diversa mente volutat.
Proxima, sed studiis multum Mavortia, Thrace:
Nec Macetum gens dura placet, laudumque daturi
Cecropidæ stimulos: nimium opportuna carinis
Sestos, Abydenique sinus: placet ire per altas
Cycladas: hinc spretæ Myconos, humilisque Seriphos,

At Thetis jacens per noctem in cautibus sonantibus illisu fluctuum, volvit animo quæ secreta filio eligat, quibus in locis illum occultaret. Vicina erat Thracia, sed nimium bello dedita: ferox natio Macedonum non placet, nec Athenienses excitaturi ad consequendam laudem. Sestos, oraque Abydena nimium apta recipiendis navibus. Juvat percurrere excelsas Cycladas; hinc spernitur Myconos et parva Seriphos; Lem-

Codd. Lindenbrogii inserunt: *Explicit Achilleidos liber primus;* cum hoc Argumento:

Ad placidas deportat aquas Thetis anxia natum.
Pelides blandæ renuit genitricis amictus.
Scyriadis tandem patitur correptus ab igne.
Rex Thetidis natum recipit sub imagine falsa.

—198 Codex Gronovii: *At Thetis undosis.* Vide Not. Var.—200 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. *divisa mente volutat.*—204 Burm. *juvat ire per altas,* ex Virgilio.—205 Nic. Heinsius ad Ovid. Heroid. Epist. XXI. 81. conjicit legendum esse: *Myconosque, humilisque Seriphos.* Ejus conjectura confirmatur codice

NOTÆ

201 *Proxima, sed studiis multum Mavortia, Thrace*] Thraces enim semper bellicosissimi habiti: unde Poëtis locus datus est fingendi Martem posuisse sedem in Thracia; hinc 'Mavortia' dicitur.

202 *Macetum*] Id est, Macedonum. Macedonia enim antiquitus 'Macetia' vocata. *Laudumque daturi Cecropidæ stimulos*] Id est, Athenienses, sic dicti a vetustissimo rege Cecrope. *Daturi laudum stimulos*] Quia Athenienses non solum præclaris factis, sed etiam dictis omnes ad virtutem excitaturi erant.

203 *Nimium opportuna carinis Sestos, Abydenique sinus*] Sestos et Abydos ad Hellespontum sitæ sunt, ubi in stadia septem stringitur, et Europam ab Asia dividit: Abydos Asiæ est, Sestos Europæ, de quibus consule Strabonem lib. XIII. De iis jam sæpius diximus. *Opportuna carinis*] Vel ob portus commoditatem, vel quod navigaturi Græci ad Trojam, illo forsan appellerent, unde facile scire potuissent, an Achilles ibi lateret, si illuc deportaretur.

204 *Altas*] Id est, eminentes, et quæ propter editissimos montes longe conspiciuntur a navigantibus.

205 *Cycladas*] Cyclades sunt insulæ in mari Ægæo, sic dictæ quod in orbem objacent: quinquaginta tres numero sunt. Vide Theb. III. 438. *Myconos*] Una e Cycladibus. *Humilisque Seriphos*] Seriphos una e Cycladibus. *Humilis*] Vel quia parva: ut Juvenalis: 'Parvaque Seripho;' nam ejus ambitus, teste Plinio, duodecim tantum millium passuum est, aut re vera abjecta, et parum ferax;

Et Lemnos non æqua viris, atque hospita Delos
Gentibus: imbelli nuper Lycomedis in aula
Virgineos cœtus, et littora persona ludo
Audierat, duros laxantem Ægæona nexus
Missa sequi, centumque Dei numerare catenas.
Hæc placet, hæc timidæ tellus tutissima matri.
Qualis vicino volucris jam sedula partu,
Jamque timens, qua fronde domum suspendat inanem,
Providet hinc ventos, hinc anxia cogitat angues,

nosque infesta hominibus, et Delos frequentata a nationibus. Nuper audierat virgineos conventus esse in pacifica regia Lycomedis, et ripas choreis percrepantes, dum missa fuerat, ut observaret Ægæona tentantem solvere dura vincula, et numeraret centum Dei catenas. Hæc insula placet meticulosæ matri, et visa est ei securissima. Quemadmodum avis diligens jam instante partu, et jam dubitans, quo ramo suspendat levem nidum, observat hinc ventos, hinc solicita reputat serpentes,

T. R.—206 Exc. Burg. *atq3 inhospita Delos,* voluit librarius: *et inhospita Delos;* sed vide Not. Var.—210 *Jussa sequi* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et edd. vett. *Missa sequi* Petrens. Exc. Burg. Dan. Put. Petav. et Venett. 3. 4. Ita quoque Nic. Heinsius ex veteri codice ad Ovid. Tom. II. p. 129. *Dei mutare* Exc. Burg.—214 *Providet in ventos* in iisdem Exc.—219 Codex T. R. *ven-*

NOTÆ

nam, auctore Strabone, lapidosa est. In ea insula educatum Persea referunt a Dicte piscatore, qui adduxisse retibus dicitur arcam, in qua Perseus cum matre Danaë positus erat, quamque pater Acrisius in mare projecerat.

206 *Lemnos*] Insula maris Ionii adjacens Macedoniæ. *Non æqua viris*] Quia Lemniæ omnes mares occiderunt. Vide Theb. v. in quo tota hæc historia refertur. *Hospita Delos*] Delos Cycladum media, et multum celebris templo oraculoque Apollinis, ac mercatu, unde dicitur *hospita gentibus,* quia e toto orbe illuc confluebant populi, tam ad consulendum oraculum, quam propter celeberrimum mercatum.

207 *Imbelli*] Vel quia senex erat Lycomedes rex Scyri insulæ, vel quod ei tantum essent filiæ.

209 *Duros laxantem Ægæona nexus Missa sequi*] Ægæon unus ex Gigantibus, qui contra Deos bellarunt: vocabatur Briareus et Centimanus. In pœnam autem ad Cycladum scopulos alligatus est. Et poëta fingit Thetidem illuc missam fuisse, observaturam, ne vincula dissolveret Briareus. *Missa sequi*] Eleganti Græcismo. Ovidius Ep. Penelopes: 'Te quærere misso Retulerat nato.' Propertius lib. II. El. 16. 'Semper in Oceanum mittit me quærere gemmas.' Cælius Hist. lib. I. 'Celocem in Africam mittit visere locum, ubi exercitum exponat.' Aliique.

210 *Centum catenas*] Quia centimanus. *Dei*] Id est, Neptuni qui Ægæonem ad scopulos illos religaverat.

214 *Ventos*] Ne convellant ac dissipent. *Angues*] Solent enim serpentes irrepere in nidos avium, ac pullos devorare.

Hinc homines: tandem dubiæ placet umbra, novisque
Vix stetit in ramis, et protinus arbor amatur.
Altera consilio superest, tristemque fatigat
Cura Deam, natum ipsa sinu complexa per undas,
An magno Tritone ferat, ventosque volucres
Advocet, an pelago solitam Thaumantida pasci.
Elicit inde fretis, et murice frænat acuto
Delphinas bijuges, quos illi maxima Tethys
Gurgite Atlanteo pelagi sub valle sonora
Nutrierat: nullis vada per Neptunia glaucæ
Tantus honor formæ, nandique potentia: nec plus

hinc homines. Tandem locus umbrosus placet ancipiti, et vix constitit in novis frondibus, et statim arbor diligitur. Altera cura restat deliberanti, et angit mæstam Deam, an ipsa filium gremio complexa, vehat per mare super ingentem Tritonem, an advocet leves ventos, an Thaumantida solitam nutriri aquis. Tandem arcessit mari Delphines bijugos, et frænat eos fræno ex muricibus confecto, quos maxima Tethys illi aluerat in Oceano Atlantico sub strepenti valle maris. Nullis tantus honor est cæruleæ formæ per vada marina, nec major facultas natandi, nec plus pro-

tosve volucres; Put. *ventosus*, ortum proculdubio ex *venosve*.—222 *Tethis* habent Gronov. Barth. Veen. Delph. et Bip. At Græcum est Τηθύς· mater vero

NOTÆ

219 *Tritone*] Vide supra vs. 55. ut Tritoni impositum ferat. *Ventosque volucres*] Quibus ferendum filium committet.

220 *Thaumantida*] Irim Thaumantis filiam, cui gerendum etiam filium tradat. *Pelago solitam pasci*] Ex vulgi opinione, qui credit Irim aquas ex mari haurire, et in sublime ferre, ut in terras refundat. Lucanus: 'Hinc imperfecto complectitur aëra gyro Oceanumque bibit, raptosque ad sidera fluctus Pertulit, et cœlo diffusum reddidit imbrem.'

221 *Murice*] Murex hic intelligitur frænum ex muricibus confectum. Murex etiam sumitur pro summitate saxi, quo sensu usurpavit Virgilius: 'Et acuto in murice remi Obnixi crepuere.' Significat et piscem e concharum genere, et instrumentum ferreum tribus acuminibus, quod spargi consuevit ad impediendos equites.

222 *Maxima Tethys*] Est uxor Oceani: 'maximam' dixit ad differentiam ipsius Thetidis, matris Achillis.

223 *Atlanteo*] Id est, mari Atlantico, quod Africam ab Occidente contingit: sic appellatum est ab Atlante ingenti monte Africæ.

224 *Glaucæ*] Glaucus color proprie piscium est, isque auctore Gellio inter viridem annumeratur. Γλαυκὸς Græce, Latine *viridem* significat.

225 *Nandique potentia*] Sic Plinius de Delphino lib. IX. cap. 8. Velocissimum omnium animalium, non solum marinorum, est Delphinus, ocyor volucre, ocyor telo: ac nisi multum infra rostrum os illi foret, medio pæne in ventre, nullus piscium celeritatem ejus evaderet: sed affert moram providentia naturæ, quia nisi

Pectoris humani: jubet hos subsistere pleno
Littore, ne nudæ noceant contagia terræ.
Ipsa dehinc toto resolutum pectore Achillem
(Qui pueris sopor) Hæmonii de rupibus antri
Ad placidas deportat aquas, et jussa tacere
Littora: monstrat iter, totoque effulserat orbe
Cynthia: prosequitur Divam, celeresque recursus
Securus pelagi Chiron rogat, udaque celat
Lumina, et abreptos subito jam jamque latentes
Erecto prospectat equo, qua cana parumper
Spumant signa fugæ, et liquido perit orbita ponto.
Illum non alias rediturum ad Thessala Tempe

pensionis in homines. Hos imperat manere in plenis ripis, ne contactus terræ aquis destitutæ lædat eos. Mox ipsa de cautibus speluncæ Hæmoniæ fert ad lenes undas Achillem arctissimo somno dormientem, qualis puerorum sopor est, et imperat silere littora. Luna, quæ toto orbe micuerat, ostendit viam. Chiron deducit Divam, petitque velocem reditum, nihil timens mare, tegitque humidos oculos; et sublato equo prospicit illos repente abreptos et jamjam latentes, qua paululum spumant candida cursus vestigia et orbita evanescit in liquido mari. Jam mæsta Pholoë,

Achillis e contra Θέτις. Hoc omnibus notum.—229 *Quis pueris* Exc. Burg. Dan. Put. Petav. et edd. vett.—231 'Concinnius vetus: *effulgurat orbe.*' Bern. 'Melior scriptura membranarum et reducenda: *monstrat iter, totoque adfulgurat orbe Cynthia.* Omnino sic scripsit Papinius.' *Barth.*—233 *Chiron rotat* Put.—234 Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. et nonnulli codd. *et abreptos oculis;* Exc. Burg. *et abreptos subito jam aramque latentes.* Ceteri vero

NOTÆ

resupini ac conversi non corripiunt: qua causa præcipue velocitatem eorum ostendit: nam cum fame conciti, fugientem in vada ima persecuti piscem, diutius spiritum continuere, ut arcu emissi, ad respirandum emicant: tantaque vi exsiliunt, ut plerumque vela navium transvolent.

226 *Pectoris humani*] Id est, affectus: quia Delphinus est homini amicus, ut probant multæ historiæ, quas Plinius, Oppianus, Solinus, Gellius, et Herodotus referunt. *Subsistere pleno Littore, ne nudæ noceant contagia terræ*] Plinius observat ibidem de Delphinis, ipsos solere in terram erumpere incerta de causa: et statim tellure tacta mori.

231 *Totoque effulserat orbe*] Id est, plenilunium erat.

232 *Cynthia*] Diana, seu Luna, quæ eadem est veteribus, sic dicta a Cyntho monte Deli insulæ, in qua nata esse dicitur. *Prosequitur*] Proprio verbo usus est: prosequimur enim abeuntes.

235 *Erecto prospectat equo*] Sic Epithalamio Stellæ: 'Cum Thetin Hæmoniis Chiron accedere terris Erecto prospexit equo.'

237 *Thessala Tempe*] Loca amœna prope Peneum Thessaliæ fluvium. Vide Plinium lib. IV. cap. 8.

Jam tristis Pholoë, jam nubilus ingemit Othrys,
Et tenuis Sperchios aquis, speluncaque docti
Muta senis: quærunt puerilia carmina Fauni,
Et sperata diu plorant connubia Nymphæ.
Jam premit astra dies, humilisque ex æquore Titan
Rorantes evolvit equos, et ab æthere magno
Sublatum curru pelagus cadit: at vada mater
Scyria jamdudum fluctus emensa tenebat,
Exierantque jugo fessi Delphines herili;
Cum pueri tremefacta quies, oculique jacentis
Infusum sensere diem: stupet aëre primo,
Quæ loca? qui fluctus? ubi Pelion? omnia versa

jam caliginosus Othrys, et Sperchios aquis exilibus, et tacita caverna periti Centauri deflent illum Achillem, non alias reversurum ad Tempe Thessala. Fauni quærunt pueriles ejus cantus, et Nymphæ lugent diu speratas nuptias. Jam Aurora occultat sidera, et sol humilis educit e mari humidos equos, et aqua maris curru sublata recidit a lato aëre. At mater, emenso pelago, jamdudum occupabat oram Scyriam, et fatigati delphines soluti fuerant ex herili jugo; cum somnus excussus fuit puero, et jacentis oculi senserunt immissam lucem: stupet primo aëris intuitu, quæ loca hæc sunt? quæ aquæ? ubi Pelion? cernit cuncta mutata, ac sibi ignota, et vix ag-

codd. et edd. ut in textu nostro.—239 *Nec tenuis* codd. Bernartii; *Et senior* Put. *Et tenuis* in ceteris.—244 'Scribendum cum libris: *Sublatum curru.* Male editio Lindenbrogiana, etiam ab Emerico Cruceio repetita: *Sublatum cursu.*' Barth. In uno libro ejusdem Barthii: *ut vada.*—245 Put. *emissa tenebat*; in quibusdam: *permensa tenebat.*—247 'Vera est hæc scriptura; nec opus literam mutari cum membranis unis *jacentes.*' Barth.—249 Exc. Burg. nonnulli Bernartiani, Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *omnia versat*; Dan. Put. Petav. Petrens. omnes Barthiani, Lindenbrog. Cruc. et recentt. *omnia*

NOTÆ

238 *Pholoë*] Vide supra vs. 165. *Othrys*] Mons editissimus Thessaliæ.

239 *Sperchios*] Fluvius Thessaliæ, de quo supra. *Tenuis*] Desiderio scilicet Achillis: nam supra de eodem Sperchio dixerat: 'lateque Deæ Sperchios abundat Obvius.' *Docti senis*] Centauri Chironis.

240 *Muta*] Absente scilicet discipulo. *Fauni*] Dii sylvestres.

241 *Sperata connubia*] Maritum enim Achillem habere speraverant.

242 *Jam premit astra dies*] Describit ortum diei. *Premit*] Id est, occultat: Physicum enim est, ut, veniente die, splendor astrorum solis lumine occultetur; minus enim lumen a majori offunditur. *Humilis*] Qualis esse solet, cum primum ab aquis emergere videtur.

244 *Sublatum pelagus*] Id est, aqua marina, quam currus elevatus in aërem secum trahit. Noster Achill. II. gemina periphrasi usus est: 'Genitorque coruscæ Lucis adhuc hebetem vicina nocte levabat, Et nondum excusso rorantem lampada ponto.'

Atque ignota videt, dubitatque agnoscere matrem.
Occupat illa manu, blandeque affata paventem:
Si mihi, care puer, thalamos sors æqua dedisset,
Quos dabat, æthereis ego te complexa tenerem
Sidus grande plagis, magnique puerpera cœli,
Nil humiles Parcas, terrenaque fata vererer.
Nunc impar tibi, nate, genus, præclusaque leti
Tantum matre via est: quin et metuenda propinquant
Tempora, et extremis admota pericula metis.
Cedamus, paulumque animos summitte viriles,
Atque habitus dignare meos: si Lydia dura
Pensa manu mollesque tulit Tirynthius hastas;
Si decet aurata Bacchum vestigia palla

noscit suam matrem. Illa prævenit manu, et benigne allocuta est timentem. Si æqua sors, dilecte puer, indulsisset nuptias mihi destinatas, ego te complectens tenerem magnum astrum in ætherea domo, et nurus essem magni cœli, nihil reformidarem infimas Parcas, et mortalem sortem. Nunc tibi, fili, origo impar est: et iter mortis tantum præclusum est ex matris parte: quin et tempus cavendum instat, et pericula attingunt ultimum terminum. Cedamus, paulumque reprime viriles spiritus, et sume meas vestes. Si Hercules Tirynthius duxit callosa manu stamina Lydia, et gessit imbelles hastas: si convenit Baccho verrere solum aurata palla: si

versa.—251 Exc. Burg. *blandeque effata paventem est.*—253 Barthius conj. *Quos fata, ethereis ego te, &c.* vel: *Quos Pater, &c.* Exc. Burg. *Quos dedit.*—257 Edd. vett. *quin nunc metuenda.* Mutavit Lindenbrogius cum omnibus codd.—259 Codd. Lindenbrogii: *depone viriles.*—265 In iisdem codd. et Ve-

NOTÆ

254 *Magnique cœli*] Quia Jovis uxor.

255 *Terrena fata vererer*] Pro te scilicet; nam esses Deus, et immortalis.

256 *Impar tibi genus*] Ex parte scilicet patris Pelei, qui mortalis.

257 *Matre*] Ex sola matris parte. *Metuenda propinquant Tempora*] Belli scilicet Trojani, in quo periturum filium acceperat.

260 *Si Lydia dura Pensa manu mollesque tulit Tirynthius hastas*] Tangit fabulam qua dicitur Hercules servisse Omphale Lydiæ reginæ, ac sumsisse vestes fœmineas, pensaque duxisse, cum ipsa calathos, et colum, cultusque fœmineos cum sagittis, clava, leonisque tegmine mutavisset. Vide etiam Theb. XI. *Tirynthius*] A Tirynthe Argolidis urbe, in qua natus perhibebatur. Per *molles hastas* intelligit thyrsos, quos mulieres Bacchantes in Orgiis Bacchi gestabant.

262 *Si decet aurata Bacchum vestigia palla Verrere*] Seneca in Hercule Furente: ‘Non erubescit Bacchus effusos tener Sparsisse crines, nec manu molli levem Vibrasse thyrsum, cum parum forti gradu Auro decorum syrma barbaricum trahit.’ Et Origenes contra Celsum lib. III. re-

Verrere, virgineos si Jupiter induit artus,
Nec magnum ambigui fregerunt Cænea sexus ;
Has sine, quæso, minas numenque exire malignum.
Mox iterum campos, iterum Centaurica reddam
Lustra tibi : per ego hoc decus, et ventura juventæ
Gaudia, si terras, humilemque experta maritum
Te propter, si progenitum Stygos amne severo
Armavi, (totumque utinam !) cape tuta parumper
Tegmina, nil nocitura animo : cur ora reducis ?
Quidve parant oculi ? pudet hoc mitescere cultu ?

Jupiter sumsit virgineam formam, nec dubii sexus emolliverunt fortem Cæneum ; patiaris hæc præsagia et voluntatem adversi numinis præterire. Mox rursum tibi restituam agros et cubilia Centauri. Ego, oro, per hanc formam, et per lætitiam, quam ex juventute tua receptura sum, si propter te dignata sum terras, et mortalem virum, si te, ut natus es, munivi (utinam totum !) austeris Stygis aquis, sume ad breve tempus securos amictus, nihil fracturos tuum animum. Cur retro convertis vultum ? Quidve oculi præ se ferunt ? pudet te mansuescere hoc ornatu ? juro per



nett. 3. 4. *animumque exire.*—267 Exc. Burg. *per ego decus*, omisso pronomine *hoc.* 'Male Lindenbrogii editio voculam *ego*, errore, puto, typographi, omisit.' *Barth.*—269 *Si genitum Stygeos amneque severo* Exc. Burg.—272 In iisdem

NOTÆ

fert Bacchum muliebri amictu indutum esse, vocatque 'Mænalam.' Palla autem erat vestimentum honestarum mulierum ; tunicæ imponebatur, et descendebat usque ad pedes.

263 *Virgineos si Jupiter induit artus*] Jupiter, cum adamaret Calistonem, sumsit vultum et habitum Dianæ, ut facilius ea frueretur. Vide Ovid. Met.

264 *Cænea*] Cænis Thessalica virgo, a Neptuno per vim compressa, ab eo mercedis loco obtinuit, ut in virum mutaretur, ac nullis unquam vulneribus posset sauciari : mutato igitur sexu, mutavit et nomen, et ex Cænide factus est Cæneus. Hic cum Lapithis pugnans contra Centauros vivus suffocatus est, congesta in eum magna arborum copia, cum nullo teli genere vulnerari posset, et in cænidem avem conversus est, ut canit Ovid. Met. XII. 'O salve ... Maxima, vir quondam, sed nunc avis unica.' Virgilius tamen affirmat in muliebrem sexum rediisse Æn. VI. 'It comes et juvenis quondam, nunc fœmina, Cæneus, Rursus et in veterem fato revoluta figuram.'

265 *Minas*] Fatorum, quæ tibi portendunt exitium. *Numenque malignum*] Id est, maligni numinis voluntatem, seu invidiam. Supra : 'Placandaque Divum Invidia.'

268 *Humilemque maritum*] Mortalem.

269 *Si progenitum Stygos amne severo Armavi*] Vide supra vs. 134. *Amne severo*] Styge.

271 *Tegmina*] Muliebrem vestem.

Per te, care puer, cognata per æquora juro,
Nesciet hoc Chiron. Sic horrida pectora tractat
Nequicquam mulcens: obstat genitorque roganti,
Nutritorque ingens, et cruda exordia magnæ
Indolis: effrænæ tumidum velut igne juventæ
Si quis equum primis summittere tentet habenis:
Ille, diu campis, fluviisque, et honore superbo
Gavisus, non colla jugo, non aspera præbet
Ora lupis, dominique gemit captivus inire
Imperia, atque alios miratur discere cursus.
Quis Deus attonitæ fraudes, astumque parenti
Contulit? indocilem quæ mens detraxit Achillem?
Palladi littoreæ celebrabat Scyros honorum

te, care puer, et per cognata æquora, Chiron hoc ignorabit. Sic palpat ferocem, incassum leniens. Pater, magnusque altor, et aspera principia magnæ indolis refragantur precanti. Ut si quis conetur subigere primis frænis equum tumidum fervore indomitæ juventæ; ille, diu lætatus agris, et fluminibus, ac superbus libertate, non tendit cervicem jugo, nec lupato dura ora, doletque captivus capessere jussa domini, et miratur se alios cursus discere. Quod numen subministravit dolos ac calliditatem consternatæ matri? Quæ mens fregit ferocem Achillem? Forte Scyros

Exc. *pudet ne.*—275 Petav. *precanti.*—276 Put. *exordia manent.*—278 Codd. Bernartii et Venett. *captat habenis.*—281 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et edd. vett. *dominique negat;* nonnulli Lindenbrogii: *dominique fremit;* et ita legit Dan. Heinsius ex vet. cod. ad Claudian. Bell. Gild. 330. Petav. Put. et recentt. *dominique gemit.* Vide Not. Var.—282 Petav. *ducere cursus.*—284 Nonnulli codd. Bernartii et Venett. 3. 4. *attraxit Achillem.* Vide Not. Var.

NOTÆ

279 *Campis*] Per quos libere cucurrit. *Fluviis*] Quos tranare consueverat. *Et honore superbo*] Quod adhuc alterius potestati non fuerit obnoxius.

281 *Lupis*] Pro lupatis: nam lupatum frænum est asperrimum, a lupinis dentibus (ut scribit Servius) dictum, qui inæquales sunt. Virgilius: 'Prensique negabunt Verbera dura pati, et duris parere lupatis.'

282 *Alios miratur discere cursus*] Id est, vel alios equos admiratur parere dominis, et ab illis currendi legem accipere: vel se alios cursus discere, quam quos ipse sponte faciebat.

285 *Palladi littoreæ*] Erant enim passim Deorum simulacra in littoribus posita, quibus ob prosperum cursum libabant nautæ. Noster Propemptico Metii de classe Ægyptia, quæ Palladi in Surrentino littore positæ libaverat: 'Prima salutavit Capreas, et margine dextro Sparsit Tyrrhenæ Mareotica vina Minervæ.' Hi Dii Græcis a littore Αἰγιάλιοι, Latinis *Littorales* vocati sunt. Catullus Phaselo: 'Neque ulla vota littoralibus Deis Sibi esse facta.' Tales autem fuerunt Apollo, Hercules, Minerva, &c. qui passim in littoribus culti. Hinc Apollo ἐπάκτιος, id est,

Forte diem, placidoque satæ Lycomede sorores
Luce sacra patriis (quæ rara licentia) muris
Exierant, dare veris opes, Divæque severas
Fronde ligare comas, et spargere floribus hastam.
Omnibus eximium formæ decus: omnibus idem
Cultus, et expleto teneri jam fine pudoris
Virginitas matura toris, annique tumentes.
Sed quantum virides pelagi Venus addita Nymphas
Obruit, aut humeris quantum Diana relinquit
Naides, effulget tantum regina decori
Deidamia chori, pulchrisque sororibus obstat.

agebat diem festum in honorem Minervæ littoralis, et filiæ mitis Lycomedis egressæ fuerant die sacra e paternis ædibus, (quod raro licebat,) ut offerrent Deæ austeræ primitias veris, et vincirent ramis ejus capillos, ac redimirent sertis ejus hastam. Omnes erant eximia forma, idem ornatus omnibus, et peracta ætate teneræ pueritiæ tumida virginitas et apta matrimonio. Sed quantum Venus adjuncta cœruleis maris Nymphis eas superat, aut quantum Diana supereminet totis humeris Naiadas, tantum emicat Deidamia princeps formosæ turbæ, et obscurat pulchras sorores.

—287 *Luce sacra (patriis quæ rara licentia) muris* Aldd. Colin. Gryph. et Basil. —288 *Divæque pucuis* Exc. Burg. Voluit forsan librarius *perunctas*, quod scribi solet *pũctus*.—292 Exc. Burg. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Petav. Venett. 3. 4. Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. et Cruc. *animique tumentes*, improbante Barthio; Put. et codd. Barthii, Gronov. Barth. Veen. et Delph. *annique tumentes*. Vide Theb. II. 204. Correctum sic voluit etiam Fr. Modius Novantiq. Epist. 52.—294 Exc. Burg. *quantumcunque Diana reliquit*.—295 *Naiadas* in iisdem.—296 In iisdem: *sororibus abstat*.

NOTÆ

littoralis. Immo et 'Actiacus' dictus Apollo quibusdam, ab 'acta,' id est, littore. Sic et Pallas *littorea* hic, vel quia templum Palladis in littore, ut infra: 'Scyros erat, placidique super Tritonia custos Littoris.'

286 *Placidoque satæ Lycomede sorores, &c.*] Quia Palladis sacra a virginibus celebrabantur, quod ea Jovis filia, et virgo, et innupta putabatur.

288 *Exierant, dare*] Sermo figuratus, id est, ut darent. *Veris opes*] Id est, serta ex floribus, et veris primitias. *Severas*] Pro ipsius 'severæ.' *Severas* autem, quia respuit nuptias, et bello præsidet.

292 *Annique tumentes*] Vide quæ diximus ad illum versum Theb. II. 'Tumida jam virginitate jugari.' Legunt alii: *animique tumentes*. Formosæ enim plerumque superbæ sunt.

293 *Virides Nymphas*] Nereides.

294 *Obruit*] 'Obruere' hic obscurare. Tacitus Vita Agricolæ: 'Cum Cerialis quidem alterius successoris famam curamque obruisset.' Ita Græci καταχοῦν sumunt.

295 *Naides*] Fluviorum et fontium Deas. *Regina*] Id est, ducens chorum.

296 *Deidamia*] Omnes scriptores hanc Lycomedis filiam Deidamiam

Illius et roseo flammatur purpura vultu,
Et gemmis lux major inest, et blandius aurum.
Atque ipsi par forma Deæ, si pectoris angues
Ponat, et exemta placetur casside vultus.
Hanc ubi ducentem longe socia agmina vidit
Trux puer, et nullo temeratus pectora motu;
Diriguit, totisque novum bibit ossibus ignem.
Nec latet haustus amor, sed fax vibrata medullis
In vultus atque ora redit, lucemque genarum
Tingit, et impulsum tenui sudore pererrat.
Lactea Massagetæ veluti cum pocula fuscant

Purpura accenditur ex rosea illius facie, et gemmæ fiunt splendidiores, et aurum gratius. Et similis pulchritudine ipsi Minervæ, si deponat serpentes pectoris, et facies ejus mitescat ademta casside. Cum ferox puer, qui nullum antea motum amoris senserat, hanc e longinquo aspexit, agentem sociam turbam, diriguit et hausit cunctis ossibus recentem flammum. Nec amor, quem hauserat, occultatur, sed fax medullis injecta, redit in ejus vultum et os, et suffundit rubore candidas ejus malas, et pervagatur levi sudore commotum. Ut cum Massagetæ fuscant lacteos cra-

—298 Lang. *et blandior auro.*—299 Put. *forma deest.*—300 Exc. Burg. *et erepta.* Dan. Heinsius ad Claudian. Rapt. Pros. II. 147. legendum dicit: *et exemta pacetur casside vultus.*—306 *Tingit et impulsam* nonnulli codd. Bernartii, Dan. Put. Petav. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. et Cruc.—307 Dan. Heinsius ad Claudian. Rapt. Pros. II. 96. legendum putat:

NOTÆ

vocant: solus Manasses Constantinus eam Hippodamiam appellat.

298 *Gemmis et blandius aurum*] Id est, gemmis ipsis ac auro, quibus ornabatur Deidamia, accessit gratia ex illius pulchritudine.

299 *Deæ*] Id est, Palladi, quam formosissimam tradunt poëtæ. *Si pectoris angues Ponat*] Ægidem, tegumentum pectoris, in cujus medio caput erat Gorgonis, anguibus crinitæ.

300 *Exemta placetur casside*] Nam Dea, cum benigna vult videri, dicitur deponere Ægida et galeam. Pro *placetur*, quidam legunt *pacetur.*

303 *Totisque novum bibit ossibus ignem*] Virgilius: 'Atque ossibus implicat ignem,' id est, amorem.

307 *Massagetæ*] Massagetæ sunt populi Scythiæ Asiaticæ ultra mare Caspium et fluvium Jaxartem, Orientem versus, qui cum per deserta discurrunt, equorum suorum sanguinem in sinistri pedis vena haustum potant. Lucanus: 'Longaque Sarmatici solves jejunia belli, Massagetes quo fugit equo, volucresque Geloni.' Claudianus in Rufinum: 'Et qui cornipedes in pocula vulnerat atrox Massagetes.' Idem de Bisaltis, Sarmatis, et Gelonis dicitur. Martialis: 'Venit et epoto Sarmata pastus equo.' Virgilius: 'Bisaltæ quo more solent, acerque Gelonus Cum fugit in Rhodopen, atque in deserta Getarum, Et lac concretum cum sanguine potat equino.' Mas-

Sanguine puniceo, vel ebur corrumpitur ostro:
Sic variis manifesta notis palletque rubetque
Flammare cens: eat, atque ultro ferus hospita sacra
Discutiat turbæ securus, et immemor ævi,
Ni pudor et junctæ teneat reverentia matris.
Ut pater armenti quondam, rectorque futurus,
Cui nondum toto peraguntur cornua gyro,
Cum sociam pastus niveo candore juvencam
Aspicit, ardescunt animi, primusque per ora
Spumat amor, spectant hilares, optantque magistri.
Occupat arrepto jam tempore conscia mater:
Hosne inter simulare choros, et brachia ludo

teres purpureo cruore, vel ebur inficitur murice. Sic novus ignis patefactus diversis signis nunc pallescit, nunc rubet. Ivisset, et fortis ipse disturbasset hospitalia sacrificia, turbam contemnens et puerilis ætatis oblitus, nisi verecundia, et reverentia præsentis matris repressisset illum. Ut juvencus, postea admissarius, et ductor futurus, cui cornua in orbem nondum plene curvantur, cum cernit vaccam una pascentem, præditam niveo candore, cor flagrat, et primus amor ducit spumam ex ore: pastores læti spectant et cupiunt, ut ineat illam. Genitrix conscia amoris filii opportune prævenit: Tibine est molestum, fili, sexum fingere inter has virgines, et

veluti cum pocula fucant.—308 Dan. Put. et Petav. *corrumpitur auro.*—310 *Flamma repens* duo codd. Lindenbrogii.—311 *Dissiceat turbæ* Dan. Put. et Petav.—312 *Ni pudor et vinctæ* Exc. Burg. solenni errore.—313 Put. *ductorque futurus.*—317 In eodem codice: *obstantque magistri.*—319 *Hasne inter*

NOTÆ

sagetæ tantummodo solem colebant, eique equum immolabant, ceteros Deos neglectui habebant. Apud hos senio confecti in frusta cædebantur et cum ovillis carnibus promiscue edebantur. Eos, qui morbo moriebantur, ut impios abjiciebant, et dignos qui a belluis devorarentur. Hi populi maxime inclaruerunt victo et occiso Cyro Persarum rege. *Fuscant*] Quidam legunt *fucant.*

308 *Vel ebur corrumpitur ostro*] Id est, notis purpureis distinguitur, quod Lydiæ mulieres facere solebant. Ovidius: 'Mæonis Assyrium fœmina tingit ebur.' *Corrumpi* autem *et violari* dicitur, quoniam propriam et naturalem pulchritudinem amittit. Virgilius: 'Indum sanguineo veluti violaverit ostro Si quis ebur.' Ex Homero Iliad. Δ. Ὡς δ' ὅτε τίς τ' ἐλέφαντα γυνὴ φοίνικι μιήνῃ Μῃονὶς, ἠὲ Κάειρα.

311 *Ævi*] Puerilis ætatis.

314 *Nondum toto peraguntur cornua gyro*] Nondum in gyrum conversa.

315 *Sociam pastus*] Vaccam cum qua pascit.

316 *Primusque per ora Spumat amor*] Primum amoris signum est spuma, quæ per os diffunditur.

317 *Optantque magistri*] *Optant*, ut eam ineat. *Magistri*] Pastores. Virgilius: 'Pan curat oves, oviumque magistros.'

318 *Conscia mater*] Nam notaverat amorem filii.

Nectere, nate, grave est? gelida quid tale sub Ossa,
Peliacisque jugis? o si mihi jungere curas,
Atque alium portare sinu contingat Achillem!
Mulcetur, lætumque rubet, visusque superbos
Obliquat, vestesque manu leviore repellit.
Aspicit ambiguum genitrix, cogitque volentem,
Injecitque sinus: tunc colla rigentia mollit,
Summittitque graves humeros, et fortia laxat

illigare lacertos choreis? quid simile sub frigida Ossa, et cacuminibus Pelii montis? O si mihi eveniat addere curam curæ, et ferre gremio alium Achillem! Lenitur ille, gaudensque erubuit, et detorquet superbos oculos, et rejicit fœmineas vestes mitiore manu. Mater hunc videt dubium, et cogit non repugnantem, et injecit illi vestes muliebres. Tunc mollit rigidum collum, demittitque fortes humeros, et laxiores

malit Gronovius.—321 Gronov. Diatr. p. 94. legit: *o si mihi jungere curam, Atque alium portare sinum, &c.*—323 Exc. Burg. *lætusque rubet vultusque protervos;* vetus codex Bernartii idem habet: omnes fere codd. et edd. vett. *lætusque rubet.* Unus Lindenbrogii: *lætumque rubet.* Vide Not. Var. *lætusque rubet visusque paternos* Burm.—325 Aldd. Colin. Gryph. et Basil. *cogitque vulentem;* V. D. in Obss. Misc. Tom. II. p. 77. conj. *cogique volentem:* et sic conj. etiam Heinsius.—326 *Innectitque sinus* duo codd. et Rom. unde idem V. D. in Obss. Misc. l. l. conj. etiam: *cogitque volentem Innectitque sinu?* Denique

NOTÆ

319 *Simulare*] Te esse fœminam. *Et brachia ludo Nectere*] Saltantium gestum expressit. Horatius: 'Nec dare brachia Ludentem nitidis virginibus, sacro Dianæ celebris die.'

320 *Gelida Ossa*] Mons Thessaliæ; *gelida,* quia Septemtrioni expositus hic mons.

321 *Peliacisque jugis*] Vide supra. *O si*] Illud *o si* optantis est. Persius: 'O si Ebullit patrui præclarum funus, et o si,' &c. *Jungere curas*] Quam optarem addere curam curæ, id est, ex te nepotem habere! avis enim non minori curæ esse solent nepotes, quam filii.

322 *Alium Achillem*] Id est, natum ex te, tibi similem. Dido apud Virgilium: 'Si quis mihi parvulus aula Luderet Æneas.'

323 *Lætumque rubet*] Erubescunt et non læti, cum indignantur, et aliquid moleste ferunt. *Superbos*] Priusquam victus fuisset pulchritudine Deidamiæ. Notat Gronovius loco *superbos* esse in membranis *protervos.*

324 *Obliquat*] In obliquum convertit, ut erubescentes faciunt. *Vestes*] Muliebres scilicet. *Manu leviore*] Ut qui jam amori cedebat.

325 *Cogitque volentem*] Qui nolle videri volebat.

326 *Injecitque* [*Innectitque*] *sinus*] Id est, vestem amplam et sinuosam, qualis est fœminarum. Sex Gruteri codices, et aliquot Gronovio inspecti, habent: *Injecitque sinus.* Quod magis ob oculos ponit occupantem tempus Thetidem, et festinantem. Plauto: 'Conjicere in humeros pallium.' *Rigentia*] Aspera, qualia virorum.

327 *Summittit graves humeros*] Id est, docet humeris esse summissioribus, ut fœminam decet; qualis solet

Brachia, et impexos certo domat ordine crines,
Ac sua dilecta cervice monilia transfert,
Et picturato cohibet vestigia limbo.
Incessum, motumque docet, fandique pudorem.
Qualiter artificis victuræ pollice ceræ
Accipiunt formas, ignemque, manumque sequuntur,
Talis erat Divæ natum mutantis imago.
Nec luctata diu: superest nam plurimus illi
Invicta virtute decor, fallitque tuentes
Ambiguus, tenuique latens discrimine sexus.
Procedunt, iterumque monet, rursumque fatigat
Blanda Thetis: Sic ergo gradus, sic ora, manusque,
Nate, feres, comitesque modis imitabere fictis;
Ne te suspectum molli non misceat aulæ

facit robustos lacertos: et subigit certa dispositione incomtos crines, et transfert sua monilia in carum ejus collum, et circumdat ejus pedes limbo acupicto. Instruit illum, quomodo incedere debeat, ac se movere, et ut loquatur pauca. Ut duraturæ ceræ sumunt formas sub pollice artificis, et sequuntur ignem, et ejus manum, talis erat species Deæ mutantis filium; nec valde laboravit: nam præter invictam fortitudinem inerat illi eximia forma, dubiusque et latens sexus, obscuro discrimine, decipit aspicientes. Progrediuntur, et blanda Thetis rursus eum docet, et fatigat nimis repetendo. Sic ergo incedes, sic geres caput, manusve, et imitaberis socius simulatis modis, ne rex te suspectum non inducat in fæmineam aulam, et commenta

tentabat: *comitque volentem Injecitque sinus.* Put. *colla recentia.*—328 Exc. Burg. *impessos domat certe;* Put. *impexos certo donat.*—331 *Incassumque modumque* Exc. Burg.—332 *Qualiter artifici* codd. Lindenbrogii; *artificis juncturæ*, vel *vincturæ* Exc. Burg.—338 Put. Lang. et Barthiani: *iterumque monet iterumque fatigat;* Petav. *iterumque monens rursumque fatigans;* Exc. Burg. *rursumque monet iterumque fatigat.*—339 *Sic ego gradum* codex T. R. et ita

NOTÆ

esse cura matrum. Unde Terentius: 'Quas matres student demissis humeris esse, vincto corpore ut graciles sient.' *Et fortia laxat Brachia*] Id est, laxa facit, et veluti soluta et debilia, qualia decent puellam.

328 *Impexos*] Gronovius legit *implexos* ex Ms.

330 *Limbo*] Limbus fascia est, quæ ambit extremitatem vestis.

331 *Fandique pudorem*] Ut parce loquatur.

333 *Ignemque, manumque sequuntur*] Nam ad ignem opus hoc exercetur.

336 *Invicta virtute decor*] Ita omnes codices. Gronovius contendit legendum *invita*, id est, dedignante et avertente pulchritudinis laudem, ut de Parthenopæo dicitur Theb. VI. et IX. *Fallitque tuentes ambiguus*] Horatius: 'Quod si puellarum insereres choro, Mire sagaces falleret hospites Discrimen obscurum, solutis Crinibus, ambiguoque vultu.'

Rector, et incepti pereant mendacia furti.
Dixit, et admoto non cessat cõmere tactu.
Sic ubi virgineis Hecate lassata pharetris
Ad patrem fratremque redit, comes hæret eunti
Mater, et ipsa humeros exertaque brachia velat;
Ipsa arcum pharetramque locat, vestesque latentes
Deducit, sparsosque studet componere crines.
Protinus aggreditur regem: atque ibi, testibus aris,
Hanc tibi, ait, nostri germanam, rector, Achillis
(Nonne vides, ut torva genas, æquandaque fratri?)
Tradimus: arma humeris arcumque animosa petebat
Ferre, et Amazonio connubia pellere ritu.

inchoati doli non succedant. Sic inquit, et admota manu non cessat eum comere. Sic ubi Hecate, fatigata virginea venatione, revisit patrem et fratrem, mater se ei vadenti sociam adjungit, et ipsa tegit humeros et nudatos lacertos, ipsa seponit arcum et pharetram, dimittitque vestes in sinus collectas, et studet componere effusas comas. Extemplo Thetis adoritur regem Lycomedem. Et ibi ante aras, Rex, tibi tradimus, inquit, sororem nostri Achillis. Nonne cernis, ut ferox sit vultu, et fratri similis? fortis poscebat portare arma et arcum humeris, et non nubere, more

legit Britannicus; *Sic ego manus, sic ora, gradumque* Exc. Burg.—342 Barthii vet. cod. *pateant mendacia.*—343 Put. *non distat comere.*—344 *Hecate laxata* Exc. Burg.—347 Codd. Lindenbrogii: *pharetrasque gerit, vestemque labentem.* Exc. Burg. *pharetramque gerit.*—348 *Diducit, sparsumque tumet componere crinem* legit Dan. Heinsius ad Claudian. Bell. Gild. 330. Vide Not. Var.—351

NOTÆ

344 *Hecate*] Diana, quæ cum Hecate confunditur.

345 *Patrem*] Jovem. *Fratrem*] Apollinem.

346 *Mater*] Latona. *Humeros, exertaque brachia*] Ut facilius arcum flecteret.

347 *Latentes*] Subductas more venantium: videntur enim vestes 'latere,' dum subductæ ac succinctæ sunt.

348 *Sparsosque studet componere crines*] Non contemnendus liber: *sparsosque tumet componere crines.* Quasì dicat Latonam hoc officio superbire, ambitiose in eo se ostentare, ut ornatrices solent apud dominas; nedum mater apud talem filiam, ex qua toties illi, si vatibus fides, 'pertentent gaudia pectus.' *Gronovius. Sparsos crines*] Quos venti ac arborum rami venanti per sylvas sparserant.

349 *Testibus aris*] Ut major foret depositi religio.

351 *Torva genas*] In ore enim aliquid torvi et virilis retinuerat Achilles.

353 *Amazonio ritu*] Amazones enim, ut omnes sciunt, arma tractabant, nec nubebant. Vide de Amazonibus Justinum lib. II. cap. 4. Herodotum lib. IV. Eas tamen unquam fuisse negant Strabo lib. XI. et Palæphatus.

Sed mihi curarum satis est pro stirpe virili.
Hæc calathos et sacra ferat: tu frange regendo
Indocilem, sexumque tene, dum nubilis ætas,
Solvendusque pudor: neve exercere protervas
Gymnadas, aut lustris nemorum concede vagari.
Intus ale, et similes inter seclude puellas.
Littore præcipue, portuque arcere memento.
Vidisti modo vela Phrygum: jam mutua jura
Fallere transmissæ pelago didicere carinæ.
Accedit dictis pater, ingenioque parentis
Occultum Æaciden (quis Divum fraudibus obstet?)
Accipit: ultro etiam veneratur supplice dextra,
Et grates electus agit: nec turba piarum
Scyriadum cessat nimio defigere visu
Virginis ora novæ, quantum cervice, comisque
Emineat, quantumque humeros ac pectora fundat.

Amazonum. Sed mihi satis est solicitudinis pro virili sobole. Hæc gerat calathos et sacra; tua disciplina doma illius animum, et intra sexum contine, donec sit matura nuptiis et solvenda virginitas. Neque patiaris illam frequentare feroces palæstras, aut errare per sylvas. Serva domi, et sepone inter æquales virgines. Maxime recordare eam arcere a ripis, et portu. Aspexisti modo vela Phrygum. Jam naves mare transcurrentes didicerunt violare jura gentium. Rex assentitur verbis Thetidis, et accipit Æaciden solertia parentis occultatum: (quis potest resistere dolis numinum?) quinetiam ipse eam veneratur supplice manu, et refert gratias, quod electus fuerit. Nec turba Scyriarum desinit aciem oculorum intendere in vultum novæ puellæ, et mirari quantum statura emineat, quam latis humeris

Ipse vides ex codd. malit Barthius.—354 Exc. Burg. *pro parte virili.*—356 Put. *sexuque tene.*—358 Exc. Burg. *haud lustris.*—360 Exc. Burg. a m. pr. *portaque*; ex emend. *portuque.*—367 *Scyriadum cessat niveo* Put. *defigere vultu* Exc. Burg.—369 Lang. *humeros a pectore funda.*—371 Lang. Laur.

NOTÆ

355 *Hæc calathos et sacra ferat*] Id est, lanificium muliebriaque opera exerceat, et sacra Minervæ colat.

357 *Exercere protervas Gymnadas*] Id est, ludos palæstricos, præcipue luctam, quia nudi certabant, sicque detecta fuisset fraus Thetidis. Hac voce usus est Papinius Theb. IV. et in Sylvis.

361 *Vidisti modo vela Phrygum, &c.*] Honestam causam adducit, ut Achilles occultetur. Superius dixit: 'Eunt tutis terrarum crimina velis Ex quo jura freti majestatemque repostam Rupit Iasonia puppis Pagasæa rapina.'

364 *Quis Divum fraudibus obstet*] Epiphonema, quale illud Virgilii: 'Quis fallere possit amantem?'

369 *Quantumque humeros ac pectora fundat*] Id est, quam latos humeros, et quam fusa pectora habeat et osten-

Dehinc sociare choros, castisque accedere sacris
Hortantur, ceduntque loco, et contingere gaudent.
Qualiter Idaliæ volucres, ubi mollia frangunt
Nubila, jam longum cœloque domoque gregatæ,
Si junxit pennas, diversoque hospita tractu
Venit avis, cunctæ primum mirantur et horrent:
Mox propius propiusque volant, atque aëre in ipso
Paulatim fecere suam, plausuque secundo
Circumeunt hilares, et ad alta cubilia ducunt.
Digreditur multum cunctata in limine mater,
Dum repetit monitus, arcanaque murmura figit
Auribus, et tacito dat verba novissima voto.
Tunc excepta freto longe cervice reflexa
Abnatat, et blandis affatur littora verbis:

sit et pectore. Deinde rogant jungere choros, et appropinquare pudicis sacris, et cedunt locum, et lætantur illam contingere. Sic aves Idaliæ, ubi secant volando nubila facile cedentia, jam longe a cælo et suis sedibus coëuntes, si peregrina volucris consociet volatum, et advena accedat e diverso tractu, omnes primum stupent et expavent: mox propius et propius volant, et paulatim eam admittunt in suum gregem, et alacres circumdant læto clangore, et ducunt in excelsas suas domos. Mater lente discedit, multum immorata in foribus, dum iterat consilia, et secreta insusurrat in ejus aurem, et tacito voto dicit postremum vale. Tunc mare ingressa longe retorto collo abnatat, et alloquitur ripas benignis verbis. Terra mihi dilecta, cui

Buslid. Lipsian. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *ceduntque locum ;* Dan. Put. Petav. Exc. Burg. et Petrens. *ceduntque loco.*—374 *Si jussit pennas* Exc. Burg. *diversaque* Lang. Laur. Lipsian. Buslid. et Venett. *hospita parte* nonnulli Bern. et Venett.—376 *Mox propiusque volunt sociam jamque aëre in ipso* Exc. Burg. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Put. Dan. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *Mox propius propiusque volant, jamque aëre in ipso* Petav. duo Barthiani, et quibus usus est olim Gulielmus Canterus, ut ipse testatur, Novar. Lect. lib. II. cap. 8. *atque aëre in ipso* Gronov. Barth. Veen. et Delph. —378 *Circierunt* Exc. Burg.—381 Put. *et tacito dat v. n. vultu.*—383 Dan. Put. Petav. *affatur littora votis:* ita quoque ex vet. cod. affert Bernartius.—

NOTÆ

dat. Livius lib. XXXVIII. Gallorum ‘fusa’ dicit ac candida corpora.

370 *Castisque accedere sacris*] Supra enim dixit Poëta: ‘Exierant dare veris opes, Divæque severas Fronde ligare comas, et spargere floribus hastam.’

371 *Loco*] Aliqui legunt *locum.*

372 *Idaliæ volucres*] Vide Theb. XII. 16. *Mollia*] Id est, quæ facile cedunt avium volatui, eisque dant transitum.

378 *Alta cubilia*] Peristerotrophia in altis turribus exstrui solita.

381 *Tacito voto*] Ne filius detegeretur.

383 *Verbis*] Quidam codices habent *votis.* Nullo sensu.

Cara mihi tellus, magnæ cui pignora curæ,
Depositumque ingens, timido commisimus astu,
Sis felix, taceasque, precor, quo more tacebat
Creta Rheæ: te longus honos, æternaque cingent
Templa, nec instabili fama superabere Delo.
At ventis et sacra fretis, interque vadosas
Cycladas, Ægeæ frangunt ubi saxa procellæ,
Nereidum tranquilla domus, jurandaque nautis
Insula, ne solum Danaas admitte carinas,
Te precor: hic thyasos tantum, nihil utile bellis,
Hic famam narrare doce: dumque arma parantur
Dorica, et alternum Mavors interfurit orbem,
(Cedo equidem,) sit virgo pii Lycomedis Achilles.

pavida astutia commendavimus pignus carissimum, et magnum depositum, sis fortunata, et sileas, oro, eo modo quo Creta silebat in gratiam Rheæ. Diuturnà sacra te manent, et æterna templa te cingent, nec eris inferiore fama quam mobilis Delos. At te, sacrata ventis et mari, et quieta sedes Nereidum, inter vadosas Cycladas, ubi fluctus Ægæi maris feriunt scopulos, et insula nautis juranda, te tantum oro, ne recipias naves Græcas. Doce famam hoc narrare, hic solum celebrari thyasos, et nihil esse bello utile. Et dum Græci parant arma, et Mars committit inter se duos orbes, (concedo equidem,) Achilles habeatur virgo apud pacificum Lyco-

391 Put. *jurandaque noctis.*—392 *Insula nec solum* Burm. et Rom.—393 *Deprecor* Petrens. Exc. Burg. T. R. et nonnulli codd. Heinsii, qui ad Ovid. Heroid. Epist. XVI. 170. emendat: *Ne, precor:* ita etiam Jortin. *hic thiasi* codd. Lindenbrogii; *hic thiasos tantum et nihil* Romana; *hic tyrsos* Exc. Burg. —394 *Hoc famam* Burm. Dan. Put. Petav. Lindenbrog. et Cruc. *Nec famam* Romana. *servare doce* Burm.—396 *Lycomedis in aula* Exc. Burg. Post hunc versum codd. Lindenbrogii inserunt: *Explicit Achilleidos liber secundus;* cum hoc libri tertii Argumento:

Ultor in Hectoridas Graios dolor armat Atridem.
Aulide juratur. Pelides poscitur absens.
Panditur in Scyro, quo sit quærendus Ulysses.
Seque virum fassus, Pyrrhum generavit Achilles.

NOTÆ

387 *Creta*] Creta, insula maris Mediterranei, adjacens Peloponneso. *Rheæ*] Tangit fabulam qua dicitur Rhea in Cretam Jovem educandum misisse, ne a Saturno patre devoraretur.

388 *Instabili Delo*] Vide Theb. I. 702.

390 *Cycladas*] Vide Theb. III. 438. *Ægeæ frangunt ubi saxa procellæ*] Hypallage. Ubi 'saxa frangunt procellas Ægæi maris.' Cyclades enim sunt in Ægæo mari.

391 *Jurandaque nautis Insula*] Id est, per te jurabunt nautæ, ut per ingens numen. Horatius ad Augustum loquens: 'Jurandasque tuum per numen ponimus aras.'

392 *Danaas*] Græcas.

395 *Dorica*] Id est, Græca. Do-

Interea meritos ultrix Europa dolores
Dulcibus armorum furiis et supplice regum
Conquestu flammata movet: quippe ambit Atrides
Ille magis, cui nupta domi, facinusque relatu
Asperat Iliacum: captam sine Marte, sine armis
Progeniem cœli, Spartæque potentis alumnam:
Jura, fidem, Superos una calcata rapina.
Hoc fœdus Phrygium, hæc geminæ commercia terræ?
Quid maneat populos, ubi tanta injuria primos
Degrassata duces? coëunt gens omnis et ætas:
Nec tantum exciti, bimari quos Isthmia vallo

medem. Interea vindex Europa accensa grato furore belli et summissis querelis regum incitat in omnibus justos dolores. Quippe ille e duobus Atridis, cui uxor domi erat, cunctos magis ambit, et acerbat verbis scelus Iliacum. Raptam, non in bello, sine armis, sobolem cœli, et alumnam florentis Spartæ. Jura, fidem, Divos uno furto violata. Hocne fœdus Phrygum, hæcne commercia geminæ terræ? Quid populi debeant expectare, ubi tanta contumelia afficiuntur præcipui reges? Omnis natio et ætas conveniunt. Nec tantum excitantur, quos fauces Isthmi in-

—399 Exc. Burg. *flammata movet, movet ambit.*—404 In iisdem Exc. *geminæ hæc commercia terræ.*—406 *Decrassata duces* Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. —407 Exc. Burg. *quos Ismara vallo.*—408 Put. et Petav. *unda Maleæ.*—409

NOTÆ

res enim populi Græciæ. *Alternum orbem*] Asiam et Europam. *Interfurit*] Præpositionem detractam nomini addidit verbo.

397 *Meritos*] Quia ex justa causa capiebantur. *Europa*] Græcia Europæ pars nobilissima: non enim omnis Europa arma sumsit.

398 *Dulcibus furiis*] Vel ob vindictam, vel quia dulce est fortibus viris arma tractare. *Regum*] Menelai et Agamemnonis.

399 *Atrides*] Agamemnon Atrei filius. *Ambit*] Id est, vel circuit omnem Græciam et solicitat ad bellum: vel *ambit*, prensat, blanditur, circuit, rogans ut se adjuvent. Sic Virgilius: 'Ambire Latinum.' Metaphora sumta a Candidatis magistratum petentibus.

400 *Cui nupta domi*] Clytæmnestra, quæ et ipsa rapi poterat, nisi obviam irent violentiæ. *Facinus Iliacum*] Raptum Helenæ a Paride Phrygio seu Trojano: Troja enim et Ilium vocabatur.

401 *Sine Marte, sine armis*] Id est, non in bello, quod tolerabilius esset, sed in pace, cum nihil tale suspicarentur.

402 *Progeniem cœli*] Helenam Jove genitam. *Spartæ*] Sparta urbs Laconiæ primaria, Menelai regia.

403 *Jura*] Hospitii scilicet. *Fidem*] Datam Græcis a Trojanis, vel fœdera quæ interventu fidei firmantur. *Superos*] Quos fœderis testes facimus, seu sub quorum tutela sunt hospitii jura: nam erat Jupiter Xenius seu hospitalis.

404 *Geminæ terræ*] Id est, Phrygiæ et Græciæ.

407 *Bimari quos Isthmia vallo Claustra*] Intelligit angustias seu Isthmum

Claustra, nec undisonæ quos circuit umbo Maleæ,
Sed procul amotæ, Phryxi qua semita jungi
Europamque Asiamque vetat, quasque ordine gentes
Littore Abydeno maris alligat unda superni.
Fervet amor belli, concussasque erigit urbes.
Æra domant Temesæ: quatitur navalibus ora
Eubois: innumera resonant incude Mycenæ:
Pisa novat currus: Nemee dat terga ferarum:

cludunt bimari aggere, aut quos promontorium Maleæ sonantis illisu fluctuum comprehendit, sed longe dissitæ nationes, qua angustiæ Phryxi prohibent coire Asiam Europamve, et illæ, quas aqua superioris ponti una continuitate alluit ad ripam Abydenum. Cupido armorum æstuat, et effert commotas civitates. Themesæ æs subigunt: Euboicum littus concutitur fabricatione navium: Mycenæ resonant innumeris incudibus: Pisa restaurat currus: Nemee præbet ter-

Sed procul admoti, vel *ammoti.* Dan. Put. Petav. Lipsian. Lang. Laur. Buslid. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lind. et Cruc. Vide Not. Var.—412 Dan. Petav. Lindenbrog. et Cruc. *conclusasque.*—413 *Æra sonant* Lang. et Exc.

NOTÆ

unde procedit Peloponnesus. Ibi est latitudo quinque millium tantum. *Bimari vallo*] Intelligit hinc Lechæum promontorium, illinc vero Cenchreas. *Bimari*] Quia Isthmi latera Ægæo mari et Ionio abluuntur.

408 *Umbo*] Metaphoricῶs dorsum et tractus promontorii. *Maleæ*] Promontorium Laconiæ, quo, ut scribit Plinius, tota fere regio includitur.

409 *Phryxi qua semita, &c.*] Id est, Hellespontus ab Helle Phryxi sorore nominatus. Vide Theb. v. 475. *Semita*] Quia Hellespontus septem duntaxat stadiis, ut jam diximus, Europam ab Asia dirimit, illic habens inter se oppositas urbes, in Europa Callipolin et Seston, in Asia Lampsacum et Abydon.

411 *Littore Abydeno*] Exclusive; nam Abydos in Asia est. *Maris unda superni*] Propontis.

413 *Temesæ*] Urbs est Brutiorum, quam Ausonii condiderunt, Latini Temesam nominarunt. Ibi ærifodinæ, quæ postea defecerunt. Vide Equum Domitiani vs. 42. Erat et in Cypro urbs ejusdem nominis, ubi æris metalla etiam abundasse scribit Strabo. *Navalibus*] Navalia proprie loca ubi ædificantur naves, et retinentur. Hic pro navibus usurpat. *Ora Eubois*] Nam ad Aulidem Eubœæ urbem omnes naves Græcorum convenerant. Eubœa autem insula tam parvo euripo discreta a Bœotia, ut ponte jungeretur.

414 *Mycenæ*] Urbs Argolidis, prope Argos, hæque duæ urbes propter locorum vicinitatem alterutro nomine sæpe vocantur a Tragœdiarum scriptoribus. Regia fuit Agamemnonis.

415 *Pisa*] Urbs Elidis, regia Œnomai, prope Alpheum, nota celebratione ludorum Olympicorum. *Nemee*] Sylva in Arcadia inter Cleonas et Phliuntem, in qua Hercules leonem Nemæum occidit. *Terga*] Pro, tergora. *Ferarum*] Leonum et

Cyrrha sagittiferas certat stipare pharetras:
Lerna graves clypeos cæsis vestire juvencis.
Dat bello pedites Ætolus, et asper Acarnan:
Argos agit turmas: vacuantur pascua ditis
Arcadiæ: frænat celeres Epiros alumnos:
Phocis, et Aoniæ jaculis rarescitis umbræ:
Murorum tormenta Pylos Messanaque tendunt.

gora bestiarum: Cyrrha studet implere pharetras sagittis: Lerna tegere ponderosa scuta pellibus occisorum taurorum. Ætolus et ferox Acarnan præbent pedites ad bellum: Argos ducit equites: pascua opulentæ Arcadiæ relinquuntur: Epiros frænat veloces equos: Phocis et sylvæ Aoniæ decrescitis ut conficiantur jacula: Pylos et Messana subministrant balistas ad evertenda mœnia. Nulla terra

Burg.—416 Vetus Bernartii: *spirare pharetras.*—418 *Dant bello pedites* codex T. R. in Obss. Misc. Tom. IV. p. 395.—422 *Messanaque tradunt* Dan. Petav. tres Bernartii, omnes Barthii, et edd. vett. *Messanaque tendunt* Petrens. T. R. Exc. Burg. Put. unus Bernartii, Gronov. Barth. Veen. et Delph.—429

NOTÆ

ursorum, quibus hæc sylva plena erat. *Tergora*] Vel ad tegendos clypeos, vel quia pellibus induti antiqui ibant in pugnam.

416 *Cyrrha*] Oppidum Phocidis situm ad radices Parnassi montis.

417 *Lerna*] Civitas Argolidis; est et palus ejusdem nominis in eadem regione. *Cæsis vestire juvencis*] Sic Theb. III. 'Nec pudor emerito clypeum vestisse juvenco.'

418 *Ætolus, et asper Acarnan*] Ætoli et Acarnanes populi Græciæ occidentales, inter quos medius est Achelous fluvius: adhærent Epiro. Ex iis gentibus pedites veniebant.

419 *Argos*] Caput Argolidis, cui dedit nomen. *Turmas*] Bene, seu Equites, quia illinc optimi equi mittebantur, unde Argos 'Hippium' vocabatur, ad differentiam urbium ejusdem nominis. *Pascua ditis Arcadiæ*] Arcadia pars mediterranea Peloponnesi: dicitur 'dives,' id est, fertilis. Strabo enim refert in Arcadia fertilia fuisse pecori pascua, præsertim equis, et asinis equarum suppositoribus.

420 *Epiros*] Epirus regio occidentalior Græciæ. Ab Acroceranniis occipit montibus; in ea primi Chaones, deinde Thesproti, Antigonenses. Hæc regio alit equas præstantissimas, quæ ab ea 'Epiroticæ' appellantur. Virgilius Georg. I. 'Eliadum palmas Epiros equarum.' Nunc *Albania* vulgo vocatur. *Celeres alumnos*] Equos celeres.

421 *Phocis*] Phocis regio Græciæ, celebris Parnasso monte et Delphis, inter Bœotiam et terram Atticam. *Aoniæ*] Id est, Bœotiæ, ab Aonibus populis, qui Bœotiam incolebant ante adventum Cadmi. *Jaculis*] Quæ ibi cædebantur.

422 *Pylos*] Urbs Messeniæ, Nestoris patria. *Messana*] Urbs primaria Messeniæ, cui dedit nomen. *Tendunt* [*tradunt*] Alii legunt *tendunt* ex pluribus Mss. haud dubie ad morem priscum, quo funibus machinæ tendi solent. Vegetius lib. IV. Vide tormentorum icones notitiæ Imperii subjectas.

Nulla immunis humus: velluntur postibus altis
Arma olim dimissa patrum, flammisque liquescunt
Dona Deum: raptum Superis Mars efferat aurum.
Nusquam umbræ veteres: minor Othrys, et ardua sidunt
Taygeta, exuti viderunt aëra montes.
Jam natat omne nemus: cæduntur robora classi:
Sylva minor remis: ferrum laxatur ad usus
Innumeros, quod rostra liget, quod muniat arma,
Belligeros quod frænet equos, quod mille catenis
Squalentes nectat tunicas, quod sanguine fumet,
Vulneraque alta bibat, quod conspirante veneno

vacat a labore: arma majorum olim deposita deripiuntur ab excelsis postibus, et munera Deorum liquefiunt ignibus: Mars parat ad ferum opus aurum ablatum templis: succiduntur antiquæ sylvæ: Othrys minuitur, et excelsa Taygeta decrescunt, nudati montes aspexerunt lucem. Jam omnis sylva fluitat; robora amputantur construendis navibus, invalidiores arbores faciendis remis. Ferrum extenditur ad innumeros usus, ad vincienda rostra, ad roboranda arma, ad conficienda fræna bellatoribus equis, ad nectendos mille catenis fulgentes thoracas, ad formandos enses, qui cruore fument, et faciant profundas plagas, et qui veneno armati acce-

Put. *ferrum lassatur.*—431 'Alia lectio est in nostris codd. quam intrudere tamen, hac ejecta, plane nolimus: *Bellator quod frænat equus.*' Barth.—433 Codd. Lindenbrogii: *quod cum spirante.*—434 Multi codd. teste Nic. Heinsio

NOTÆ

423 *Nulla immunis humus*] Nempe omnes urbes aut milites aut arma præbebant. Nulli vero, tam apud Græcos quam Romanos, belli vacatio dabatur, nisi ex certis causis, quæ rarissimæ erant. *Velluntur postibus altis Arma olim dimissa patrum*] Mos veterum affigendi arma ædium postibus. Noster Theb. III. 'Arma paternis Postibus, et fixos Superum ad penetralia currus Vellere amor.'

425 *Mars efferat aurum*] Id est, asperum ac terribile facit, propter varias figuras ferarum quæ effingebantur in scutis et galeis.

426 *Minor*] Recisa scilicet sylva fabricandis navibus. *Othrys*] Mons Thessaliam inter et Macedoniam.

427 *Taygeta*] Taygetus mons Laconiæ. *Exuti*] Sylvis scilicet.

428 *Jam natat omne nemus*] Naves ex arboribus confectæ.

431 *Quod mille catenis Squalentes nectat tunicas*] Periphrasis loricæ. A squamis dicitur squalor et squalens, ut scribit Gellius; *tunicas* ergo *squalentes* dicit loricas veluti quibusdam squamis ferreis confectas.

433 *Vulneraque alta bibat*] Sic Virgilius: 'Bibit hasta cruorem.' *Quod conspirante veneno Impellat mortes*] Periphrasis est spiculi, et sagittæ venenatæ. Sic Lucanus: 'Ferrumque armare veneno:' Soliti veteres spicula et sagittas veneno inficere. Vide Aristotelem in admirandis, de Scythico veneno, quo tingebant sagittas.

Impellat mortes: tenuantque humentia saxa
Attritu, et nigris addunt mucronibus iras.
Nec modus, aut arcus lentare, aut fundere glandes,
Aut torrere sudes, galeasque attollere conis.
Hos inter motus pigram gemit ora quietem
Thessalis, et geminis incusat fata querelis,
Quod senior Peleus, nec adhuc maturus Achilles.
Jam Pelopis terras Graiumque exhauserat orbem
Præcipitans in transtra viros insanus equosque
Bellipotens: fervent portus, et operta carinis
Stagna, suasque hyemes classis promota, suosque
Attollit fluctus: ipsum jam puppibus æquor
Deficit, et totos consumunt carbasa ventos.
Prima rates Danaas Hecateia congregat Aulis,

lerent letum. Et minuuntur attritu madefactæ cotes, et adjicitur acies hebetatis cuspidibus. Nec cessant, aut curvare arcus, aut conflare glandes plumbeas, aut præurere sudes, aut attollere cassides additis cristis. Inter hos tumultus regio Thessalica dolet de sua quiete, et queritur de fatis, duplici causa, quod Peleus senex sit ætate, nec Achilles aptus adhuc ad bellum. Jam furiosus Mars vacuaverat totam Peloponnesum, et Græciam, impellens milites et equos in tabulata navium. Portus replentur, et aquæ teguntur navibus: et progressa classis erigit undas quasi procella. Ipsum mare jam non capit naves, et vela hauriunt omnes ventos: Aulis sacra Hecate prima cogit naves Græcas, Aulis longe exporrecta in mare Euboicum sco-

in Advers. lib. IV. cap. 3. p. 578. *tenuant tumentia;* ille vero legit: *tenuant acuentia saxa.*—435 Idem Heinsius ibid. ex membranis suis malit: *et pigris addunt mucronibus iras:* ita habent etiam Dan. Put. Petav. Lindenbrog. et Cruc.—443 Exc. Burg. *et apta,* i. e. *apta,* vel *aperta.*—444 Aldd. Colin. Gryph.

NOTÆ

434 *Tenuantque humentia saxa Attritu*] Molæ enim et cotes atteruntur, dum acuuntur gladii.

435 *Iras*] Id est, aciem, qua pungant, et mortem inferant.

436 *Fundere glandes*] Ex plumbo liquefacto facere et conflare glandes, quas prisci funda jaciebant.

437 *Aut torrere sudes*] Palis enim adustis in bello utebantur antiqui. Virgilius: 'Certant ferro sudibusque præustis.' Noster Theb. IV. 'His tela sudes.' *Galeasque attollere conis*] Majores enim cristis apparent galeæ.

441 *Pelopis terras*] Peloponnesum, a Pelope sic vocatum. *Graium orbem*] Græciam.

445 *Æquor Deficit*] Hyperbole, qua designat multitudinem navium.

447 *Danaas*] Græcas. *Hecateia Aulis*] Aulis portus Bœotiæ, ubi classis Græcorum primo consedisse dicitur. *Hecateia*] Id est, Dianæ consecràta; nam in Aulide Diana habebat templum celeberrimum, multis sæculis ante Trojanam expeditionem, ut refert Plinius, exædificatum, et lucum in quo Agamemnon cervam Dianæ sacram confodit, pro qua coactus

Rupibus expositis, longique crepidine dorsi
Euboicum scandens Aulis mare, littora multum
Montivagæ dilecta Deæ: juxtaque Caphareus
Latratum pelago tollens caput: ille Pelasgas
Ut vidit transnare rates, ter monte, ter undis
Intonuit, sævæque dedit præsagia noctis.
Cœtus ibi armorum Trojæ fatalis: ibi ingens
Juratur bellum, donec sol annuus omnes
Conficeret metas: tum primum Græcia vires
Contemplata suas: tunc sparsa ac dissona moles
In corpus vultumque coit, et rege sub uno

pulis prominentibus, cujus ripæ multum caræ sunt numini erranti venando per montes. Et prope est Caphareus erigens caput pulsatum fluctibus cum magno murmure. Ille, ut vidit transfretare naves Græcas, ter tonuit in monte, et ter in aquis, et dedit omina diræ noctis. Conventus armorum funestus Trojæ ibi fit. Ibi juratur magnum bellum, et interim sol peregit annuum circuitum. Tunc primum Græcia spectavit suam potentiam: tunc multitudo diffusa et dissona coaluit in corpus,

et Basil. *classes promota.*—452 *Ut vidit transire rates* Petav. *tibi monte ter undis* Exc. Burg.—458 In iisdem Exc. *vultumque cogit.*—459 Lang. Laur. Bus-

NOTÆ

est filiam Iphigeniam illi Deæ immolare. Hecate autem eadem quæ Diana, ut jam diximus.

448 *Rupibus expositis*] Id est, prominentibus in mare, seu extra positis. *Crepidine*] Crepido est cujuslibet scopuli sive abrupti saxi altitudo.

449 *Euboicum mare*] Nam contra Bœotiam insula est Eubœa, a qua interjacens euripus vocatur *Euboicum mare.*

450 *Montivagæ Deæ*] Venatrici Dianæ. *Caphareus*] Caphareus promontorium Eubœæ insulæ, ut jam diximus, Bœotiam respiciens.

451 *Latratum*] Passive sine origine verbi. Non enim dicitur *latror. Pelasgas*] Græcas.

452 *Ter monte, ter undis Intonuit*] Numerus tamen ternarius, et omnis impar, felix habitus.

453 *Sævæque dedit præsagia noctis*] Nam post eversam Trojam multi Græcorum redeuntes noctu perierunt inter scopulos Capharei, Nauplio ex eo faces efferente.

454 *Cœtus ibi armorum*] Fit, supple; nam cuncti duces Græciæ, veluti signo dato, uno et eodem tempore Aulida confluxerant. *Armorum*] Pro, armatorum.

455 *Juratur bellum*] Græci enim ibi juravere, se in patriam non redituros, nisi postquam Trojam evertissent. Unde illud Virgilii: 'Non ego cum Danais Trojanam exscindere gentem Aulide juravi.' *Donec sol annuus, &c.*] Nam annum Græci in Aulide manserunt.

457 *Sparsa*] In varios scilicet populos ac principatus. *Dissona*] Propter diversas linguas, Æoliam, Doricam, Atticam, et communem.

458 *Vultumque*] Satis improprie pro capite, sed quia in vultu potior corporis forma. *Et rege sub uno*] A-

Disposita est: sic curva feras indago latentes
Claudit, et admotis paulatim cassibus arctat.
Illæ ignem, sonitumque pavent, diffusaque linquunt
Avia, miranturque suum decrescere montem,
Donec in angustam ceciderunt undique vallem,
Inque vicem stupuere greges, socioque timore
Mansuescunt: simul hirtus aper, simul ursa, lupusque
Cogitur, et captos contemnit cerva leones.
Sed quanquam gemini pariter sua bella capessant

et ordinatur sub uno rege. Sic curva plaga obsepit bestias abditas, et angustatur adductis paulatim retibus. Illæ reformidant flammas, et fragorem, et deserunt densas sylvas, et mirantur suum montem minui: donec undique cadant in arctam vallem, et greges invicem stupent, et mitescunt mutuo metu. Una hirsutus aper, una ursa, lupusque conveniunt, et cerva aspernatur clausos leones. Sed quamvis



lid. Lipsian. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *sic torva feras.* Vide Not. Var.—461 *Illæ amnem, sonitumque pavent, linquuntque profunda* codd. Lind.—463 Hic versus deest in Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. et duobus codd. Bernartii; servatur vero in Exc. Burg. Petrens. Dan. Put. Petav. et edd. recentt. 'Versum hunc bono consilio aliis literis expressit Lindenbrogius. Non enim visitur in membranis, etiam nostris: neque agnoscunt eum Aldina Exemplaria. Joannes Bernartius ex duobus suis, non illibenter, eundem admisit; inserendum censuit etiam Gulielmus Canterus. Nos tamen, meliores codices et rationes sequendo, spurium putamus, consentiente Stephano Claverio Notis ad Claudian. Rapt. Proserp. lib. III.' *Barth. Donec intra angustam ceciderunt unduque vallem* duo codd. Bernartii; ille vero ex ingenio emendavit.—464 *Inque invicem* Exc. Burg.—466 Petrens. Burm. Put. et

NOTÆ

gamemnone scilicet, quem supra diximus ob opes nominisque famam electum expeditionis ducem.

459 *Curva indago*] Indago significat inquisitionem et investigationem venatorum, et seriem plagarum saltus cingentium. Statius in Leone Mansueto: 'Curvaque indagine clausus.'

461 *Ignem, sonitumque*] Ignis in ferarum venatione adhibitus. Lucretius lib. v. 'Nam fovea atque igni prius est venarier ortum, Quam sepire plagis saltum, canibusque ciere.' Hunc præcipue Leo reformidat. Arist. Hist. lib. IX. Oppianus in Cyneg. Elephantes etiam. Ælian. de Anim. lib. VII. cap. 6. Plinius lib. VIII. cap. 6. Clamore etiam et sonitu premi feras notissimum. Virgilius Georg. III. 'Ingentem clamore premes ad retia cervum.'

462 *Miranturque suum decrescere montem*] Propter indaginem, qua pressi coguntur in unum.

464 *Socioque timore Mansuescunt*] Nam timor naturalem ipsis feritatem adimit.

465 *Simul hirtus aper, &c.*] Vide Ælianum Anim. lib. IV. cap. 45.

467 *Gemini Atridæ*] Menelaus et Agamemnon.

Atridæ, famamque avidi virtute paternam
Tydides Sthenelusque premant, nec cogitet annos
Antilochus, septemque Ajax umbone coruscet
Armenti reges, atque æquum mœnibus orbem,
Consiliis armisque vigil contendat Ulixes;
Omnis in absentem belli manus ardet Achillem;
Nomen Achillis amant, et in Hectora solus Achilles
Poscitur: illum unum Teucris Priamoque loquuntur
Fatalem: quis enim Hæmoniis sub vallibus alter
Creverit, effossa reptans nive? cujus ab ortu

duo Atridæ bellum pro se pariter gerant, et ardentes Sthenelus et Tydides obruant sua virtute paternam famam, nec Antilochus cogitet suam ætatem, et Ajax coruscare faciat clypeum, septem coriis bubulis contectum, et suo ambitu æqualem mœnibus, et solers Ulysses certet consiliis et præclaris factis; cunctus tamen exercitus ardenter desiderat absentem Achillem; diligunt nomen Achillis, et solus Achilles expetitur adversus Hectorem. Clamant illum solum fatalem Trojanis et Priamo. Quis enim adoleverit in vallibus Hæmoniis, reptans per excavatas nives? a cujus nativi-

T. R. *contempsit cerva.*—470 Nonnulli codd. Lindenbrogii: *septenoque Ajax, &c.*—471 *Armenti greges* Dan. Put. Petav. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *Armenti reges* Exc. Burg. Petrens. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et Venett. *montibus orbem* Dan. Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et edd. ante Gronov. Vide Not. Var.—472 Lindenbrogius legi jussit ex vet. cod. *animisque vigil.*—477 Exc. Burg. *raptans nive.*—479 Petav. *semita cœli.*—480

NOTÆ

469 *Tydides*] Diomedes filius Tydei ex Deipyle Adrasti filia. *Sthenelusque*] Sthenelus Capanei ex Evadne filius, inter fortissimos duces numeratur a poëtis. *Nec cogitet annos Antilochus*] Antilochus filius Nestoris, qui admodum juvenis venit in castra Græcorum. Postea occisus fuit a Memnone, ut dicit Homerus. Ovidius tamen victum et peremtum ab Hectore tradit. Epistola Penelopes: ‘Sive quis Antilochum narrabat ab Hectore victum; Antilochus nostri causa timoris erat.’

470 *Septemque Ajax umbone coruscet Armenti reges, atque æquum mœnibus orbem*] Ajax Telamonis filius, qui cum duodecim navibus Salaminiorum venit in bellum. *Coruscet*] Pro coruscare faciat. *Reges*] Id est, pelles taurorum principum, præcipuorum. Sic Noster Theb. III. *Clypeum vestisse juvenco*] Immoderate nimis, et hyperbolice. Unde Ajax Ovidio dicitur, ‘Clypei dominus septemplicis.’ *Æquum mœnibus orbem*] Homerus de Ajace loquens: ἦλθε φέρων σάκος ἠΰτε πύργον.

473 *Achillem*] In fatis enim erat Trojam expugnari non posse sine Achille.

474 *Hectora*] Hector, Priami filius, solus erat propugnaculum Trojæ.

476 *Hæmoniis*] Thessalicis.

477 *Effossa reptans nive*] Exordia pueritiæ Achillis describit. Sic supra: ‘Nunc illum non Ossa capit, non Pelion ingens Thessalicæque ni-

Cruda rudimenta et teneros formaverit annos
Centaurus? patrii propior cui linea cœli?
Quemve alium Stygios tulerit secreta per amnes
Nereis? et pulchros ferro perstrinxerit artus?
Hæc Graiæ castris iterant, traduntque cohortes.
Cedit turba ducum, vincique haud mœsta fatetur.
Sic cum bellantes Phlegræa in castra coirent
Cœlicolæ, jamque Odrysiam Gradivus in hastam
Surgeret, et Libycos Tritonia tolleret angues,

tate duriora fuerunt exordia, et cujus Centaurus finxerit teneram ætatem? Quis genere propius attingit paternum cœlum? Quemve alterum Nereis clam portaverit ad fluvios Stygios, et cujus formosa membra præmuniverit contra ferrum? Manipuli Græci hæc repetunt per castra, dicuntque sibi invicem. Caterva ducum cedit, et æquo animo confitetur ab Achille superari. Sic cum cœlites bellaturi convenerunt in castra Phlegræ, et jam Mars vibraret hastam Odrysiam, et Minerva erigeret



Exc. Burg. *a Stygios tulerit secretius amnes.* Aldd. Colin. Gryph. et Basil. *ad Stygios*, improbante Barthio.—481 Codices Lindenbrogii: *præstruxerit;* ut ex veteri codice legit Tollius ad Auson. pag. 229. quem vide.—484 *Sic cum pallentes* Dan. Put. Petav. Lindenbrog. et Cruc. *Sic cum palantes* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant.

NOTÆ

ves.' *Cujus ab ortu Cruda rudimenta, &c.*] Vide II. Achill. quomodo Achilles fuerat a Chirone educatus.

479 *Patrii propior cui linea cœli*] Commendat Achillem a genere. Achilles enim erat pronepos Jovis. *Linea*] Hic pro recta serie cognationis ascendentium scilicet, ac descendentium. Ita etiam hanc vocem usurpat Statius in Lacrymis Etrusci. 'Non tibi clara quidem, senior placidissime, gentis Linea, nec proavis demissum stemma.'

480 *Quemve alium Stygios tulerit secreta per amnes Nereis*] Vide supra.

481 *Ferro perstrinxerit artus*] Respexit, ut ait Britannicus, morem lavantium se in balneis, qui strigilibus utebantur ad sudorem detergendum. *Perstrinxerit*] Deraserit; nam 'stringere' est radere, ut ait Marcellus. Plinius Junior de Balneis loquens sic scribit de avunculo: 'Dum distringitur, raditurque, audiebat aliquid aut dictabat.' Ex Pergamo mitti strigiles refert Martialis: 'Pergamus has misit curvo distringere ferro.' Maturantius autem legit *præstruxerit*, et interpretatur 'præmuniverit.' *Ferro*] Dandi casu, id est, contra ferrum, ut esset inviolabilis ferro. Quod secutus sum.

484 *Phlegræa in castra*] Vide Theb. II. 595. Innuit Poëta pugnam Deorum cum gigantibus in loco Phlegra dicto.

485 *Odrysiam*] Thraciam; Odrysii enim gens Thracia.

486 *Libycos*] Medusæos sive Gorgoneos. Vide supra vs. 300. *Tritonia*] Minerva a Tritone palude. Vide Theb. II. 735.

Ingentemque manu curvaret Delius arcum;
Stabat anhela metu solum Natura Tonantem
Respiciens; quando ille hyemes tonitrusque vocaret
Nubibus, igniferam quæ fulmina posceret Ætnam.
Atque ibi dum mixta vallati plebe suorum
Et maris et belli consultant tempora reges,
Increpitans magno vatem Calchanta tumultu,
Protesilaus ait: (namque huic bellare cupido

Africanas serpentes, et Delius flecteret magnum arcum; Natura anhelabat pavore, attendens unum Jovem; quando ille vocaret tempestates et tonitrua e nubibus, et quæ fulmina peteret ab Ætna flammas vomenti. Atque ibi dum duces, circumdati confuso vulgo militum, deliberant de tempore navigationis, et belli gerendi, Protesilaus objurgans ingenti clamore augurem Calchantem, ait: (nam præcipue flagra-

NOTÆ

487 *Delius*] Apollo, a Delo insula.

489 *Quando*] Forte rectius *quas.*

490 *Igniferam quæ fulmina posceret Ætnam*] Nam in Ætna monte Siciliæ flammas evomente dicuntur Cyclopes fulmina Jovi fabricare.

491 *Ibi*] In Aulide.

493 *Calchanta*] Calchas Trojanus, Thestoris filius, augur maximus, qui cum circa initia Trojani belli ad consulendum oraculum Delphos missus esset a Trojanis, responsumque accepisset, ut, relictis Trojanis, adhæreret Græcis, ad eos descivit; et quoniam divinandi arte plurimum polleret, ejus consiliis multa gesta sunt. Cum enim in Aulide classis Græcorum adversos ventos haberet, et pestilentia laboraret exercitus, docuit Agamemnonem rationem Dianæ mitigandæ. Et ex serpentis augurio, qui decem pullos passeris una cum matre devoraverat, decimo tandem anno Ilium expugnatum iri divinavit. Orta deinde gravi pestilentia in castris Græcorum ob denegatam patri Cryseidem, viam ostendit qua placari posset Apollo. Quamobrem apud ceteros duces, præcipue vero apud Achillem, in maximo pretio habitus fuit, adeo ut ejus præsidio plerumque defenderetur, maxime vero cum reddendam Cryseidem persuaderet. Capta demum ac eversa Troja, tradit Hesiodus eum terrestri itinere Colophonem pervenisse, atque ibi invenisse Mopsum celeberrimum vatem, ac artis peritia Calchantem ab eo victum mœrore mortuum esse, quod proposita sibi a Mopso caprifico, ut refert Hesiodus, vel ut Pherecydes mavult, sue gravida, dicere non potuisset, quot in illa ficus essent, quotve hæc utero suculas gestaret: quod tamen Mopsus sine ullo errore divinavit. De Calchante vide plura apud Homerum Iliad. I.

494 *Protesilaus*] Protesilaus Iphicli filius, unus e præcipuis Græcorum, qui, contemtis omnibus oraculis, quibus sibi primo pereundum esse in bello Trojano, si eo iret, prædiceretur, tantæ expeditioni deesse noluit, ac una cum ceteris ducibus eo profectus est: verum cum primus e navi in terram egressus fuisset, et in Hectorem incidisset, primus etiam omnium Græcorum ab illo occisus est: unde sequenti versu dicit poëta, 'et primæ jam tunc data copia mortis.'

Præcipua, et primæ jam tunc data copia mortis:)
O nimium Phœbi, tripodumque oblite tuorum,
Thestoride! quando ora Deo possessa movebis
Justius? aut quando Parcarum occulta recludes?
Cernis, ut ignotum cuncti stupeantque petantque
Æaciden? sordet vulgo Calydonius heros,
Et magno genitus Telamone, Ajaxque secundus,
Nos quoque: sed Mavors abreptaque Troja probabunt.
Illum, neglectis (pudet heu!) ductoribus, omnes
Belligerum ceu numen amant: dic ocyus (aut cur
Serta comis et mitis honos?) quibus abditus oris,
Quave jubes tellure peti: nam fama, nec antris

bat bellandi cupidine, et jam tunc decretum erat, hunc primum occumbere:) O Thestoride, nimium immemor Phœbi, et tripodum tuorum! quando opportunius aperies ora repleta numine? aut quando deteges arcana Parcarum? Vides, ut cuncti admirentur, poscantque ignotum Æacidem? Heros Calydonius, et oriundus ab ingenti Telamone, et Ajax alter, nullo propemodum in pretio sunt apud milites, præ illo. Nos similiter: sed Mars et expugnata Troja probabunt nos illi non cedere. Omnes optant illum seu Deum belli (pudet heu!) spretis ducibus. Promte loquere (aut cur geris lauream in capite, nec officio fungeris?) quibus locis absconditus est, quave terra eum quæri præcipis. Nam rumor est hunc nec esse in cavernis Chiro-

probante Barthio. Vide Not. Var.—495 Put. *data gloria mortis.*—499 Exc. Burg. et Put. *stupeantque premantque.*—502 *Troja probabit* Petav.—505 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. *et tutus honos;* Petrens. unus Gruteri, et Put. *multus honos;* Dan. Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Burm. et edd. vett. omnes: *mutus honos;* vetus codex Gronovii et Exc. Burg. cum edd. Gronov. Barth. et Veen. *mitis honos;* Delph. *mitus* in textu.—506 Lang. Laur. Buslid. Lip-

NOTÆ

496 *Tripodum*] Vide quæ diximus ad Theb. I. 509.

497 *Thestoride*] O fili Thestoris.

500 *Æaciden*] Achillem. Vide supra vs. primo. *Calydonius heros*] Diomedes Tydei filius, sic vocatus a Calydone, ubi regnavit, qui una cum Sthenelo ad bellum venit cum 80. navibus.

501 *Magno genitus Telamone*] Ajax filius Telamonis. *Ajaxque secundus*] Ajax Oilei filius, qui minor Ajace Telamonio fuit viribus ac robore corporis, ac etiam ætate, oriundus erat e Locride regione: cum quadraginta navibus in bellum venit. Fuisse hunc miræ pernicitatis, et vibrandæ utendæque lanceæ inter omnes Græcos facile fuisse principem, Homerus testatur. Hic postea cum Cassandræ vim intulisset in templo Minervæ, ab ipsa in mari fulmine fuit percussus. De eo Virgilius: 'Unius ob noxam, et furias Ajacis Oilei.'

502 *Nos quoque*] Supple, sordemus. *Sed Mavors abreptaque Troja probabunt*] Me non esse Achilli inferiorem.

505 *Serta comis*] Ut vatis: nam vatis caput lauro ornatum erat. *Mitis* [*mutus*] Id est, officio suo non fungens.

Chironis, patria nec degere Peleos aula.
Eia, irrumpe Deos, et fata latentia laxa,
Laurigerosque ignes, si quando, avidissimus hauri:
Arma horrenda tibi sævosque remisimus enses.
Nunquam has imbelles galea violabere vittas:
Sis felix, numeroque ducum præstantior omni,
Si magnum Danais per te portendis Achillem.
Jamdudum trepido circumfert lumina motu,
Intrantemque Deum primo pallore fatetur
Thestorides: mox igne genas et sanguine torquens
Nec socios, nec castra videt, sed cæcus et amens
Nunc Superum magnos deprendit in æthere cœtus,

nis, nec in regia Pelei patris. Eia, penetra Superos, et aperi recondita fata, et si quando cupidissime hausisti flammas Apollinis, nunc eas hauri cum summa aviditate. Concedimus tibi vacationem ab atroci bello, nec geres gladium: nunquam profanabis has placidas infulas imposita casside. Sis fortunatus, et cunctis ducibus clarior, si tua opera manifestas Danais ingentem Achillem. Jam pridem Thestoris filius circumfert oculos trementi motu, et patefacit primo pallore subeuntem Deum: mox torquens oculos plenos igne et sanguine nec cernit comites nec castra, sed obcæcatus et impos sui nunc mente videt in cœlo ingentem multitudinem Deorum, nunc allo-

sian. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. *regione peti;* Dan. Put. Petav. Exc. Burg. Petrens. Venett. Rom. Lindenbrog. Cruc. et recentt. *tellure peti.*—508 *Eia rumpe Deos* Exc. Burg. et Put. *latentia vexa* Put. et Venett.—518 Exc.

NOTÆ

507 *Peleos*] Genitivus Græcus.

508 *Eia, irrumpe Deos*] Theb. III. 'Quid me Persei secreta ad culmina montis Ire gradu trepido, Superumque irrumpere cœtus, Egistis?' Silius Italicus lib. I. 'Ast ubi quæsitas artis de more vetusto Intravit mentes Superum.' Noster Theb. III. 'Cœlo mentem insertasse.'

509 *Laurigeros*] Id est, Apollineos. *Ignes*] Furores. Vel respicit ad id quod infra dicit: 'Thuriferas modo consulit anxius aras, Flammarumque apices rapit.' Nam, ut observavimus ad III. Theb. erat quædam ars divinandi verum ex fumo aræ, et vocabatur καπνομαντεία. Sic Theb. X. loquens Poëta de Tiresia ait: 'Ille coronatos jam pridem amplectitur ignes Fatidicum sorbens vultu flagrante vaporem.'

510 *Arma horrenda tibi, &c.*] Hinc apparet nullos immunes a bello apud Græcos, non ipsos etiam sacerdotes.

511 *Violabere vittas*] More Græco accusativum posuit. Id est, nunquam violabuntur vittæ tuæ a galea.

514 *Jamdudum trepido, &c.*] Hanc mutationem efficit in vatibus ἐνθουσιασμός.

515 *Deum*] Apollinem.

516 *Thestorides*] Calchas Thestoris filius. *Genas*] Hanc vocem sæpius usurpat Papinius pro oculis.

Nunc sagas affatur aves, nunc dira sororum
Licia, thuriferas modo consulit anxius aras,
Flammarumque apices rapit, et caligine sacra
Pascitur: exsiliunt crines, rigidisque laborat
Vitta comis, nec colla loco, nec in ordine gressus.
Tandem fessa tremens longis mugitibus ora
Solvit, et oppositum vox eluctata furorem est:
Quo rapis ingentem magni Chironis alumnum
Fœmineis, Nerei, dolis? huc mitte: quid aufers?
Non patiar: meus iste, meus: tu Diva profundi,
Et me Phœbus agit: latebris quibus abdere tentas
Eversorem Asiæ? video per Cycladas altas

quitur volucres præscias futuri, nunc inexorabilia stamina Parcarum, nunc solicitus consulit altaria thurifera, et haurit fastigia ignis, et vescitur sacro fumo. Capilli ejus arriguntur, et infula fatiscit sublatis crinibus: collum huc et illuc rotatur, et pedes titubant. Tandem trepidans, recludit longo clamore os fatigatum, et vox evicit furorem, cujus opposit u illa impediebatur. Quo tollis, o Nerei, dolis muliebribus ingentem discipulum magni Chironis? Huc mitte: quid nobis aufers? non feram. Meus iste, meus est. Tu sane Dea maris es, sed Apollo me possidet. Quibus latebris conaris abscondere destructorem Asiæ? Cerno te consternatam, inda-

Burg. *deprendit in pectore.*—519 *Nunc sagax* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Venett. Rom. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *Nunc sagros*, i. e. *sacros* Exc. Burg. *Nunc sagas* Dan. Put. Petav. Lindenbrog. Cruc. et recentt. quomodo conj. Bernartius. *dira sororum* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant.—523 Venett. *in ordine crines.*—534 Codd.

NOTÆ

520 *Thuriferas modo consulis anxius aras*] Sic Theb. III. 'Thurea nec supra volitante altaria fumo.' Et intelligit, ut jam diximus, *καπνομαντείαν*, seu vaticinationem ex fumo thuris supra aras.

521 *Flammarumque apices*] Vide supra vs. 505. *Et caligine sacra Pascitur*] Nam etsi oculis non cerneret, cernebat tamen mente; nam tunc videbat Thetidem filium asportantem, et occultantem in Scyro, tanquam esset præsens. Sic Theb. de Amphiarao: 'Et immensi fruitur caligine mundi.'

522 *Exsiliunt crines, rigidisque laborat Vitta comis*] Noster Theb. X. 'Stant tristes horrore comæ, vittasque trementes Cæsaries insana levat.' Virgilius: 'Non comtæ mansere comæ.'

525 *Et oppositum vox eluctata furorem*] Cujus vehementia et opposit u vox impediebatur.

526 *Chironis alumnum*] Achillem.

527 *Nerei*] Thetis.

528 *Meus iste, meus*] Fatis scilicet mihi debetur et Græciæ. *Tu Diva profundi, &c.*] Hoc dicit, quasi petat veniam a Thetide, quod prodat ejus fraudes ac arcana; sed sibi ignosci petit, quia a Deo rapitur, cui resistere non potest.

530 *Eversorem Asiæ*] In fatis enim erat, ut jam supra diximus, Trojam

Attonitam, et turpi quærentem littora furto.
Occidimus: placuit Lycomedis conscia tellus.
O scelus! en fluxæ veniunt in pectora vestes.
Scinde, puer, scinde, et timidæ ne crede parenti.
Hei mihi, raptus abit! quænam hæc procul improba virgo?
Hic nutante gradu stetit, amissique furoris
Viribus ante ipsas tremefactus corruit aras.
Tunc hærentem Ithacum Calydonius occupat heros:
Nos vocat iste labor: neque enim comes ire recuso,
Si te cura trahit: licet ille sonantibus antris
Tethyos adversæ gremioque prematur aquoso

gantem per excelsas Cycladas littora apta occultando turpiter filio. Periimus: conscia terra Lycomedis illi placuit. O flagitium! En fœmineæ vestes eum tegunt. Puer lacera, lacera, nec adhibeas fidem pavidæ matri. Heu me, ablatus abscedit. Quænam est hæc virgo improba, quam procul cerno, quæ eum rapit? Hic hæsit labante gressu, et trepidans cecidit ante aras, extincto furore quo sustinebatur. Tunc heros Calydonius prævenit cogitantem Ulyssem. Hæc opera ad nos spectat: neque enim recuso tecum proficisci, (si vis rem suscipere,) etsi ille occultetur in strepentibus cavernis meridianæ Tethyos et in undoso sinu Nerei, tu hunc reperies.

Lindenbrogii: *cede parenti.*—535 In iisdem: *hæc est improba virgo.*—536 *Tunc nutante gradu* Put. *amissisque furoris* Exc. Burg. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. et Cruc. 'Melius unæ membranæ *emissisque:* intus enim eum occupaverat.' *Barth.*—540 Petrens. Lang. Laur. Buslid. et Lipsian. *Si tua cura*, probante Gronovio. Vide Not. Var. *Si tua cura trahat* Burm. *Si te cura trahit* Venett. Rom. Aldd. &c.—541 *Tethidos* Exc. Burg. *Thetyos* inscite Bipontina. Vide

NOTÆ

expugnari non posse sine Achille. *Cycladas*] Vide supra.

532 *Occidimus*] Ingemiscit Achillem occultari inter mulieres fœmineo habitu. *Lycomedis conscia tellus*] Scyros insula. *Conscia*] Quasi illa insula novisset occultatum Achillem.

533 *Et fluxæ veniunt in pectore vestes*] Respexit ad illud supra: 'Innectitque sinus.' Nam vestes muliebres fluxæ sunt, ac sinuosæ.

534 *Scinde, puer, &c.*] Quasi alloquatur præsentem Achillem, illum hortatur, ut scindat ignominiosas vestes.

535 *Hei mihi, raptus abit*] Dolet quod Achilles amore Deidamiæ illectus tandem succumbat, et obliviscatur se hominem esse. *Quænam hæc procul improba virgo*] Deidamia, quæ sua pulchritudine causa erat, cur Achilles latere vellet.

537 *Corruit*] Recedente spiritu quo sustinebatur.

538 *Ithacum*] Ulyssem Ithacæ principem. *Calydonius heros*] Diomedes.

539 *Comes*] Sic inducitur ab Homero.

540 *Si te cura trahit*] Melius scripta: *Si tua cura trahit.* Tuum consilium, res a te suscipienda et gerenda.

541 *Adversæ*] Non 'iratæ nobis,' ut habet Scholiastes, sed accipien-

Nereos, invenies: tu tantum providus astu
Tende animum vigilem, fœcundumque erige pectus:
Nam mihi quis vatum dubiis in casibus ausit
Fata videre prior? Subicit gavisus Ulixès:
Sic Deus omnipotens firmet, sic annuat illa
Virgo paterna tibi: sed me spes lubrica tardat:
Grande equidem armatum castris inducere Achillem.
Sed si fata negent, quam fœdum ac triste reverti!
Vota tamen Danaum non intentata relinquam.
Jamque adeo aut aderit mecum Peleius heros,
Aut verum penitus latet, et sine Apolline Calchas.
Conclamant Danai, stimulatque Agamemno volentes:

Tu tantum solerti astutia acue vividum ingenium, et concute fœcundum pectus: nam quis vatum audeat melius te videre in rebus occultis, quid sit venturum? Lætus Ulysses refert: Sic Deus omnipotens propitius sit; sic virgo paterna tibi faveat. Sed incerta spes me remoratur. Magnum sane est adducere in castra armatum Achillem; sed si fata prohibeant, quam turpe et acerbum re infecta redire! Non tamen frustrabo desideria Græcorum. Jamque adeo, aut heros filius Pelei mecum veniet, aut verum prorsus occultatur, et Calchas sine Phœbo est. Danai conclamant, et Agamemnon inflammat ardorem Ulyssis et Diomedis. Solvitur conventus, et

ad vs. 222. *prematur aquosi* Put. *prematur aquosæ* Petav.—544 *Nam te* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et edd. vett. *Nam mihi* Exc. Burg. Petrens. Dan. Put. Petav. Gronov. Barth. Veen. et Delph.—546 Edd. vett. punctum habent post *firmet.*—547 Exc. Burg. *mens lubrica versat;* Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *spes lubrica versat;* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Petrens. Lindenbrog. Cruc. et recentt. *spes lubrica tardat.*—548 *Grande quid armatum* Petrens. *Grande quidem* Burm. et Exc. Burg. *educere Achil-*

NOTÆ

dum ut Theb. VIII. 358. 'Qualis ubi adversi secretus pabula cœli Nilus, et Eoas magno bibit ore pruinas.' Sic enim plures, et meliores, non *aversi*, ut vulgata. Polum Antarcticum intelligit, et bene Lactantius: *adversi*, Meridiani. *Tethys* autem, genitivo *Tethyos*, uxor Oceani.

542 *Nereos*] Nereus erat pater Thetidis.

543 *Fœcundumque erige pectus*] Virgilius: 'Fœcundum concute pectus.' *Fœcundum* vero ubi multa sunt consilia.

544 *Nam mihi quis vatum, &c.*] Dicit sapientem plus videre perspicacia mentis quam vatem, qui errori obnoxius est: unde Cicero Græcorum sapientissimum vocat Ulyssem.

547 *Virgo paterna*] Minerva, quam Theb. VIII. videmus semper comitantem in acie Tydea, ipsique faventem in omnibus.

550 *Danaum*] Græcorum.

551 *Peleius heros*] Achilles Pelei filius.

553 *Agamemno*] Nominativus Latinus. Quæ Græci in *on* Latini in *o* ponunt. *Volentes*] Ulyssem et Diomedem.

Laxantur cœtus, resolutaque murmure læto
Agmina discedunt: quales jam nocte propinqua
E pastu referuntur apes, vel in antra reverti
Melle novo gravidas mitis videt Hybla catervas.
Nec mora, jam dextras Ithacesia carbasus auras
Poscit, et in remis hilaris sedere juventus.
At procul occultum falsi sub imagine sexus
Æaciden furto jam noverat una latentem
Deidamia virum: sed opertæ conscia culpæ
Cuncta pavet, tacitasque putat sentire sorores.
Namque ut virgineo stetit agmine clarus Achilles,
Exsolvitque rudem genitrix digressa pudorem,
Protinus elegit comitem, (quanquam omnis in illum

copiæ discedunt alacri clamore. Quales volucres revertuntur e pastu, nocte jam veniente; vel placida Hybla cernit turbas onustas novo melle redeuntes in alvearia. Nec mora. Jam vela Ithaca expectant secundos ventos: et alacris pubes in transtris sedendo remos movet. At longe Deidamia jam experta fuerat clandestino concubitu Æacidem virum esse, latentem sub specie simulati sexus; sed conscia occulti criminis reformidat omnia, et credit sorores illud scire, quamvis nihil dicant. Nam ubi pulcher Achilles admissus fuit in puellarum cœtum, et matris discessus excussit primum pudorem, extemplo assumit sociam Deidamiam, (etsi omnes puellæ ad eum

lem Put.—556 *E pastu referuntur aves* Dan. Put. Petav. Lindenbrog. et Cruc. —557 *Vere novo* legit Joannes Gebhardus ad Tibull. lib. II. Eleg. 1. hoc habet etiam Lang.—559 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. *et in transtris hilaris residere juventus;* Dan. Put. Petav. Lindenbrog. et Cruc. *et in remis hilaris sedere juventus;* Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *et in transtris hilaris sedere juventus.* Vide Not. Var. ad Theb. II. 158.—564 Dan. Petav. Lang. Laur. Buslid. et Lipsian. *stetit in grege clarus;* Exc. Burg. et Put. *stetit agmine durus;* et hic *durus* nihil aliud est quam *clarus;* coaluere enim literæ *c* et *l*.—

NOTÆ

557 *Hybla*] Hybla mons Siciliæ, thymi copia, et salicum, abundans apibus, una cum oppido ejusdem nominis: ut Hymettus in Attica.

558 *Ithacesia*] Ulyssis.

559 *In remis juventus*] Sunt juvenes remiges, vel remos manibus tenentes et moventes. Sic Theb. IV. 'Sic Ambracii per littora ponti Nauticus in remis juvenum monstrante magistro Fit sonus.' Valerius Flaccus lib. V. 'In vittis geminæ cum lumine tædæ Colchis.' Quidam impressi habent *transtris*, pro *remis*.

561 *Furto*] Id est, furtivo concubitu.

562 *Sed opertæ conscia culpæ Cuncta pavet, tacitasque putat sentire sorores*] Mire expressit, quod fit in animo hominum post commissum crimen: timent omnia, et putant alios scire quod fecerint, sed dissimulare.

566 *Comitem*] Deidamiam.

Turba coit,) blandeque novas nil tale timenti
Admovet insidias: illam sequiturque, premitque
Improbus: illam oculis iterumque iterumque resumit.
Nunc nimius lateri non evitantis adhæret:
Nunc levibus sertis, lapsis nunc sponte canistris,
Nunc thyrso parcente ferit: modo dulcia notæ
Fila lyræ, tenuesque modos, et carmina monstrat
Chironis, ducitque manum, digitosque sonanti
Infringit citharæ: nunc occupat ora canentis,
Et ligat amplexus, et mille per oscula laudat.
Illa libens discit, quo vertice Pelion, et quis
Æacides, puerique auditum nomen et actus
Assidue stupet, et præsentem cantat Achillem.
Ipsa quoque et validos proferre modestius artus,
Et tenuare rudes attrito pollice lanas
Demonstrat, reficitque colos, et perdita dura
Pensa manu; vocisque sonum, pondusque tenentis,

tendant,) et blande novus insidias struit illi nihil tale metuenti. Illam sequitur, premitque lascivus, rursus rursusque figit in illa oculos. Nunc nimium adhæret lateri non refugientis. Nunc sertis eam leviter percutit, nunc canistris tanquam casu lapsis, nunc thyrso parcente. Modo docet gratas chordas notæ citharæ, et dulces modulationes, et carmina Chironis, et dirigit manum, et impingit digitos lyræ modulanti. Nunc os ori cantantis admovet, nectitque amplexus, et eam laudat mille dando suavia. Hæc libens eruditur, quam sit altus Pelion, quis sit Æacides, et audiendo nomen et acta adolescentis, semper miratur et canit præsentem Achillem. Ipsa quoque eum docet ferre decentius robusta membra, et subtilius nere stricto pollice informes lanas, et reficit colos, et stamina disturbata valida manu. Stupet so-

569 Exc. Burg. *iterumque revisit.*—570 Lang. Laur. Buslid. et Lipsian. *non evitantis inhæret.*—574 Put. *digitosque sonantis.*—575 *Infigit citharæ* Petrens. *Insertat citharæ* codex Heinsii, ut Theb. IV. 'citharæque manus insertat Apollo.'—576 *Et ligat amplexu* Fr. Modius.—579 Lang. Laur. Buslid. Lip-

NOTÆ

569 *Resumit*] Morem amantium mire exprimit, quorum oculi visu amicæ satiari non possunt.

571 *Lapsis nunc sponte canistris*] Tanquam casu lapsi essent.

572 *Thyrso parcente*] Ita, inquit, librato ictu percutiebat, ut non nimis cæderet.

574 *Ducitque manum*] Supple puellæ.

575 *Occupat*] Osculo scilicet.

577 *Quo vertice Pelion*] Id est, quam sit altus Pelion.

583 *Vocisque sonum*] Quod viri, non mulieris esset vox.

Quodque fugit comites, nimio quod lumine sese
Figat, et in verbis intempestivus anhelet,
Miratur: jam jamque dolos aperire parantem
Virginea levitate fugit, prohibetque fateri.
Sic sub matre Rhea juvenis regnator Olympi
Oscula securæ dabat insidiosa sorori
Frater adhuc, medii donec reverentia cessit
Sanguinis, et veros germana expavit amores.
Tandem detecti timidæ Nereidos astus.
Lucus Agenorei sublimis ad orgia Bacchi
Stabat, et admissum cœlo nemus: hujus in umbra
Alternum revocare piæ Trieterica matres

num vocis, et pondus amplexantis, quodque evitet alias, quod se respiciat nimium intentis oculis, et inopportunus suspiret in medio sermone. Et jam puellari levitate fugit illum, dum volebat suas fraudes detegere, vetatque ne se prodat. Sic juvenis dominator cœli affigebat coram Rhea matre fraudulenta suavia sorori nihil timenti, adhuc frater; donec pudor consanguinitatis sese opponentis recessit, et soror exhorruit mutatos amores. Tandem artes pavidæ Nereidos patuerunt. Lucus erat excelsus, consecratus orgiis Bacchi Agenorei, et sylva provehebatur in cœlum. In illius umbra religiosæ matronæ consueverant renovare vicibus sacra triennalia, et portare

sian. Dan. Put. Petav. et Venett. *laudat Achillem.*—584 ‘In una membrana scriptum est *fugat;* quod nimirum solus cum sola cupit esse. Nihil temere mutandum.’ *Barth.*—591 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Aldd. Colin. Gryph. et Basil. *et versos germana;* Dan. Put. Petav. Bern. Lindenbrog. Cruc. et Gevart. *et versos germanæ.*—594 ‘Barde faciunt, qui malunt *admistum;* illud

NOTÆ

584 *Quodque fugit comites*] Omnia hæc certa indicia amoris.

585 *Intempestivus anhelet*] Id est, suspiret, quod fit præ violentia amoris.

586 *Dolos aperire parantem* [*volentem*] Volentem se detegere.

587 *Prohibetque fateri*] Fugiendo enim nihil loci relinquebat Achilli ad se detegendum.

588 *Sub matre Rhea*] Id est, cum adhuc Jupiter et Juno educarentur sub matris imperio. *Regnator Olympi*] Jupiter.

589 *Securæ*] Nihil tale a fratre timenti. *Sorori*] Junoni.

590 *Frater adhuc*] Tantum frater, et nondum conjux.

591 *Et veros* [*versos*] Bernartius legit *veros* ex vetusto codice. Similis fere locus apud Nostrum Theb. x. ‘Ipsa illic magni thalamo desponsa Tonantis, Expers connubii, et timide positura sororem, Lumine demisso pueri Jovis oscula libat Simplex, et nondum furtis offensa mariti.’

592 *Nereidos*] Thetidos Nerei filiæ.

593 *Agenorei Bacchi*] Quia Bacchus trahebat originem ab Agenore rege Tyri; nam Semele, mater Bacchi, filia erat Cadmi, qui erat filius Agenoris.

595 *Alternum revocare piæ Trieterica matres*] Quidam Codices: *Alternæ renovare.* Fortasse scribendum: *Alternam revocare piæ Trieterida matres.*

Consuerant, scissumque pecus, terraque revulsas
Ferre trabes, gratosque Deo præstare furores.
Lex procul ire mares: iterat præcepta verendus
Ductor, inaccessumque viris edicitur antrum.
Nec satis est: stat fine dato metuenda sacerdos,
Exploratque aditus, ne quis temerator oberret
Agmine fœmineo: tacitus subrisit Achilles.
Illum, virgineæ ducentem signa catervæ,
Magnaque difficili solventem brachia motu,
(Et sexus pariter decet, et mendacia matris,)
Mirantur comites: nec jam pulcherrima turbæ

dilacerata pecora, et arbores eradicatas tellure, et dare Deo gratum furorem. Lex longe arcet mares. Venerabilis princeps iterat edicta, et specus declaratur inaccessus hominibus. Nec hoc sufficit. Sacerdos veranda stat in præscripto termino, et observat aditus, ne quis violator immisceatur muliebri turbæ. Achilles tacitus subrisit. Sociæ admirantur illum ducentem primos ordines virgineæ catervæ, et solventem tardo motu ingentes lacertos: et sexus, et materni vestitus et ornatus eum pariter decent. Nec jam Deidamia formosissima est suæ turbæ, et adjuncta au-

enim est in scriptis, et longe ποιητικώτερον.' *Barth.*—596 Put. *spissumque pecus;* alius Lindenbrogii codex: *sacrumque pecus.*—599 Put. *educitur antrum.* —604 Unus Barthii: *volventem brachia motu;* Petav. aliusque Lindenbrogii

NOTÆ

Solet enim Papinius *Trieterida* dicere pro trietericis. Lib. IV. 'Et atra sacrum recolit trieteris Ophelten.' Lib. VII. 'Da, parve, tuum trieteride multa Instaurare diem.' Lib. IX. 'Cum Bacchica mugit Buxus, et insanæ maculant trieterida matres.' Silius lib. IV. 'Edonis ut Pangæa super trieteride mota It juga, et inclusum suspirat pectore Bacchum.' *Trieterica* vero seu *Trieteris* dicitur sacrum, quod tertio quoque anno celebratur, ut orgia Bacchi.

596 *Scissumque pecus terraque revulsas Ferre trabes*] Furentes enim Bacchæ pecora laniabant, vellebantque arbores. Sic lib. IV. in descriptione exercitus Bacchi, Poëta inquit: 'Post exultantes spolia armentalia portant Seminecesque lupos scissasque Mimallones ursas.'

597 *Deo*] Baccho.

598 *Lex procul ire mares*] Solæ enim mulieres hæc sacra celebrabant, iisque interesse sub gravibus pœnis mares prohibebantur. *Verendus ductor*] Lycomedes.

601 *Oberret*] Ut fecit Publius Clodius in sacris Bonæ Deæ, qui, Pompeiæ uxoris Cæsaris amore captus, muliebri veste domum Cæsaris, dum per noctem sacrificia fiebant, ingressus est, et detectus sacra disturbavit.

602 *Subrisit Achilles*] Quod sacerdos eum tanquam fœminam sineret intrare.

604 *Difficili*] Tardo, pudico, ut virginem decet.

605 *Et mendacia matris*] Vestis muliebris, ornatus, gestus, ex præceptis Thetidis.

Deidamia suæ, tantumque admota superbo
Vincitur Æacide, quantum premit ipsa sorores.
Ut vero a tereti demisit nebrida collo,
Errantesque sinus hedera collegit, et alte
Cinxit purpureis flaventia tempora vittis,
Vibravitque gravi redimitum missile dextra;
Attonito stat turba metu, sacrisque relictis
Illum ambire libet, pronosque attollere vultus.
Talis, ubi ad Thebas vultumque animumque remisit
Evius, et patrio satiavit pectora luxu;
Serta comis, mitramque levat, thyrsumque virentem
Armat, et hostiles invisit fortior Indos.
Scandebat roseo medii fastigia cœli

daci Achilli, tantum ab eo superatur, quantum ipsa superat sorores. Ut autem demisit nebrida a tereti collo, et constrinxit hedera sinuosam vestem, et celse redimiit flava tempora purpureis vittis, et jaculatus est valida manu thyrsum ornatum pampinis et hedera; caterva hæret timore percussa, et relinquens sacra cingit illum, et erigit demissos vultus. Talis Evius, ubi animum relaxavit apud Thebas, et explevit pectus patrio luxu, detrahit a capite coronas, et mitram, et munit ferro thyrsum virentem, et animosior aggreditur inimicos Indos. Luna subibat purpureo curru

codex: *brachia nexu.*—611 Petav. *pallentia tempora.*—616 *Evius et multo* Lang. Laur. Buslid. et Lipsian.—518 Codd. Barthii: *invadit;* quod non displicet Burmanno; Petrens. Petav. Dan. Lang. Laur. Buslid. et edd. omnes

NOTÆ

609 *Nebrida*] Pellem cervi, quam ferebant Bacchæ, cujus, secundum Plinium, effectus est, ut super eam dormientes serpentum accessum non timeant.

610 *Hedera*] Quæ Baccho dicata est.

612 *Redimitum*] Hedera et pampino.

614 *Pronosque*] Id est, demissos, ut virgineos.

615 *Thebas*] Intelligit Bœotias, quæ patria Bacchi.

616 *Evius*] Bacchus.

617 *Mitramque*] Hinc Bacchus *μιτροφόρος* dictus est. Mitra autem redimiculum Bacchi, et ejus mystarum. Hæc vox significat vinculum, fasciolamve. Est ubi pro cingulo sumatur. Itaque *ἀμίτρους devirginatas* exponit Scholiastes Callimachi in Hymno Dianæ; *μίτρας γὰρ*, inquit, *ἐζώννυντο, ἃς ἔλυον ὅταν ἔμελλον διαπαρθενεύεσθαι. Cingula sumebant, eaque solvebant virgines, cum imminuendæ erant. Virentem*] Pampinis enim muniebatur Thyrsus.

618 *Armat*] Ferro scilicet. *Hostiles*] Hostes. *Indos*] Bacchus enim debellavit Indos.

619 *Scandebat, &c.*] Describit noctem per lunam.

Luna jugo, totis ubi somnus inertior alis
Defluit in terras, mutumque amplectitur orbem.
Consedere chori, paulumque exercita pulsu
Æra tacent: tenero cum solus ab agmine Achilles
Hæc secum: Quonam timidæ commenta parentis
Usque feres? primumque imbelli carcere perdes
Florem animi? non tela licet Mavortia dextra,
Non trepidas agitare feras? ubi campus et amnes
Hæmonii? quærisne meos, Sperchie, natatus,
Promissasque comas? an desertoris alumni
Nullus honos? Stygiasque procul jam raptus ad umbras
Dicor? et orbatus plangit mea funera Chiron?
Tu nunc tela manu, nostros tu dirigis arcus,
Nutritosque mihi scandis, Patrocle, jugales:
Ast ego pampineis diffundere brachia thyrsis,
Et tenuare colos (pudet heu, tædetque fateri!)
Jam scio: quin etiam dilectæ virginis ignem,
Æquævamque facem, captus, noctesque diesque

culmen medii cœli, ubi pigrior Somnus cadit totis pennis in terram, et involvit taciturnum orbem. Saltationes cessant, et pulsata cymbala paulum silent: cum Achilles semotus a molli turba hæc secum reputat. Quonam usque feres vestem muliebrem, qua meticulosa mater te induit, et consumes in ignavis latebris primum vigorem animi? Non datur manu vibrare bellica tela, nec insequi pavidas bestias? Ubi agri et fluvii Hæmoniæ? Nonne, o Sperchie, postulas natatus meos, et votos crines? An nulla cura alumni, qui te reliquit? Jamne dicor longe raptus ad inferos manes? et Chiron orbatus plorat meam mortem? Tu nunc, Patrocle, geris nostras sagittas, tu intendis nostros arcus, et ascendis equos quos alui. Sed ego jam calleo jactare manu pampineos thyrsos, et nere: (erubesco heu, pigetque confiteri!) quinetiam captus forma æquævæ vir-

ante Gronov. *invasit;* Put. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *invisit.*—622 Exc. Burg. *exercita cursu;* Toll. ad Auson. p. 391. ex libris scriptis profert: *paulumque exercita plausu;* quod verum putat.—628 *Sperchie meatus* Petav.—630 Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *ad undas;* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Exc. Burg. et Petrens. *ad umbras.*—636 Codd. Lindenbro.

NOTÆ

620 *Alis*] Quas habere dicitur.

623 *Æra*] Cymbala, quæ in sacris Bacchi pulsabantur.

629 *Promissasque comas*] Voverat enim comas Sperchio, ex more.

633 *Patrocle*] Patroclus enim remanserat apud Chironem.

637 *Æquævamque facem*] Id est, amorem æquævæ virginis Deidamiæ.

Dissimulas? quonam usque premes urentia pectus
Vulnera? teque marem (pudet heu!) nec amore probabis?
Sic ait, et densa noctis gavisus in umbra
Tempestiva suis torpere silentia furtis,
Vi potitur votis, et toto pectore veros
Admovet amplexus: risit chorus omnis ab alto
Astrorum, et teneræ rubuerunt cornua Lunæ.
Illa quidem clamore nemus montemque replevit:
Sed Bacchi comites, discussa nube soporis,
Signa choris indicta putant: fragor undique notus
Tollitur, et thyrsos iterum vibrabat Achilles.
Ante tamen dubiam verbis solatur amicis:
Ille ego, (quid trepidas?) genuit quem cœrula mater
Peliacis sylvis, nivibusque immisit alendum
Thessalicis: neque ego hos cultus, aut fœda subissem

ginis tegis dies noctesque tuam flammam? Quonam usque celabis plagas urentes pectus, nec amore, pudet heu, declarabis te marem esse? Sic inquit, et lætus opportunum silentium obscuræ noctis suis furtis favere, vi fruitur puella, et adhibet toto pectore veros amplexus. Omnis multitudo astrorum risit, et cornua teneræ lunæ rubuerunt. Illa quidem Deidamia replevit clamoribus montes et sylvas; sed sociæ Bacchi, excussa somni caligine, arbitrantur signum dari saltationibus. Assuetus strepitus undique editur, et Achilles denuo vibrabat thyrsos. Antea tamen solatur anxiam lenibus verbis: Quid tremis? ille ego sum, quem cæruleu genitrix peperit, et quem misit educandum in nemoribus Pelii, et nivibus Thessaliæ. Neque ego induissem hæc indumenta, aut tulissem turpes vestes, nisi te prius aspexissem



gii: *dilectæ juvenis ignem.*—638 Iidem codd. cum Venett. *feres urgentia pectus.*—639 Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *nec amore probaris;* Dan. Put. Petav. Exc. Burg. Petrens. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Lindenbrog. Cruc. et recentt. *nec amore probabis.*—643 Put. *vidit chorus.*—646 Petav. aliusque item Lindenbrogii: *discussa nocte soporis.*—648 'Non *iterum* sed *olim* scriptum est in antiquis libris.' *Barth.*—649 Nonnulli codd. et Venett. *verbis affatur amicis.*—651 *Hæmoniis sylvis* Dan. Put. et Petav.—657 *Sed patria ante*

NOTÆ

639 *Teque marem, &c.*] Quasi arguat se, quod quamvis in omnibus dissimularet virum, saltem in amore non debuisset dissimulare.

642 *Veros*] Quia prius fictos et virgineos putabat Deidamia.

643 *Risit chorus omnis ab alto astrorum*] Virgilius: 'Sed faciles nymphæ risere.'

644 *Et teneræ rubuerunt cornua Lunæ*] De Luna, quæ et Diana, decenter dixit *rubuerunt* propter virginitatem illius.

647 *Signa choris indicta putant*] Nam clamoribus dabatur signum his sacris: unde: 'Nocturnusque vocat clamore Cithæron.'

650 *Cærula mater*] Dea marina.

Tegmina, ni primo te visa in littore: cessi
Te propter: tibi pensa manu, tibi mollia gesto
Tympana: quid defles magno nurus addita ponto?
Quid gemis ingentes cœlo paritura nepotes?
Sed pater ante igni, ferroque excisa jacebit
Scyros, et in tumidas ibunt hæc versa procellas
Mœnia, quam sævo mea tu connubia perdas
Funere: non adeo parebimus omnia matri.
Vade, sed ereptum taceas, celesque pudorem.
Obstupuit tantis regina exterrita monstris,
Quanquam olim suspecta fides, et cominus ipsum
Horruit, et multum facies mutata fatentis.
Quid faciat? casusne suos ferat ipsa parenti?

in littore: propter te matri cessi: propter te porto colos manu, et muliebria tympana. Quid ploras nurum esse ingentis maris? Quid quereris, genitura cœlo illustres posteros? Sed tuus pater, et Scyros penitus vastabitur flammis, et ferro, et hi muri diruti mergentur in inflatos fluctus, ante quam patiar tua crudeli morte nostrum matrimonium solvi: non adeo matri obsequemur in omnibus. I, et sileas, et occultes ereptam virginitatem. Regis filia, consternata tanto prodigio, diriguit, etsi antea aliquid esset suspicata, et propius ipsum videndo horruit, et dum is fatetur, quis esset, ejus vultus mutatus videtur virum indicare. Quid agat? an ipsa

igni codex T. R. in Obss. Misc. Tom. IV. p. 395. ubi V. D. legendum putat: *Sed pater.——Ante igni, ferroque, &c.* 'id est: Sed dices, pater me occidet: nihil metuas, cum ego tuus defensor futurus sim.'—659 Codd. nonnulli Lindenbrogii: *connubia pendas;* alii ejusdem: *connubia pandas;* ceteri omnes cum edd. *connubia perdas.*—661 Venett. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. etiam codd. Lipsian. Lang. Laur. et Buslid. *sed arreptum.* Bernartius ex conjectura, ut ait, ponit *ereptum;* quod habent Petrens. Exc. Burg. Dan. Put. Petav. et codex T. R.—664 'In libris scriptis reperio: *haud multum facies mutata fatentis.* Nimirum et ante virilitatem in eo quandam senserat

NOTÆ

654 *Mollia gesto Tympana*] Tympani usus in sacris Bacchi, ut et Cybeles: illius gestatio mollis et fœminea putabatur. Hinc apud Nostrum Theb. IX. Parthenopæus exprobrat Thebanis, quod tympana ferrent. Et apud Plautum in Truculento 'Tympanotribam' pro molli sumunt interpretes.

655 *Nurus addita ponto*] Nam Thetis, mater Achillis, erat Dea marina.

656 *Cælo*] Jovi.

659 *Connubia perdas*] Pœna enim violatæ virginitatis mors.

662 *Regina*] Deidamia. *Monstris*] Et quia cognovit Achillem virum esse, et quia ille tot minatur.

663 *Quanquam olim suspecta fides*] Respicit ad illud quod supra dixit: 'Vocisque sonum, pondusque tenentis,' &c.

664 *Mutata fatentis*] Longe alia visa est facies fatentis se virum, quanquam olim suspectus erat.

Seque simul, juvenemque premat, fortassis acerbas
Hausurum pœnas? et adhuc in corde manebat
Ille diu deceptus amor: silet ægra, premitque
Jam commune nefas: unam placet addere furtis
Altricem sociam, precibus quæ victa duorum
Annuit: illa astu tacito raptumque pudorem,
Surgentemque uterum, atque ægros in pondere menses
Occuluit, plenis donec stata tempora metis
Attulit, et partus index Lucina resolvit.

prodat patri quid sibi acciderit? et perdat se, simulque adolescentem fortassis soluturum grave supplicium? et ille amor (quo diu amaverat simulatum Achillem) restabat in animo. Anxia tacet, et celat jam communem culpam. Libet unam adhibere consciam furtivo amori, quæ assensit victa amborum precibus. Illa prudenti astutia texit ereptam virginitatem, et ventrem tumentem, ac menses onere molestos, donec index Lucina, completo termino, adduxit legitimum tempus, et aperuit partum.

Deidamia.' *Barth.*—674 Codd. Lindenbrogii post hunc versum exhibent: *Explicit Achilleidos liber tertius.*

NOTÆ

668 *Ille diu deceptus amor*] Quo Achillem tanquam puellam amaverat.

669 *Jam commune nefas*] Quia cœperat assentiri, ideo *commune*, quod ante solius Achillis erat: mens enim peccat, non corpus; et unde consilium abest, culpa abest.

674 *Index*] Quod manifestat uterum celatum diu. *Lucina*] Dea quæ præest partui. *Resolvit*] Quia tendebatur antea venter. Ovidius Met. x. 'Tendit onus matrem.' Pari ratione Horatius dicit 'aperire partus:' 'Rite maturos aperire partus Lenis Ilithyia, tuere matres.'

P. PAPINII STATII

ACHILLEIDOS

LIBER II.

ARGUMENTUM.

Ulysses et Diomedes Aulide profecti ad Scyrum insulam appellunt, suisque remanere in navi jussis, ne terrerent, soli urbem petunt. Nacti ad portas Lycomedem regem, Ulysses, qui sint, exponit: proculdubio belli famam a Græcis contra Trojanos suscepti ad eum pervenisse: se missos exploratum, quid hostes agerent: omnia illi fateri, ut Græco, et fide notissimo. Lycomedes humanissime exceptos in regiam inducit; paratisque epulis, filias earumque comites accersi jubet, inter quas Ulysses sagacitate sua Achillem statim agnoscit. Cum autem doleret Lycomedes, quod per ætatem tam justo bello interesse non posset, Ulysses tempus arripit hanc expeditionem mirum in modum extollendi: non digniorem usquam extitisse laudis acquirendæ occasionem: omnes Græciæ principes summa cum alacritate illam amplecti; additque, eum esse abjecti omnino animi, et Diis invisum, qui cum viribus polleret, hujus gloriæ amore non inflammaretur. His adeo commotus est Achilles, ut se prodidisset illico, nisi Deidamia, quæ id animadverterat, surgens hunc sociasque secum abduxisset. Egressis virginibus, Ulysses divinam earum formam summis effert laudibus. Interpellat Lycomedes, aitque magis eas admiraturum, si sacra Bacchi ferentes, et circa Minervæ aras saltantes cerneret: quod crastina die, si vellent, se exhibiturum promittit. Acceptant avidi, ut suo consilio utile. Vix dies illuxit, cum Diomedes, Agyrta tubicine comitatus, ex nave affert thyrsos, cymbala, tympana, et alias merces ad detegendum Achillem comparatas. Sacris peractis, in regiam se recipiunt puellæ, ubi has merces collocatas vident; inter quas Ulysses clypeum et hastam poni jusserat. Orat virgines, ut quid magis arrideret eligant, nec pater prohibet. Hæ thyrsos, hæ tympana capiunt, aliæ alia. Verum ut Achilles suam conspexit in fulgenti clypeo imaginem, erubuit simul et horruit. Quo viso Ulysses prope accedens: Quid hæres? ait: scimus te Achillem esse: tota Græcia te expectat. Tunc Agyrtes signo dato tuba insonat. Fugiunt puellæ, et Achilles clypeum hastamque arripit. Et conversus ad Lyco-

medem, Tibi, inquit, Achillem ad Græcos mittendi gloria erat reservata. Simulque fassus suos et Deidamiæ amores, sibi illique ignosceret, postulat, eamque uxorem petit; quem ut citius flecteret, filium ad ejus pedes projicit. Jungunt preces Græci. Tandem vincitur Lycomedes. Confirmatur affinitas, et nox securos amantes jungit. Deidamia vero, cogitans promtum Achillis discessum, effunditur in lacrymas, eumque complexa queritur, quod eadem nox eum sibi daret adimeretque: orat propriæ saluti consulat: non vanos Thetidis metus: suus reverteretur: timere se ne Trojanæ, ipsaque Helena ejus animum suis blanditiis illecebrisque expugnent. Achilles afflictam solatur, fidemque jurat, ei promittens Trojanas captivas, et diruti Ilii spolia. Summo mane navem conscensurus, Diis marinis, præcipue vero Neptuno, avoque Nereo, monente Ulysse, sacrificat, et juvenca matrem placat. Dum vela faciunt, Achilles Ulyssem rogat, sibi causam belli inter Græcos et Trojanos exponeret. Ulysses rem altius repetit: Deas de pulchritudine contendentes ad judicium Paridis fuisse missas: Paridem illectum promissis Veneris, se ei daturam Helenam omnium Græcarum formosissimam, Deæ præmium adjudicasse: deinde illum cum ingenti classe ivisse Spartam, raptamque Helenam Trojam abduxisse: inde Græcos, justo dolore accensos, bellum Trojanis denuntiasse. Heroës Achillem vicissim rogant, sibi diceret, quæ ejus pueritiæ primordia fuerant, quibus exercitationibus ejus corpus corroboraverit Chiron, quibusque disciplinis animum ingeniumque excoluerit. Quod, summa cum modestia, Achilles exequitur.

JAMQUE per Ægæos ibat Laërtia fluctus
Puppis, et innumeræ mutabant Cycladas auræ;

Et jam navis Ulyssis, Laërtæ filii, navigabat Ægeum mare, et innumeri venti ostendebant modo hanc Cycladum, modo illam. Jam Paros et Olearos occultuntur.

Argumentum quod sequitur exhibent codd. Lindenbrogii:

Tandem exoptata Scyro potiuntur Achivi.
Nititur Æaciden, dum libant fercula mensis,
Noscere; sed nondum plene tunc discit Ulyxes.
Tum ducibus Graiis demum manifestus Achilles
In sacris armisque fuit: se denique Ulyxis
Hortatu tetigit Lycomedi, et Pergama poscit.
Ut celebratus Hymen, nox conscia junxit amantes.
Deidamia viri deplorat pectore fusa.

NOTÆ

1 *Laërtia*] Ulyssis, cujus pater Laërtes.

2 *Innumeræ*] Quia, cum ipsis navigandum erat per Cycladas, quæ hinc et illinc sparsæ erant, rectum cursum tenere non poterant; sed cogebantur gubernaculum varie flectere, et sinus velorum ventis pandere, qui hoc modo in momenta semper mutabantur: ideo 'innumeras au-

Jam Paros, Olearosque latent; jam raditur alta
Lemnos, et a tergo decrescit Bacchica Naxos,
Ante oculos crescente Samo; jam Delos opacat
Æquor: ubi excelsa libant carchesia puppe,
Responsique fidem, et verum Calchanta precantur.
Audiit Arcitenens, Zephyrumque e vertice Cynthi
Impulit, et dubiis pleno dedit omina velo.
It pelago secura ratis: quippe alta Tonantis
Jussa Thetin certas fatorum vertere leges

Jam excelsa Lemnos prope legitur, et Naxos Baccho sacra decrescit a tergo, Samo crescente ante oculos. Jam Delos obumbrat mare. Ibi fundunt crateras ex alta puppe, petuntque ab Apolline effectum responsi, et ut Calchas verus appareat. Arcitenens Apollo audiit, immisitque Favonium e cacumine Cynthi, et præbuit plenis velis certa præsagia. Tuta navis vadit per mare: nam imperia magni Jovis pro-

3 'Scribendum *Oliaros* in Papinio, ut et in Virgilio Æn. III. 126. et Strabone lib. x.' *Barth.* Stephanus de ea: *'Ωλίαρος νῆσος τῶν Κυκλάδων μία.*—4 Gavel Notis ad Luciani Ocypodem 171. Obss. Misc. Tom. x. p. 439. ex codd. suis manuscriptis legit: *Bacchia Naxos.* Vide Eurip. Cycl. 445. et Nic. Heins. et Burm. ad Ovid. Met. III. 518.—6 Edd. vett. *ibi celsa libant;* codd. Lindenbrogii: *ibi excelsa libant;* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Petrens. et Exc. Burg. cum edd. Gronov. Barth. et Veen. *ubi excelsa libant.*—11 Aldd. Colin.

NOTÆ

ras' vocat. *Mutabant Cycladas*] Quia modo hanc, modo illam ostendebant, cum aliquas præterirent, aliquas adirent.

3 *Paros, Olearos*] Duæ e Cycladibus. *Latent*] Quia relictæ post terga in horas minores videntur: unde jam remotæ minus videbantur, et quasi 'latebant.' *Altæ*] Propter montes.

4 *Lemnos*] Vide Theb. v. *Decrescit*] Naturale est enim, ut quanto magis ab uno loco digredimur, is conspectui nostro subtrahatur, minorque appareat, ac sic 'decrescat,' quoniam sub minoribus et minoribus angulis cernitur: e contra ea nobis magis appareant, quibus appropinquamus, quia sub majoribus sensim et majoribus angulis cernuntur; unde infert 'ante oculos crescente Samo.' *Bacchica Naxos*] Insula una e Cycladibus Baccho sacra dicta propter vinum optimum.

5 *Samo*] Insula maris Icarii, patria Pythagoræ. *Jam Delos opacat Æquor*] Hoc habet ratio navigationis, ut appropinquantibus ad insulam, mare minus late videatur objectu insulæ. De Delo vide Theb. I. 702.

6 *Ubi excelsa libant carchesia puppe*] Ex more quo nautæ legentes oram vel insulam alicui Deo sacram, ipsi ob prosperum cursum libabant. Vide Achill. I. notam ad versum 285.

7 *Responsique fidem*] Ut id præstet quod Calchas prædixerat, ita ut Calchas sit veridicus.

8 *Arcitenens*] Epitheton Apollinis. *Cynthi*] Montis Deli.

9 *Pleno velo*] Hoc autem maxime omen auxit.

11 *Certas leges*] Immutabiles. Fata autem volebant, ut Achilles dete-

Arcebant ægram lacrymis, ac multa gementem,
Quod non erueret pontum, ventisque, fretisque
Omnibus invisum jam tunc sequeretur Ulixem.
Frangebat radios humili jam pronus Olympo
Phœbus, et Oceani penetrabile littus anhelis
Promittebat equis: cum se scopulosa levavit
Scyros: in hanc totos emisit puppe rudentes
Dux Laërtiades, sociosque resumere pontum
Imperat, et remis Zephyros supplere cadentes.
Accedunt jussi: magis indubitata magisque
Scyros erat, placidique super Tritonia custos
Littoris: egressi numen venerantur amicæ

hibebant Thetin mutare fixum ordinem fatorum, quæ lacrymans valde dolebat, quod non commoveret pelagus, et jam tunc insequeretur cunctis ventis et aquis odiosum Ulyssem. Jam sol, inclinata die, cœlo frangebat suos radios, et spondebat fatigatis equis pervium littus Oceani, cum Scyros scopulosa apparuit. Heros filius Laërtæ laxavit e puppe hanc versus totos funes, et jubet comites æquor resumere, et remis adjuvare languentes ventos. Jussi appropinquant. Et plus certa, plusque manifesta erat Scyros, et eminebat templum Tritoniæ Minervæ, quæ littus servabat.

Gryph. et Basil. *fatorum evertere leges;* Barthius in Notis: *fatorum tollere leges;* ubi falsus est quoad Venett. et Aldd. quæ edd. nullum punctum habent post *leges.*—17 *Permittebat equis* legit Dan. Heinsius ad Claudian. Paneg. in Prob. et Olyb. Cons. 23.—19 Put. *resumere portum.*—29 Exc. Burg. et codd.

NOTÆ

geretur et Trojam iret.

14 *Invisum*] Vide Achill. I. 94.

15 *Frangebat radios*] Bene *frangebat:* quia cum sol occidit, radii ejus franguntur ab Horizonte circulo, ut nobis videtur.

17 *Cum se scopulosa levavit Scyros*] Appropinquando enim ad illam, in horas major ac major, altiorque videbatur. Virgilius Æneid. III. 'Quarto terra die primum se attollere tandem Visa.'

18 *In hanc totos emisit puppe rudentes*] Id est, ad hanc totis velis contendit. Metaphora ab equis, quibus habenæ remittuntur.

19 *Dux Laërtiades*] Ulysses.

20 *Remis Zephyros supplere cadentes*] Id est, remigio adjuvare ventos in promovenda nave.

21 *Magis indubitata magisque Scyros erat*] Ad illam appropinquando, magis ac magis illam agnoscebant.

22 *Placidique super Tritonia custos Littoris*] Achill. I. 'Palladi littoreæ.'

23 *Egressi numen venerantur amicæ Ætolusque Ithacusque Deæ*] Mos navigantium, immo viantium, salutare Deos, vel Genios locorum, de quo Apuleius Florid. initio. Virgilius Æneid. III. 'Huc feror, hæc fessos tuto placidissima portu Accipit, egressi veneramur Apollinis urbem.' *Amicæ Deæ*] Pallas enim Græcis favit in bello Trojano, præsertim Diomedi et Ulyssi, cujus curam semper

Ætolusque Ithacusque Deæ: tum providus heros,
Hospita ne subito terrerent mœnia cœtu,
Puppe jubet remanere suos: ipse ardua fido
Cum Diomede petit: sed jam prævenerat arcis
Littoreæ servator Abas, ignotaque regi
Ediderat (sed Graia tamen) succedere terris
Carbasa: procedunt, gemini ceu fœdere juncto
Hyberna sub nocte lupi: licet et sua pulset
Natorumque fames, penitus rabiemque minasque
Dissimulant, humilesque meant, ne nuntiet hostes
Cura canum, et trepidos moneat vigilare magistros.
Sic segnes heroës eunt, campumque patentem,
Qui medius portum, celsamque interjacet urbem,
Alterno sermone serunt: prior occupat acer
Tydides: Qua nunc verum ratione paramus
Scrutari? namque ambiguo sub pectore quondam
Verso, quid imbelles thyrsos mercatus et æra,

Ætolus et Ithacus egressi adorant numen faventis Deæ. Tum heros sagax, ne consternarent repentino agmine hospitales muros, imperat suos restare in nave. Ipse subit prærupta cum fideli Diomede. Sed jam Abas præfectus arcis littoralis præcesserat eos, et renuntiarat regi peregrinam navem, sed tamen Græcam, appulsam insulæ. Progrediuntur, ceu duo lupi qui facta societate in nocte obscura, licet et propria et catulorum fames eos stimulet, penitus dissimulant furorem minasque, et vadunt demisso capite, ne cura canum referat inimicos adesse, et excitet pavidos magistros ad vigilandum. Sic tacite incedunt heroës, et miscent alternos sermones transeuntes agrum qui erat medius inter portum et altam civitatem. Ardens Tydei filius prævenit: Quonam modo molimur verum indagare? jamdudum enim agito in dubio animo, ad quos usus emeris in mediis oppidis ignavos thyrsos, et Bacchica

Lindenbrogii: *secreta tamen.*—34 *Turba canum* Put.—35 In eodem codice: *heroës pergunt,* ex glossa.—37 ‘Omnes manuscripti libri quos Lindenbrogius, nos, et Jodocus Sincerus contulerunt, *terunt* referunt. Ipse Sincerus, sive Zinzerlingius, Promuls. cap. 20. priorem scripturam (*serunt*) probat. In eadem nos persuasione sumus, cum accedentibus Aldinis exemplaribus.’ *Barth.* Put. *terunt;* alii vero Lindenbrogii *ferunt.*—39 Duo codd. Barthiani: *sub pectore dudum;* et id assertum voluit Gulielmus Canterus Nov. Lect. lib. II. cap. 8. *sub pectore quiddam* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. Gevart. Grasser. et Am-

NOTÆ

gessit. Virgilius: ‘Omnis spes Danaum et cœpti fiducia belli Palladis auspiciis semper stetit.’ *Ætolus*] Diomedes. *Ithacus*] Ulysses.

24 *Providus heros*] Ulysses.

37 *Alterno sermone serunt*] Sumtum ab agricolis, qui incedendo agros suos semine replent.

38 *Tydides*] Diomedes.

Urbibus in mediis, Bacchæaque terga, mitrasque
Huc tuleris, varioque aspersas nebridas auro?
Hisne gravem Phrygibus, Priamoque armamus Achillem?
Illi subridens Ithacus paulum ore remisso:
Hæc tibi, virginea modo si Lycomedis in aula
Fraude latens, ultro confessum in prælia ducent
Peliden: tu cuncta citus de puppe memento
Ferre, ubi tempus erit, clypeumque iis jungere donis,
Qui pulcher signis, auroque asperrimus ardet.
Hæc sat erunt: tecum lituo bonus adsit Agyrtes,
Occultamque tubam tacitos apportet in usus.
Dixerat, atque ipso portarum in limine regem
Cernit, et ostensa pacem præfatur oliva.

tympana et cymbala, ac mitras et nebridas distinctas vario auro, et huc advexeris. Hæcne arma damus Achilli ad debellandos Phryges et Priamum? Ulysses illi subridens, paululum dimisso vultu: Hæc tibi modo adducent ad bellum Pelei filium sese sponte detegentem, si dolo occultetur inter filias Lycomedis. Tu recordare afferre ocyus omnia de nave, cum tempus erit, et addere his muneribus scutum quod signis asperum est, et coruscat auro. Hæc sufficient: Agyrtes, peritus lituo canendi, tecum veniat, et afferat ad secretos usus occultatam tubam. Dixerat, et videt regem in ipso aditu portarum, et petit pacem monstrata oliva. Ingens rumor gra-

stel. Vide Not. Var.—44 ‘Optime libri nostri: *Olli subridens;* ut Virgil. Æn. I. 258. et XII. 829. Utique geminatum usum sui parentis secutus est Papinius; et sic habet vetus liber Bernartianus.’ *Barth.*—45 *Hac tibi* Gevart. et margo ed. Barth. ‘Unus librorum *modo sit;* quæ scriptura planiorem faciat totum sermonem.’ *Barth. Lycomedis in aula est* codex T. R. in Obss. Misc. Tom. IV. p. 396. ubi V. D. conj. *in aula Fraude latet.*—49 Put. *asperimus hasta;* Exc. Burg. *asperrimus ardet*, et in marg. pro v. l. *pulcerrimus.*—50 *Hoc sat erit* codd. Lindenbrogii, Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et Venett.—53 Unus

NOTÆ

41 *Bacchæa terga*] Tympana, quorum usus in sacris Bacchi.

43 *Phrygibus*] Trojanis.

44 *Ore remisso*] Fronte explicata, relaxata. Sed forte *remisso* hic demisso. *Baissant un peu la tête.* Guyetus.

49 *Auroque asperrimus*] Ob cælaturas scilicet. Virgilius: ‘Cymbiaque argento perfecta, atque aspera signis.’ Plinius loquens de poculis: ‘Ea erant excisa in asperitatem.’

50 *Lituo bonus*] Peritus, doctus. Virgilius: ‘Cur non, Mopse, boni quoniam convenimus ambo, Tu calamos inflare leves,’ &c. *Agyrtes*] Fictum nomen tubicinis ab ἀγυρτίζω, quod est *congrego.*

51 *Tacitos*] Privatos, secretos, non apertos ac publicos.

53 *Ostensa oliva*] Hanc legati ferebant, ut symbolum pacis: unde ‘pacifera’ Poëtis dicitur. Virgilius: ‘Paciferæque manu ramum prætendit olivæ.’

Magna (reor) pridem vestras pervenit ad aures
Fama trucis belli, regum placidissime, quod nunc
Europamque Asiamque quatit: si nomina quæras
Huc perlata ducum, fidit quibus ultor Atrides,
Hic tibi, quem tanta meliorem stirpe creavit
Magnanimus Tydeus, Ithacis ego ductor Ulixes.
Causa viæ, (metuam quid enim tibi cuncta fateri,
Cum Graius, notaque fide celeberrimus unus?)
Explorare aditus, invisaque littora Trojæ,
Quidve parent. Medio sermone intercipit ille:
Annuerit Fortuna, precor, dextrique secundent
Ista Dei: nunc hospitio mea tecta piumque
Illustrate larem. Simul intra limina ducit.
Nec mora, jam mensas famularis turba torosque
Instruit: interea visu perlustrat Ulixes,
Scrutaturque domum, si qua vestigia magnæ
Virginis, aut dubia facies suspecta figura:

vis belli, quod nunc movet Europam Asiamve, dudum, ut puto, regum mitissime, perlatus est ad vestras aures. Si ad te pervenerunt ducum nomina, quibus vindex Atrides confidit, hic adest, quem fortis Tydeus genuit præstantiorem tanto patre, ego sum Ulysses princeps Ithacæ. Causa profectionis (quid enim timeam tibi omnia declarare, cum sis Græcus, et celeberrimus experta fide?) est, ut observemus aditus et odiosas ripas Trojæ, quidve Trojani moliantur. Ille Lycomedes interpellat eum in media oratione. Fortuna faveat, oro, propitiique Superi hæc secundent. Nunc dignamini hospitio vestro meam regiam, ac religiosos penates. Unaque in ædes ducit. Nec mora, famulorum turba jam sternit mensas, et lectos discubitorios. Interea Ulysses circuit oculis, et circumspicit domum, si qua sint signa proceræ virginis, aut vultus suspectus ambigua forma. Et vagatur per spatiosas por-

Bernartii: *pacem profatur oliva.*—56 *Asiamque premit* Exc. Burg.—57 *Huc prælata ducum* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *Huc perlata ducum* Dan. Put. Petav. Exc. Burg. Petrens. Lindenbrog. Cruc. Gevart. Grasser. Amstel. Gronov. et recentt.—59 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. *ego dicor Ulysses.*—65 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. et Gevart. *hospitio me;* Petrens. Exc. Burg. T. R. Burm. Venett. 3. 4. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *hospitio mea.*—66 Petav. et codex T. R. *intra mœnia.*—69 Nonnulli codd. Barthiani: *si quæ vestigia.*—73 Gronov. in Diatr. p. 157. ed.

NOTÆ

58 *Tanta meliorem stirpe creavit Magnanimus Tydeus*] Diomedes enim Tydei filius dictus fuit 'melior patre.'

70 *Dubia figura*] Quæ plane mulierem non fateatur.

Porticibusque vagis errat, totosque penates,
Ceu miretur, adit: velut ille cubilia prædæ
Indubitata tenens multo legit arva Molosso
Venator, videat donec sub frondibus hostem
Porrectum somno, positosque in cespite dentes.
Rumor in arcana jamdudum perstrepit aula,
Virginibus qua fida domus, venisse Pelasgum
Ductores, Graiamque ratem, sociosque receptos.
Jure pavent aliæ: sed vix nova gaudia celat
Pelides, avidusque novos heroas et arma
Vel talis vidisse cupit: jamque atria fervent
Regali strepitu, et picto discumbitur ostro.

ticus, percurritque totam regiam, tanquam admiretur. Sicut venator certus de lustro prædæ percurrit agros cum muto cane Epirotico, donec cernat feram prostratam somno sub ramis, et dentes ejus jacentes in gramine. Jamdudum fama personat in secreta regia, qua puellæ servantur, navem Græcam et duces Pelasgos advenisse, eosque hospitio receptos. Aliæ jure metuunt, sed Pelei filius vix dissimulat obortam lætitiam, et flagrans optat cernere novos heroas, armaque, etiam ut erat in muliebri veste. Jamque vestibula æstuant regio tumultu, et discumbitur super

Hand. ex duobus codd. legit: *muto legit arva molosso.* Vide Gul. Canteri Nov. Lect. lib. III. cap. 26.—77 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *Pelasgos;* Dan. Put. Petav. Petrens. Exc. Burg. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *Pelasgum.*—79 'Non solicitanda est hæc scriptura; veteres tamen duo libri *Mira pavent aliæ* referunt.' *Barth.*—82

NOTÆ

73 *Multo* [*muto*] *Molosso*] Cane Epirotico: nam Molossia pars Epiri optimis canibus insignis. *Muto*] Gratius in Cynegetico de cane: 'Ne voce lacesseret hostem.' Lucanus lib. IV. 'Venator tenet ora levis clamosa Molossi, Spartanos Cretasque ligat: nec creditur ulla Sylva cani, nisi qui presso vestigia rostro Colligit, et præda nescit latrare reperta, Contentus tremulo monstrasse cubilia loro.' Arnobius lib. II. miraculis naturæ annumerat, 'canem, cum invenerit prædam, cohibere et continere latratum.' Oppianus Cyneg. lib. I. Μήδ' ὑλάειν ἐθέλοιεν, ἐπεὶ μάλα θηρευτῆρσι Σιγὴ τέθμιός ἐστι, πανέξοχα δ' ἰχνευτῆρσι. *Nec latrare velint, quoniam venantibus apta, Sed mage quærendis optata silentia lustris.* Quidam codices habent *multo.*

74 *Hostem*] Aprum.

77 *Virginibus qua fida domus*] Erat, ut jam diximus Theb. I. 534. in interiore ac secretiore ædium parte, et 'Gynæconitis' Græcis appellabatur, Latinis 'Gynæceum.' Vide Vitruvium lib. VI. cap. 10.

78 *Sociosque receptos*] A Lycomede scilicet.

81 *Vel talis*] Etiam in veste muliebri.

82 *Picto discumbitur ostro*] Vide Theb. I. ad notam vs. 526.

Tum pater ire jubet natas, comitesque pudicas
Natarum: subeunt, quales Mæotide ripa,
Cum Scythicas rapuere domos, et capta Getarum
Mœnia, suppositis epulantur Amazones armis.
Tum vero intentus vultus ac pectora Ulixes
Prælibat visu: sed nox, illataque fallunt
Lumina, et extemplo latuit mensura jacentis.
Et tamen erectumque genas, oculisque vagantem,
Nullaque virginei servantem signa pudoris,
Defigit, comitique obliquo lumine monstrat.
Quod nisi præcipitem blando complexa moneret
Deidamia sinu, nudataque pectora semper,
Exertasque manus, humerosque in veste teneret,
Et prodire toris, et poscere vina vetaret

lectos ornatos purpureis stragulis. Tum pater Lycomedes imperat filias castasque socias filiarum venire. Intrant, quales Amazones, ubi capiunt cibum super substratas peltas in littore Mæotico, postquam populatæ sunt ædes Scytharum, et expugnarunt Getarum muros. Tunc vero applicatus Ulysses decerpit oculis ora et pectora virginum. Sed nox et illata lumina eum decipiunt, et Achille illico discumbente, ejus statura latuit. Cognovit tamen illum ad id quod haberet sublatum vultum, vagosque oculos, et nulla retineret signa virgineæ verecundiæ, et eum ostendit socio obliquis oculis. Et nisi Deidamia tenens illum in dulci gremio monuisset, ut erat fervidus, veste tegere nudatum tectus, manusque ac humeros, et sæpius prohibuisset surgere e lecto, et petere vinum, et reposuisset fronti fasciam auream, Achilles

Put. *et picto discumbitur auro.*—84 Dan. Put. Petav. aliique nonnulli: *Mœtica ripam ;* scripti Barthiani: *Mæotida ripam.*—86 ‘ Probo scriptam lectionem, voculam adjicientem : *suppositisque ;* nam et in triclinio, seu discumbentes, hæc lectio virgines has Amazonibus æquat.’ *Barth.*—88 Exc. Burg. *illata fefellit.*—89 Put. et scripti codd. Barthii : *mensura jacentum.*—94 Put. *nuda.*

NOTÆ

84 *Mæotide ripa*] Vide Theb. XII. Intelligit Mæotin paludem.

85 *Scythicas domos*] Scythia est prima gentium Septemtrionalium : a Tanai usque ad Caspium mare et ultra extenditur. *Getarum*] Conjungit Getas cum Scythis; nam utrique Tanais ripas et hærentia ripis posséderunt. Getæ etiam Thraciam incoluerunt.

86 *Amazones*] De iis lib. superiori. Sedes antiquitus habuere circa ripas Tanais in Mæotin influentis : unde bene Poëta ait eas bello infestare vicinos Scythas ac Getas.

89 *Jacentis*] Discumbentium enim proceritas ac statura non videtur.

90 *Erectumque genas, oculisque vagantem*] Hoc non erat signum puellæ : virgines enim vultum demissum habent, modestosque oculos, non vagantes.

94 *Nudataque*] Achillis.

Sæpius, et fronti crinale reponeret aurum;
Argolicis ducibus jam tunc patuisset Achilles.
Ut placata fames epulis bis terque repostis,
Rex prior alloquitur, paterisque hortatur Achivos:
Invideo vestris, (fateor,) decora inclyta gentis
Argolicæ, cœptis: utinam mihi fortior ætas,
Quæque fuit, Dolopas cum Scyria littora adortos

jam tunc agnitus fuisset a principibus Argivis. Ut fames sedata fuit dapibus bis terque allatis, rex prior affatur, et excitat Achivos ad bibendum: Invideo vestris cœptis, fateor, celebria ornamenta nationis Argivæ: utinam mihi essent robustiores anni, et qui fuerunt, cum subegi et profligavi in mari Dolopes aggressos Scyriaque tempora.—100 *Rex prius alloquitur* Exc. Burg. *paterisque invitat Achivos* Dan. Put. Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Gevart. Grasser. Lindenbrog. et Cruc. *paterisque hortatur Achivos* Pe-

NOTÆ

97 *Crinale reponeret aurum*] Quidam fasciam auream intelligunt, qua crines religantur: fascias enim aureas gestabant in fronte virgines nobiliores instar diadematis. Alii acus crinales interpretantur, quibus in fœminis ornandorum crinium compago retineretur, ne laxius fluerent, ut habet Isidorus lib. XIII. vel quibus, ut hodie, caput scalperent.

99 *Epulis bis terque repostis*] Gallice *a trois services.* Vocat Noster Theb. I. 539. 'Ordinem mensæ.' Et notat divisionem cœnæ, quæ veteribus triplex, 'Antecœna,' 'cœna,' et 'pomorum mensa.' Antecœna erat missus primus, qui et 'gustatio' seu 'gustus,' atque etiam 'promulsis' vocabatur; quod primam sitim antiqui fere mulso sedabant. 'Cœna,' missus secundus erat, in quo præcipui cibi. 'Mensa pomorum' missus tertius, in quo bellaria. Vide Lipsium Antiquarum Lectionum lib. III.

100 *Paterisque hortatur* [*invitat*] *Achivos*] Quidam codices habent *hortatur.* Noster in Hercule Epitrapezio Vindicis: 'Sic mitis vultus, veluti de pectore gaudens, Hortetur mensas.' Vetus etiam Scholiastes ponit etiam *hortatur,* et sic explicat hunc locum: 'Rex Lycomedes prior alloquitur Ulyssem et Diomedem, et hortatur illos pateris, ut satis bibant.' Et notat morem quo veteres in fine cœnæ pateras vino implebant, et sic bibebant. Virgilius Æneid. I. 'Postquam prima quies epulis, mensæque remotæ, Crateras magnos statuunt, ac vina coronant.' Hic porro Statii locus spectare forsan videtur Græcorum morem, qui minoribus poculis primo, deinde majoribus se invitabant. Cicero in Verrem III. 'Discumbitur: fit sermo inter eos et invitatio, ut Græco more biberetur: hospes hortatur. Poscunt majoribus poculis. Celebratur omnium sermone lætitiaque convivium.' Anacharsis apud Diogenem Laërtium *θαυμάζειν φησὶ πῶς Ἕλληνες ἀρχόμενοι μὲν ἐν μικροῖς πίνουσι, πλησθέντες δὲ ἐν μεγάλοις. Mirari se dixit, cur Græci initio convivii parvis poculis uterentur, ubi vero saturati essent, majoribus.*

102 *Argolicæ*] Græcæ.

103 *Dolopas*] Dolopes gens Thessalica in extremis finibus Phthiotidis.

Perdomui, fregique vadis: quæ signa triumphi,
Vidistis celsas murorum in fronte carinas.
Saltem si soboles, aptam quam mittere bello
[Possem, plena forent mihi gaudia: namque juvarem.]
Nunc ipsi viresque meas, et cara videtis
Pignora: quando novos dabit hæc mihi turba nepotes?
Dixerat, et solers arrepto tempore Ulixes:
Haud spernenda cupis: quis enim non visere gentes
Innumeras, variosque duces, atque agmina regum
Ardeat? Omne simul roburque decusque potentis
Europæ meritos ultro juravit in enses.
Rura urbesque vacant: montes spoliavimus altos.
Omne fretum longa velorum obtexitur umbra.
Tradunt arma patres, ruit irrevocata juventus.
Non alias unquam tantæ data copia famæ
Fortibus, aut campo majore exercita virtus.
Aspicit intentum, vigilique hæc aure bibentem,

rias oras, cujus victoriæ sunt monumenta altæ carinæ, quas aspexistis in fronte mœnium. Saltem si mihi esset soboles armis apta, quam possem ad bellum mittere, pleno gaudio afficerer: vos enim juvarem. Nunc ipsi aspicitis meas vires in dilectis filiabus. Quando hæc turba pariet mihi novos nepotes? Dixerat, et sagax Ulysses captata occasione: Optas non contemnenda. Quis enim non cupiat videre innumeras nationes, diversosque duces, ac multitudinem regum? Omnes simul vires et gloria florentis Europæ sponte jurarunt in justum bellum. Rura urbesque vacuantur: exuimus excelsos montes: omnia maria teguntur extensa velorum umbra: genitores præbent arma filiis: volat pubes, nec retinetur. Nunquam alias tanta occasio magnanimis oblata est nominis acquirendi, nec dignior campus virtutis exercendæ. Cernit intentum Achillem, et hæc haurientem avidis auribus, cum

trens. Exc. Burg. Venett. Gronov. Barth. Veen. et Delph.—106. 107 Exc. Burg. *mittere possem Bello, plena, &c.* 'Versum 107. omittit Gronovii editio, et recte.' *Duum.* Deest etiam in Aldd. Colin. Gryph. et Basil. Vide Not. Var. Hunc tamen exhibent Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Exc. Burg. Petrens. Dan. Put. Petav. Plant. Lindenbrog. Cruc. Gevart. Grasser. Amstel. Barth. et Delph.—114 *Europæ junctos ultro* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et Venett.—117 Codd. Lindenbrogii: *rapit irrevocata.*—119 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. nonnulli Lindenbrogii et Venett. *haud campo meliore.*—120 Lang.

NOTÆ

Strabo lib x. et Plinius lib. IV. cap. 2. Dolopes inter Ætoliæ gentes numerant.

104 *Quæ signa triumphi*] Id est, cujus triumphi, seu cujus victoriæ signa.

105 *Carinas*] Tanquam monumentum e victis Dolopibus erectum.

120 *Vigilique hæc aure bibentem*] Propertius: 'Incipe, suspensis auri-

Cum paveant aliæ, demissaque lumina flectant,
Atque iterat: Quisquis proavis et gente superbus,
Quisquis equo jaculoque potens, qui prævalet arcu,
Omnis honos illic: illic ingentia certant
Nomina: vix timidæ matres, vix agmina cessant
Virginea: hic multum steriles damnatus in annos,
Invisusque Deis, si quem hæc nova gloria segnem
Præterit: exisset stratis, nisi provida signo
Deidamia dato cunctas hortata sorores
Liquisset mensas, ipsum complexa: sed hæret
Respiciens Ithacum, cœtuque novissimus exit.
Ille quidem incepto paulum ex sermone remisit,
Pauca tamen jungens: At tu tranquillus in alta
Pace mane, carisque para connubia natis,
Quas tibi sidereis Divarum vultibus æquas
Sors dedit: ut me olim tacitum reverentia tangit!
Is decor est, formæ species permixta virili.

aliæ horreant, teneantque dejectos oculos. Et pergit. Quisquis nobilis majoribus, et gente, quisquis valet equo, et jaculo, qui præstat arcu, quicquid eminet, illic est: illic certant magna nomina: vix pavidæ matres, vix puellæ remanent. Hic jure damnatus in infamem vitam, et exosus est Superis, qui non arripit hanc novam gloriæ adipiscendæ occasionem. Surrexisset Achilles solus e lecto, nisi sagax Deidamia, illum complexa, etiam reliquisset mensas, facto signo omnibus sororibus simul discedere; sed ille moratur respiciens Ulyssem Ithucum, et egreditur ultimus e turba. Ulysses quidem non continuavit inceptam orationem, pauca tamen addens, ait: Verum tu quietus degas in profunda pace, et quæras maritos dilectis natis, quas tibi fortuna dedit æquantes pulchritudine cœlestes Deas. Quampridem reverentia me prohibet, quominus de his loquar! Illa est earum venustas, ut aliquid

Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. Exc. Burg. et edd. vett. *aure trahentem.* Vide Not. Var.—122 ‘ Optime libri duo: *proavis et mente;* ne idem dicat.’ *Barth.*—132 *Ille quoque* Put. *paulum sermone* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. et edd. vett.—133 Put. *ait o tranquillus.*—136 *Fors dedit* Dan. Put. Petav.—137 *His decor est formæ species* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. et edd. vett. *Hic decor hæc formæ* Livineius, pro-

NOTÆ

bus ista bibam.’ Horatius: ‘Sed magis Pugnas et exactos tyrannos Densum humeris bibit aure vulgus.’

126 *Multum steriles damnatus in annos*] Noster Theb. IV. ‘Mutos Thamyris damnatus in annos.’

137 *Species permixta virili*] Hoc præcipue propter Achillem, quem agnoverat.

Occurrit genitor: Quid si Bacchæa ferentes
Orgia, Palladias aut circum videris aras?
Et dabimus, si forte novus cunctabitur Auster.
Excipiunt cupidi, et tacitis spes addita votis.
Cetera depositis Lycomedis regia curis
Tranquilla sub pace silet, sed longa sagaci
Nox Ithaco: lucemque cupit, somnoque gravatur.
Vix dum exorta dies, et jam comitatus Agyrta
Tydides aderat, prædictaque dona ferebat.
Nec minus egressæ thalamis Scyreides ibant
Ostentare choros, promissaque sacra verendis
Hospitibus: nitet ante alias regina comesque
Pelides: qualis Siculæ sub rupibus Ætnæ
Naides Ennæas inter Diana, feroxque

virile habeat. Pater interfatur: Quid si eas aspexeris ferentes Bacchi sacra, aut saltantes circum altaria Palladis? et videndas exhibebimus, si forte contrarius Auster vos remoratur. Acceptant avidi, et spem tacite concipiunt, se votorum compotes fore. Cetera regia Lycomedis dimissis curis tranquille dormit: sed longa nox videtur solerti Ithaco, optatque diem, et somnum ægre fert. Vix dies illuxit, et jam Tydei filius advenerat Agyrta comitatus, et apportabat memorata munera. Atque etiam Scyriæ effusæ e cubiculis progrediebantur, ut exhiberent venerandis hospitibus sultationes ac promissa sacra. Regina emicat præ aliis, et socius Pelei filius. Eodem modo, quo sub cautibus Ætnæ Diana, torvaque Minerva, et sponsa

bante Barthio.—141 *Excipiunt avidi* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et Venett. *Espliciunt placide* Exc. Burg.—143 *Tranquilla sub nocte silet* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et Venett. quomodo legit Nic. Heinsius in Adverss. lib. I. cap. 10. p. 105.—144 Dan. Heinsius ad Claudian. Eutrop. I. 300. et Nic. Heinsius in Adverss. l. l. ex conjectura legunt: *somnosque gravatur.*—145 *Vix exorta dies* Exc. Burg. Petav.—147 *Scyriades* omnes fere codd. et edd. ante Gronov. Vide Not. Var.—150 Dan. Heinsius ad Claudian. Rapt. Pros. II. 20. legit: *quales Siculæ;* Exc. Burg. *qualis ephene.*—151 *Naides Ennæas* Gronovius in Diatr. ad Sylv. v. 3. p. 582. ed. Hand. *Naiades ethenas* Exc. Burg. *Naides*

NOTÆ

138 *Bacchæa ferentes Orgia*] Per *Bacchæa orgia* intelligit plurima in orgiis gestari solita, ut vas plenum vino, vitex, vas ficubus plenum, aliaque. Ferebantur et Neurospasta, id est, simulacra nervis mobilia. Vide Plutarchum de Avaritia.

143 *Pace*] Alii legunt *nocte.*

145 *Et jam comitatus Agyrta Tydides aderat, &c.*] Ut supra præceperat Ulysses vs. 47. 'Tu cuncta memento,' &c.

147 *Scyreides*] Puellæ regiæ.

148 *Promissaque sacra*] Vide supra.

149 *Regina*] Deidamia. *Comesque Pelides*] Achilles.

150 *Siculæ Ætnæ*] Ætna mons Siciliæ, quem prope rapta est Proserpina.

Pallas, et Elysii lucebat sponsa tyranni.
Jamque movent gressus, thiasisque Ismenia buxus
Signa dedit, quater æra Rheæ, quater Evia pulsant
Terga manu, variosque quater legere recursus.
Tunc thyrsos pariterque levant, pariterque reponunt,
Multiplicantque gradum, modo quo Curetes in actu,
Quoque pii Samothraces eunt: nunc obvia versæ

regis inferi fulgebant inter Naiades Siciliæ. Jamque movent pedes, et Ismenia tuba buxea signum dedit thiasis. Quater percutiunt manu Rheæ cymbala, quater Bacchi tympana, et quater repetiere diversos recursus. Tunc simul erigunt thyrsos, et simul deprimunt, ingeminantque gradus, eo modo quo Curetes et religiosi Samothraces eunt in saltatione: nunc vultus in se invicem convertunt, eo ordine

Ætnæas Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. et edd. vett.—155 Nic. Heins. in Advers. lib. II. cap. 4. p. 236. legit: *variosque inter legere recursus.*—157 *Multiplicantque gradus* Lang. Laur. Buslid. et Lipsian. *Curetes in*

NOTÆ

152 *Elysii tyranni*] Plutonis, *Elysii* ab Elysiis campis. *Sponsa*] Proserpina. Addit Poëta Proserpinæ comites Dianam et Palladem, quia hæ Deæ ibi aderant jussu Jovis, cum Proserpina a Plutone rapta est.

153 *Ismenia*] Thebana, ab Ismeno Bœotiæ fluvio. *Buxus*] Tibia buxea.

154 *Æra Rheæ*] Id est, qualibus utebantur Rheæ seu Cybeles sacerdotes in ejus sacris. *Evia Terga*] Tympana, quorum usus in Bacchi sacris: nam Bacchus 'Evius' dictus est.

155 *Varios recursus*] Quod sæpe una in unum locum ex composito transiret.

156 *Levant*] In altum eodem tempore. *Reponunt*] Deorsum mittunt. In saltu thyrsos sublevabant, recidentes in terram reponebant.

157 *Multiplicantque*] Accelerant spissius passus, et crebrius movendo. *Modo quo*] Scribit quomodo varia chorearum ac saltationum genera apud alias quoque nationes usurpata exercebantur. *Curetes*] Populi Cretæ insulæ, Corybantes. Dactyli, Idæi, et Cabiri etiam vocati, ex Ida monte Phrygiæ oriundi. Vide Strabonem lib. x. Idem tradit hos in Græciam trajecisse: tandem ultra Acheloum posuisse sedes, ibique, cum intonsos servarent crines, 'Acarnanas' appellatos. Fuere et 'Curetes' sacerdotes Rheæ seu Cybeles. Hi in sacris ejusdem Deæ, furore correpti, certam quandam saltationis speciem agere solebant, et jactabant capita, aliosque in similem furorem impellebant.

158 *Pii Samothraces*] Samothraces populi Samothraciæ insulæ maris Ægei, Thraciæ adjacentis, eo in tractu, quo Hebrus in mare effunditur. Hæc insula prius Dardania vocata. Dicuntur *pii*, quia rerum divinarum cultores extitisse produntur. Constat ex historicis miseros illuc confugere solitos propter religionem loci, ut legimus de Perseo Macedoniæ rege, qui victus ab Æmilio in Samothraciam confugit, ut fani religione tutus esset, et discimus ex Epistola

Pectine Amazonio, modo quo citat orbe Lacænas
Delia, plaudentesque suis intorquet Amyclis.
Tunc vero, tunc præcipue manifestus Achilles,
Nec servare vices, nec jungere brachia curat.
Tunc molles gressus, tunc aspernatur amictus
Plus solito, rumpitque choros, et plurima turbat.
Sic indignantem thyrsos, acceptaque matris
Tympana, jam tristes spectabant Penthea Thebæ.

qui ab Amazonibus in choreis servatur: nunc eo gyro agebantur, quo Diana incitat puellas Lacedæmonias, et implicat saltantes in suis Amyclis. Tunc autem Achilles in eo præcipue agnitus, nec curat vices custodire, nec brachia jungere. Tunc plus solito dedignatur effæminatos gradus, et vestes muliebres, rumpitque choros, et turbat omnia. Sic jam mœstæ Thebæ cernebant Penthea, aspernan-

arcu codex T. R. in Obss. Misc. Tom. IV. p. 397.—161 *Tunc quoque præcipue jam jam manifestus* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant.—165 ' In uno, eoque fere optimo, libro legitur litera minus, *matri.*' Barth. Codd. Lindenbrogii pro *thyrsos* habent *thyrsis.*—166 Venett. 3. 4.

NOTÆ

Mithridatis, quæ extat in fragmentis Historiarum Sallustii. Autrum fuit in Samothracia 'Zerynthus' dictum, ut refert Nicandri Scholiastes ad Theriaca, Hecate sacrum. Eo confugiebant, qui in magnis periculis versabantur, quibus ubi Hecate et Corybantibus sacrificassent, se liberatum iri credebant. Vide Suidam et Scholiastem Aristophanis in Pace. Horum autem sacrorum ministri in his armisonam quandam saltationem saltabant. *Obvia*] Obvie, adverbium.

159 *Pectine Amazonio*] Turnebus lib. XXVI. cap. 30. ' Videtur,' inquit, ' pecten Amazonius chorus fuisse, quo inter se pectinatim implexæ consertæque recta serie puellæ in modum Amazonum saltabant.' Verba illa ' recta serie ' exprimunt formam illius chori, qui non erat circularis, sed in longum porrectus, et, ut dentes in pectine, ordine recto dispositus. Quam explicationem Turnebi firmare Statius videtur, 'pectinem' hunc, seu choream opponendo orbiculari Lacænarum saltationi. Attamen Callimachus in Hymno Dianæ circularem facit Amazonum saltationem: Πρῶτα μὲν ἐν σακέεσσιν ἐνόπλιον, αὖθι δὲ κύκλῳ Στησάμεναι χόρον εὐρύν. *Primum quidem Amazones cum scutis armatam, inde circularem fecere saltationem.*

Modo quo citat orbe Lacænas Delia, plaudentesque suis intorquet Amyclis] Innuit hic Poëta saltationem, quam patrio ritu Lacænæ celebrabant in honorem Dianæ apud Caryas vicum Laconiæ. Nulli enim veterum dicunt hanc saltationem Amyclis actam. Sed mos Poëtarum unum locum pro alio sumere. Vide quæ diximus ad hunc versum Theb. IV. ' Plaudentique habiles Caryæ resonare Dianæ.'

165 *Sic indignantem thyrsos, acceptaque matris Tympana, jam tristes spectabant Penthea Thebæ*] Nota fabula Penthei a matre Agave et Bacchantibus discerpti. *Tristes*] Calamitate futura Penthei Bacchum contemnentis.

Solvuntur laudata cohors, repetuntque paterna
Limina, ubi in mediæ jamdudum sedibus aulæ
Munera, virgineos visus tractura, locarat
Tydides, signum hospitii, pretiumque laboris;
Hortaturque legant, nec rex placidissimus arcet.
Heu simplex, nimiumque rudis, qui callida dona,
Graiorumque dolos, variumque ignorat Ulixem!
Hinc aliæ, quas sexus iners, naturaque ducit,
Aut teretes thyrsos, aut respondentia tentant
Tympana, gemmatis aut nectunt tempora limbis:
Arma vident, magnoque putant donata parenti.
At ferus Æacides, radiantem ut cominus orbem
Cælatum pugnis sævis, et forte rubentem
Bellorum maculis, acclinem et conspicit hastam;
Infremuit, torsitque genas, et fronte relicta
Surrexere comæ: nusquam mandata parentis,
Nusquam occultus amor, totoque in pectore Troja est.

tem thyrsum et tympana a matre data. Discedunt puellæ laudibus celebratæ, et redeunt ad paternam regiam, ubi Tydei filius jamdudum posuerat in penetralibus mediæ aulæ dona conversura oculos puellarum, munera hospitalia et saltationis præmium, rogatque capiant, nec rex mitissimus prohibet. Heu incautus, nimiumque imperitus, qui nescit insidiosa munera, fraudesque Græcorum, ac duplicem Ulyssem. Hinc aliæ, quas imbellis sexus, et natura impellit, explorant aut teretes thyrsos, aut resonantia tympana, aut cingunt tempora gemmatis coronis. Conspiciunt arma, et arbitrantur oblata esse ingenti patri. At ferox Achilles, ut cernit propius fulgentem clypeum, in quo sæva prælia insculpta erant, et forte tinctum sanguine, et hastam innixam parieti, infremuit, et vertit oculos, crinesque ejus arrecti frontem deseruerunt. Obliviscitur jussa matris et occultum amorem, et totus

cum nonnullis codd. *jam truces.*—174 *Hic aliæ qua* codex T. R. *Hic aliæ quas* Burm. *Hinc aliæ quas sensus* Exc. Burg.—176 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *aut cingunt tempora vittis;* nonnulli Lindenbrogiani: *aut jungunt tempora vittis;* optimæ Heinsii membranæ, Exc. Burg. et edd. recentt. *aut nectunt tempora limbis.* Vide Gronov. Diatr. p. 94.—176 Petav. *patri donata putabant.*—179 ‘*Cælatum pugnas, sævis et forte* eleganti Græcismo vetustus codex exhibet: vulgati *pugnis.*’ Dan. Heins. ad Claudian. Paneg. in Prob. et Olyb. Cons. 4. ita quoque codd. Lindenbrogii.

NOTÆ

170 *Signum hospitii*] Mos veterum notus, quo hospites, tam recipiens quam receptus, sibi invicem dona facerent. *Laboris*] Saltationis.

172 *Rudis*] Quia non cognoscebat causam donorum.

173 *Varium*] Unde δαίδαλος sæpe vocatur ab Homero, hoc est *varius.*

175 *Respondentia*] Sonantia, quod reclament pulsata.

181 *Genas*] Oculos, ut sæpe Papinius. *Relicta*] Alii legunt *reducta.*

Ut leo, materno cum raptus ab ubere mores
Accepit, pectique jubas, hominemque vereri
Edidicit, nullasque ruit nisi jussus in iras;
Si semel adverso radiavit lumine ferrum,
Ejurata fides, domitorque inimicus; in illum
Prima fames, timidoque pudet servisse magistro.
Ut vero accessit propius, luxque æmula vultum
Reddidit, et similem tandem se vidit in auro,
Horruit, erubuitque simul: tunc acer Ulixes
Admotus lateri summissa voce: Quid hæres?
Scimus, ait, tu semiferi Chironis alumnus,
Tu cœli, pelagique nepos: te Dorica classis,
Te tua suspensis expectat Græcia signis,
Ipsaque jam dubiis nutant tibi Pergama muris.

Troja plenus est. Ut leo, cum sublatus a mamma materna mansuefactus est, et patitur comi jubas, et reformidat hominem, et in nullum prorumpit furorem nisi jussus; si semel ferrum fulsit opposita luce, mutatur fides, domitorque fit hostis; prima fame in illum ruit; et pudet servisse pavido magistro. Ut vero Achilles appropinquavit cominus, et fulgens clypeus vultum ejus repræsentavit, et tandem aspexit in auro imaginem suam, infremuit, et simul erubuit. Tunc fervidus Ulysses admotus ejus lateri, inquit, summissa voce: Quid hæres? Noscimus te: tu alumnus Chironis centauri, tu nepos cœli, marisve: te classis Pelasga, te tua

qui forte nitebat Exc. Burg.—184 Aldd. Colin. Gryph. et Basil. *tum raptus.*—186 Dan. Put. Petav. et Exc. Burg. *rapi nisi;* Exc. Burg. *in aras.*—188 *It jurata fides* Dan. Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. Gevart. Grasser. et Amstel. *Ejurata fides* Exc. Burg. et Put. Vide Not. Var.—189 Dan. Put. et Petav. *tumidoque juvat servisse;* Exc. Burg. *timidoque pudet servire.*—191 Codex Vossianus: *et simili se talem vidit in auro.* Ita quoque Nic. Heinsius in Adverss. lib. III. cap. 3. p. 420. 'Omnino legendum est cum duobus libris *tantum.*' Barth.—196 *Te tua*

NOTÆ

191 *Reddidit*] Ut fit in speculo. *Similem se*] Suam imaginem.

194 *Semiferi*] Centauri, quia centauri media parte equi, altera homines.

195 *Cœli*] Jovis. *Pelagi*] Neptuni. *Nepos* hic pronepos. Et laxiore significatu 'nepotes' dicuntur omnes posteri, Poëtis potissimum. Achilles enim erat pronepos Jovis et Neptuni, quos per 'cœlum' et 'pelagus' Poëta innuit. *Te Dorica classis*] Respicit ad illud, quod supra dixit: 'Omnis in absentem belli manus ardet Achillem,' &c.

196 *Suspensis signis*] Dubiis et incertis, quasi quæ nihil audeat te absente, vel *suspensis*, quæ ulterius non procedunt, dum te expectant.

Eia, age, rumpe moras: sine, perfida palleat Ide,
Et juvet hæc audire patrem, pudeatque dolosam
Sic pro te timuisse Thetin: jam pectus amictu
Laxabat: cum grande tuba (sic jussus) Agyrtes
Insonuit: fugiunt disjectis undique donis,
Implorantque patrem, commotaque prælia credunt.
Illius intactæ cecidere a pectore vestes.
Jam clypeus, breviorque manu consumitur hasta,
(Mira fides) Ithacumque humeris excedere visus,
Ætolumque ducem: tantum subita arma, calorque
Martius horrenda confundit luce penates.
Immanisque gradu, ceu protinus Hectora poscens,
Stat medius trepidante domo. Peleia virgo
Quæritur: ast alia plangebat parte retectos
Deidamia dolos, cujus cum grandia primum
Lamenta, et notas accepit pectore voces,

Græcia opperitur suspensis vexillis, ipsaque Troja jam labat incertis mœnibus. Eia age, ne cuncteris: patere, fallax Ida parescat, et gaudeat genitor hæc accipere, et fraudulenta Thetis erubescat sic pro te metuisse. Jam nudabat pectus veste, cum Agyrtes, cui imperatum fuerat, tuba fortiter insonuit. Puellæ diffugiunt disjectis undique muneribus, invocantque auxilium patris, et putant excitata certamina. Illius amictus sponte delapsi sunt a pectore. Jam scutum in brachio est: et hasta brevior manu tota impletur. Res creditu difficilis, visus est superare totis humeris Ætolum ducem, et Ithacum: tantum arma repente sumta, et eorum Martius fulgor confundunt domum horrendo lumine. Et terribilis firmo pede stat in medio trementis familiæ, ceu statim Hectorem provocaret. Non est amplius virgo Pelei filia. Verum alia ex parte Deidamia deflebat patefactas fraudes; cujus notam vocem et ingentes ejulatus ut primum Achilles audivit, restitit, et

sumesis Exc. Burg. at in margine pro v. l. *suspensis.*—197 *Pergama fatis* Petav. *trepidis nutant tibi Pergama muris* legit Gronovius in Diatr. ad Sylv. III. 2. p. 305. ed. Hand.—198 *Ida* Dan. Petav. et edd. vett.—204 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. Lindenbrog. Cruc. Gevart. Grasser. et Amstel. *ceciderunt pectore vestes;* Petav. *ceciderunt corpore vestes;* Exc. Burg. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *cecidere a pectore vestes.*—207 Exc. Burg. *colorque;* in margine: 'alias *calorque.*'—208 Edd. Lindenbrog. et Cruc. *perfundit luce;* Dan. Put. Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Exc. Burg. edd. vett. Gronov. Barth. Veen. et Delph. *confundit luce.*—209 *Hectora poscat* Exc. Burg.—211 In iisdem Exc. *parte repostis.*—213 Exc.

NOTÆ

198 *Ide*] Mons Phrygiæ. *Perfida*] Propter violatum jus hospitii a Paride.

205 *Brevior*] Respectu thyrsi quem gerebat, qui longior est hasta bellica.

206 *Ithacum*] Ulyssem.

207 *Ætolumque ducem*] Diomedem.

Hæsit, et occulto virtus infracta calore est.
Dimittit clypeum, regisque ad lumina versus,
Attonitum fatis, inopinaque monstra paventem,
Sicut erat, mediis Lycomedem affatur in armis:
Me tibi, care pater, (dubium dimitte timorem,)
Me Thetis alma dedit: te pridem tanta manebat
Gloria: quæsitum Danais tu mittis Achillem,
Gratior et magno (si fas dixisse) parente,
Et dulci Chirone mihi: sed corda parumper
Huc adverte libens, atque has bonus accipe voces.
Te Peleus nato socerum, et Thetis hospita jungunt,
Allegantque suos utroque a sanguine Divos.
Unam virgineo natarum ex agmine poscunt.
Dasne? an nos humiles tibi degeneresque videmur?
Non renuis: junge ergo manus, et concipe fœdus,
Atque ignosce tuis: tacito jam cognita furto
Deidamia mihi: quis enim his obstare lacertis,
Quæ potuit nostras possessa evadere flammas?

virtus mollita est a recondito amore. Dimittit scutum, et conversus ad regem Lycomedem, ut erat armatus, eum alloquitur, consternatum fatis, et reformidantem subita prodigia: Dilecte pater, (pelle ancipitem metum,) alma Thetis me tibi tradidit. Tantus honos dudum te expectabat. Tu mittis ad Græcos desideratum Achillem. Majus a te accepi, quam ab ingenti genitore (si licet ita loqui) et a caro Chirone. Sed parumper velis huc animum attendere, et propitius hæc verba admitte. Peleus, et Thetis, quam hospitio accepisti, dant te socerum filio, et uterque profert Deos ex suo genere: petunt unam e filiabus tuis mihi conjugem. Concedisne? An nos tibi videmur abjecti et ignobiles? Non recusas. Da manus igitur, et profer verba affinitatis, et indulge veniam tuis: jam Deidamia mihi cognita est clandestino furto. Quis enim potuit resistere his brachiis? Quæ, cum in nostra esset potestate, potuit meo amori non cedere? Jube me

Burg. *et natas.*—214 Petav. et Exc. Burg. *dolore.*—215 Codd. Lindenbrogii: *limina versus.*—221 *Gratior es* Petav. et vetus codex Bernartii.—222 Exc. Burg. *tu corda.*—228 *Num renuis* Dan. Put. Petav. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et edd. vett. Vide Not. Var.—229 Iidem codd. et edd. vett. *nam cognita.*—231 Put. *repellere flammis.*—233 Exc. Burg. *quid lumina torques.*—234

NOTÆ

214 *Infracta*] Valde fracta. Virgilius: 'Turnus ut infractos adverso Marte Latinos.'

216 *Inopinaque monstra*] Sic superiori libro de Deidamia: 'Obstupuit tantis regina exterrita monstris.'

221 *Parente*] Peleo.

228 *Non renuis: junge ergo manus, &c.*] Silentium, et habitum Lycomedis, vultumque non aversum pro consensu accipit Achilles, eoque pignus ejus dextram flagitat.

Me luere ista jube: pono arma, et reddo Pelasgis,
Et maneo: quid triste fremis? quid lumina mutas?
Jam socer es: natum ante pedes projecit, et addit:
Jamque avus: immitis quoties tractabitur ensis,
Turba sumus: tunc et Danai, per sacra fidemque
Hospitii, blandusque precum compellat Ulixes.
Ille, etsi caræ comperta injuria natæ,
Et Thetidis mandata movent, prodique veretur
Depositum tam grande Deæ, tamen obvius ire
Tot metuit fatis, Argivaque bella morari.
Fac velit: ipsam illic matrem sprevisset Achilles.
Ne tamen abnueret genero se jungere tali,
Vincitur: arcanis effert pudibunda tenebris
Deidamia gradum, veniam nec protinus amens

solum ista persolvere: depono arma, et ea restituo Pelasgis, et resto. Quid tristis fremis? Quid avertis oculos? Jam socer es. Projecit filium ante pedes, et addit: Et jam avus. Quoties crudelis gladius stringetur, plures sumus, qui te flectent. Tum Græci et Ulysses blandis precibus, per sacra et religionem hospitii, pro eo intercedunt. Ille, etsi cognita contumelia filiæ, et jussa Thetidis eum tangant, timeatque tam magnum depositum Deæ prodi, veretur tamen se fatis opponere, et differre bella Argiva. Pone velit: Achilles in hoc casu contemsisset ipsam genitricem. Cedit igitur, ne recusaret se sociare tali genero. Pudibunda Deidamia promovet gressum e secretis penetralibus, et impos sui, non statim putat patrem sibi

Put. *prostravit et addit.*—235 In eodem codice: *iterabitur ensis.*—239 Exc. Burg. *prodique videtur.*—243 'Vocula *tamen* mire hic posita est: 'simul' enim aut tale quid designet oportebit, aut omnino erit supervacua. Totus versus νοθεύει, aut eam excusationem habet, quod post fatum auctoris editus sit hic liber. Melius aberit versus.' *Barth.*—244 *Vincimur* Exc. Burg.—245 Codd.

NOTÆ

232 *Me luere ista jube*] Avertit noxam ab coacta in se auctorem delicti: nam supra puellam excusat ab imbecillitate sexus. *Pono arma*] Quasi paratus ad dandas pœnas.

234 *Natum*] Pyrrhum, qui hactenus occultus fuerat.

235 *Immitis quoties tractabitur ensis Turba sumus*] Id est, si sumas arma contra nos ad vindicandam injuriam tibi factam, jam turba sumus ad petendam veniam; præsertim Pyrrhus qui innocens est. Britannicus vero sic interpretatur: Securitatem regni socero promittit, cum dicat jam genus auctum esse. Est enim sensus: Multi quidem erimus, si quando in nos arma movebuntur, ut facile nos tueri possimus.

239 *Thetidis mandata movent, &c.*] Vide lib. sup. vs. 360.

240 *Depositum*] Ibidem vs. 385.

242 *Fac velit*] Supple, retinere.

Credit, et opposito genitorem placat Achille.
Mittitur Hæmoniam, magni qui Pelea facti
Impleat, et classem comitesque in prælia poscat.
Nec non et geminas regnator Scyrius alnos
Deducit genero, viresque excusat Achivis.
Tunc epulis consumta dies, tandemque receptum
Fœdus, et intrepidos nox conscia jungit amantes.
Illius ante oculos nova bella, et Xanthus, et Ide,
Argolicæque rates: atque hæc jam cogitat undas,
Auroramque timet: cara cervice mariti
Fusa novi, lacrymas jam solvit, et occupat artus.
Aspiciamne iterum, meque hoc in pectore ponam,

ignovisse, et mitigat illum ostenso Achille. Mittitur in Thessaliam, qui certiorem faciat Peleum tanti casus, et petat classem militesque ad bellum. Necnon et princeps Scyrius præbet genero duas naves, et excusat impotentiam suam apud Græcos. Tunc dies transacta est conviviis, tandemque affinitas confirmata, et nox testis copulat securos amantes. Novum bellum, Xanthus, et Ide, navesque Argivæ obversantur ante oculos illius Achillis. Et hæc Deidamia cogitat maris casus, metuitque adventum diei. Instrata dilecto collo novi conjugis, jam emittit fletus, et illum complectitur: Tene denuo cernam, Æacide, et me collocabo in hoc pectore? et denuo

Lindenbrogii: *veniæ.*—247 Petav. *magno qui Pelea facto;* Lindenbrogiani: *magnis qui Pelea factis;* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Aldd. Colin. Gryph. Basil. Plant. et recentt. *magni qui Pelea facti.*—251 ‘In uno manu exarato libro voculæ tandem superscriptum *thalamo;* in altero *tædis.*’ Barth.—252 ‘Et hic maculatum puto Papinium, non enim *nox,* sed *fax,* præferunt eædem membranæ.’ *Idem.*—253 Edd. vett. cum multis codd. *Ida.*—256 *Fessa* Exc. Burg.—257 *Aspiciam te iterum* scribendum putat Barthius cum scriptis.—258

NOTÆ

246 *Opposito Achille*] Id est, intercedente, vel objecto, quasi in eum vim noxamque omnem transferens.

247 *Magni facti*] ‘Magnum factum’ vocat, et quod gener factus est regis Lycomedis, et quod ab universa Græcia in bellum poscatur.

249 *Regnator Scyrius*] Lycomedes.

250 *Deducit*] Proprie locutus est: nam ‘deducere’ est de terra in aquam ducere. Virgilius: ‘Deducunt socii naves, et littora complent.’ ‘Subducere’ vero est de aqua in terram. Virgilius: ‘Subducite naves.’ *Viresque excusat Achivis*] Impotentiam suam, seu quod non possit plures naves mittere.

251 *Tunc epulis consumta dies*] Non quod tota die epulis indulsissent: sed quod in occasu solis cœnassent, more veterum, qui solebant in occasu tantum cœnare, cum in die semel cibum sumerent.

252 *Fœdus*] Connubii scilicet inter Deidamiam et Achillem.

253 *Xanthus*] Fluvius Phrygiæ prope Trojam. *Ide*] Mons Phrygiæ, ut sæpius diximus.

257 *Ponam*] Amplexando te.

Æacide? rursusque tuos dignabere partus?
An tumidus Teucrosque lares, et capta reportans
Pergama, virgineæ nolis meminisse latebræ?
Quid precer, heu, timeamve prius? quidve anxia mandem,
Cui vix flere vacat? modo te nox una deditque,
Inviditque mihi. Thalamis hæc tempora nostris?
Hicne est liber Hymen? o dulcia furta, dolique,
O timor! eripitur miseræ permissus Achilles.
I, (neque enim tantos ausim revocare paratus,)
I, cautus, nec vana Thetin timuisse memento.
I felix, nosterque redi: nimis improba posco.
Jam te spectabunt lacrymis planctuque decoræ
Troades, optabuntque tuis dare colla lacertis,
Et patriam pensare toris: aut ipsa placebit
Tyndaris, incesta nimium laudata rapina.

agnosces tuum filium? An superbus, et referens penates Teucros, ac spolia expugnati Ilii, nolis recordari muliebrem latebram? Quid rogem, heu, et quid prius metuam? quidve solicita tibi præscribam, cui vix datur tempus plorandi? Una nox modo te præbuit mihi et abstulit. Hæcne sola momenta data nostro conjugio? hocne est liberum matrimonium? O blanda furta, dolique, o metus! Achilles a me infelici avellitur, cum illo frui licitum sit. Vade, (neque enim ausim remorari tantam expeditionem,) vade et recordare providus Thetin non frustra metuisse. I fortunatus, et noster revertere: molesta nimium peto. Troades fletibus et lamentis formosæ te respicient, et cupient præbere colla tuis brachiis, et rependere patriam matrimonio. Aut ipsa Helena, nimium laudata adulterino raptu, tibi placebit. Verum ego,

Exc. Burg. *rursusque meos.*—259 Exc. Burg. *An tumidosque lares Teucros.*—261 *Heu precor? heu timeamne* edd. vett.—262 In iisdem Exc. *flere licet.*—264 *Hic eine liber* codd. Lindenbrogii.—265 *O timor! abripitur miseræ permissus* ex codd. suis legit Tollius ad Auson. p. 749. *O timor! eripitur miseræ promissus* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et edd. vett. *O timor! abripitur miseræ promissus* Dan. Put. Petav. Lindenbrog. et Cruc. *O timor! eripitur miseræ permissus* Gronov. Barth. Veen. et Delph. Ita quoque legit Nic. Heinsius in Syllog. Epist. Tom. II. p. 746.—268 Barthius malit: *nisi si improba.*—270 In uno codice Barth. ut et Lindenbrogianis: *colla cathenis.*—271 *Et pensare toris primam* Exc. Burg.—272 In iisdem: *incerta nimium.*—275 *Quod nage* in iisdem.

NOTÆ

258 *Tuos partus*] Pyrrhum filium.

260 *Virgineæ latebræ*] Sub veste muliebri latuisse.

264 *Liber Hymen*] Nam antea clandestinus erat.

265 *Permissus*] Id est, postquam sancte et juste illo frui concessum est.

269 *Lacrymis planctuque decoræ*] 'Lacrymæ fecere decorem.'

272 *Tyndaris*] Helena Tyndari filia. *Incesta nimium laudata rapina*]

Ast ego vel primæ puerilis fabula culpæ
Narrabor famulis, aut dissimulata latebo.
Quin age, duc comitem: cur non ego Martia tecum
Signa feram? tu pensa manu, Bacchæaque mecum
Sacra, quod infelix non credet Troja, tulisti.
Attamen hunc, quem mœsta mihi solatia linquis,
Hunc saltem sub corde tene: et concede precanti
Hoc solum, pariat ne quid tibi barbara conjux,
Ne qua det indignos Thetidi captiva nepotes.
Talia dicentem non ipse immotus Achilles
Solatur, juratque fidem, jurataque fletu
Spondet, et ingentes famulas, captumque reversus
Ilion, et Phrygiæ promittit munera gazæ.
Irrita ventosæ rapiebant verba procellæ.

vel narrabor captivis fabula primæ culpæ tuæ pueritiæ, aut neglecta oblivioni dabor. Quin age duc me sociam: cur non ego geram tecum bellica vexilla? Tu manu gessisti mecum colos, et tulisti sacra Bacchi, quod infortunata Troja non credet. Attamen hunc saltem serva in memoria, quem mihi relinquis triste levamentum, et hoc tantum oranti indulge, ne barbara uxor gignat filios ex te, ne qua serva det Thetidi ignobiles nepotes. Achilles non ipse immotus consolatur hæc loquentem, et dat fidem, confirmatque lacrymis, et ei promittit, cum rediret, nobiles captivas, opesque expugnati Ilii, et thesauros Phrygios. Venti auferebant vana dicta. Dies educta

—276 *Bacchæaque tecum* Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant.—279 *Hunc sub corde tene et misere concede precanti* Venett. *et concede roganti* nonnulli codd. Lindenbrogii.—286 Bernardinus Cyllenius ad Tibull. III. 6. hunc versum citat ita: *Irrita ventosæ linquens promissa procellæ.* At neque codd. nec libri impressi quicquam mutant. Hic in Lindenbrogianis legitur: *Explicit Achilleidos liber quartus.* Deinde sequitur hoc libri quinti Argumentum:

Navigat ad Trojam Quinto fatalis Achilles
Dardaniæ: memoratque Ithacus primordia belli.
Ille sed Œnidem vitæ morumque docebat
Cruda rudimenta, dederat quæ semivir acer,
Et Laërtiaden, fluctus sulcante carina.

Hi vero versus extant in Exc. Burg.

Mox jubare exorto [ita deficit] *complexibus axit*
Conjugis et divis pelagi de more limotrato [ita abundat]
Navigat Æacides oculos ad mœnia vertit
Fractus amore delos [lege *dolos*] *maternos dānat Ulyxes*

NOTÆ

Astute eam in contemtum ac odium trahit.

280 *Barbara*] Græci alias gentes 'barbaras' vocabant.

284 *Captum Ilion*] Id est, prædam e capto Ilio seu Troja.

285 *Gazæ*] Vocabulum Persicum significat divitias.

286 *Irrita verba*] Quia periit in bello Trojano, nec exequi potuit, quæ promiserat.

Exuit implicitum tenebris humentibus orbem
Oceano prolata dies, genitorque coruscæ
Lucis, adhuc hebetem vicina nocte, levabat,
Et nondum excusso rorantem lampade ponto.
Et jam punicea nodatum pectora palla,
Insignemque ipsis quæ prima invaserat armis
Æaciden (quippe aura vocat, cognataque suadent
Æquora) prospectant cuncti, juvenemque, ducemque
Nil ausi meminisse, pavent: sic omnia visu
Mutatus rediit, ceu, nunquam Scyria passus
Littora, Peliaco raptus descendat ab antro.
Tunc ex more Deis (ita namque monebat Ulixes)
Æquoreis, Austrisque litat, fluctuque sub ipso
Cœruleum regem tauro veneratur, avumque

Oceano liberavit mundum humidis tenebris, quibus involutus erat, et pater splendentis luminis extollebat facem adhuc hebetem proxima nocte, et manantem mari nondum excusso. Et omnes conspiciunt Æaciden jam indutum purpurea chlamyde, et conspicuum iisdem armis, quæ prima apprehenderat, (quippe aura invitat, et cognata maria hortantur,) et reformidant juvenem ducem, nihil ausi recordari. Sic mutatus omnium oculis apparuit, ceu nunquam attigisset Scyrias oras, et descenderet eductus a spelunca Peliaca. Tunc, Ulyssis monitu, ex more sacrificat Diis marinis, et ventis, et qua fluctus alluit, immolat taurum cæruleo regi, avoque Nereo, et mater pla-

Explicat et jussus moveat cur Græcia bellum
Pellidesque suæ narrat priordina [lege *primordia*] *vitæ*.

Pro *limotrato* legendum *litato* ex vs. 298. 299. de ceteris non liquet.—290 Codd. Bernartii : *excurso;* Aldd. Colin. Gryph. et Basil. *excuso*. Exc. Burg. *excusso radiantem*.—291 Exc. Burg. et edd. vett. *nudantem pectora*.—292 In iisdem Exc. *quæ modo invaserat*.—295 Nonnulli codd. *palam* pro *pavent*. Vide Not. Var.—297 Exc. Burg. *discebat ab antro*.—298 In iisdem : *monebat Achilles*.—299 Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Aldd. Colin. Gryph. Basil. et Plant. *matrique litat ;* Exc. Burg. *astrisque litat ;* at in margine pro v. l. ' aliter *aus-*

NOTÆ

293 *Cognataque*] Propter Thetin matrem Deam marinam.

295 *Nil ausi meminisse*] Muliebris vestis, qua Achillem indutum viderant.

297 *Peliaco*] In quo educatus fuerat a Chirone.

298 *Tunc ex more Deis Æquoreis Austrisque litat*] Ex more scilicet navigantium, qui Diis marinis et ventis litabant vino, et extis taurinis. Virgilius : ' Di quibus imperium Pelagi, quorum æquora curro, Vobis lætus ego candentem in littore taurum Constituam ante aras voti reus, extaque salsos Porriciam in fluctus, et vina liquentia fundam.'

299 *Fluctuque sub ipso*] Id est, qua fluctus alluit.

300 *Cæruleum regem*] Neptunum. *Tauro veneratur*] Virgilius : ' Taurum Neptuno, taurum tibi, pulcher Apollo.'

Nerea: vittata genitrix placata juvenca est.
Hic spumante salo jaciens tumida exta profatur:
Paruimus, genitrix, quanquam haud toleranda jubebas,
Paruimus nimium, bella ad Trojana ratesque
Argolicas quæsitus eo. Sic orsus, et alno
Insiluit, penitusque Noto stridente propinquis
Abripitur terris: jamque ardua crescere nubes
Incipit, et Scyros longe decrescere ponto.
Turre procul summa, lacrymis comitata sororum,
Confessumque tenens, et habentem nomina Pyrrhum,
Pendebat conjux, oculisque in carbasa fixis
Ibat, et ipsa fretum et puppem jam sola videbat.

cata est juvenca vittis ornata. Hic jaciens in spumosos fluctus tumida viscera, inquit: Paruimus, mater, etsi indigna imperabas. Nimium paruimus. Quæsitus vado ad bellum Trojanum, et naves Græcas. Sic loquitur, et insiluit in navem, et vento flante cum strepitu avellitur a proximis ripis. Et jam excelsæ nubes crescere incipiunt, et Scyros longe in mari decrescere. Uxor stipata flentibus sororibus et amplectens filium Pyrrhum nomine, quem tunc confitebatur, pendebat ex alta turre, et fixis oculis vela insequebatur, et ipsa jam sola videbat mare et navem. Ille quo-

tris.'—307 *Arripitur terris: et jam ardua* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et edd. vett. *Abripitur terris* conj. Bernartius. Codd. Lindenbrogii: *cernere nubes.* —308 Codd. Lindenbrogii et Venett. *longo discernere ponto.* Vide Not. Var.

NOTÆ

Hinc enim (ut scribit Plinius) opimæ victimæ, et laudatissima Deorum placatio. *Avumque Nerea*] Nam Nereus erat pater Thetidis matris Achillis.

301 *Vittata genitrix placata juvenca*] Ita ex more inaurabantur victimæ cornua, et vittis ornabantur.

302 *Spumante salo jaciens tumida exta*] Virgilius supra: 'Extaque salsos Porriciam in fluctus.' Sic Scipio apud Livium procedens in Africam, dum Diis maris sacrificat, exta in mare jacit.

305 *Quæsitus*] Quantum in me fuit, parui tibi.

307 *Ardua crescere nubes*] Quia vapores elevantur supra mare, et nubes efficiunt, quæ navigantibus sensim majores apparent.

308 *Et Scyros longe decrescere ponto*] Ob rationem supra allatam vs. 4. quia scilicet recedebant ab ea. Simile illud Virgilii in III. 'Phæacum abscondimus arces.' Et: 'Terræque urbesque recedunt.' *Longe*] Scripti habent *longo*. Solet interdum Statius 'longum' ponere pro lato aut longe distanti. Sic Theb. v. 'Longo rapit arva morantia passu.' Protreptico ad Crispinum: 'Atque oculos longo querar aëre vinci.'

310 *Confessumque*] Passive, id est, quem jam confitebatur. *Pyrrhum*] Vocatus et Neoptolemus.

311 *Conjux*] Deidamia.

312 *Sola*] Præ amore.

Ille quoque obliquos dilecta ad mœnia vultus
Declinat, viduamque domum, gemitusque relictæ
Cogitat: occultus sub corde renascitur ardor,
Datque locum virtus: sensit Laërtius heros
Mœrentem, et placidis aggressus flectere dictis:
Tene, (inquit,) magnæ vastator debite Trojæ,
Quem Danaæ classes, quem Divum oracula poscunt,
Erectumque manet reserato limine bellum,
Callida fœmineo genitrix velavit amictu?
Commisitque ullis tam grandia furta latebris?
Speravitque fidem? nimis o suspensa, nimisque
Mater! an hæc virtus tacita torperet in umbra,
Quæ, vix audito litui clangore, refugit
Et Thetin, et comites, et quos suppresserat ignes?
Nec nostrum est, quod in arma venis, sequerisque precantes:
Venisses ultro. Quem talibus occupat heros
Æacides: Longum est resides exponere causas,
Maternumque nefas: hoc excusabitur ense
Scyros, et indecores, fatorum crimina, cultus.

que Achilles retorquet obliquum vultum ad caros muros, reputatque secum viduam domum, ac dolorem desertæ Deidamiæ. Latens amor in ejus corde rursus excitatur, et virtus cedit. Heros Laërtæ filius animadvertit eum tristem esse, et leni sermone tentans eum avertere: O fatalis, ait, eversor ingentis Trojæ, quem classes Græcorum ac Deorum responsa postulant, et quem suspensus exercitus in apertis foribus expectat, astuta mater tene texit muliebri veste, et occuluit alicubi tam ingens furtum? et credidit quod hoc reticeretur? O nimis solicita, et nimium mater! An langueret in mutis tenebris hæc virtus, quæ vix audito tubæ sonitu reliquit et Thetin et socias, et suos ignes, quos suppresserat? Nec nostrum tribuendum est, quod venis in bellum, et sequeris precantes: sponte venisses. Quem Heros Æaci nepos interpellat talibus verbis: Prolixum esset explicare causas inertiæ, maternumque scelus. Scyros et ingloriæ vestes, flagitia fatorum, redimentur hoc gladio. Tu potius, dum placi-

—317 *Hærentem* Exc. Burg. et codd. Tollii; quem vide ad Auson. p. 369.—319 *Quem Danaæ* codd. Lindenbrogii.—322 Exc. Burg. *illis* pro *ullis*.—328 *Venisses dixit* Put.—331 Exc. Burg. *vultus* pro *cultus*.—332 *Zephyrisque fruun-*

NOTÆ

316 *Laërtius heros*] Ulysses.

318 *Debite*] Fato scilicet.

320 *Reserato limine bellum*] Respexit ad Romanorum morem, qui denuntiato bello templum Jani aperiebant.

326 *Et Thetin*] Thetidis respectum. *Comites*] Filias Lycomedis.

331 *Fatorum crimina*] Vide quæ diximus ad Theb. XI. 188. et ad lib. V. Sylvarum Protrept. ad Crispinum vs. 84.

Tu potius, dum lene fretum, Zephyrisque feruntur
Carbasa, quæ Danais tanti primordia belli,
Ede: libet justas hinc sumere protinus iras.
Hic Ithacus paulum repetito longius orsu:
Fertur in Hectorea (si talia credimus) ora
Electus formæ certamina solvere pastor
Solicitas tenuisse Deas, nec torva Minervæ
Ora, nec ætherei sociam rectoris, amico
Lumine, sed solam nimium vidisse Dionen.
Atque adeo lis ista tuis exorta sub antris
Concilio Superum, dum Pelea dulce maritat

dum est mare, et vela inflantur Zephyris, dic, quæ sint Graiis initia tanti belli, ut inde extemplo concipiam æquum odium. Ithacus hic rem paulo altius repetens, ait: Tradunt, si talibus fides adhibenda, pastorem in plaga Phrygia, electum judicem ad dirimendam formæ controversiam, tenuisse suspensas Deas, nec respexisse propitiis oculis vultum trucis Minervæ, nec uxorem cœlestis regis, sed plus æquo solam Venerem. Hancque contentionem natam esse in tuis speluncis voluntate numinum,



tur Dan. Put. Petav. Lindenbrog. et Cruc.—334 *Ede licet* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et edd. vett.—336 *Fertur in ætherea* Exc. Burg.—338 *Solicitas habuisse* margo ed. Barth. ex codd. Vide Not. Var.—339 Lang. Laur. Buslid.

NOTÆ

336 *Hectorea*] Id est, Phrygia, sic dicta ab Hectore Priami regis Phrygiæ filio.

337 *Electus formæ certamina solvere pastor*] *Solvere* pro 'ad solvendum.' *Pastor*] Invidiose Paridem vocat 'pastorem,' quia inter pastores educatus fuerat. Tangit autem fabulam, qua produnt, convocatis ad Nuptias Thetidis et Pelei omnibus Diis Deabusque, solam Discordiam omissam fuisse. Unde iratam projecisse inter epulantes pomum cui inscriptum erat, 'pulchriori detur.' Hinc orta contentione de pulchritudine inter Junonem, Minervam, et Venerem, eas Jove remissas fuisse ad judicium Paridis, qui secundum Venerem judicavit, promissa sibi Helena.

338 *Solicitas tenuisse Deas*] Liber haud spernendus: *Solicitas habuisse Deas.* Cato in fr. 'Me solicitum, atque exercitum habitum esse, ac porro fore.' Plautus Menæchmis: 'Qui neque leges, neque æquum bonum usquam colunt, solicitos patronos habent.' Terent. Heaut. 'Relevi dolia omnia, omnes serias; omnes solicitos habui.' *Gronovius.*

339 *Ætherei sociam rectoris*] Junonem.

340 *Dionen*] Venerem, cujus mater Dione Homero. Ipsa 'Dione' vocatur a Poëtis. Statius lib. I. 'Multa super Thebis Bacchum, ausuramque Dionen Dicere.' Ovidius: 'Hippolyte infelix, velles coluisse Dionen, dum consternatis diripereris equis.'

341 *Tuis*] In quibus scilicet educatus fuisti.

342 *Dulce*] Adverbium.

Pelion, et nostris jam tunc promitteris armis.
Ira quatit victas: petit exitialia judex
Præmia: raptori faciles monstrantur Amyclæ.
Ille Phrygas lucos, matris penetralia cædit
Turrigeræ, vetitasque solo procumbere pinus
Præcipitat, terrasque freto delatus Achæas
Hospitis Atridæ (pudet heu, miseretque potentis
Europæ!) spoliat thalamos, Helenaque superbus
Navigat, et captos ad Pergama devehit Argos.
Inde dato passim varias rumore per urbes,
Undique inexciti sibi quisque et sponte coimus

dum Pelion jungit felici connubio Pelea, et jam tunc promittebaris nostris armis. Victæ Deæ ira inflammantur. Judex poscit funestam mercedem. Faciles Amyclæ ostenduntur raptori. Ille amputat sylvas Phrygias, sacras turrigenæ matri, et projicit humi pinus, quas nefas succidere, et vectus mari in regiones Achivas, (heu pudet et miseret potentis Europæ!) rapit uxorem Atridæ sui hospitis, et superbus Helena transfretat, ac defert Trojam captos Argos. Hinc, ubi manavit hæc fama per diversa oppida, undique ultro convenimus non instigati, unusquisque in suam

Lipsian. et edd. vett. *nec ætherei germanam regis amico.*—343 Edd. vett. *jam nunc.* Bernartius ex veteri codice correxit.—344 *Ira coquit victas*, vel *acuit victas* malit Nic. Heinsius in Adverss. lib. IV. cap. 3. p. 578.—346 '*Phrygas lucos* scribendum cum optimis multis membranis.' *Barth. Ille Phryges lucos* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et edd. vett.—347 Put. *proscribere pinus.*—353 *Undique in exitio* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et edd. vett. *in exitiis quisque*

NOTÆ

343 *Et nostris jam tunc promitteris armis*] Catullus, dum facit Epithalamium in Nuptiis Pelei, promittit Achillem clarum in bello Trojano futurum.

344 *Victas*] Junonem et Minervam. *Exitialia*] Quæ exitio fuere sibi patriæque. Unde lib. superiori 'temerarius' dicitur 'arbiter.'

345 *Præmia*] Helenam. *Amyclæ*] Amyclæ oppidum Laconiæ. Dixit Amyclas pro Sparta, ob locorum vicinitatem, et quod utraque sub Menelai ditione erat. Non enim Paris expugnavit Amyclas, sed Spartam, ut supra diximus. *Faciles*] Ob promissa Veneris.

346 *Matris Turrigeræ*] Cybeles matris Deorum, quæ repræsentabatur vecta curru tracto a leonibus, cum corona turrita in capite. *Cædit*] Ad fabricationem navium.

347 *Vetitas pinus*] Id est, sacros lucos, quos religio prohibebat succidere.

349 *Hospitis Atridæ*] Menelai, in cujus domo hospitio susceptus fuerat. *Pudet heu*] Interpositio est dolentis ad accendendum Achillem ad ultionem. *Potentis Europæ*] Quia hæc injuria totam Europam spectabat, quamvis sola Græcia offensa fuisset.

351 *Et captos ad Pergama devehit Argos*] Sic Virgilius: 'Ilium in Italiam portans, victosque penates.'

Ultores: quis enim genialia fœdera rumpi
Capta dolis, facilique trahi connubia raptu,
Ceu pecus, armentumve, aut viles messis acervos
Perferat? hæc et non fortes jactura moveret.
Non tulit insidias Divum imperiosus Agenor,
Mugitusque sacros, et magno numine vectam
Quæsiit Europen, aspernatusque Tonantem est
Ut generum: raptam et Scythico de littore prolem
Non tulit Æetes, ferroque et classe secutus
Semideos reges, et ituram in sidera puppim.
Nos Phryga semivirum portus et littora circum
Argolica incesta volitantem puppe feremus?

ultionem. Quis enim patiatur conjugalia fœdera rumpi illicitis fraudibus, uxoresque abduci facili rapina, velut pecora, armentave, aut vilis segetis cumulos? Hæc injuria et ignavos tangeret. Superbus Agenor non passus est Superum dolos, nec sacros mugitus, et scrutatus est Europam avectam ab ingenti Deo, ac dedignatus est generum Jovem. Æetes non tulit natam abduci de ripa Scythica, et insecutus est armis et navibus Semideos reges, et navem referendam inter astra. Nos patiemur Phryga semivirum volitantem impudica nave circa portus et oras Argivas? An-

Exc. Burg.—354 Dan. Put. Petav. Lindenbrog. et Cruc. *quis enim inlicitis genialia rumpi Pacta dolis.*—356 Nonnulli codd. et edd. vett. *armentumque.*—357 Exc. Burg. cum multis codd. et edd. vett. *hæc etiam.* Lectio: *hæc et non* debetur Fr. Modio Epist. 52. Pro *fortes,* quod tamen in margine habet, Exc. Burg. exhibet *viles.*—359 Exc. Burg. *munere vectam.*—361 *Vignereum. Captam* ed. Bernartii. *Vigenerum* conj. Barth. *Captam* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et edd. vett.—365 Exc. Burg. *incesta volup-*

NOTÆ

354 *Genialia*] A 'geniali lecto,' qui nuptiis sternebatur in honorem Genii. Vide Festum.

355 *Connubia*] Uxores.

358 *Non tulit insidias Divum imperiosus Agenor, &c.*] Nota fabula raptus Europæ Agenoris filiæ a Jove in taurum converso.

359 *Mugitusque sacros*] Jovis in taurum conversi.

361 *Ut generum*] An *Vi generum? Raptam et Scythico de littore prolem Non tulit Æetes*] Nota fabula raptus Medeæ a Jasone, quem Æetes, ejus pater, rex Colchidis, navibus insecutus est. *Scythico de littore*] Nam Colchis adjacet Ponto Euxino, qui et 'Scythicus' appellatus est. *Prolem*] Medeam filiam.

363 *Semideos reges*] Argonautas. *Et ituram in sidera puppim*] Nam Argo navis inter sidera relata est. Manilius lib. I. 'Tum nobilis Argo In cœlum subducta, mari quod prima cucurrit, Et meritum magnis mundum tenet acta procellis; Servando Dea facta Deos.'

364 *Phryga semivirum*] Phryges enim imbelles habebantur.

Usque adeo nusquam arma et equi, fretaque invia Graiis?
Quid si nunc aliquis patriis rapturus ab oris
Deidamian eat, viduaque a sede revellat
Attonitam, et magni clamantem nomen Achillis?
Illius ad capulum rediit manus, et simul ingens
Impulit ora rubor: tacuit contentus Ulixes.
Excipit Œnides: Quin, o dignissima cœli
Progenies, ritusque tuos, elementaque primæ
Indolis, et valida mox accedente juventa,
Quæ solitus laudum tibi semina pandere Chiron,
Virtutisque aditus, quas membra augere per artes,
Quas animum, sociis, multumque faventibus ede:
Sit pretium longas penitus quæsisse per undas
Scyron, et his armis primum intendisse lacertos.
Quem pigeat sua facta loqui? tamen ille modeste
Inchoat, ambiguus paulum, propiorque coacto:
Dicor, et in teneris, et adhuc crescentibus annis,

non sunt Græcis arma et equi, et hisne sunt maria impervia? Quid si nunc aliquis vadat rapturus Deidamiam e patriis plagis, et dum abes, abripiat domo consternatam, et implorantem opem magni Achillis? Manum capulo ensis admovet, et simul ejus vultus ingenti rubore suffunditur. Ulysses siluit contentus, eum inflammasse. Œnei nepos excipit: Sed tu, o meritissima cœli soboles, refer comitibus, et multum tibi devotis, mores tuos, et rudimenta primæ ætatis, et mox, ut attigeris robustam juventam, quæ laudum semina tibi Chiron inseverit, quosque aditus ad virtutem, quibus artibus corroboraverit corpus tuum, quibus disciplinis animum excoluerit. Hoc sit operæ nostræ pretium, quod per longas aquas penetravimus usque Scyron, et primi armavimus brachia tua hoc clypeo. Cui grave est commemorare sua gesta? Tamen ille modeste incipit, paulum anceps, et quasi coactus: Ferunt me in primis

tatem.—367 In iisdem: *pateris* pro *patriis.*—368 Nonnulli codd. et edd. vett. *patriaque a sede;* Exc. Burg. *viduaque assedere.*—369 Exc. Burg. *et magnum.* —378 Codd. Lindenbrogii: *transisse per undas.*—379 Pro *his* Gronov. malit *hos.* Vide Not. Var.—382 Scholiastes et duo codd. Gruteri: *restantibus an-*

NOTÆ

371 *Contentus*] Inflammasse eum scilicet.

372 *Œnides*] Diomedes ab avo Œneo; nam Œneus erat pater Tydei, patris Diomedis.

375 *Laudum semina*] Vide superiori lib. vs. 83.

377 *Sociis*] Id est, nobis.

378 *Sit pretium*] Operæ nostræ.

380 *Quem pigeat sua facta loqui*] Sic Tacitus in Vita Agricolæ: 'Ac plerique suam ipsi vitam narrare, fiduciam potius morum, quam arrogantium arbitrati sunt.'

382 *Dicor*] Quia non poterat recordari.

Thessalus ut rigido senior me monte recepit,
Non ullas ex more dapes habuisse, nec almis
Uberibus satiasse famem, sed spissa leonum
Viscera, semianimesque libens traxisse medullas.
Hæc mihi prima Ceres, hæc læti munera Bacchi,
Sic dabat ille pater: mox ire per avia secum
Lustra gradu majore trahens, visisque docebat
Arridere feris, nec fracta ruentibus undis
Saxa, nec ad vastæ trepidare silentia sylvæ.

annis et adhuc crescentibus, ut longævus Thessalus admisit me in severum montem, nulla cepisse solita alimenta, nec explevisse famem mammis nutricis, sed comedisse duras leonum carnes, et libentem suxisse semivivas medullas. Hic mihi primus cibus fuit: hæc dona jucundi Bacchi: sic ille pater me nutriebat. Mox erudiebat vadere secum per avia cubilia ferarum, trahens me non æquis passibus, et non reformidare aspectas bestias, nec strepitum saxorum ab undis fractorum, nec tremere ad silen-



nis; unde ille *reptantibus.* Vide Not. Var.—384 Exc. Burg. *cibos* pro *dapes.* Codd. Barthii: *ullos ex more dapes.*—386 Dan. Put. Petav. Barthiani, Lindenbrog. et Cruc. *lupæ traxisse medullas.*—388 *Sic dedit* Exc. Burg.—390 *Irridere feris* Put. et pro v. l. *Irritare.* Exc. Burg. *nec jamque;* at in margine

NOTÆ

383 *Thessalus senior*] Chiron. *Rigido monte*] Pelio, ob severam disciplinam Chironis.

384 *Non ullas ex more dapes, &c.*] Achilles ferarum medullis dicitur educatus, ut nomen significat; illud enim componitur ab α privativo, et χιλὸς, *esca,* sive cibus humanus, unde *Achilles* dictus est: nam primo vocabatur 'Pyrissous.' Euphorion: 'Ες Φθίην χιλοῖο κατήϊε πάμπαν ἄπαστος, Τούνεκα Μυρμιδόνες μιν 'Αχιλλέα φημίζοντο. *Descendit in Phthiam, non degustato omnino cibo humano, quamobrem Myrmidones nominaverunt eum Achillem.* Libanius in duabus orationibus, in quibus laudem et vituperationem Achillis scripsit, expresse dicit Chironem parvulum Achillem leonum medullis aluisse. Idem legitur apud Apollodorum lib. III. Vide Philostrati Heroica in Achille, magnum Etymologicon, et Eustathium in primum librum Iliados. *More*] Infantium scilicet. *Nec almis Uberibus*] 'Alma ubera,' allmoniam scilicet præstantia.

387 *Ceres*] Panis. 'Cererem' pro pane sumi omnibus notum est. *Munera Bacchi*] Vinum.

388 *Ille pater*] Chiron. *Pater* propter reverentiam. Juvenalis: 'Qui præceptorem sancti voluere parentis Esse loco.' Et Quintilianus: 'Discipulos unum interim moneo, ut præceptores suos non minus, quam ipsa studia ament, et parentes eos non quidem corporum, sed mentium esse credant.'

389 *Gradu majore*] Sic de Ascanio Virgilius: 'Sequiturque patrem non passibus æquis.'

390 *Arridere feris*] Est, non formidare.

391 *Nec ad vastæ trepidare silentia sylvæ*] Noster Theb. IV. 'Vacuusque silentia servat Horror.'

Jam tunc hasta manu, jam tunc cervice pharetræ,
Et ferri properatus amor, durataque multo
Sole geluque cutis; tenero nec flexa cubili
Membra, sed ingenti saxum commune magistro.
Vix mihi bissenos annorum torserat orbes
Vita rudis, volucres cum jam prævertere cervos,
Et Lapithas cogebat equo, præmissaque cursu
Tela sequi sæpe ipse gradu me præpete Chiron.
Dum velox ætas, campis admissus agebat
Omnibus, exhaustumque vago per gramina passu
Laudabat gaudens, atque in sua colla levabat.
Sæpe etiam primo fluvii torpore jubebat
Ire super, glaciemque levi non frangere planta.
Hoc puerile decus: quid nunc tibi prælia dicam
Sylvarum? et vacuos sævo jam murmure saltus?

tium ingentis nemoris. Jam tunc hasta in manu, jam tunc pharetra in collo erat, et accelerata cupido ferri, et cutis indurata multo frigore ac sole, nec artus effœminati erant in molli lecto, sed cubabam cum magno præceptore supra commune saxum. Vix in hac fera vita attigeram duodecim annos, cum jam cogebat me cursu prævertere agiles cervos, ac equos Lapithas, et assequi præmissas sagittas. Sæpe ipse Chiron, dum vigebat ætate, currens concitato gradu me secum agebat per omnes campos, et ubi exhaustus eram errabundo cursu per gramina, me lætus laudabat, et tollebat ad suum collum. Sæpe etiam dum primum incipiebat flumen congelari, imperabat me ire super, nec rumpere glaciem levi pede. Hæc puerilis gloria. Quid nunc tibi memorem mea certamina in nemoribus, et exhaustos saltus feris rugienti-

correctum.—392 *Jam tunc arma manu* Put.—394 Barth. *fluxa cubili.*—396 Exc. Burg. *corsitat orbes.*—398 Barth. *cogebat equos.*—403 Exc. Burg. *torpore*

NOTÆ

395 *Sed ingenti saxum commune magistro*] Superiori libro: 'Nox ruit in somnos, saxo collabitur ingens Centaurus, blandisque humeris se innectit Achilles.'

398 *Lapithas*] Populos Thessaliæ. *Equo*] *Equos* legit Cruceus, et bene, et refert ad Lapithas, explicatque 'Thessalicos equos' pernicissimi cursus. Silius Italicus lib. VIII. de Scipione Juvene: 'Sæpe alite planta Ilia perfossum et campi per aperta volantem Ipse pedes prævertit equum.' Erat et genus ludi in sacris certaminibus, 'Calpe' vocabatur, ubi equæ insidens in medio cursu desiliebat, et velocitatem equæ, quam loro tenebat, assequebatur. Plutarch. v. Symp.

399 *Tela sequi*] Assequi, vel sequi, ut assequerer.

400 *Campis admissus*] Id est, *courant à toute bride*; 'admittere equum,' *pousser un cheval.* Ovidius: 'Hic lacer admissos terruit Hector equos.'

406 *Vacuos sævo jam murmure*] Exhaustos feris rudentibus et rugientibus.

Nunquam ille imbelles Ossæa per avia lynces
Sectari, aut timidos passus me cuspide damas
Sternere, sed tristes turbare cubilibus ursas,
Fulmineosque sues, et sicubi maxima tigris,
Aut seducta jugis fœtæ spelunca leænæ.
Ipse sedens vasto facta expectabat ab antro,
Si sparsus magno remearem sanguine: nec me
Ante nisi inspectis admisit ad oscula telis.
Jamque et ad ensiferos vicina pube tumultus
Aptabar: nec me ulla feri Mavortis imago
Præteriit: didici, quo Pæones arma rotatu,
Quo Macetæ sua gesa citent, quo turbine cæstum

bus? Nunquam ille sinebat me insectari ignavas Lynces per avia loca Ossæ montis, aut dejicere venabulo pavidos damas, sed exagitare sævas ursas in lustris, ardentesque sues, aut maximam tigrin, si alicubi inveniretur, aut enixam leænam in antro semoto in cacuminibus montis. Ipse sedens speculabatur mea facta a vasta spelunca, si redirem perfusus cruore magnæ feræ, nec me unquam patiebatur illum osculari, nisi prius consideratis telis. Jamque ineunte pubertate, assuescebam ad strepitus bellicos: nec ullum simulacrum crudelis belli me latuit. Didici, quo modo Pæones rotent clypeos, quo Macedones emittant sua gæsa, quo impetu Sauromatæ

pro *corpore.*—408 In iisdem: *aut avidas passus.*—410 In iisdem: *et sicuba.*—411 *Aut deducta jugis* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et Venett.—413 Exc. Burg. *magno*; at super lin. et in marg. *multo.* Pro *remearem* multi codd. et edd. vett. *remeassem.*—314 *At nisi infectis* Petav.—418 *Massagetæ sua tela* Exc. Burg. *Magetæ sua gesa* Lang. Laur. Buslid. Lipsian. et edd. vett. Vide

NOTÆ

407 *Ossæa per avia*] Id est, per avia loca Ossæ montis Thessaliæ. *Lynces*] Animal timidum, Baccho dicatum. Vide Theb. IV. vs. 658.

409 *Tristes ursas*] Perpetuum epitheton.

410 *Fulmineosque sues*] Quod more fulminis obvios irati prosternant. Vide Theb. VI. 865. *Et sicubi maxima tigris*] Hoc dicit, quia raro tigris invenitur in Thessalia.

413 *Magno sanguine*] Leonis, vel ursæ.

414 *Inspectis telis*] An sanguine ferarum oblita essent?

417 *Pæones*] Populi Macedoniæ ad Axium fluvium siti secundum Livium lib. XL. et XLV. Ptolemæus hos etiam collocat in Macedonia, sed ad Haliacmonis fluvii fontes. Sic dicti sunt a Pæone Endymionis filio, qui victus cursu ab Epeo fratre, imperium Elidis victori cessit, (sicut inter eos convenerat,) et in Macedoniam commigravit, nomenque genti dedit.

418 *Macetæ*] Macedones. Vide Theb. VII. 269. *Gesa*] Arma proprie Gallica, sicut pila Romanorum, sarissæ Macedonum. *Quo turbine*] Imitatus est Virgilium: 'Quo turbine torqueat hastam.' *Cæstum*] Hoc verbum hic ferri non potest: quia nulla gens in pugna cæstibus usa est. Ideo legit Scaliger, *cestrum.* Hoc nomine

Sauromates, falcemque Getes, arcumque Gelonus
Tenderet, et flexæ Balearicus actor habenæ
Quo suspensa trahens libraret vulnera tortu,
Inclusum quoties distringeret aëra gyro.
Vix memorem cunctos (etsi modo gessimus) actus.
Nunc docet ingenti saltu me jungere fossas:
Nunc caput aërii scandentem prendere montis,
Quo fugitur per plana gradu: simulacraque pugnæ,
Excipere immissos curvato umbone molares,
Ardentesque intrare casas, peditemque volantes

conto rueret, et Geta tractaret falcem, et Gelonus arcum adduceret, et quo spatio funditor Balearis suspenso lapide ictum incuteret, quoties funda suo orbe circumscriberet aërem. Vix referrem omnes actus, quamvis modo gesserim. Nunc me docet transilire fossas magno saltu: nunc scandentem prendere jugum altissimi montis, eodem gradu, quo curritur in plano campi æquore. Et quasi esset vera pugna, excipere curvato clypeo injectos molares, subire conflagrantes domos, et peditem de-

Not. Var. Pro *cæstum* T. R. codex habet *contum.*—421 Exc. Burg. Dan. Put. Petav. Lindenbrog. et Cruc. *vulnera tractu.*—422 Put. *distingueret;* Exc. Burg. *disjungeret;* in quibusdam aliis: *discingeret.*—424 Exc. Burg. *me vincere.*—425 Put. *pendentem scandere;* ita correxit Nic. Heinsius in Advers. lib. IV. cap. 3. p. 582.—427 *Excipere immensos* Petav. et Venett.—428 *Ar-*

NOTÆ

fuit spiculum, quod funda circumagi et emitti solebat, ut docet Suidas. Livius lib. XLII. 'Cestrosphendonam' vocat, describitque. Lipsius dubitare ait, *contum*, an *restim*, scribendum sit: sed magis placere posterius. At Gronovius et Gruterus in Mss. repererunt *contum.* Et sic Maturantius et Britannicus legerunt. Quæ vera lectio est. Silius lib. XV. 'Sustentata genu per campum pondera conti Sarmatici prona adversos urgebat in hostes.' Valerius Flaccus lib. V. 'Et ingentis frænator Sarmata conti.' Tacitus Annal. VI. 'Sarmatæ emisso arcu, quo propius valent, contis gladiisque ruerent.'

419 *Sauromatæ*] Populi Scythiæ Europææ. Vide Theb. III. 227. *Falcem*] Ensem recurvum. *Gelonus*] Scythiæ Asiaticæ populi. Vide Theb. II. 421.

420 *Balearicus actor*] Balearis funditor. Vide Theb. X. 851. *Habenæ flexæ*] Id est, fundæ, quæ incurva est. Forma fundæ, quæ in monumentis obvia, est funiculus in medio latior, ovali forma, et qui paulatim in strictius abit.

421 *Libraret vulnera*] Poëtice et eleganter, pro, rotaret ejacularetur-que lapides vulnera facturos.

422 *Inclusum quoties distringeret aëra gyro*] Theb. IV. 66. 'Pars vertere fundas Assueti, vacuoque diem præcingere gyro.' Funditorum autem gestum exprimit, qui funda circum caput adducta, factisque ea circulis, saxa rotant.

424 *Jungere saltu*] Nam sicut pons dicitur jungere ripas, ita *jungere saltu*, non est aliud quam transilire ab uno littore ad aliud.

427 *Molares*] Magna saxa.

Sistere quadrijugos. Memini, rapidissimus ibat
Imbribus assiduis pastus, nivibusque solutis
Sperchios, vulsasque trabes et saxa ferebat;
Cum me ille immissum, qua sævior impetus undæ,
Stare jubet contra, tumidosque repellere fluctus,
Quos vix ipse gradu toties obstante tulisset.
Stabam equidem, nec me referebat concitus amnis,
Et latæ caligo viæ : ferus ille minari
Desuper incumbens, verbisque urgere pudorem.
Nec nisi jussus abii : sic me sublimis agebat
Gloria, nec duri tanto sub teste labores.
Nam procul Œbalios in nubila condere discos
Et liquidam nodare Palen, et spargere cæstus,

tinere quadrigas effuse currentes. Recordor, Sperchios ruebat rapide, auctus continuis pluviis, liquefactisque nivibus, et rotabat arreptas arbores lapidesque, cum ille imperat me injectum, qua major aquæ vis, stare contra, et repellere inflatas undus, quas ipse Chiron tot pedibus vix sustinuisset. Stabam equidem, nec iratus fluvius, et profunditas lati fluminis me retro ferebat. Rigidus ille minabatur desuper instans, et verbis instimulabat meum pudorem. Nec recessi, nisi jussus. Sic me ingens gloria ad omnia excitabat, nec labores asperi erant sub tanto inspectore. Nam ludus mihi erat, relaxatioque, longe occultare discos Œbalios in aërem, et exerceri

dentesque errare casas Put.—431 Exc. Burg. *vulsas silvas.*—435 Multi codd. *consitiis.*—436 *Et latæ caligo fugæ* Put.—440 *Jam procul* multi codd. et edd. vett. Vide Gronov. ad Theb. III. 375. et Diatr. p. 139.—441 Lang. Laur.

NOTÆ

428 *Ardentesque intrare casas*] Igne scilicet seu incendio contemto.

431 *Sperchios*] Fluvius Thessaliæ.

433 *Stare jubet contra, tumidosque repellere fluctus*] Similis audacia veterum Celtarum, qui in fluctus se conjiciebant, eorumque impetum gladiis atque hastis excipiebant. Adeo enim ignominiosum existimabant fugere, ut ne ex corruentibus quidem aut flagrantibus ædificiis digrederentur, sed ruinam et vivicomburium ultro sustinerent. Ælianus Var. Hist. lib. XII. cap. 23.

434 *Toties obstante*] Quia quatuor pedes habebat Chiron.

436 *Caligo*] 'Caliginem' vocat confusionem trabium, et saxorum rotatorum a fluvio: vel ipsam profunditatem fluvii, quæ immensa erat.

439 *Tanto sub teste*] Chirone.

440 *Œbalios in nubila condere discos*] Quia hujusce exercitationis erat ars mittere altius discum, qui erat moles lapidea, vel ferrea, gravissima. *Œbalios*] Id est, Laconicos, quia Lacones huicce exercitationi dediti erant.

441 *Et liquidam nodare Palen*] Proprio verbo usus est Papinius. Nam nexus, vincula, nodus, implicare, ligare, ut et 'nodare,' propria verba luctæ. Virgilius: 'Hic Cacum in tenebris incendia vana vomentem Cor-

Ludus erat, requiesque mihi : nec major in istis
Sudor, Apollineo quam fila sonantia plectro
Cum quaterem, priscosque virum mirarer honores.
Quin etiam succos, atque auxiliantia morbis
Gramina, quo nimius staret medicamine sanguis,
Quid faciat somnos, quid hiantia vulnera claudat,
Quæ ferro cohibenda lues, quæ cederet herbis,
Edocuit, monitusque sacræ sub pectore fixit
Justitiæ, qua Peliacis dare jura verenda
Gentibus, atque suos solitus pacare bimembres.
Hactenus annorum, comites, elementa meorum

uncta lucta, et cæstus impingere. Nec magis in istis laborabam, quam cum moverem Apollineo pectine sonoras chordas, et canerem laudes veterum heroum. Quin etiam monstrabat mihi succos et herbas salutares, et docebat, quo remedio effluens sanguis sisteretur, quid conciliet somnum, quid jungat hiantes plagas, quæ lues ferro coërcenda, quæ sananda herbis: et insculpsit animo documenta sanctæ Justitiæ, qua solitus erat dicere jus populis Peliacis, et mansuefacere suos Centauros. Hactenus

Buslid. Lipsian. et edd. vett. *nudare Palen.*—451 Exc. Burg. Petrens. Lang. Laur. Buslid. Lipsian. Dan. Put. Petav. et Venett. *biformes ;* Aldd. Colin.

NOTÆ

ripit in nodum complexus, et angit inhærens Elisos oculos, et siccum sanguine guttur.' Lucanus lib. IV. 'Herculeosque novo laxavit corpore nodos.' Eadem ex re 'catenatas palæstras' dixit Epicedio in Glauciam : 'Catenatis curvatus membra palæstris.' Vide Theb. VI. *Pale* vero pro palæstra sumitur. *Liquidam* propter unctionem : nam oleo ungebantur luctatores. *Et spargere cæstus*] Bene *spargere.* Cæstus hinc inde impingebantur. Statius cuique generi suum verbum, munusque daturus, dicit discum *condi in nubila; Palen nodari; cæstus spargi.*

443 *Apollineo*] Quod Apollo primus illud dicitur invenisse.

448 *Quæ ferro cohibenda lues*] An quando pars aliqua resecanda esset ferro, 'ne pars sincera trahatur,' ut Ovidius ait. An quæ vulnera ferro sanentur, ut de rubigine intelligamus ferri utilissima emplastris, quam Achilles invenisse dicitur. Sic 'ferro' pro rubigine ferri in vulnus infusa, ne ulterius serpat ulcus. *Quæ cederet herbis*] Nam alia vulnera ferro, alia herbis curantur. Ut de Idmone Epidaurio loquens Poëta Theb. III. ait : 'Nunc velox ferro, nunc ille potentibus herbis Mitior.'

449 *Monitus sacræ Justitiæ*] Chiron enim auctore Homero δικαιότατος Κενταύρων, *justissimus.* Unde et Germanicus : 'Hic erat ille pius Chiron, justissimus inter Omnes Nubigenas, et magni ductor Achillis.'

451 *Bimembres*] Alii legunt *biformes,* id est, Centauros.

Et memini, et meminisse juvat: scit cetera mater.

recordor, socii, vitæ meæ principia, et placet recordari: scit mater cetera.

Gryph. Basil. et Plant. cum recentt. *bimembres.*—453 Post hunc versum alium exhibent Dan. Put. Petav. Exc. Burg. Lindenbrog. et Cruc. scilicet: *Aura silet: puppis currens ad littora venit.* Deinde subjungunt codd. Lindenbrogiani: *Papinii Surculi Statii Achilleidos liber quintus explicit.*

NOTÆ

453 *Scit cetera Mater*] Innuit hic Achilles nolle recordari, nec fateri ea, quæ in Scyro fecerat, ut quæ solius essent matris. Versus, qui in aliquibus exemplaribus sequitur: *Aura silet; puppis currens ad littora venit,* jampridem a doctis explosus est. Additus est a sciolo, qui credidit Achilleidem sic pro perfecta editam a Papinio, in qua persuasione fuit Joannes Britannicus.

ACHILLEIDOS FINIS.

NOTÆ VARIORUM

IN

P. PAPINII STATII OPERA.

EX EDITIONE VEENHUSENII,

Lugd. Bat. 1671. 8vo.

NOTÆ VARIORUM

IN

P. PAPINII STATII OPERA.

SYLVARUM LIB. I.

Papinii Surculi Statii] Quod omnibus etiam amœnissimis nemoribus evenire solet, ut, si diutius desolata jaceant, multi peregrini et tralaticii fœtus lectissimis arboribus sese interserant; illud etiam cultissimis quondam Papinii Sylvulis accidit, in quibus partim temporum injuria, partim hominum incuria, multi adulterini frutices, plurimi novitii surculi cultissimis olim arbusculis accreverunt.

Nec ipsas tantum Sylvulas hæc labes insedit, sed ipsius etiam Sylvarum autoris, *Statii*, inquam, nomen, quod mireris, sylvescere, et novos 'Surculos' emittere cœpit. Nam qui ante nos aureolos hosce libellos cura sua excolere, polire, conati sunt, non satis habuerunt frondationem in Sylvulis hisce exercere, et ἐπιφυλλίδας ramulosque male flexos decerpere, sed etiam, audacter sane, ἐμφυτεύειν, et insitionem exercere aggressi sunt. Nam ecce Statiano nomini, novum nescio quem, et peregrinum 'Surculum' inseruerunt. Nec vulgares sane illi Insitores, sed præstantes hujus ætatis viri, Fredericus inquam Tiliobroga, et Morellus, aliique, quos de Poëta nostro omnique adeo litteratura quam optime meritos esse nemo negabit. Tiliobroga ecce, in nupera Statii Editione Parisiensi quam adornavit, hunc titulum dedit: 'Papinii Surculi Statii Opera quæ exstant.' Morellus vero ita: 'Ad Papinii Surculi Statii Sylvas Conjectanea,' &c. Ego certe, ut libere cum Plauto dicam, Surculus ille 'quis sit homo nescio, Neque novi, neque natus necne is fuerit, id solide scio.' Sed rationes eorum audiamus. Ait Tiliobroga in suis Observationibus, se illud *Surculus* in plerisque manuscriptis reperisse; in quibus ita legebatur: 'Dictus fuit proprio nomine Statius cognomine Papinius, Surculus agnomine.' Deinde ait, in appendice D. Hieronymi ad Eusebii Chronicon sic legi: 'Statius Surculus Tholosanus in Gallia celeberrime Rhetoricam docet, Olymp. 200. An. 59. Imperat. Nerone.' Huc facit, quod Had. Behottius, in suis ad Statium Variantibus Lectionibus, dicat se in vetustissimo cod. reperisse: *Statii Pampinei Surculi Tholosani Liber primus, &c.*

Juretus etiam, ad Symmachum lib. I. ait Poëtam nostrum in cod. D. Benigni Divionensis 'Surculum' appellari. Guil. vero Barclaius in Præmessis ad Taciti Agricolam, Poëtam nostrum, ut natione Tholosanum, Gallicæ juventuti commendat, et 'Surculi' agnomen omnino defendit, aitque, 'cum Romæ quidam agnomine 'Stolones' dicti fuerint, quid ni,' inquit, 'etiam 'Surculi?'' Modium aliosque quamplurimos omitto, qui idem censuerunt. Hæc itaque argumenta eorum sunt, qui novum illud nomen Poëtæ nostro adjiciendum existimarunt. Nos vero, antequam falce nostra insititium illum 'Surculum' averruncemus, videndum duximus, in quo tandem agro infelix illud lolium primum creverit, et unde in omnes Mss. Statii codices sese insinuarit. Illud vero mihi diligenter rimanti certissimum est, primum ex Eusebii Chronico ortum esse hunc errorem. Ubi ergo locum illum correxerimus, 'tunc ipsa cubilia fraudum' apertissime patebunt. Vulgo itaque in Chronico illo, ut supra citavimus, legitur: 'Statius Surculus Tholosanus, in Gallia celeberrime Rhetoricam docet,' &c. sed hic detracta littera, 'Ursulus,' non autem 'Surculus' legendum esse, testatur Vir Clariss. Aubertus Miræus, qui se in tribus veteribus optimæ notæ codicibus 'Ursulus' reperisse asserit, in suis ad illud Chronicon Notis. Idem testatur maximus Scaliger, suis ad Eusebium Commentariis. Deinde in Chronico manuscripto quod asservatur apud S. Victoris Lutetiæ, ubi hæc D. Hieronymi verba citantur, 'Ursulus' legi, ipsemet testatur Tiliobroga, quamvis falso ille nomen illud ibi exscriptoris vitio corruptum existimet. Postremo apud Suetonium lib. de Claris Rhetorib. ubi vita hujus 'Ursuli Statii,' (de quo D. Hieron.) descripta fuit, præter eorum Rhetorum nomina, quorum vita etiamnum ibi superest, hæc etiam legebantur:

L. STATIVS VRSVLVS.

P. CLODIVS QVIRINALIS.

ut testatur Achilles Stat. Lusitanus in Commentariis ad illum Suetonii libellum. Quin et Ausonius alibi cujusdam alterius 'Ursuli' Grammatici meminit, et certe 'Ursulorum' et 'Ursinorum' familia celebris olim Romæ erat. Hinc 'D. Ursula' et 'Ursus,' civis quidam Romanus apud Poëtam nostrum, II. Sylv. Hinc ergo imprimis perspicuum, *Surculus* non esse nomen, nisi corruptum et depravatum. Quod ut adhuc clarius evadat, ipsam erroris originem et fontem aperiemus. Repetita erat, ut sæpe fit, ab indoctis librariis ultima littera S vocis præcedentis *Statius*, et illa connexa erat cum sequenti nomine *Ursulus*, hoc modo: *Statiu Sursulus*, unde primum quidem natum *Sursulus*, quod postea in *Surculus* mutatum. Confirmatur hæc mea opinio ex tribus Mss. codicibus, in quibus omnibus etiamnum *Sursulus* legebatur, non *Surculus*. Primus est cod. Buslidianus, quem ipsemet hisce oculis Lovanii inspexi, in quo clare legebatur: *Papinii Sursuli Thebais incipit.* quod glossa interlinearis ita explicabat: 'Sursulus,' inquit, 'agnomen, quasi sursum canens.' Acumen glossographi! sed linquamus nugas. Alter erat Ms. Caroli Langii, ex quo in cod. suo Livineius adnotarat etiam *Sursulus* ibi legi. Tertius est codex Cl. V. P. Petavii, Consiliarii Regii, in quo Tiliobroga se reperisse fatetur *Sursulus*. Ita enim legendum est in ejus Observationibus, cum Petavianum codicem citat, quamvis operæ male ibi ediderunt *Surculus*. Nam ipse Tiliobroga in calce edit. Parisiensis, ubi operarum errata corrigit, ita legendum ait: et sane alias pugnantia ibi locutus fuisset, ut legenti patet; sed piget diutius σμικρολογεῖσθαι. Ex his

omnibus jam satis patet primus Tiliobrogæ, Morelli, et aliorum error. quod nimirum nihili nomen, et ex alio nomine depravatum, Poëtæ nostro indiderint, et si aliud ex D. Hieronymi Chronico nomen ei adjiciendum fuisset, (quod negabimus,) *Ursulus*, non autem *Sursulus*, vel *Surculus*, dicendum fuisset. Alter, et quidem gravissimus, eorum error est, quod duos *Statios*, Prænomine, Cognomine, Patria, Professione, et Tempore diversissimos imperite confuderint. Duo namque (ut Statium Cæcilium Comicum omittam) Cæsarum temporibus maxime in litteris excelluere *Statii*, quorum unus hic Noster, *Pub. Statius Papinius, Neapolitan. Poëta*, sub Domitiano, alter vero, *Luc. Statius, Ursulus, Tholosanus, Rhetor*, sub Nerone, floruit.

Sed ut alter eorum error ex D. Hieronymi Chronico, ita et hic ex eodem natus est. Sciolus enim aliquis, qui olim Statii exemplaribus manu describendis præfuit, cum in Chronico illo, Rhetoris *Statii Ursuli*, male ibi *Surculus* appellati, mentionem reperisset, illud de Poëta nostro etiam intelligendum putavit, illumque *Papinium Surculum* appellavit, et utrumque confudit. Atque hinc origo erroris in Mss. nata, qui tot eruditissimos viros fefellit. Jam vero Ursulum illum Rhetorem longe diversum esse a nostro Papinio, vel ex solo Suetonio patet, qui vitam illius Ursuli describit in libello de Claris Rhetorib. ut supra diximus. Quod si autem ille idem fuit cum nostro Poëta, cur inter Rhetores vita ipsius a Suetonio relata est? Et quod omnium clarissime evincit, Ursulus ille Tholosanus fuit, ut omnes Mss. testantur; at Poëta noster non uno in loco sese Parthenopæum seu Neapolitanum prodit. Et in primis III. Sylv. in Epist. ad Pollium. Et in ipsa Ecloga de Neapoli. Et I. Sylv. Epithal. Violantillæ, quæ Neapolitana erat: 'Et te nascentem gremio mea prima recepit Parthenope, dulcisque solo tu gloria nostro Reptasti.' Et in Epist. III. Sylv. præmissa, Julium Menecratem Neapolitanum 'Municipem suum' appellat. Plura testimonia hic non accumulo: nam ex his sole clarius patet, Statium nostrum fuisse Neapolitanum: at Ursulum illum Tholosanum fuisse verum est. *Gevart.*

Sylvarum] Quærendum, qua ratione *Sylvarum* nomen libellis hisce indiderit Statius, An scilicet omnia opuscula conjunctim sumpta, an vero singula, et unumquodque poëmation *Sylvam* appellarit. Quod ut rectius intelligatur, notandum, veteres duplici ratione, opera sua *Sylvas* appellasse. Primum quidem a multiplici materia, et varietate in iis contenta. Ut enim vulgo solemus infinitam arborum indiscriminatim nascentium multitudinem *Sylvam* dicere, ita etiam libros suos, in quibus variæ et diversæ materiæ opuscula temere congesta erant, *Sylvas* appellabant. Ita eleganter Gellius lib. XII. cap. 10. 'Qui variam,' inquit, 'et miscellam, et quasi confusaneam doctrinam conquisiverant, eo titulos quoque ad eam sententiam exquisitissimos indiderunt. Namque alii 'Sylvarum' inscripserunt, alii 'Musarum.'' Secundo, veteres opuscula sua, a rudi et inchoata, et necdum satis composita materia, *Sylvas* appellabant. Olim namque maximi quique Poëtæ, cum ad justum aliquod poëma scribendum animum appellerent, primum totam materiam rudibus et subito effusis versibus designabant: et hoc, ob rudimentum operis, *Sylvam* vocabant, quod scilicet multa in iis adhuc rudia et luxuriantia amputanda et averruncanda forent. Quintilianus lib. X. cap. 3. 'Diversum est huic eorum vitium, qui primum discurrere per materiam stylo quam velocissimo volunt, et sequentes calo-

rem atque impetum ex tempore scribunt. Hoc 'Sylvam' vocant. Repetunt deinde, et componunt, quæ effuderant.' Jam, si prima ratione *Sylvarum* nomen hisce opusculis inditum dicamus, graviter sane lapsi sunt doctissimi viri, Politianus, Domitius, Parrhasius, Turnebus, aliique: qui unum aliquod et seorsim sumptum Poëmation *Sylvam* passim appellant. Nam ut unica arbor Sylvam non efficit, ita nec unicum opusculum *Sylvam* priori illa ratione sumptam componet. Politianus ecce Oratione super his Statii Sylvis: 'Singulæ ipsæ, quæ Sylvæ inscribuntur, singula a se invicem disjuncta argumenta continent.' Idem Miscell. c. 65. 'Statius,' inquit, 'in Sylvula prima, quæ in Equum Max. Imper. scripta est.' Parrhasius Epistol. Quæst. 57. ubi de eodem Equo Domitiani agit: 'Indiget,' inquit, 'aliqua luce, illud ex eadem Papinii prima Sylvula,' &c. Turneb. vero Advers. XII. cap. 6. ubi solum Statii Protrepticon ad Crispinum intelligit: 'Apud Papinium,' inquit, 'in eadem Sylva legimus, quæ notanda esse putavimus,' &c. Domitius vero, in Commentariis, sexcentis locis ita loquitur, et putidum foret pluribus hoc probare. Cum vero impudentis et temerarii sit dicere, tantos viros in hac re adeo pueriliter lapsos esse; existimo omnino, *Sylvam*, secunda ratione consideratam, hisce Poëmatiis inditam esse, ita ut, 'Equus Domitiani,' primum horum libellorum opusculum, seorsim sumptum, recte vocari possit *Sylva*, id est rudis adhuc et inchoata materies justi Poëmatii, quod Poëta de Equo Domitiani conceperat, adeo ut si versus illos subito calore effusos deinde ad incudem revocans magis poliisset Poëta, tunc *Sylva* esse desiissent, et absoluti poëmatis nomen obtinuissent. Et hoc sensu Sylvas accepit Sidonius, dum eas 'Materias' appellat. Ejus verba vide in fin. Carm. XXII. *Idem.*

§ *Subito calore*] Fervor Poëticus, deproperans animo versus, quorum cursum ægre manus exceptrix adsequatur. Princeps in talibus, ne Ovidio quidem semper excepto, Papinius noster. Plura de furore et calore Poetico ad Claudianum et Petronium. Voluptatem festinandi non inscite explicat ex Dialogo Rhetoris Incerti Parrhasius, Epist. LVII. *Barthius.*

Cum singuli de sinu meo prodissent] Ita Calderinus, cum in Veteri libro reperisset: *de sinu meo pro congregatos, &c.* Non male. Magis tamen sententiam tangat longior vox *prosiluissent.* Ab hac autem facilitate judicii fuerunt qui Silvas has Editione indignas censerent, quos pulcre, ut pleraque, refellit summus ingenio, doctrina, judicio, vir, sive juvenis potius, (obiit enim quadragenarius,) Angelus Politianus, Epistolis. *Idem.*

Quid enim oportet hujus] Verba *oportet hujus* suppletio sunt ejusdem Domitii; qui sensum Poëtæ hic non est assecutus, neque itaque bene adjecit, quo melius careamus. Editionem enim a se suorum horum carminum culpabilem quodammodo facit Papinius; satis fuisse autumans, quod passus fuerit, in publicum propria quasi audacia has (uti videri per modestiam cupit) nænias erupisse. Trajectis paullum verbis exibit plana utilisque sententia: *Quid enim? Editionis quoque auctoritate onerari?* Confidentiam velut suam abrupto sermone pulcre castigat. *Idem.*

Onerari] Indicat se satis ponderis sustinere, cum in manibus habeat Thebaidem, grandius opus, et Achilleidem: in quibus duobus operibus suam est interpositurus auctoritatem edendo. *Domit.*

Culicem] Opus Virgilianum, ubi deflet mortem Culicis pastoris, quod juvenis et rudis composuit. Mart. 'Quomodo vix Culicem fleverat ore rudi.' Et Papinius de Lucano ante

annos Culicis Maroniani. *Idem.*

Batrachomyomachiam] Id est, ranarum et murum pugnam, quam lusit Homerus: quamvls Plutarchus id constanter neget; ascribatque poëtæ Iliadem tantum et Odysseam. Herodotus vero Phocaidem, Iliadem minorem, Margitem, Carminum opuscula ei tribuit. Hymnos præterea Homeri in Deos legimus, ex quibus Pausanias testimonio sæpe utitur. Ego tamen certa Græcorum monumentorum auctoritate affirmaverim, id opus esse non Homeri poëtæ quem veneramur, sed alterius qui Homerus Sellius grammaticus est appellatus: is enim Hymnos scripsit et lusus vario carminum genere: solutaque oratione de personis comicis et argumenta comœdiarum Menandri. *Idem.*

Præluserit] Exercitio velut ante capta arma, et bellum initum. Ita in Achilleide ad Domitianum: 'magnusque tibi præludat Achilles.' Vide ad Claudianum, recensito Opere de Laudibus Stiliconis lib. II. 337. 'Proludere' simili sensu aliis. Uti eadem talia Opuscula, Virgilii nempe Culicem, et quæ eum comitantur, 'Prolusiones' appellat Diomedes. *Barthius.*

Testem] Omni exceptione majorem. 'Celeritatis' nempe suæ. Blanditur autem et subscalpit diræ ambitioni monstrosi Hominis, Domitiani; qui, omni dubitationis specie remota, 'Deus' palam haberi, et appellari volebat: ut testantur Temporum Historiæ. Jovem tamen habebat, ut ita dicamus, parum clementem, ut qui Minervam, opitulari ei creditam, exarmaverit, maturandæ tyranni neci. Vide Suetonium lib. VIII. cap. 15. Jovem eidem vel præcipue cultum, discas ex cap. 4. Adeo ut novam ædem eidem consecraverit, Nomine 'Custodis.' Ibidem cap. 5. De Invocatione Numinis aggressione Operum vide ad Gratium, et Adv. lib. LVII. cap. 17. Papiniana hæc verba intelligit, producto simul Cæsaris Germanici versu, Pomponius Sabinus, ad Eclogam Tertiam, pag. 35. edit. Fabrit. *Idem.*

Scis biduo scriptum] Cum, si recte numero, ducentis Septuaginta octo Hexametris (qui hic est numerus a Domitio Calderino adjectus, Sex ipsis corruptus minus habet) constet Epithalamion Stellæ, videmus Centum et quadraginta, uno minus, sibi versibus in diem fundendis non displicuisse Papinium. Qui sane numerus subducit illum vituperio Horatiano, 'Ducentos singulis horis effusos stoliditati Versificatoris' exprobrante, I. Sat. 4. Quod sane fictitium rei exaggerandæ datum autumamus. Alioquin nec ipsi talium experimentorum rudes; quippe tres primas Iliades olim diebus totidem Latine reddere valentes, sub testimonio clarorum tum virorum. Nostrorum carminum numerus duo millia superabat, propter inexplicabilem difficultatem Catalogi. Hæc ad posteros proponere non piget, cum Exemplum, etsi minus copiosum, longe tamen generosius, affectatæ fere talis πολυεποποιΐας in ingeniosissimo hoc scriptore habeamus. Rectissime autem de Numero versuum inserendo monuit Domitius, sine certo enim eo friget narratio, cum cætera pluria Carmina eodem metro sint eodem hoc primo libro conscripta. *Idem.*

1 *Pro collega mentieris*] 'Poëta.' nempe pro 'Poëta,' re non nimis incognita, de qua videas doctissimum Jureconsultum, Joannem Langlæum Semestrium lib. II. cap. 4. lib. III. cap. 3. et lib. VII. cap. 5. *Collega*, similis studii homo amicus. Neque inepte de 'Collegio Poëtico' J. Parrhasius Epistol. 57. De 'Minervæ collegio,' nihil ad rem. Loquitur enim Suetonius de Collegio, unde legerentur qui præsiderent Quinquatribus, non de Poëtis inibidem certantibus, sed de opulentis hominibus,

qui Domitiani Agonem insignibus Venationibus et Ludis condecorarent. *Idem.*

Vopiscus] Cognomen est ab eventu propagatum; nam qui est superstes cum est natus, fratre qui simul natus est mortuo, Vopiscus appellatur, ut Plinius docet: monent Fabius et Solinus. *Domitius.*

Inexpertam] Eatenus similem non contigisse Pop. Romano ait. Ita rectissime Domitius. Cui, in penuria etiam illa bonorum auctorum et ruditate renascentium studiorum, non postrema debent Papinianæ Litteræ. Vellem haberemus Politiani Commentaria; item J. Parrhasii, qui pollicetur Argumento præfationis in Primum de R. Pros. Claudiani. Inprimis vero Josephi Scaligeri, qui Prælectiones suas ipse citat, idque in totos quinque libros, Notis ad Propertium, lib. II. Eleg. 2. Rari autem harum Silvarum codices scripti. Notus Senensis, ab eodem Scaligero aliis communicatis Variis Lectionibus. Duos nos habuimus emtos, alterum capitalibus Litteris scriptum, sed uti, nisi perpaucis horis, non licuit, et nunc periisse utrumque arbitror. Ad me sane reversus neuter est, cum tamen domesticis flammis elapsos suspicer. Alium citari video a Justo Zinzerlingio in Promulside. Alium Lipsianum laudat Bernartius. Alium a Michaële Piccarto Joan. Gebhardus Curar. Juvenil. lib. III. Flammæ autem non ab hoste, sed domestico pene scelere, meæ tum mansioni injectæ, non hoc solum mihi damni confecerunt, sed ingens scrinium, Manu mea scriptis chartis effertum, simul abstulerunt. Et sic perierunt mihi multa juvenilia et puerilia scripta; ut 'Index Apuleianus,' mirifice auctus. Ex vero jam pene senilibus, quicquid operæ in Tertullianum contuleram. *Barthius.*

CARM. I. 1 *Super-imposito*] Inepti, qui *superi* legendum nulla mutandi ratione voluerunt. Nihil etiam egerunt, qui *super-impositi Colossi:* τὸ *super* sic vacat aliquando, ut tamen rem mirifice augeat. *Barth.* *Moles geminata Colosso*] Tamdiu dubiis eruditorum sententiis agitatum est, an *moles geminata*, an ut in Aldina, et antiquissima Veneta Editione scriptum est, *gemmata* legendum foret. Nuper vero vir doctus in suis Apophoretis Criticis, alteram lectionem amplexus τὸ *gemmata*, mordicus retinendum contendit, aitque Poëtam, per 'molem gemmatam,' notare equum frænis gemmatis ornatum, quia olim, inquit, nobilium equorum frænis gemmas insertas legimus. At hæc lectio, et ejus interpretatio, plane huic loco non convenit. Nos scimus olim Imperatorum equos fræna gestasse gemmis ornata; sed quis credat in ænea hac statua gemmas fuisse effictas? Deinde, quod caput est, plane indecorum foret, si poëta, tam augustum colossum laudaturus, insessore neglecto ad equum et fræna ejus primum oculos conjiceret. Nos itaque e contra *geminata* omnino hic legendum asserimus, quemadmodum in vetustiss. Senensi manuscripto legi adnotarat ad oram sui codicis Scaliger. Poëta namque totum operis conspectum, Equum, inquam, et insessorem una complexus, elegantissime 'geminatam,' id est duplicem molem dicit. Nam cum solus equus, basi insistens, per se magnam molem constitueret, merito, cum tam splendidus et excelsus Imperatoris colossus equo est impositus, *geminata* et duplicata dicta est. Et rarus quidem hic honos erat, geminam, seu equestrem alicui statuam erigere, cum aliis tantum simplices, seu pedestres statuerentur. Sed quin potius ex ipso Statio hanc lectionem firmamus? Ille ecce III. Sylv. ad Claudiam, de duplici Theatro agens, illud iisdem verbis 'geminam molem' appellavit:

'Quid geminam molem nudi tectique Theatri?' Et hæc interpretatio et obvia et facilis est. Potest vero etiam commode dici, 'geminatam' idem hic esse, quod conjunctam, connexam, et copulatam. Ita verbo 'geminare' utitur Statius, pro 'copulare,' et 'conjungere,' notione non ita vulgo nota. Sic Epithal. Stellæ, ubi de Sponsalibus agit: 'Dat Juno verenda Vincula, et insigni geminat Concordia tæda.' Eodem modo Horat. Arte Poët. 'Non ut Serpentes avibus geminentur, tigribus agnæ.' Sic itaque etiam dici potest, 'molem,' id est equum basi insistentem, 'geminatam' fuisse, id est conjunctam et connexam imposito illi Imperatoris colosso. Ita ut *τὸ superimposito* sit dandi casus, non auferendi. Sic etiam illud Taciti Annal. I. explicandum: 'M. Agrippam geminatis Consulatibus extulit.' Nam si hoc simpliciter intelligas de duobus consulatibus, errabis. Nam tertium Consul fuit Agrippa, teste Dione, Velleio, et Fastis. Itaque, ut recte adnotavit ibi Lipsius, 'geminati Consulatus' Tacito sunt conjuncti, continentes, et sese mutuo subsequentes, ita ut per duos annos continuos Agrippa consul esset, quod sane rarissimum erat. *Gevart.* *Geminata*] Omnino videmur veritatem adsecuti jam olim legendum censentes, *moles geniata.* Numen enim seu Genium Principis agnoscit in tanta hac Machina Papinius, et sic infra vs. 56. 'Insessaque pondere tanto Subter anhelat humus: nec ferro aut ære laborat, Sed Genio.' Ubi parissime 'materia' et 'Genius' junguntur, et clare hoc suum respexit Poëta, geniatus ipse præ reliquis. Multa defendendæ huic restitutioni scripsimus non uno Adversariorum loco, et prius ad Rutilii Numatiani Itinerarium, quæ huc translata ingentem pag. faciant, quare parcendum lectoribus putamus. *Barth.* *Colosso*] Colossi etymon juxta veriorem Græcorum sententiam ductum est *παρὰ τὸ κολούειν τὰ ὄσσα,* quod oculi caligant in spectanda ejus altitudine. Ingens igitur statua significatur mira altitudine et amplitudine.

2 *Cœlone, &c.*] Communiter olim veteres, quicquid venerabile erat, ac virtute et pulchritudine supra vulgarem modum præstabat, e cœlo delapsum arbitrabantur. Sic apud Virgil. Æneid. 'Et lapsa ancilia cœlo.' Claudian. Panegyr. Probini: 'Credas ex æthere lapsam Stare Pudicitiam.' Ammian. Marcellin. lib. XXII. 'Quo apud Constantinopolim comperto, effundebatur omnis ætas et sexus, tanquam demissum aliquem visura e cœlo.' Juvenal. Sat. II. 'Tertius e cœlo cecidit Cato.' Vide Macrobium in Som. Scipion. lib. I. cap. 9. ubi quærit, quo sensu Rerumpub. rectores cœlo descendisse dicantur. Porro, 'fluere,' hic notione non adeo vulgari pro 'delabi' positum. Ita Virg. Æn. II. 'Quem tota cohors imitata relictis Ad Terram defluxit equis.' *Gevart.*

4 *Effigies*] Princeps editio agnoscit *Effigiem,* quod non displicet: ut moles effigiem conformata synecdochicῶs accipiatur; per 'caminos' vero 'Siculos,' Vulcani officinam, intelligi, quam non in Lipare, Strongyle, Lemnoque, sed et in Ætna Siciliæ monte, veteres statuere, notius est quam ut admoneri debeat. *Bernart.* *Steropem, &c.*] Notissima nomina sunt Cyclopum. Vide imprimis de his Scholiast. Vet. Æschyli ad Prometheum p. 59. editionis Stephanianæ.

5 *Palladiæ*] Palladis operæ et ingenio præclarissima quæque artificia adscribebantur. Vide Adversar. lib. XXXI. cap. 4. et alia loca nostrarum Commentat. *Barth.*

7 *Ardua Daci*] Vellem viri docti aperuissent hoc loco, quam 'arduam domum' hic in Dacia ædificet Statius. Ego existimo Poëtam hic innuisse

maximum illum et celeberrimum Dacorum montem, cujus ipse sæpius meminit, ut III. Sylv. Lacr. Hetrusci, de Domitiano agens: 'Hæc est quæ victis parcentia fœdera Cattis, Quæque suum Dacis donat clementia montem.' Et hoc Equo Domitian. 'Tu bella Jovis, tu prælia Rheni, Tu civile nefas, tu tardum in fœdera montem Longo Marte domas.' Et Thebaid. I. 'Et conjurato dejectos vertice Dacos.' Lipsius ad Tacitum, et qui eum secutus Bernartius ad Thebaid. I. existimant Papinium nostrum per 'montem' hunc tacite respexisse ad superstitionem Dacorum seu Getarum, quibus in monte quodam Deus habebatur, et mons ipse sacer, de quo ita Strabo lib. VIII. Παρὰ δὲ τοῖς Γέταις ὁ ἱερεὺς ὠνομάζετο θεός· καὶ τὸ ὄρος ὑπελείφθη ἱερὸν, καὶ προσαγορεύουσιν οὕτως. *Apud Getas Sacerdos Deus dicitur, et mons sacer existimatur, atque ita appellatur.* Hæc summi viri de hoc monte sententia acuta sane est, et Lipsio digna. Existimem simplicius innuisse Statium Dacorum Regiam, quæ in editissimo monte sita erat. Hoc colligo ex Dionis Epitome; qui, ubi Trajani cum Dacis bellum describit, ita inquit: Ὡς δὲ καὶ ἐς αὐτὰ τὰ ἐπ' ἄκρα ἐπεχείρησεν ἀναβῆναι, λόφους ἐκ λόφων μετὰ κινδύνων καταλαμβάνων, καὶ τοῖς τῶν Δάκων βασιλείοις ἐπέλασε. *Post contendit ad editiora loca montium, indeque aliis occupatis collibus, non sine magno periculo ad Regiam Dacorum pervenit.* Gevart.

10 *Dindymon*] Mons Phrygiæ sacer Cybelæ. Epeum Panopei filium, Bœotium, equi Trojani fabricatorem fuisse scribunt Homerus Odyssea, et Strabo: tantæ vero magnitudinis fuisse fabulæ propius est, quam historiæ. *Domitius.*

11 *Pergama*] Notissimum Poëtas muros Trojanos, et ipsam eam Urbem sic appellare. Singulariter autem Arx Trojana sic nominabatur. Vide Scholiasten Homeri in Iliadem Δ. 505. *Barth.*

16 *Mixta notis belli*] Mens videtur, vulnerum vestigiis et cicatricibus, quibus, ut virtutis fortitudinisque indiciis, duces præclari gloriari solent, (in Annibale, Antigono, Philippo Macedone, Plutarcho; in Sertorio, Salustio, in Sincio Dentato et Manlio Capitolino, Plinio, ut alios omittam, observatum,) nobilem Domitiani vultum fuisse. Ulpianus: 'Notæ verbo etiam cicatrices continentur.' Ovidius alias 'nota' vocem in laude posuit: 'Ille Numantina traxit ab urbe notam.' Frequentius 'notæ' pro signis minutis ponuntur, verbum unum totum exprimentes, ad celerem scriptionem olim inventæ apud Romanos ab Ennio, auctæ a Tertio Persannio, Philargio et Aquila libertis Mæcenatis, deinde et a Seneca ad quinque millia, si Isidoro credimus. *Bernart.* *Mixta notis*] Nihil magis hoc ridiculum, quam vulnera et pugnæ vestigia illi attribuere, qui nunquam pugnam viderat. Dion apud Xiphilinum: Ὁ Δομιτιανὸς δὲ ἐκστρατεύσας εἰς τὴν Γερμανίαν καὶ μηδ' ἑωρακώς που πόλεμον, ἐπανῆκε. *Domitianus profectus in Germaniam, hoste nunquam viso reversus est.* Visum itaque mihi sæpe per 'Belli notas' hic pulverem bellicum innui, quo magnos duces militia redeuntes etiamnum conspersos et sordidos Poëtæ describunt. Horat. II. Od. 1. 'Audire magnos jam videor duces Non indecoro pulvere sordidos.' Et certe hæc sententia videtur plane confirmari testimonio Martialis, qui lib. VIII. Epigr. 65. ubi eundem Domitiani e Germania reditum describit, ipsum pulvere conspersum notat; 'Hic stetit Arctoi formosus pulvere belli Purpureum fundens Cæsar ab ore jubar.' Sed cum etiam verisimile non sit bellicum illum pulverem in statua expressum fuisse, non valde huic explicationi fido, quamquam adnotent quidam, Virtutis simulacrum olim pulverulen-

tum depictum fuisse, quod etiam videtur innuere Seneca de Vita Beata cap. 7. 'Virtutem,' inquit, 'in templis invenies, in foro, in curia, pro muris stantem pulverulentam, coloratam, callosas habentem manus.' Nunc autem omnino ejus sententiæ sum, ut putem verba hæc: *Mixta notis belli*, non seorsim esse explicanda, sed connectenda cum sequentibus verbis: *placidamque gerentia pacem*, ut Statius, more suo Domitiano adulatus, dicat in ejus vultu eam esse oris dignitatem, quam in belli duce requirit Aristoteles; nimirum ut ea sit formæ mixtura, ut in ejus vultu et 'Bellum' et 'Pax' eluceant, id est, (ut Aristoteles loquitur) ut ita jucundus aspectu sit, ut etiam terreat. Conjunctim ergo totus versus legendus est, ita ut Domitiani ora pariter fuerint: *Mixta notis belli, placidamque gerentia pacem.* Hoc est, fuisse quidem ejus vultum bellicis minis asperum, ita tamen ut etiam pacem præ se ferret, quadam scilicet formæ mixtura. Et hoc est quod in eodem Domitiano elegantissime expressit Martialis lib. VII. Epigr. 5. de Dacis agens: 'Terrarum Dominum propius videt ille, tuoque Terretur vultu barbarus et fruitur.' *Gevart.*

19 *Bistonius portat sonipes*] Tritum est Thraciam Martis sedem poëtis esse, Thraces a Bistonis stagno, seu, ut alii, a Bistono rege, qui et stagno et regioni nomen dedit, Bistones dictos. Mens Papinii: Martis equos non majori cum dignitate et fastu incedere post victoriam, quam hic Domitiani equus; post victoriam, dico; nam 'exhaustum' finitum et terminatum, seu exantlatum, notat. Virgilius Æneid. IV. 'Quæ bella exhausta canebat.' *Bernart.*

21 *Propellit Strymona flatu*] Auget rapidissimi fluvii pernicitatem violento suo flatu. Non de bibente equo loquitur, quod visum doctissimo Gevartio, sed de eo qui juxta fluvium pari pernicitate decurrat, ipsumque amnem flatu propellat. Color ductus ex illo, jam posito, Maroniano: 'Volucremque fuga prævertitur Hebrum.' Strymon autem fluviorum celerrimus existimatur. *Barth.*

23 *Fessus bellis*] Julium Cæsarem dici manifestissimum est. At verum minime. Cum enim interficeretur Cæsar, tantum aberat ut bellis fessus esset, ut maximam expeditionem in Parthos et Dacos pararet. Vide Suet. c. 44. *Idem.* *Adsertæ munere*] Existimo reliquisse Statium *adscitæ munere prolis.* Quod proprium adoptionis verbum. Valer. Max. 'Adoptatos et adscitos.' *Gronovius Diatr. ad Stat.* *Assertæ munere prolis*] Ut conjecimus, exstat in exemplari Veneto, quod A. 1475. media forma typis impressum est, *adscitæ.* Vincentius Fabritius, V. A. et eruditissimus, cum ante hos quindecim annos Diatriben ad eum misissem, obducebat mihi Cujacii Observat. 37. lib. XI. qui in l. VII. num. ult. D. de Usufr. 'Fructuarium per arbitrum cogi reficere, quemadmodum adserere cogitur arbores,' interpretatur, forare medullam arboris sterilis et in eam fœcundæ calamum immittere: Græcorum Eclogis ἐγκεντρίζειν, et sic dixisse Papinium 'adserere prolem.' Sed et Græci et Cujacius errarunt. Nimirum non inseruntur modo, sed et seruntur arbores. Virg. 'Pars etiam posito surgunt de semine.' Ubi jam sunt aliæ, si plures eodem pangantur, 'adseruntur.' Est igitur 'adserere,' ut recte Glossarium, προσφυτεύειν, quod I. 18. eodem 'in locum demortuarum alias substituere' ac reficere numerum. Varro I. 26. 'Neque propter eas adserunt vites, quod inter se hæc inimica.' At 'adoptare' est 'adsciscere' non 'adserere.' *Gronovius.*

27 *Te signa ferente, &c.*] Aliter ego (ut vulgo Parrhasius, Bernartius, et alii) locum sic construendum putavi:

Et gener et Cato castris minor, iret in leges. *Castris minor*, id est potestate et imperio. sic Horat. 'Virtute et honore minores.' Ut sensus sit: Pompeium et Catonem Domitiano vexilla submissuros et cessuros fuisse; sed, ut verum fatear, omnino amplector lectionem quam Europæ nostræ ocellus, Dan. Heinsius, mihi suggessit: *Et minor in leges iret gener et Cato nostras.* Quid clarius? si Statius ita non scripsit, certe ita scripsisse debuit. Sensus est: Si tu, o Domitiane, bello civili Imperator fuisses, et Pompeius et ipse Cato Cæsariani fuissent, et in leges nostras transisissent. Partes, sive *leges nostras*, κολακικῶς, Cæsarianas vocat. Nam Domitianus Cæsarianis partibus successerat, unde recte illius partes, quas Romani tunc temporis omnes sequebantur, *nostras* appellavit, in gratiam τοῦ αὐτοκράτορος. Simillimus locus est Martial. lib. XI. Epigr. 6. ad Nervam. *Gevart.*

28 *Et minor in leges*] Mens est: Si tuis auspiciis partes, quæ erant Cæsaris, administratæ essent; si tu regnum Romæ instituere voluisses, ultro gener Pompeius, ille solus olim magnus et parem ferre indignatus, nunc lubens te minor, armata manu libertatem adoriretur, invaderet, nec minus Cato. Vehementer salivam movet, quod in duobus Mss. Barthii: *te regna ferente.* Quæ phrasis tam Papiniana est, quam quæ ei familiarissima. *Gron. Diat.*

29 *At laterum passus hinc Julia templa*] Hospes in historiis hic facile adhærescat, cui adjutorium ego. Cæsar Julius et ædem Romæ habuit et Basilicam, idque in foro Romano. de Æde, Tacitus Hist. I. Titii Vinii cædem in foro describens. De Basilica, Suetonius, Caligula cap. 37. 'Nummos non mediocris summæ e fastigio Basilicæ Julii per aliquot dies sparsit in plebem.' Ædes occiso demum Cæsare dicata, si Appiano credimus, si Dioni, in vita, Antonio quasi sacerdote et flamine. Basilicam ipse Cæsar tertii imperii anno dicavit ut Eusebius Chronicis testatur. Ædes sacra erat. Vitruvius lib. III. de sacris ædibus, Basilica vero profana, in qua et centumvirales causæ agebantur. vid. Quintil. lib. XII. Cæcilius Secundus Epist. lib. V. Ep. ult. Martial. et alios. *Bernart.*

30 *Regia Pauli*] Basilica Pauli. De qua verba facere non attinet. Vide Marlianum, Topograph. Urbis lib. III. cap. 4. Alex. Alexandrium, lib. III. cap. 6. &c. *Regia* Basilica vocatur, quod illustratur etiam a Petro Gillio de Topographia Constantinopolis lib. II. cap. 18. 'Belligerum' cur vocet, dicant Livius et Plutarchus. *Barth.*


31 *Concordia*] Ædes Concordiæ supra Græcostasin, ut loquitur Varro ling. Lat. lib. IV. qui itidem ex Liv. lib. VII. de Curtio, in foro fuisse ostendit.

34 *An nova, &c.*] Capitolium bello civili nuper concrematum, a Vespasiano restauratum fuisse, Tacitus et Suet. consensu tradidere, inquiunt, Papinius Domitiano tribuit: quid statuemus in pugna tam manifesta? pacem. Vespasianus Capitolium restauravit: ita est, sed sub Tito iterum exustum Domitianus, decimum consul cum Junio Sabino, iterum restituere aggressus est, et duodecim annis cum aliis operibus summa impensa perfecit: hinc, cum cautela, Suetonius: 'Plurima et amplissima opera incendio absumpta restituit: in queis et Capitolium, quod rursus arserat.' Consule Baronium, Annal. Tom. I. *Bernart.*

36 *Atque exploratas*] Vide ad Explicationem hujus loci Plinii lib. IV. Epist. 21. ad Numitian. et Sueton. Domit. cap. 8.

37 *Dextra vetat pugnas*] Mirum est ut de loci hujus sententia olim inter

se contenderint maximi, ætate sua, Reipub. Litterariæ Triumviri, Domitius, Politianus, et Parrhasius. Domitius geminam sententiam adfert, aitque ideo dici, 'Dextram vetare pugnas,' vel, 'Quia dextra est inermis in statua:' vel 'Quia ad dextram est templum Pacis,' quod posterius tamen sibi non placere ait. Hanc Domitii interpretationem rejicit ejus æmulus Politianus Miscell. cap. 65. et acutius quiddam afferens, ait putare se notari hic a Poëta habitum, qui Pacificator in statuis dicitur, de quo Quintilian. lib. XI. cap. 3. Parrhasius vero existimat Domitianum dextra sua gestasse simulacrum Victoriæ, quemadmodum sinistra Palladis effigiem sustinebat, ut dicat Papinius hostem coërceri metu Victoriæ quæ insisteret in dextra Cæsaris. Quod si meum est tantis opinionem miscere sententiis, non dubito me verum hujus loci sensum reperisse. Aio namque Domitianum dextra manu gestasse ramum olivæ, unaque frænum. Quid certius? in sinistra manu Palladem, in dextra arborem Palladi dicatam, quæ ideo dicitur 'vetare pugnas,' nam et decennes pueri sciunt, olivam esse pacis Symbolum, et veteres, dum pacem petebant, ramum olivæ manibus gestasse. Unde Virgil. Georg. II. 'Hoc pinguem et placitam Paci nutritor olivam.' *Gevart.* *Lævam Tritonia Virgo Non gravat*] Hoc est, Palladis effigies leviter sinistræ manui innititur, adeo ut non gravet. Sæpe enim minorem aliquam effigiem et statuam magna illa simulacra suis manibus sustinebant. De hoc more Cicero in Verrem: 'Insistebat in manu Cereris dextra simulacrum pulcherrime factum Victoriæ.' Idem de Nat. Deor. III. de Dionysio. Et M. Felix Ennodius de missorio quodam: 'Ecce tenet victrix pennatum dextera numen.' Et exstant hodieque infiniti numi, in quibus videmus Victoriolas Imperatorum manibus innitentes. Nobis suffecerit hic geminos ex Sambuci bibliotheca depromptos subjicere; unum, in quo eques Domitianus olivam dextra tenet; alterum, in quo Pallas sinistræ innititur, ut nullum de superiori interpretatione nostra dubium relinquatur.



Gevart.

38 *Non gravat*] Divinitatem et majestatem manus Cæsareæ in colosso illo hic tangit Statius. Quasi dicat effigiem illam quæ propter genium et pondus Divæ vix ulla alia manu, etsi brevior, sustineri posset, ita insidere manui Cæsaris, ut eam ne gravet quidem. *Gron. in Diatr.*

Sectæ prætendit colla Medusæ] Minervæ nempe simulacrum, quod in Clypeo Medusæ præcisum caput prætendit, ut sic equum ad cursum incitet, veluti stimulo quopiam. E Medusæ sanguine Pegasus exstitit. Ergo collo Medusæ secto ostenso, accendit Equum, ut volare velit instar Pegasi. *Barth.*

40 *Nec si pater ipse, &c.*] Sententia

est : Et huic operi seu effigiei Palladis par sedes ; nusquam optabilior, nusquam gratior Deæ aula : nec tu ipse, pater Deæ Jupiter, sic, tanta amplitudine, gratia, lubentiaque eam ferres, teneres. Quanquam et retento *si* pro *sic* non absurdus sit sensus. Nec dulcior usquam sedes Deæ lecta est, nec legeretur, si ipse Pater eam teneres. *Gron. Diatr.*

42 *Et cui se toties Temesē*] Levicula interpunctione illustro obscurum locum *hausta metallis.* Mens : tantæ molis fuisse Colossum, ut in ipsa chlamyde omnia æra Temesia videantur consumpta. Est Temese antiquum oppidum Cypri, præstanti ære celebre, ut Stephanus de urbibus testatur. *Bernart.*

51 *Crinem terit ungula Rheni*] Hoc Rheni simulacrum sua ætate, ante annos hos centum, Romæ superfuisse scribit Bartholomæus Marlianus, Topogr. Urbis lib. III. cap. 3. Fingebantur autem hoc modo domitarum provinciarum simulacra pedibus subjecta Victorum Romanorum. Claudianus, fine Sexti Cons. Hon. 'Colla triumfati proculcat Honorius Istri.' Vide ibid. Commentaria nostra, et Adversar. lib. XLIV. cap. 18. Ovidius Trist. IV. El. 2. de simulacris in Triumfo ductis : 'Crinibus en etiam fertur Germania passis, Et ducis invicti sub pede mœsta sedet.' *Barth.*

52 *Arion*] Adrasteus ; quem Neptunus Adrasto donavit. Idem dedit Junoni Xanthum et Cyllarum : quos illa dedit Castori et Polluci. Arionis meminit Papinius in Thebaide, et Propertius. Nam insignis fuit et formæ et celeritatis. *Domitius.*

53 *Ledæus ab æde propinqua*] Notat ædem quæ in foro Polluci et Castori quidem dicata, tantum Castoris tamen vocabatur, ut ex Suetonio, Dione, aliisque nemini ignotum. Ego observavi non indignum monitu, vel juventutis causa, non ædem solum, sed et ipsos fratres Castores dictos. Lucas Evangelista Act. cap. XXVIII. 'Post menses autem tres navigavimus in navi Alexandrina, quæ in insula hiemaverat, cui erat insigne Castorum.' Vid. Plinium lib. X. cap. 43. Arnobium Adv. Gent. lib. I. *Bernart.*

54 *Cyllarus*] Confer cum hoc loco Senec. Hippolyto. Stesichor. in funebribus Peliæ ludis, M. Raderi Commentaria ad Martial. lib. VIII. epigr. 21. Passerat. ad Prop. lib. III. Eleg. 7. *Hic domini nunquam mutabit habenas*] Libri omnes quos vidi, *mutavit habenas*, quod fidenter mutavi. Sensus : Equum hunc Maximum uni Domitiano serviturum, non duobus, uti Cyllarus, qui Castori et Polluci serviit. Postremis verbis fabulam respicit, qua fingitur, quod cum Argonautæ tempestate et procellis agitarentur, Orpheus arrepta lyra canere cœpit. quo cantu mare pacatum, et sidera duo super Castoris et Pollucis capita affulserunt. *Bernart.*

58 *Sed genio*] Nam (inquit) libenter ferunt Domitianum, quem loci genium et numen putant. *Domitius.*

62 *Forma Dei præsens*] Notum est ex uno Tranquillo, misellum hunc homuncionem (Domitianum dic.) cum Procuratorum suorum nomine formalem dictaret epistolam, sic cœpisse : 'Dominus et Deus noster sic fieri jubet,' unde institutum posthac ut ne scripto quidem ac sermone cujusquam appellaretur aliter : quid consecutus? quod tandem a libertis et gladiatoribus vulneribus septem trucidatus, populari sandapila per vespillones exportatus, a Senatu contumeliosissimo atque acerbissimo acclamationum genere laceratus sit, imagines ejus Senatus consulto detractæ, erasi tituli, omnisque memoria abolita. Enimvero nec factum unquam (certo raro) quin divini nominis usurpatores pœnas spectabiles non luerint et apertas. *Bernart.*

64 *Perseptem culmina*] Vir Nobiliss. conjecit : *septem per culmina montes Sit fragor.* Vel *continuos septem, par fulmine, montes Sit fragor.* Vid. Adv. lib. XIII. cap. 8. Non dubitamus reliquisse Statium : *continuus septem per culmina Martis It fragor.* Et magis, quia Ro. codex, *montis* habet. Martis enim urbs et Martia Roma, ut pueri sciunt. *Gronov. in Diatr.*

66 *Ipse loci custos*] Optima poëtæ dispositio, qui carmen varietate distinguit, novaque fictione personæ sese erigit, simul delectat dum antiquitatis historia repetita laudes Domitiani accumulat. Fingit enim Curtium, cujus lacus erat juxta forum dato ei nomine, cum se pro Republicæ salute devovit, caput eduxisse atque elocutum esse Domitianum. *Domitius.*

Sacrata vorago] Lacum Curtium, et eum ipsum inter Divos relatum dici, pridem doctissimi viri adnotarunt. Sacrum autem eum locum habitum docet injectio stipium, pro Augusto. De qua Suetonius, cap. 57. Conf. in h. l. Casaub. De lacu Curtii vid. B. Marlianum Topog. Urbis lib. III. cap. 2. *Barth.*

70 *Meritaque caput venerabile quercu*] Ob cives videlicet servatos. Notior ritus, quam ut nostra explicatione indigeat : tu si lubet adi Plutarchum, qui ea quæ ad hanc coronam exequitur curiose : adde Agellium lib. v. cap. 6. et Plinium lib. XVI. cap. 4. illud precium operæ scire juventutem, quercicam coronam inter præcipua ornamenta Principalis domus fuisse : præ foribus Augusti et deinceps successorum suspensam. Morem non omnibus notum more suo indicat potius quam explicat Suetonius, Tiberio cap. 26. *Bernart.*

80 *Tardum in fœdera montem*] Dacicum Bellum intelligit. Vide quæ scripsit doctissimus Lipsius ad Taciti Hist. lib. I. *Tardum in fœdera*, serum vinci, fortiter repugnantem. Vide Commentaria Joannis Passeratii ad Propertium, lib. IV. Eleg. 6. *Barth.*

82 *Me non audente*] Verba Curtii sunt e lacu suo emergentis, qui ut sese timoris arguat haud decorum. Recte itaque Lipsius noster, in tantum laudandus, in quantum sese vera virtus et solida eruditio extendunt, legit : *me non gaudente.* Sensus : 'Si tu, Domitiane, vixisses meo ævo, primus fuisses qui patriæ caritate succensus dedisses te in hiatum, me quidem non gaudente, cui gloria ea præ-repta.' *Bernart.*

84 *Cedat equus, Latiæ qui, &c.*] Si interpretes hoc loco consulas : 'Nil intra est oleam, nil extra est in nuce duri.' Aiunt poëtam loqui de uno Julii Cæsaris equo, qui olim Alexandri fuerit, et a Lysippo factus, deinde vero Cæsarem tulit. At qui hoc fieri potest? Primo, Cæsaris equus plane diversus fuit a Bucephalo : hic in capite aut fronte discrimen habuit, ille vero in pedibus, quos prope humanos habuit, ut est apud Sueton. Plin. Solin. aliosque. Secundo, Cæsar solum hunc equum æstimabat, tum quod neminem excepto illo in sedem admitteret, tum quod illi imperium portendere existimaretur. Quis ergo tam est demens, qui existimet Cæsarem in suo foro voluisse Alexandri non suum equum dedicare, et in eo conspici, cum præsertim ante ædem Genetricis Veneris, hoc est suæ et Romanorum, ea statua equestris esset posita? Plinius ecce lib. VII. cap. 42. 'Nec Cæsaris Dictatoris quemquam alium recepisse dorso equus traditur : denique humanis similes priores pedes habuisse : hac effigie locatus ante Veneris Genitricis ædem.' An de Lysippo, an de Bucephalo dissimulasset, si mutati soli fuissent pedes? Suetonius, quo in minutiis ejusmodi notandis nemo fuit accuratior, post multa de hoc

Cæsaris equo, hæc subjungit: 'Cujus etiam instar pro æde Veneris Genitricis postea dedicavit.' Si illius instar, hoc est effigies, non fuit instar Bucephali. Sæpe ergo existimavi Statium non loqui de uno tantum equo, sed de duobus; et cum ait: 'Quem tradere es ausus Pellæo Lysippe duci:' illud (*quem*) non esse referendum ad illum Cæsaris equum, de quo præcedenti versu meminit, sed de Bucephalo Alexandri equo intelligendum, atque adeo particulam *et* subaudiendam, aut etiam leviter interserendam, hoc modo: *Cedat equus Latiæ qui contra templa Diones Cæsarei stat sede fori, et quem tradere es ausus Pellæo Lysippe duci.* Sic, ut duorum equorum hic mentionem faciat Poëta: Cedat, inquit, equus Cæsaris, qui ante ædem Veneris Genitricis. Et cedat etiam equus Alexandri, quem Lysippus illi fecit, et qui post Alexandri obitum Romam delatus, et inauratus, Neronis Imp. effigiem tulit. Ita enim interpretanda, quæ sequuntur: *mox Cæsaris ora Aurata cervice tulit.* Hujus interpretationis mihi auctor est Plinius, lib. XXXIV. cap. 8. de Lysippo. Sed ne hæc interpretatio nostra mihi per omnia satisfaciat, suadent sequentia Statii verba: *vix lumine fesso Explores, quam longus in hunc despectus ab illo.* Quod si duos illos equos Cæsaris et Alexandri cum hoc Domitiani contulisset Statius, dicendum fuisset pluraliter: *quam longus in hos despectus ab illo.* Deinde *ambos* tantum numerat sequenti versu: *Quis rudis usque adeo, qui non, ut viderit ambos, Tantum dicat equos, quantum distare regentes?* Hæc omnia me movent, ut non displiceat mihi sententia Clariss. Heinsii nostri, et P. Scriverii, qui tres illos versus: *quem tradere es ausus Pellæo Lysippe duci, mox Cæsaris ora Aurata cervice tulit,* insititios putant, et margini ab indocto aliquo librario appositis, deinde in textum irrepsisse, et scripsisse Statium: *Cedat equus, Latiæ qui contra templa Diones Cæsarei stat sede fori: vix lumine fesso Explores, quam longus in hunc despectus ab illo.* Gevart.

85 *Quem tradere es ausus*] Ms. in Biblioth. Ducis Hetruriæ et Rom. codex Venetusque veteres exhibent: *quem traderis ausus Pellæo Lysippe Duci.* Quod Statii non esse vix persuadeor. Phrasis illius ævi propria, velut et frequens Tacito. Ita elegantissime dictum, quod Lysippus Bucephalum in gratiam vel jussu Pellæi Ducis *ausus sit*, id est, non timuerit fingere. *Traderis* est diceris, quem fama fert te ausum Pellæo Duci. *Gronov. in Diatr.*

86 *Lysippe*] Lysippus nobilitatur tibicina temulenta quam expressit: hic fecit sexcenta et x. opera statuaria. Alexandrum Magnum multis operibus effinxit, a pueritia ejus orsus, quadrigas item multorum generum. Vult igitur Papinius videri Lysippum præstantissimum statuarium, a quo solo Alexander opera sua sculpi voluit, ut ait Plinius, hujus equi Cæsarei fuisse opificem. *Domitius.*

94 *Dum Romana dies*] Ad opinionem veterum, qui non imperium solum Romanum, sed et urbem ipsam nunquam interituram credebant, unde et epithetum 'æternæ' passim urbi datum. vid. Ammianum Marcell. lib. XVI. *Bernart.* *Sub nocte silenti Cum superis terrena placent*] Tempus nocturnum credebatur acceptum Diis, ut cœlo descenderent, et in terris velut exspatiarentur. Vide Adversariorum lib. CXXVIII. cap. 15. et in Recensito Claudiano ad Bellum Gildonicum. Item in Advers. lib. XL. cap. 3. lib. LVI. cap. 7. Itemque alibi. Quæ huc repetere non vacat. Item ad Thebaidem Nostri, lib. V. vs. 64. *Barth.*

100 *Apelleæ ceræ*] Cuperet (inquit) Apelles habuisse tam gloriosum artis

argumentum. Apelles centesima et duodecima Olympiade in pictura adeo perfectus est, ut plura solus prope quam cæteri omnes contulerit voluminibus editis, quæ doctrinam eam continent: simplicitate formæ exprimenda in primis claruit. De quo Propert. 'Qualis Apelleis est color in tabulis.' *Domitius.*

101 *Optassetque novo, &c.*] Vix ullus in Statio locus est, in quo plus desudarint doctissimorum virorum ingenia. Phidiam quidem Atheniensem Sculptorem hic intelligendum esse, certum est, sed quis tandem ille loquendi modus, *Atticus senior Elæi Jovis?* Calderinus, more suo, hic comminiscitur, et dicit 'seniorem' hic vocari Phidiam, quia duo olim fuere Phidiæ, alter Junior, alter Senior. Sed cum Varrone cras illi credam, hodie nihil. Lips. Elect. lib. II. cap. 14. legend. putat: *Atticus Elæi sector Jovis.* 'Nam ebur,' inquit, 'unde factus Jupiter Olympius, politur fingiturque secando, ideoque sectorem dixit.' Hanc Lipsii sententiam Bernartius etiam amplexus est. Sed quis unquam legit, 'sectorem' poni pro sculptore? Unicum modo exemplum mihi dent, ego illis manum. Eruditissimus Livineius in suo codice asscripserat videri sibi legendum: *Atticus Elæi genitor Jovis.* Ut Phidias *genitor* dicatur, id est auctor operis, et artifex, ut Martial. lib. x. Epigr. 103. 'libelli sui se parentem' vocat. Et ut Statius v. Sylv. de picturis loquens: 'Phidiaca vel nata manu.' Sed nec hæc sententia placet. Quid ergo in tanto doctissimorum virorum dissensu statuemus? Ausim ego dicere, sincerum esse locum, nec mutatione sed distinctione tantum esse opus, hoc modo: *Optassetque novo similem te ponere templo Atticus, Elæi, senior, Jovis.* Verborum ordinem hunc statuo: *Atticus senior optasset te similem Elæi Jovis, ponere in novo templo.* Id est, Phidias optasset te eadem arte, iisdem lineamentis, quibus Jovem Olympium expressit, depictum, in novo Flaviæ gentis tuæ templo collocare. Vel, si mavis, sic verba construe: *Atticus senior optasset te similem ponere in novo templo Elæi Jovis.* Sed prior sententia magis arridet. Dicendum vero hic, quomodo Phidias dicatur *Senior Atticus,* quod quærebat Lipsius. Id vero quis potius probarit quam ipse Statius, qui de Epicuro agens ipsum 'Seniorem Gargettium' appellat? Non longe abiero. Hoc ipso ecce libro Tiburtino Manlii: 'Luxuque carentes Deliciæ, quas ipse suis digressus Athenis Mallet deserto senior Gargettius horto.' Quid clarius? Epicurum e pago Gargetto oriundum (teste Laërtio) 'Seniorem Gargettium' appellat, ut Phidiam ex Attica oriundum 'seniorem Atticum.' Sic in fine Achilleidos Chironem 'seniorem Thessalum' vocat. Hinc patet τὸ 'senior' non semper comparative poni apud Veteres, sed et positive et absolute. *Gevart.* *Optassetque novo, &c.*] Omnino construendum: *Atticus senior optasset te similem ponere in novo templo Jovis.* Fefellit, quantum est interpretum, illud exquisitum dicendi genus, *te similem,* quod absolute tuam imaginem, tuam effigiationem significat. Addit *novo templo* ideo, ut innuat indignum vetus Græculumque ædificium honore excipiendi Cæsaris, novum imo et magnificentius juncturum voto suo Phidiam. *Gronov. Diatrib.*

103 *Ora Taras*] Locus hic a nullo interpretum recte explicatus, aliis, *Ora Taras,* aliis, *Ora Tonans,* legentibus. Ego quidem illud Politiano assentior, *Taras* esse legendum, sed, quod ad interpretationem ejus attinet, longe ab illo dissentio. Ille per τὸ *Taras* Neptuni statuam intelligit, cujus Lucilius et Plinius meminerint.

Sed fallitur vir maximus, neque enim ipse Neptunus dictus fuit Taras, sed Neptuni filio hoc nomen erat. Deinde, quod caput est, Statua illa Neptuni vulgarem mensuram non excedebat, tantumque sub mediocris viri persona expressa erat, ut patet ex numis Tarentinis, quos exhibent Goltsius, Choulius, aliique. At vero Statius hic statuas Colossæas cum Domitiani colosso comparare incipit, maximisque orbis terrarum colossis eum anteponit. Nos itaque ad Jovis colossum, qui Tarenti Calabriæ oppido, quod Græce *Taras* dictum est, hunc locum referendum censemus. Quod, ut rectius intelligatur, notandum est, inter omnes qui olim exstitere colossos, præ cæteris, duos maxime a magnitudine et artificio fuisse commendatos, Tarentinum scilicet, et Rhodium. Tarentinus Jovis forma expressus erat, 60. cubitor. altitudinis, Rhodius vero soli dedicatus, 70. cubitor. De Tarante vero, quod polliciti sumus, quædam adjicienda sunt. Fuit Taras Neptuni filius, ex quadam nympha genitus. Hic in Italia ad oram Calabriæ oppidum condidit, quod ab ipsius nomine Taras appellatum est. Hesychius: *Τάρας, πόλις Ἰταλίας, ἀπὸ Τάραντος τοῦ Ποσειδῶνος.* Vid. et Stephanum de Urb. Meminit et oraculum quod Phalanthus Lacedæmoniorum dux secutus est, dum hoc oppidum auxit et restauravit. Illud autem erat hujusmodi: *Σατύρεόν τοι δῶκα, Τάραντα δὲ πίονα δῆμον Οἰκῆσαι.* *Satyreum tibi do, pinguis pagosque Tarenti Incolere.* Totam vero urbis conditæ historiam memorabilem vide apud Strabon. lib. VI. Pausaniam, Justinum, aliosque. Tarentini autem elegantissimos nummos percusserunt, in quo effictus erat Taras, dorso delphini insidens, quod testatur Julius Pollux Onomast. lib. IX. Et exstant hodieque hujusmodi nummi, quorum unum ad Statii lucem hic subjeci.



'Mite' vero Tarentum dixit, ob suavem et salubrem aëris Tarentini temperiem, et solum fertile. Unde 'vinum Tarentinum,' et 'lana Tarentina' celebrantur a Martiale aliisque. *Gevartius.*

CARM. II. 1 *Unde*] Enthusiasmum Poëticum simulat, audire se Apollinem per montes Romanos canentem, et videre etiam id numen ad habitum chely aut cithara canentium compositum; seque videri vult Apollinis verba excipere. *Barth.* *Sacro*] Cur sacrum? quasi *ἄκρον*, augustum et pium. An quia e sanctis Musarum fontibus haustum? Virg. Georgic. lib. II. 'Sanctos ausus recludere fontes.' An ob ritum nuptiarum, quod Pontificale verbum est: 'ob divini et humani juris communicationem.' L. I. D. de Ritu Nuptiar. enimvero quas fas esset ducere, notionem Pontificum fuisse perspicitur ex Tacito, et Dione lib. XLVIII. Quid, quod piorum Regum vatumque Princeps Davides, Psalmi XLIV. (quod Epithalamiorum antiquissimum est) vs. I. *ἐπιθαλάμιον* vocat. דבר טוב *λόγον ἀγαθόν.* Apollinaris, *ἐσθλὸν μῦθον.* Huic opponitur hic vs. 27. 'obliquum carmen.' *Morellus.* *Latii montes*] Septem colles Urbis. *Domitius.*

2 *Comanti*] Apollinis decus perpetuum, Coma. Auctor Priapæi Car-

minis 36. 'Phœbus comosus, Hercules lacertosus.' Suspensa a lævo humero lyra, aurea, et testudinis insertis variegata, fingebatur Apollo. Vide totius ejus habitus descriptionem apud Tibul. lib. III. Eleg. 4. *Barth.*

4 *Canoro Helicone*] Cantibus perpetuo resonante. Sed et ipse tamen mons nonnihil conferre credebatur Cantoribus. Vide Commentaria ad initium Cynegetici Nemesiani. *Demigrant*, illud Hesiod. Πιερίηθεν referunt. *Idem.*

5 *Solemnem ignem*] Debitum et celebratum; nam novæ nuptæ puer patrimus et matrimus facem præferebant ex spina alba; ut Plinius et Festus scribunt. Duo item pueri patrimi et matrimi novam nuptam tenebant. *Domitius.* De 'igne' et 'aqua solemni' ad Nuptias tam multi tam multa notarunt, ut ægre rebus novis locus sit inveniendus. Videas itaque Jac. Cujacium Observ. lib. XI. c. 2. J. Passeratium ad Catullum, pag. 7. Joan. Gebb. Cur. Juven. lib. III. cap. 12. J. Levineium ad Propertii lib. IV. Eleg. 3. Nos ad Cyneget. Nemesiani, vs. 15. Brisson. lib. de Nuptiis, pag. 46. Hotomanum pari opere, cap. 17. Martinum Roam, Singul. lib. II. cap. 21. Qui de numero hoc apud Papinium curiosior æquo est, secundum enim Musas eum ponit Poëta, plures nominaturus, si istæ plures fuissent. *Barthius.*

9 *Alternum factura pedem*] Immortale illud Galliæ ornamentum Had. Turnebus Advers. lib. V. cap. 3. hunc Statii locum explicans, ait 'alternum pedem facere,' idem hic esse quod claudicare. Quam interpretationem quomodo vir sagax ex hisce Statii verbis elicere potuerit, equidem miror. Ego, dum penitius verba inspicio, addita litterula legendum præsto: *fractura pedem.* Elegia, inquit, *celsior assueto*, exultat *Alternum fractura pedem.* Nihil certius hac nostra emendatione. Elegiæ namque versus, alter longior, alter brevior est, ut jure dicatur 'alternum pedem frangere,' quod proprie claudicare. Et mirum est maximum virum hoc non animadvertisse. *Gevart.* *Alternum factura pedem*] Est conscriptura carmina alterna, sive elegiaca, et suæ legis modo metienda. *Gronov. in Diatr.*

12 *Lumina demissam*] Hoc ἦθος est τῶν ἐν τοῖς θαλάμοις παρθένων, περιβλέπειν μηδαμοῖ, ἀλλ' αὐτὰ τὰ πρὸ ποδῶν ὁρᾶν, apud Xenoph. de Rep. Lacedæm. pag. 2. fol. 4. editionis nostræ; ubi aliter legisse Dion. Longinum adnotavimus. Videtur etiam Papinius Violantillam effingere ad illud Αἰδοῦς ἄγαλμα quod Pausan. in Atticis p. 103. scribit ab Icario erectam fuisse Lacedæmone, eo loci ubi Penelope rogata ab ipso patre ut maneret secum in patria, velata facie, αἰδημονέστατα, Ulyssem virum sequi maluit. Quod oraculo Genes. cap. III. respondet, πρὸς τὸν ἄνδρα σου ἡ ἀποστροφή σου. Jam vero quod addit: *dulci probitate rubentem*, excludit δυσωπίαν, et arguit ruboris originem quam Greg. Naz. multis versib. exponit, in Carm. Κατὰ Καλλωπιζομένων, pag. Gr. 13. et 11. 12. 13. edit. et interpretationis nostræ. *Morell.*

13 *Cætu Latino*] Immixta matronarum et virginum cœtui. Mihi tamen Papinius scripsisse videtur: *cinctuque Latino.* Ut Venerem habitum Romanum adscivisse dicat. 'Cinctus' enim universam vestituram designat, ut sæpe Claudiano. 'Genæ' notant oculos. *Barth.*

17 *Phœbus et Euan*] Apollo et Bacchus adsunt Nuptiis Stellæ, ut Poëtæ nobilissimo, Poëtica Numina, quod notissimum, et Nuptialia. De Apolline notum. Quid autem sine Vino Venus? *Barthius.*

18 *Volucer Tegeaticus*] Mercurius, qui et volucer est talaribus suis, et Arcas; nam in Arcadia est natus: Tegea Arcadiæ oppidum: unde et 'Tegeum' Virg. deduxit, et 'Tegeaticus' dicitur. Oppidi meminerunt

Strabo et Plinius. *Domitius.*

21 *Floribus innumeris, &c.*] Longe elegantius princeps editio Veneta: *et olenti spargere nymbo.* Nihil certius, quam ita scripsisse Statium, quod vel ex uno Claudiano constat, qui in Nupt. Honorii, hunc locum æmulatus, in eadem re, eodem verbo usus est: *nec signifer ullus, Nec miles pluviæ flores dispergere ritu Cessat, purpureoque ducem perfundere nimbo.* Scio Ptolemæum Flavium Conjectaneis aliter sentire, et τὸ *thymbra* defendere; at eum hic nihil moramur: nam sic Lucretius lib. II. ubi Cybelen floribus conspergi solitam scribit, elegantissime 'floribus ninguere' dixit: 'Ære atque argento sternunt iter omne viarum, Largifica stipe ditantes, ninguuntque rosarum Floribus, umbrantes matrem comitumque catervas.' *Gevart.*

22 *Tu modo fronte*] Scribe: *Tu modo fronde rosas, &c.* Ut enim *lilia mixta violis*, ita *rosa fronde:* 'frondem' intellige ipsius rosæ, quæ et virore suo gratiam ampliorem roseo rubori conciliabat, et ceu recentem commendabat. *Gronov. in Diatr.*

24 *Dies conditus albo vellere*] Fœlix; nam Parcæ nere dicuntur alba vellera felicibus. Sed de hoc plura in commentariis Martial. diximus. Seneca de Nerone: 'Aurea formoso descendunt pollice fila.' *Domitius.* Vide M. Delrii Comment. in Medeam Senecæ vs. 17. et Jac. Durantium. Variar. lib. II. cap. 20. et sim.

26 *Professus Hymen*] Non clandestini congressus. 'Professa' res, cujus neminem pudet, opposita illis quarum non ferimus nobis notam imputari. Vide ad Calpurnium, Ecloga I. vs. 55. Joannis Levineii Notas ad Panegyricum 7. et ad Propertium lib. IV. Eleg. 6. *Barth.*

27 *Obliqui carmimis astus*] Primus locum hunc docte explicavit eruditissimus Parrhasius, cum Domitius hic per 'obliquum carmen' artes magicas et veneficia, quibus amantes uti solent, alii maledicentiam, alii fescenninos interpretarentur, alii etiam *obliqui criminis* inepte legendum contenderent. 'Obliquum carmen' hic est poëmation dissimulato et mutato ejus nomine compositum, de quo vere scriptum est. Sic apud Rhetores, 'ductus obliquus' simplici opponitur. Fortunatianus I. Rhetor. ita definit: 'Ductus orationis sunt quinque: simplex, subtilis, figuratus, obliquus, mixtus.' Intelligit igitur Statius per obliquum carmen,' versus Stellæ, quibus Violantillam amicam suam celebraverat, dissimulato ejus nomine, ne quam infamiæ labem contraheret. Nam *Stella* Græce Ἀστὴρ dictus, Violantillam a suo nomine 'Asteridem' appellavit, quasi dicas 'Stelleidem,' seu amicam Stellæ. Hujus carminis mentionem facit ipse Statius hoc Epithal. vers. 200. Martialis vero Violantillam hanc a proprio ejus nomine 'Ianthiden' appellavit. Nam *Viola* Græcis Ἴον dicitur, hinc Ἰάνθινος, *Violaceus.* Sic Cicero (teste Terentiano Mauro) 'Violantem' dixit, quem Græci 'Iolaum' vocant. Unde patet graviter errare Tiliobrogam, qui in Observationibus suis ad v. Silv. pro 'Violantilla,' rectius 'Violentilla,' quasi a 'violentia' dicendum putat. Martial. lib. VII. Epigr. 13. idem hoc Stellæ carmen intelligens: 'Vel Stellæ cantata meo, quas flevit Ianthis.' *Gevartius.*

28 *Subiit leges*] Has Cecrops διφυὴς primus sanxit Athenis, autore Eustath. in Il. Σ. unde illud Hor. ad Pisones: 'Fuit hæc sapientia quondam Concubitu prohibere vago, dare jura maritis.' Eadem vero proverbiali translatione qua hic dictum est, *fræna momordit*, Juvenal. Sat. VI. ludit mœchum, qui 'maritali jam porrigit ora capistro,' Δακὼν στόμιον, ὡς νεοζυγὴς πῶλος, Æschyl. in Prom. Pind. Olymp. nude et aperte: ἑτοῖμον ἀνεφρόντισε γάμον. *Morell.*

33 *Vota paves*] Nimio gaudio non credis. Ut modo 'summa felicitate

attonitum' dicit. Ita Pacatus Panegyrico: 'Ut prolixior sit sensus bonorum, nec repentina felicitas faciat attonitos, et similes reddat ingratis.' *Barth.*

38 *Digna quidem merces*] Et si diu, inquit, laborasti, tamen præmium habes par laboribus tuis: immo majus. Nam propter hanc non fuisset recusandum subire labores Herculeos, et Inferos adire, vel navigare per Cyaneos scopulos: per quos navigavit Jason cum Medeam rapuit in Ponto. *Domitius.*

41 *Hanc propter tutum Pis.*] Tuta est ὕφεσις cum παῤῥησίᾳ, ei præsertim cui φίλια δῶρα Κυπρίας ἐς χάριν τέλλεται, ut Pelops Pisæi Regis legem subiturus orditur precem ad Neptunum, apud Pind. I. Olymp. Ant. 4. Μέγας δὲ κίνδυνος ἄναλκιν οὐ φῶτα λαμβάνει. Ut ait idem in clausul. *Morellus.* *Hanc propter, &c.*] Non magis profecto, quam propter Hippodamian. Et quomodo *tutum*, si *trementem*, si *Pisæa lege?* Scribe: *Hanc propter justum.* Hæc meretur, ne quis par discrimen recuset. *Gronov.* *Pisæa lege trementem Currere*] Ad fabulam qua Œnomaus legem procis filiæ suæ Hippodamiæ dixit, ut curule certamen secum (qui equos velocissimos habebat) inirent; Victor Hippodamia potiretur, victi morerentur; superatis vero occisisque tredecim adolescentibus, tandem victus est a Pelope. Mens Papinii: Dignam fuisse Violantillam, quæ peteretur vel capitis periculo, et conditionibus iisdem quibus Hippodamia. Erat hic Œnomaus rex Elidis et Pisæ, ut Pausanias Elicorum lib. II. Pindarus Olympionicis, Epimenides, Apollonius et Hesiodus tradidere. Scite hinc Papinius conditionem procis ab Œnomao propositam 'Pisæam legem' dixit. Ovidius etiam oculos hic habuit dum scripsit in Ibin: 'Ut juvenes, pereas, projecta cadavera quorum Oraque Pisææ sustinuere fores.' *Bernart.*

43 *Pastor temerarius*] Gl. vet. *temerarius*, ῥιψοκίνδυνος, τολμηρός. Affine vitium Phrygio judici προπετεῖ, qui 'Veneris præsidio ferox,' tanta movit 'funera Dardanæ genti,' Horat. I. Od. 15. At enim, ut Myrson recte monet apud Bionem Smyrnæum: Κρίνειν οὐκ ἐπέοικε θεήϊα ἔργα βροτοῖσι. *Non æquum est hominem de rebus sciscere Divum.* Morell.

45 *Te potius prensa*] Præfert Violantillam Auroræ. Mens est: Si Aurora te, o Stella, raperet uti Cephalum, non tamen tam pulchram habuisses ac nunc habes. Eruditus Parrhasius pro *prensa* mavult *prensum* vel *pressa*, cui adsentior. *Bernart.*

48 *Et multa pulsantur limina virga*] Indicat magistratus ad sollemnia Stellæ venisse. More enim Romano, quoties magistratus suas vel alienas ædes ingressurus erat, lictor præcedens fores virga percutiebat. Livius lib. VI. Plinius lib. VII. cap. 10. Martialis: 'Bis senos jubet en redire fasces Nato consule: nobilique virga Vatis Castalii domum sonare.' *Idem.*

51 *Serenati cœli*] Ubi præsens Venus, cœlum semper serenum habent filii Poëtarum. Lucretius, ejus alloquutione: 'Te Dea, te fugiunt venti, te nubila cœli, Adventumque tuum.' *Barth.* *Plaga lactea*] In syderibus circulus quidam ostenditur candido colore: quem quidam lacteum dixerunt, sive (ut Demosthenes scribit) quoniam Juno cum inscia Mercurio mammam infanti præbuisset, tandemque rescisset eum esse filium Maiæ, rejecit, et profusi lactis splendor inter sydera est. Alii scribunt, id evenisse Herculi, cum Junoni dormienti suppositus esset, et tandem rejectus: alii Herculem nimium lactis hausisse ex mamma Junonis, nec totum potuisse continere: sed profusi colorem esse inter sidera. *Domitius.*

53 *Getici mariti*] Martis, qui cum Getis aut inter eos perpetuo belligerare fingebatur. Vide domus ejus descriptionem Thebaide VII. Natus etiam apud ipsos, ut Jornandes, ejusdem nationis homo, adnotat. Usque adeo autem Veneris hic maritus, ut quotannis etiam Nuptiæ eorum fuerint concelebratæ. Vid. Claud. Magnete. *Barthius.*

60 *Lemnia repserunt depr.*] Quam scite hic etiam est expressus Homerus! Odyss. Θ. ἀμφὶ δὲ δεσμοὶ Τεχνήεντος ἔχυντο πολύφρονος Ἡφαίστοιο. Clemens Alexand. in Προτρεπτικῷ, pag. 24. hanc ᾠδὴν, ut illepidam et infícetam, a castis auribus arcet, ob φαύλας ἐκτοπίους θ' ὁρμὰς, quas Orpheus etiam aversatur extremo Hym. Εἰς Ἔρωτα. *Morell.*

73 *Protinus*] Non tamen statim nomen infanti dabatur: sed nono die maribus, octavo fœminis. Macr. Est etiam Nondina Romanorum Dea, a nono die nascentium; qui lustricus dicitur. Est autem lustricus dies quo infantes lustrantur et nomen accipiunt: sed is maribus nonus, octavus autem fœminis. *Domitius.*

75 *Improbus*] Non prima sua notione accipiendum, sed quod mire convenit huic loco, pro eo qui instat etiam prohibenti. Isidorus lib. x. 'Improbus dictus quod instat etiam prohibenti.' Papinius certe τὸ *Improbus* vel pro magno, vel astuto et callido, vel audaci, aut alias in bonam partem, fere semper usurpat. Baln. Etrus. 'Atque alio Sol improbus uritur æstu.' Idem II. Sylv. Epic. in Glauc. *Bernart.*

79 *Ast illum summa leviter*] Numquid occurrit illi Homerico: Κοῦφον γὰρ βέλος ἀνδρὸς ἀναλκίδος, οὐτιδανοῖο. ut hic, τὸ 'stringere' signet τὸ ἐπιγράφειν, 'attingere,' 'ferire,' ἐπιγράβδην, et σφίγγειν. Lucret. lib. I. 'Sed quæ sint rerum primordia nulla potest vis Stringere.' Virg. Ecl. IX. 'Agricolæ stringunt frondes.' Noster inf. vs. 247. 'Non talis niveos strinxit Lavinia vultus.' Quærit autem facete Venus Luciani ab hoc Sagittario suo cur alios Divos densa trepidantes cuspide figat, Minervam ne stringat quidem: imo sic ab ea perstringatur, ut ἐπ' ἐκείνης ἄπυρος μὲν αὐτῷ ἡ δᾲς, κενὴ δ' ὀϊστῶν ἡ φαρέτρα, αὐτὸς δὲ ἄτοξος ᾖ καὶ ἄστοχος. 'Ecce puer Veneris,' inquit Naso, 'fert eversamque pharetram, Et fractos arcus, et sine luce facem.' Porro hic 'inermis arcus' originem veram dictionis arcus indagandam esse admonuit: atque ad ejus cubile Græc. pervenisse mihi visus sum, cum legi apud J. Pollucem, τὰς ἄρκυας κεκρυφάλῳ ἐοικέναι κατὰ τὸ σχῆμα, εἰς ὀξὺ καταληγούσας· genus retis mediocri magnitudine in acutum desinens et sinuatum, ἄρκυν vocari, ejusque duas species esse, βρόχον ῥαβδοειδῆ et περίδρομον· quæ cum similitudinem et cognationem magnam habeant cum *arcu*, τόξῳ, quid mirum si Latini arcum, retis nomen peregrinum, ad τόξον significandum transtulerint? *Morell.*

82 *Testis ego, attonitus, &c.*] Ita distinguunt omnes editiones, ceu Stella *attonitus* dicatur. At Papinius Amorem 'attonitum' dicit, hoc est admirantem, ut in Epicedio Glauciæ: 'attoniti te spectavere parentes.' Scribe: *Testis ego attonitus, quantum me nocte dieque.* Quibus minus propitii esse Dii credebantur, illis dicebantur venire 'graves,' ut contra benigni, 'lenes levesque.' *Gronov. in Diatr.* *Testis ego attonitus*] Veneta editio, et Chartaceus Ms. Jos. Rhodii, viri humanissimi, et Archiepiscop. Salisburgensis membranaceus et cujus excerpta Lindenbrogius olim mecum communicavit: *Testis ego attonito;* quod recepimus. *Gronov.*

86 *Hippomenem*] Qui Atalantam cursu vicit: fabula nota, vel ex uno Ovidio Met. I. *Bernart.* *Meta pallebat in ipsa*] Insulse postremus editor de prima meta. Sententia est, in ip-

sa pene victoria timuisse vinci Hippomenem. Belle stuporem hominis castigavit Casp. Gevartius Electorum lib. III. adducto sententiæ fundamento stabili ex Sidonii Panegyrico Majoriani. *Barth.*

87 *Juvenis Abydeni*] Leandri; nam Abydos et Sestos opida sunt ad ostia Hellesponti: utroque littore ad stadia triginta inter se distant: a portu in portum pontis locus est paulum ab urbibus digredienti ad Seston, locus quidem Apobathra dictus, ad quem ratis juncta fuit. Abydum Milesii condidere, Gyge Lydorum rege permittente. Theopompus ait Seston parvam esse, sed munitam. Leander vero Sestiacam amans ex Abydo noctu natabat in ulteriorem ripam, proferente illa ex turri lumen: tempestate deprehensus periit. Utrumque pinxit Apelles nobili gloria. Apud Seston insignis tumulus erat Ionis et virginis, ubi aquila, quæ a virgine educata, vivam in mortuæ rogum se conjecit. *Domitius.*

88 *Laudarique manus*] Reponendum existimaverim: *lassantique manus;* certe elegantius, quam id, quod vulgo legitur, adeo ut sic aut scripserit, aut scribere debuerit Statius. *Boxh. Ep. ad Cl. Gr.*

96 *Labores armiferos*] Bella et arma poterat, inquit, heroico carmine omissis amoribus gesta scribere. Sed tamen maluit in elegia versari quæ tua est. *Domitius.*

99 *Subtexere laurum myrto*] Anteposuit, inquit, myrtum et elegiacum carmen, quod Veneris est, lauro et graviori stilo; nam myrtus est dicata Veneri: idcirco electa est pro verbena in conjunctione Sabinorum et Romanorum, quoniam, ut scribit Plinius, conjunctioni et huic arbori præest Venus. Quin et ara vetus fuit Veneri Myrteæ; quam postea Murtiam dixerunt. Livius, ad Murtiæ Deæ sedes. Plutarchus in Quæstionibus Rom. XIX. Καὶ γὰρ ἣν νῦν Μουρτίαν Ἀφροδίτην καλοῦσι, Μυρτίαν τὸ παλαιὸν, ὡς ἔοικεν, ὠνόμαζον. *Domitius.*

100 *Juvenum lapsus*] Hi sunt vagi primævæ ætatis amores, priusquam connubiali jugo succederent. *Barth.*

102 *Columbæ*] Notum etiam pueris columbam sacram Veneri alitem fuisse. Vise, præter alios, Joh. Leveneii comment. ad Propert. lib. III. Eleg. 3. De 'columba Stellæ' Claudium Musambertium, uti nominari vult ad Martialis lib. I. Epigr. 8. *Barth.*

105 *Non aspernata*] Innuens se non invitam audivisse preces; quo verbo jam ascensionem Veneris futuram demonstrat. *Domitius.*

109 *Tellure cadentem Excepi, fovique sinu*] De ritu veterum, quo infantes, simul ac nati forent, in terram deponebantur, dixi fuse ad Theb. I. fortean non nemine ridente, tam curiose minuta hæc talia nos notare. At ego velim sophos istos discere, ignorantiam horum talium rituum in turpissimos errores induxisse viros alias magnos et præstantes. In Codice nostro extat Justiniani Lex sub tit. de Liber. et Posth. Hered. Inst. 'Sancimus,' inquit, 'si vivus (infans scilicet) perfecte natus est, licet ilico postquam in terram cecidit, vel in manibus obstetricis decessit testamentum rumpi.' Varia huic loco interpretatio adhibita, seu verius crux. Est qui se vertat in omnes formas; est qui vitium in loco asserat; sed profecto Bernartius non est Bernartius, aut vitium animi in iis qui hæc talia divulgant. Tangit exerte hunc morem Imperator, et mens, infantem, etiamsi ilico ac in terram positus fuerit decesserit, patri tamen heredem esse, et si præteritus fuerit, testamentum rumpere, velim te videre Antistitum Antistitis Augustini de Civit. Dei lib. IV. cap. 8. et Macrobium Sympos. I. ubi de Maia instituitur disputatio. *Bernart.*

111 *Amomum*] Assyrium est: nascitur etiam in Armeniæ parte Ocene

media Ponto. Inter unguenta crinibus adaptatur. *Domitius.*

113 *Frontis honores*] Ex more etiam nostrarum Venerum, quæ frontem quamlatissime diductam pulcherrimam existimant, contra veterum nonnullorum mentem qui angustam et pauxillam frontem inter formæ dotes collocabant. *Bernart.*

114 *Suggestumque comæ*] Vide hic lib. Hadr. Junii de Coma cap. 7. Jan. Parrhasium Epist. 57. ult. edit. pag. 804. Torrent. ad Suet. Nero. cap. 51. Salmas. ad Pallium Tertull. pag. 246. Popmam ad Varronis Virgulam Divinam. J. Wowerium ad Petron. pag. 451. Edit. Golstad. Passerat. ad Propert. lib. IV. Eleg. 3. Voss. in Rhetor. lib. IV. pag. 229. &c. *Barth.*

118 *Concha*] Nam Venus ex spuma maris nata concha in littus delata dicitur: unde conchæ Veneri dicatæ sunt, et Venereæ dicuntur. Propertius: 'Et venit e rubro concha Ericyna mari.' Martialis: 'Lævior o conchis Galle Cytheriacis.' Eadem ratione Julius Cæsar Veneri genitrici dicavit thoracem, quem ex Britannicis margaritis factum volunt intelligi: et duæ conchæ, quæ navem a Periandro missam, ut nobiles pueri castrarentur, retinuerunt, in Veneris Gnidiæ templo colebantur. *Domitius.*

119 *Et si flammiferas, &c.*] Ubi Venus Violantillam quoad formæ præstantiam secum comparat, ita ait: *Hæc si flammiferas, &c.* Interpretes dum explicare conantur, cur 'erraturos' Amores poëta dixerit, ipsi graviter errant. Domitius quidem sic interpretatur: *Ipsi*] Id est, inquit, ad ipsius Violantillæ jussa. *Erraretis*] Id est, inquit, ei pareretis, non mihi. Morellus malit: *ipsi arderetis Amores.* Sed frustra. Nam sensus est: Tantam fuisse Violantillæ pulcritudinem, ut si ipsa cœlum potuisset conscendere, ipsi Cupidines Venerem matrem suam a Violantilla, propter pulchritudinis æqualitatem, non potuissent discernere; et sæpe errassent, dum unam pro altera compellarent. Nam Venus omnem pulchritudinem suam se Violantillæ dedisse paulo post ait, dum inquit: 'Non ideo tibi tale decus, vultusque superbos, Meque dedi, viduos ut transmittare per annos.' *Gevart.*

122 *Queritur jam Seras avaros, &c.*] Ait adeo splendidam, tantaque cultus magnificentia fuisse Violantillam, ut nec serici, nec electri, nec purpuræ, nec crystalli, nec auri, nec margaritarum satis illi potuerit subministrari. Hæc autem omnia in gratiam ipsius sponsi, Stellæ inquam, dixit, qui quidem etiam adeo magnificus in cultu fuit, ut singulis manuum articulis plurimas gemmas gestaret, quod testatur Martial. lib. v. Ep. 11. ad Severum. *Idem.*

124 *Nec virides*] Electrum, intelligit, quod ex lacrymis sororum Phaëtontis mœrore in populos arbores transformatarum, juxta Eridanum amnem, quem alii Padum vocant, nasci Poëtæ finxerunt. Vide Ovidium Met. II. Martial. de Ape Electro inclusa, et de vipera.

125 *Vellera Sydonio, &c.*] Purpuram Sydoniam, sive Tyriam, intelligit; Sydon enim Tyriorum oppidum. Vide Justin. lib. XVIII. Et hæc inter preciosissima est, apud Strab. Plin. in Hist. Nat. Cic. ad Fam. Epist. II.

127 *Huic Hermum, &c.*] Postquam ea, quæ in mundo muliebri sunt, vestes et gemmas quoque descripsit, transit ad ornamenta quæ ex auro. Tagus enim Lusitaniæ fluvius, et Hermus in Dorylo monte Phrygiæ oriens, quique Smyrnæos campos secans, Phrygiamque a Caria dividens, tandem Lyciam alluens in mare labitur, aureas arenas trahere a Poëtis finguntur. *Bernart.*

131 *Secura in littore Naxi Theseum juxta, &c.*] Corruptus locus. Nam quomodo Poëta Violantillam in

Naxi littore 'securam' fore dixit, cum innuere velit Bacchum, relicta Ariadne, Violantillam hanc rapturum? Succurrit hic nobis manuscript. Senensis, ex quo illustr. Scaliger manu sua ad oram codicis sui adnotarat, sic legi: *Se curvo in littore Naxi, &c.* Nihil verius hac lectione. Confert hic Statius Violantillam cum Ariadne, quam in Naxi littore dormientem Theseus inde solvens reliquerat, desertam vero a Theseo Bacchus sibi copulavit. Si, inquit Poëta, Violantillam in Naxi littore vidisset Bacchus, Ariadnem a Theseo contemptam et relictam etiam contempsisset et deseruisset Bacchus, quia nimirum Ariadnem Violantilla pulchritudine superat. Recte autem Poëta 'curvum littus' Naxi vocat; nam hæc insula olim Strongyle dicta fuit ob rotundam et globosam figuram, quod στρόγγυλον Græci dicunt: Silius de Naxo: 'Mille Agathyma dedit, perflataque Strongylos Austris.' *Gevart.*

133 *Gnossida*] Ariadnem filiam Minois Gnossii, id est Cretensis; nam Gnossos Minois regia fuit ab eodem condita, ut scribit Strabo et Diodorus. *Domitius.*

134 *Falsus huic*] Optimus poëta quod alii vix multis versibus, tres distinctas fabulas, tribus pæne verbis complectitur, Ledæ videlicet, cui sub specie oloris, Europæ, cui sub figura tauri, Danaës, cui sub velamine aureæ pluviæ concubuisse Jupiter fingitur. Compar plane sententia Theb. IX. 'Falsa nunc improba fronte,' &c. Ubi tangit Europæ, Alcmenæ, et Semeles fabulas. *Bernart.* *Falsus huic, &c.*] Inepte hic voluit legi Domitius: *Falsas huic pennas;* quomodo male etiam in Parisiensi editione recepit Tiliobroga; nam Priscianus lib. XIII. ubi hæc Statii verba citat, *Falsus* legit, ut ex ipsius verbis apparet. *Gevart.*

142 *Amyclæos olores*] Biga Veneris duobus oloribus trahitur: quos Amyclæos perpetuo epitheto appellarunt poëtæ, ex quo Jupiter sub forma cycni cum Leda concubuit. Nam Amyclæ opidum Laconiæ, patria Helenæ, Castoris et Pollucis. *Domitius.*

145 *Iliacæ*] Hospes in lectione Statii facile suspicaretur hic aliquid desiderari. At Poëta noster morem hunc habet, ut sæpe per Aposiopesin verba quædam non exprimat. Debuisset enim dixisse, *Jam Tybridis arces apparent,* vel, *in conspectu sunt.* Gevart.

146 *Plauserunt, &c.*] Ingressi domum, plausu alarum gaudia contestantur. 'Plaudere,' cum sonitu verberare. *Barth.*

149 *Flexus onyx*] Elaboratus sc. torno, vel cœlo, vel in figuras varias datus. Vide Salmas. Comment. in Solin. p. 562. *Concolor alto*] Domitius Porphyriten intelligit: 'Nam,' inquit, 'mare purpureum Homero et Virgilio dicitur.' At ego contra sentio; nam sequenti versu ait Poëta: *rupesque nitent, queis purpura sæpe Œbalis, &c.* Hic ecce demum Porphyriten notat. Nonnulli itaque præsenti loco potius marmor Augustæum notari putant, de quo Plinius lib. XXXVI. rectius forte Carystium marmor intelligemus, quod glaucum est, quale mare esse solet. *Gevart.*

151 *Tyrii moderator livet aheni*] Calderinus ita singula hæc explicat: *Queis*] Id est, juxta quæ marmora. *Moderator*] Id est, murex unde fingitur purpura. *Livet*] Id est, videtur habere colorem lividum, ita superatur. Hæc ille; quæ omnia et inepta et ridicula sunt. Nos ita interpretamur: *Queis livet*] Id est, quibus invidet. *Moderator aëni*] Id est, tinctor purpuræ Tyriæ, seu seriobapta. Mens enim Statii, tam eximii coloris marmora in ædibus Violantillæ conspici, ut tinctor purpuræ Lacædæmoniæ et Tyriæ, sæpe istis marmoribus, tam insigni purpuræ colore præ-

stantibus, invideat. Dicuntur enim terræ, quæ alteram singulari aliquo naturæ munere superant, sibi mutuo invidere. *Gevartius.*

153 *Robora Dalmatico, &c.*] Frustra hic locus sollicitatur a doctis. Lips. et Bernart. legunt *sociata.* At Piccartus e suo Ms. mavult: *sancita metallo.* Aitque 'sancire' hic valere quod imprimere ligno metallum, aut incudere. Sed vulgata lectio optime se tuetur. Nam 'satiatus' hic eadem notione positum, qua apud Petron. 'Et paries circa palea satiatus inani Fortuitoque luto.' Per *Robora*, itaque Poëta intelligit postes et columnas citreas, quibus aurum, in tenues laminas et crustas dissectum, insertum erat. Quem morem D. Hieronym. ad Gaudent. ingerit. Et Plinius libro XXXIII. cap. 3. *Satiata* itaque *robora*, hic sunt ad abundantiam, et satietatem usque auro incrustata, et vestita. Nam per 'Dalmaticum metallum,' aurum intelligit, quod sub Nerone e Dalmatia vehi cœptum. *Idem.*

155 *Perspicui vivunt*] Artificiose inducti, et tamen pariter cum viventibus nitidi et gelidi. Vide Casaub. ad Sueton. August. cap. 82.

160 *Idaliasque domos*] Idalium nemus Cypri dicatum Veneri, ut scribit Plinius. Hæc loca gratissima erant Veneri, Cyprus, Erix Siciliæ, Cythera Syria, ut refert Diodorus. *Erycina*] Ubi templum habuit, multis mulieribus ministerio suo dicatis, destitutum tamen temporibus Tiberii. *Domitius.*

163 *Laurentes, &c.*] Latinas mulierculas. Æneid. XI. 'Latio et Laurentibus agris.' 'Puellam' vocat, quæ vidua erat. Vide Advers. lib. XXV. cap. 14. *Barth.*

172 *Nam docta per urbem*] Particula *nam* locum hic non habet, nec enim redditur ratio præcedentium. Itaque *jam* velim reponi. *Nam* tamen retineri posset, si pro *formæ* legatur *famæ.* *Nec famæ nec stirpis, &c.* Præstat sane virum a fama, quam forma commendari. *Boxhorn. Epistola ad Joh. Fred. Gronov.*

174 *Hunc et bissenos, &c.*] Mens: Stellam favore Domitiani Consulatum adepturum ante legitimam ætatem: neque enim ante annum 44. Consulatum gerere per leges fas. Cicero Philip. V. 'Quid Macedo Alexander cum ab ineunte ætate res maximas gerere cœpisset, nonne tertio et trigesimo anno mortem obiit, quæ est ætas nostris legibus 10. annis minor quam Consularis?' Lucem hinc mutuare Lampridio in Commodo: 'Post hæc venia legis Annariæ impetrata, Consul est factus.' Hæc ex legum præscripto: ceterum Augustus vigesimo ætatis anno consulatum invasit. Et Cæsar Claudius adulationibus senatus, inquit Tacitus, libens concessit ut vicesimo ætatis anno consulatum Nero iniret. Quin et Capitolino teste Gordiano puero Consulatus delatus. *Bernart.*

176 *Cybeleia limina*] Id est prætor fuit. Nam prætores habitu triumphali præerant ludis Megalesiacis, id est Cybeleis, in quibus ludos edidit Stella pro victoria Sarmat. Domit. de quo Martial. 'Quos cuperet Phlegræa suos victoria ludos, Indica quos cuperet pompa Lyæe suos.' Quamvis aliter in nostris sit commentariis.

177 *Carmen legit Sibyllæ*] Id est Duumvir est. Olim quindecim erant viri legendis libris Sibyllinis; quos tamen non legebant injussu senatus, ut scribit Livius. Aliquando variato numero fuerunt duo. *Domitius.*

178 *Parens Latius*] Juppiter Ausonius, Coma Earini. Sæpius ita Domitiano, etiam inter Deos principatum affectanti Belluæ, blanditur, ut exemplis productis notarunt docti. *Barthius.*

185 *Ipsum in connubia Terræ Æthera, &c.*] Quid aliud prædicat Eurip.

in illis versib. quos laudat Arist. VIII. de Mor. ad c. I. *Ἐρᾷν μὲν ὄμβρου γαῖαν, ξηρανθεῖσαν, Ἐρᾷν δὲ σεμνὸν οὐρανὸν πληρούμενον Ὄμβρον πεσεῖν εἰς γαῖαν.* Auctor Pervigilii commode interpretatur uno Octonario: 'In sinum maritus imber fluxit almæ conjugis.' *Morell.*

189 *Raptor erat, Phrygio, &c.*] Ro. Venetusque codices et Ms. Florentinus: *Raptorem, Phrygio.* Quod ipsius Statii est, mutatumque ab iis, qui non capiebant. *Gronov. in Diatr.*

197 *Asteris*] Ἀστὴρ, stellam significat, inde est Asteris, quasi stelles, id est, amica stellæ; quod nomen poëta formaverat, inserueratque carmini, quod Asteris vocabatur. Vide hic doctiss. Joh. Gerh. Voss. Rhet. lib. V. c. 8.

199 *Hylas*] Hic filius Theodamantis fuit raptus ab Hercule, ut ex commentariis Apollonii alibi docuimus. In Bithynia egressus aquatum, secutusque cervam immissam a Junone, ut canit Flaccus, cum venisset ad littus, raptus est a choro Nympharum. Theocritus ab omnibus Nymphis raptum tradit. Onasus in primo Amazonicorum eum in mare lapsum mersum scribit. Nicandrus in secundo, ab omnibus raptum. Apollonius ab una tantum. *Domitius.*

200 *Et jam sibi dura*] Postrema illa omnino in mendo cubant. Si enim Violantilla post suasoriam Veneris orationem cœperit flectere aspera colla, et Stellam amare, quomodo potuit etiamnum sibi videri dura? Haud dubie scribendum est: *nec tam sibi dura videri:* nolo tamen dissimulare commodo sensu et aucto explicari posse vulgatam lectionem. Ut mens sit: Violantillam tum demum, cum Venerem loquentem et ad nuptias hortantem audisset, serio agnovisse, se duram nimis et pertinacem adversus Stellam fuisse. *Boxhorn. Epist. ad Joh. Fred. Gron.*

203 *Tumidæ Pisæ*] Apta comparatio qua labor Stellæ exprimitur in amore, et tandem respiratio; nam Alpheus qui juxta Olympii Jovis templum labitur, per subterraneos meatus in Siciliam pervenire dicitur ad Arethusam, cujus amore captus est. Nota fabula apud Ovid. *Domitius. Tumidæ, &c.*] Quare *tumidæ?* an propter Œnomaum? Rhodianus: *miadæ;* Salisb. *intiadæ;* forte: *nitidis sic transfuga Pisæ.* Propter palæstras. Martial. 'nitidis octava palæstris.' *Gronov.*

209 *Quis tibi nunc alacri, &c.*] Putide bina epitheta uni nomini hic, præter morem Poëtæ, adjuncta. Lege itaque: *cœlestum, munere clare Stella, dies.* Stellam 'clarum' vocat tum ad nomen alludens, cui propria claritas, tum ad ejus nobilitatem. Imo semper pene illud epitheton illi tribuit Poëta noster, ut et Martialis, qui lib. XII. Epigr. 3. 'Clarus Ianteæ Stella sititor aquæ.' De Stellæ hujus nobilitate, honoribus, opibus, consule Bernardinum Scardeonium de Priscis civibus Patavinis, lib. I. Class. 3. *Gevart.*

213 *Ire polo, nitidosque errare per axes, &c.*] Veteres cum maximum aliquod et inusitatum gaudii genus exprimere vellent, 'cœlum sese perambulare' dicebant. Hinc Statius cum innuere vellet, Stellam ob desponsam sibi Violantillam omni gaudio exultasse, ait ipsum, *Ire polo, nitidosque errare per axes Visum.* Propertius lib. I. Eleg. 8. eodem loquendi genere utitur, dum se a Cynthia sua amari gloriatur: 'Nunc mihi summa licet contingere sidera plantis, Sive dies, seu nox venerit, illa mea est.' Frustra itaque est vir summus Justus Lipsius Antiq. Lect. lib. IV. cap. 2. ad hunc Propertii locum, ubi ait insolentem esse locutionem 'Cœlum plantis' sive pedibus 'contingere,' ac verius videri sibi legendum: 'contingere sidera palmis.' Nam et Græci hoc uno verbo pulcherrime exprimunt *αἰθεροβατεῖν*, quod recte Suidas interpretatur,

'in cœlo versari.' Cui confine est illud Ciceronis ad Atticum : 'Si vero quæ de me pacta sunt non serventur, in cœlo sum.' *Idem.*

215 *Thessala Tempe*] Locus Thessaliæ. Ita regio a parte præcipua. Vide Plin. et Ælianum integro quodam capite. Iletis vero Chironis filia.

217 *Erecto, &c.*] Chiron Centaurus fuit media parte equus. Vide multa de Chirone apud Ovid. Lucan. Apollodor. Diodor. &c. *Barth.*

220 *Latous*] Apollo filius Latonæ. Nam Λητὼ Græce Latona dicitur, inde Latous. Apollonius tamen in primo Latoidem appellavit : Γείνατο κυδαλίμοις ἐναρίθμιον. Αἰολόδησι Λητοΐδης. *Domitius.*

221 *Ortygia*] Eadem Delos dicta, quod ὄρτυξ, id est *coturnix*, in ea primum visa sit: licet fabula canat, sororem Asteriem versam in coturnicem. In insula nec sepeliri nec cremari mortuos fas erat. efferebantur in Reneam insulam distantem quattuor stadiis; nec illic alebatur canis, ut docuimus in commentariis in Ibin. *Idem. Nysa*] Arabiæ Fœlicis antrum, ubi Bacchus est educatus. Sophocles in India scribit Nysam, quam corniger Bacchus sibi obstetricem colit, ubi ales non clangit. Homerus : 'Qui quondam altricem Bacchi sacramque ruebant Per Nysam.' Nysa item in Asia juxta Trales. *Idem.*

222 *Hinc Lycii montes, &c.*] Corruptissimus locus. Inprimis, pro *Hinc*, lege, *Huic*, scilicet Apollini. Nam postea sequitur *illi*, scilicet Baccho. Quid vero hoc sibi vult, *Et Parnassus honos?* An Parnassum montem, 'Parnassum honorem,' vocat? Quis ita loquitur? Omnino legendum, quemadmodum Princeps eruditorum Heinsius censuit : *Et Parnasse sonas.* Tritum est Poëtis vaticinante Apolline, aut etiam veniente in Parnassium, dicere montem eum sonare, vel moveri. Callimachus : Οἷον ὁ τὠπόλλωνος ἐσείσατο δάφνινος ὅρπηξ, Οἷα δ' ὅλον τὸ μέλαθρον· ἑκὰς, ἑκὰς ὅστις ἀλιτρός. Sic etiam Claudianus VI. Consul. Honorii, vs. 233. *Gevart.*

229 *Emissa dies*] Mire hic hallucinatus Bernartius, qui per 'emissam diem,' Vesperum intelligit, cum e contra Tempus matutinum intelligendum sit. Est enim metaphora ab equis Circensibus, qui e carcere emittuntur. Sic Claudian. Paneg. Manlii : 'emisso quicquid sol imbuit ortu.' Et ita illud Maronis intelligendum : 'Emissamque hyemem sensit Neptunus.' Vult enim Poëta matutino tempore, omnia ad nuptias necessaria esse præparata, et inprimis, omina, et auspicia, quæ vel maxime in nuptiis observabant. Itaque præter rem sunt, quæ de sponsa vesperi domum ducta hic adnotavit Bernartius. *Idem.*

235 *Hic juvenum questus, stola mixta*] Vereor plane mendum hic irrepsisse, et omnino emaculandum : *hic juvenum cœtu stola mixta laborat :* cogitemus tamen. Ceterum per 'stolam' proprie matronas designat; licet enim apud Græcos aliosque stola etiam inter virilia vestimenta; Romanis non nisi inter muliebria. Ulpian. l. XXIII. D. de Aur. et Arg. Legat. *Bernart.*

237 *Jamdudum poste reclinis Quærit Hymen thalamis intactum dicere carmen*] Observa morem, quo receptum erat, ut Epithalamion ante thalami fores cantaretur. Stat. ipse Geneth. Lucani : 'Et vestros Hymenæon ante postes Festis cantibus ipsa personabo.' Scholiastes Theocriti : Τὸ δὲ ἐπιθαλάμιον ᾄδουσιν αἱ παρθένοι πρὸ τοῦ θαλάμου, ἵνα τῆς παρθένου βιαζομένης ὑπὸ τοῦ ἀνδρὸς ἡ φωνὴ μὴ ἐξακούηται. *Intactum* vero *carmen* vocat a nemine hactenus decantatum. Sic III. Sylv. Hercul. Surrentino : 'novosque Pieridum flores, intactaque carmina discens.' *Gevart.*

239 *Dat Juno verenda Vincula, &c.*]

Medici ad hunc ægrum, an non Vespillones? est qui legat *et insignis geniat concordia:* verbum sacerdotale est, inquit, idemque valet quod est apud Claudianum: 'genialia fœdera sancit.' alius emendat: *et insignis gemina concordia tæda:* ut mens sit: Stabili nexu jungunt Stellæ Violantillæque conjugium Juno et Concordia, quæ est insignis, id est insigne gestat, geminas seu duas accensas faces. Argumento, ait, concordes esse non posse, nisi mutua benivolentia sit, ac utrinque respondeatur in amore, qui symbolicῶs in face designatur. Ego aliquando *τὸ vincula* ad vittam retuli, quæ nuptiarum die sumebatur: nec video cur sententiam mutare debeam. Tu mecum erudite lector considera nunquid retineri possit *geminat concordia*, id est firmat insigni face: robusta enim firmaque gemina dici notum, ut apud Virgilium: 'Duplici dentalia ferro.' Cogitemus et num hinc firmari possit varie concussus Plauti locus Aulularia: 'Tantum gemitique mali molestiæque hic dies mihi obtulit, Famem et Pauperiem.' *Bernart. Et insigni, &c.*] Hærent interpretes. Nihil difficultatis est, si nobiscum legas: *et insigneis geminat concordia tædas. Insignis* haud dubie antique scriptum fuit, pro *insigneis*, et hinc natum illud *insigni* in libris vulgatis. *Geminat* autem idem quod conjungit. *Boxhorn. Epistola quadam ad Joh. Fred. Gronovium.*

243 *Martia Ilia*] Martia quæ habuit rem cum Marte: per exempla sumpta a virginibus pudorem Violantillæ exprimit. *Domitius.*

248 *Eat enthea vitris, &c.*] Locum hunc ex Ædilitio edicto pronuntio non sanum integrumque, et præsto legendum, *eat enthea vittis.* Vates enim vittatos fuisse plene docui Theb. v. vates vero intelligi et notio verbi enthea, et ipse orationis ductus probat. *Enthea*] Quasi numine divino plena. *Bernart.*

252 *Hunc ipse choro*] A sciolis est, cum in excusis omnibus paulum vetustioribus et in ipso scripto meo diserte legatur: *Coo plaudente;* et recte. Philetas enim Elegiographus, Theliphi filius, Cous fuit, Alexandri magni temporibus; acerrimus Poëtarum Censor, Ptolomæi Philadelphi præceptor, ut Strabo, Ælianus, Athenæus, et Suidas tradiderunt. Propertius lib. III. 'Callimachi manes et Coi sacra Philetæ.' At, inquiunt, lex Grammaticorum violatur. Bona verba: non insulam, sed cives intelligit: et mens, Philetæ Epithalamium Stellæ canenti Coos, id est suos cives, animis et ore fuisse fauturos. Etenim gentile nomen ab insula Co per Cous est intenta prima, Cousque per o quod *μικρὸν* vocant eadem syllaba contracta, ut ex Stephano Grammatico, qui diligenter de tota hac re disserit, eruditus Parrhasius alibi monuit. *Idem.*

253 *Callimachusque senex*] Cyrenæus hic ex Batto oriundus, qui Cyrænas condidit; primas hic in elegia tulit juxta Strabonem. *Senex* auctoritatis vocabulum. *Umbro Propertius, &c.*] Propertii patria Mevania fuit in Umbria. Vid. Propert. lib. IV. Eleg. I. et ibid. Joseph. Scalig.

260 *At te*] O Violantilla. Hoc disjunctive legendum; quoniam autem quidam conjunctim legere cum superioribus, falsum hinc acceperunt testimonium, esse Parthenopeum, cum sit Patavinus, teste Martiale. Hoc enim quod ait, *At te,* non ad Stellam; sed ad Violantillam referendum est. *Domitius.*

263 *Et pulchra tumeat Sebetos alumna, Nec tibi*] Litterulæ vitio labentem sententiam erigo: *Nec sibi.* Mens: Nec Lucrinus Lacus nec Sarnus magis gloriari possunt suis nymphis, quam Sebetos (fons apud Neapolim est, Columella aliique videntur) Violantilla sua civi. *Bernart.*

265 *Pompeiani Sarni*] Pompeii, op-

pidum Campaniæ, quod Sarnus fluvius navigabilis alluit. Vide Strab. lib. v. Plin. lib. III. cap. 5. Vib. Sequest.

274 *Merito possessa marito*] Explicatur vis et notatio δάμαρτος, cui consonat Gallica Dominæ vocis pronuntiatio. *Morell.*

CARM. III. 1 *Cernere, &c.*] An τὸ *Cernere* ἁπλῶς 'intueri?' atqui ἐν ὄψει εἰσὶ τοῖς ἐν Ῥώμῃ Τίβουρά τε καὶ Πραίνεστος καὶ Τοῦσκλον, ut scribit Geographus l. v. an ludit in ambiguo τοῦ 'adire' et 'cernere hereditatem?' utique τὸ *Cernere* ἐμφατικώτερόν ἐστι ἀντὶ τοῦ κρίνειν, ut perlustrare: mox subjicit τὸ *noscere*, pro penitus perspectum planeque cognitum habere Tibur: εἰδέναι ἀκριβέστατα καὶ λεπτομερέστατα. Vopiscum porro Rom. prænomen esse autores inculcant; ejus vero origo et ratio germanæ significationi conveniens, unde quæso nisi ab ὀπίσω, ὀπίσθιος repetatur? spiritu leni in v. cons. mutato, ut ex ἶς fit *vis*. quod ex duobus conceptis, post unum abortu exclusum, ad partum legitimum duceretur ὀπίσκος, ὄπισθι γεγώς. *Morell.*

Tibur glaciale] Tibur oppidum est, ad sextumdecimum lapidem distans ab Urbe. Regio circumquaque frigidæ naturæ erat; quare et in agro Tiburtino plerique Romanorum villas habebant, in quibus degebant æstate. *Bernart.*

2 *Penates geminos inserto Aniene*] Duplicem domum, quæ ab utraque Anienis ripa conjungitur. *Domitius.*

8 *Pisæumque domus non æstuat annum*] *Annum Pisæum* appellat Statius illud anni tempus, quo ludi Olympici prope Pisam in Elide celebrabantur, quod in summis Æstatis caloribus fiebat. Eadem locutione Theb. XII. 'Phrygiam noctem' vocat illam qua Phryges sacra sua Cybelæ faciebant: 'Nocte velut Phrygia, cum lamentata resultant Dyndima,' &c. Ibidem 'noctem Herculeam,' dixit eam qua genitus Hercules: 'Ter noctem Herculeam, veteres sed mitto querelas,' &c. Sic etiam Valer. Flaccus lib. II. 'noctem Doricam' vocavit illam qua Dores Troja potiti sunt: 'Manet immotis nox Dorica fatis.' Ita enim legendum; nec audiendus Politianus, qui Miscell. cap. 5. 'nox durica' substituere conatus est. Mira autem locutio est, *æstuare annum Pisæum*, ac si quis diceret, 'æstuare æstum,' quemadmodum Lucretius lib. VI. 'Necesse est Hos igitur Tellus omnes exæstuet æstus.' *Gevart.*

9 *Tectum scripsisse voluptas*] Labat sententia, nisi *scripsisse* pro 'scripsit' positum, uti alias a Papinio factum, ad Thebaidos notavi. 'Scripsit,' id est, fecit, 'condidit,' propria verbi notione; quod non solum ad stilum refertur, sed ad alia opera. *Bernart.*

Ipsa manu] Emendat Doctiss. Lindebrogius: *Visa manu tenera.* *Ipsa manu, &c.*] Hic nonnulli codices, *Visa manu.* Sed mollius intellexeris, 'videtur,' aut 'credi potest.' Vide Gronov. Obs. lib. I. c. 14. et 'tectum scribere' Statius idem intelligit, quod Maro: 'optare locum tecto, et concludere sulco.' Voluptas locum elegit et designavit; Venus inunxit fastigia Idaliis succis, *Permulsitque comis.* Ita enim scribendum, non *comas*, cum Ms. Florentino. *Diatr. Gron. c.* 10.

10 *Succis Idaliis*] Cypriis, ab Idalio nemore ei dicato, ut scribit Plinius. *Domitius.*

20 *Ipse Anien, &c.*] Rescribe: *Ipse Anien (miranda fides!) infraque superque Saxeus, hic tumidam rabiem, spumosaque ponit Murmura.* Anien seu Anio (utroque enim modo dicitur) fluvius Italiæ, in Trebianorum monte oriens, tres nobiles Lacus in Tiberim defert, et per Tiburtinum agrum decurrens, e sublimi in vallem subjectam præceps fertur, ut ruere potius quam defluere videatur, teste Strabone. Horatius: 'Et præceps Anio, et Ti-

burti lucus.' Hæc qui norit, non quæret cur tumidam rabiem et spumosa murmura illi Noster tribuat: at cur *Saxeus?* audi Suetonium Claudio cap. 22. 'Simulque rivum Anienis novo lapideo opere in urbem perduxit, divisitque in plurimos et ornatissimos lacus.' Adi Plinium lib. III. cap. 8. et 74. et Vadinum Scholiasten Pomponii. *Bernart.*

23 *Habentes carmina somnos*] Est permutatio vicinarum vocum. Dicere enim debebat: *amantia carmina somnos.* Inscite Joh. Gebhardus *habenter* maluit, desiderium suum illud rei demens, quo delectantur imprimis carminum conditores. Figuram loquendi multis modis illustramus ad Claudianum nostrum. *Barth.*

24 *Littus utrumque domi, &c.*] Nihil hisce versibus ingeniosius dici potest, et valde miror maximum Lipsium hic hæsisse, qui Elect. lib. II. cap. 14. ita corrigit: *Littus utrimque, domus: nec se mitissimus amnis Dividit, &c.* Sed ingrata opera: et Bernartius male ipsum sequutus est. Nam locus recte habet. Ait enim Statius utrumque Anienis littus sui ripam 'domi esse,' id est domesticam et non externam, nam in utroque littore domus erat, quæ fornice jungebatur. Itaque et hoc et illud littus domi erat non foris, et ideo supra dixit 'Geminæ commercia ripæ,' et: 'Inserto geminos Aniene penates.' Et paulo post ait bina illa prætoria non esse 'sibi externa,' sed domestica et vicina. Quod vero pro eo quod Statius dixerat: *nec te mitissimus amnis Dividit:* corrigat Lipsius: *nec se mitissimus amnis, &c.* illud plane contra mentem Poëtæ est, qui hoc vult: Nec te, o Vopisce, dum in una ripa versaris, impedit amnis intermedius, quo minus in alteram etiam ripam transire possis, nam utræque littoris domus fornice conjunguntur, et ita, velut unæ domus fiunt. Lipsius vero suam lectionem ita interpretatur: 'Amnis ipse se non dividit, sed ripam duplicem exornant prætoria bina:' quod plane est ἀνακόλουθον, ut cuivis patet. Totum autem locum iisdem pene verbis expressit Ausonius in Mosella: 'Villæ Quas medius dirimit sinuosis flexibus errans Amnis, et alternas comunt Prætoria ripas.' 'Alterna ripa,' id est utraque. Sic infra, 'Quid referam alternas gemino super aggere mensas?' *Gevart.*

27 *Sestiacos nunc fama, &c.*] Hos versus quoque expressit Ausonius in Mosella: 'Quis modo Sestiacum pelagus, Nepheleidos Helles Æquor, Abydeni freta quis miretur ephebi?' Statius sine dubio respexit ad Leandri fabulam, et ad puerum illum, qui Augusti tempore delphini tergo insidens ex Baiano sinu Puteolos commigrabat. Largiter errat Bernartius dum hanc Historiam refert. Ait namque puero illi fuisse nomen 'Simo' quod plane falsum; nam ipsi delphino hoc nomen erat. Puer enim cum delphinum vectorem suum ad littus advocaret, sæpius inclamabat: 'Simo, Simo;' et ilico prodibat delphin, qui adscensuro dorsum premebat, teste Plinio, lib. IX. cap. 8. Delphin vero, 'Simo' dictus est, quia 'Simum' rostrum habet, quemadmodum illi, qui nares pressas habent, 'Simi' dicuntur et 'Simones.' Vulgo *Camusos* solent appellata. *Gevart.*

31 *Sic Chalcida fluctus, &c.*] Toto cœlo hic erravit Bernartius, qui per illa verba: *sic Chalcida fluctus Expellunt fluvii,* existimat distantiam Europæ atque Asiæ intelligendam, cum Poëta distantiam Eubœæ a Bœotia designet. Geminas urbes, Chalciden, et Chalcedonem inepte confudit. 'Chalcedon,' ad quam ille hunc locum falso referendum putavit, oppidum est in faucibus Thracii Bosphori, qui Europam ab Asia disterminat, ex adverso Byzantii positum. Hinc Claudian. IV. Consul. Honorii: 'Bos-

phorus adversam patitur Chalcedona cerni.' 'Chalcis' vero, de qua hic Statius, urbs est Eubœæ, quam Euripus reciprocantibus fluctibus ab Aulide Bœotiæ portu divulsit. Quare Euripi *fluctus* merito hic adjective 'fluvios' appellat, id est qui septies de die ac nocte 'fluunt refluuntque,' teste Plinio. Hinc Cicero III. de Nat. Deor. 'Quid Chalcidico Euripo in motu identidem reciprocando putes fieri posse constantius?' Ait vero, *fluctus expellere Chalcida*, id est, divellere, et disjungere. Nam dum Chalcidem a continenti disjungit Euripus, necessario intermedium solum fluctuum vehementia expellitur, atque ejicitur. Hoc vero de Bosphoro nulla ratione dici potest; nam summa ille lenitate fluit sine ulla omnino reciprocatione. Id confirmat oculatus testis Augerius Busbequius V. Cl. in Epistola I. Itinerarii sui. *Gevart.*

35 *Postes Mauros*] Auctor est Polybius, in extremis Africæ dentes elephantorum postium usum præbere. Quod autem valvæ ex ebore apud Romanos ornarentur, Propertius indicat eo versu: 'Auro solis erant supra fastigia currus: Et valvæ Lybici nobile dentis opus.' Ego tamen intellexerim potius de citro arbore; nam, ut Strabo testatur, et Plinius copiosius scribit, in Mauris plurima arbor citri est, unde mensæ fiebant magnis impendiis et luxu: quod in commentariis Martialis pluribus versibus testati sumus. Vult Papinius videri, postes ex citro fuisse in villa Vopisci. *Domitius.* *An Mauros undique, &c.*] Ms. Medicæus, cujus et Wouwerius in quadam ad Scaligerum epistola meminit, pro *vena* habet *luna*. Quod mihi spernere religio. Conjungit enim postes ex Numidico et Lunensi marmore, de quo Strabo. *Gron. in Diatr.*

36 *An picturata lucentia, &c.*] Offendit me continua illa repetitio sonoræ vocalis, et propterea sic corrigo: *An picturatæ lucentia marmora venæ Mirer?* Hoc est, an præcipue mirabor marmora illa, quæ picturatas venas, id est, ductus colorum variegatos habent? Marmora duum generum, Venæ in quibusdam artificiales. De his agit Statius, et meminit Seneca lib. XIII. Epist. 1. 'Pauper sibi videtur, nisi Alexandrina marmora Numidicis crustis distincta sint, nisi illis undique operosa et in picturæ modum variata circumitio prætexatur.' Nihil æque facit ad mentem Statii. *Boxhorn. Epist. quadam ad Joh. Fred. Gronovium.* *Per cuncta cubilia lymphas*] Lectio hæc a Joan. Brittanico est, cum antea legeretur: *cubilia Nymphas:* non male etiam, nam et veteres Græci aquam *nympham* appellabant, quam Latini mutata littera *Lympham* vocarunt. Cæterum errat ille, meo judicio, in explicatione hujus versus. Ait enim hic a Poëta describi aquas calidas, quæ per parietes cubiculorum mittebantur ad calefacienda cubilia. Sed omnino contrarium est; nam Poëta villam hanc a frigore et æstus temperie laudat, ad quam ad vitandum calorem secedebant. Unde supra dixit: 'Talis hyems tectis, frangunt sic improba solem Frigora,' &c. Itaque potius aqua frigida intelligenda est, quam tubis inclusam ad æstivum calorem minuendum per singulos cubiculorum suorum parietes deducebant. Seneca Epist. 110. et de Tranquill. Vitæ, c. 1. *Gevartius.* Conf. quæ Casaubonus notat ad Suet. in Augusto c. 82. et quæ Joh. Brodæus Miscell. lib. v. c. 6.

39 *Lucorum senium*] Laus sylvæ et nemoris est a vetustate Tiburi. Certe tres erant quercus, ut scribit Plinius, longe antiquiores ipso oppido. Nam apud eas Tiburnus conditor dicitur inauguratus. *Domitius.*

42 *Nigros imitantia, &c.*] Suspicor scripsisse Statium: *et nigros invitant*

murmura somnos. Ut prima Thebaide: 'Invitat teneros ad dura cubilia somnos.' *Gronov.*

43 *An quæ graminea, &c.*] Ausonius mutuatus est in Mosella: 'Quid quæ sulphurea suscepta crepidine fumant Balnea?' Notandus vero hic mos circa illa tempora primum repertus, ut Balnea in editiori loco suspenderentur, cum ante in æquo solo construebantur. Hinc Seneca Epist. 90. 'Quædam demum nostra prodiisse memoria scimus, ut *Suspensuras Balneorum*, et impressos parietibus tubos, per quos circumfunderetur calor,' &c. *Gevart.*

46 *Ridet anhelantes, &c.*] Albulam, seu, ut alii, plurative Albulas, intelligit flumen ad Anienem, lib. VIII. Ceterum apte ad hujus loci lucem Pausanias Messenicis: 'Ad urbem,' inquit, 'trans Anienem latices occurrunt albi, quos ubi primum quis ingreditur, horrescit: deinde plusculum ibi moratus, ita æstuat ac si quid igneæ calfactoriæque potionis hauserit.' *Bernart.*

48 *Viva modis*] Scil. 'spirantia molliter æra,' et 'vivi ducti de marmore vultus.' Sicque vivis fere proxima. Vide Franc. Jun. de Pictura lib. II. cap. 10. et Barth. ad Claudian. Bello Getico, vs. 612.

50 *Vel in ære Myronis Lusit*] Myron sculptor celebris fuit in ære Æginetico, Eleutheris natus, Ægeladis discipulus, cujus plurima opera recenset Plinius lib. XXXIV. cap. 8. meminere Cicero in Verrem act. VI. Pausanias Atticis, Ovidius de Ponto, Propertius, Martialis, aliique. *Bernart.*

53 *Nec opinus*] In aliis codicibus extat *opimus*, nos legimus *opinus*: ut dicat, imprudens incedebam per luxuriosa pavimenta, quod tandem adverti admonitus splendore reciproco. *Domit.*

54 *Testæ*] Id est, testulæ, quibus erat contectum pavimentum, referebant fulgorem. Aër enim pro fulgore ex Barthio liquet.

56 *Asarota figuris*] Valde hic scriptura variat. Alii enim legunt, *superantque*, id est, extant et eminent. Sic locutus est Poëta Theb. IV. 'Quanquam infossus humo, superat tamen agger in auras.' Tanquam in hoc pavimento testulæ quædam altius eductæ fuerint, unde difficulter verri potuit, ideoque dictum esse ἀσάρωτον. Hoc autem falsum esse infra probabimus. Alii sic legunt: *superantque novas asarota figuras.* Sed vulgata lectio melius se tuetur, ut dicat Poëta *suberant*, id est, substrata erant pedibus meis, asarota novis figuris ornata. Porro de asarotis pugna Lapitharum nata inter Grammaticos, et in primis inter Domitium et Perottum ad Martialem. Domitius enim hoc Statii loco, et in Martialem, ait ἀσάρωτα dicta ab α intensiva particula, et σαίρω, id est, *verro*, quia, inquit, asarota diligentissime verrebantur. Perottus vero e contra deducit ab α privativa et σαίρω, quia verri non debebant. Cæterum, 'Non nostrum hos inter tantas componere lites.' Illud obiter dixisse sufficiat, *asarota* fuisse pavimenta, in quibus variis coloribus cœnarum reliquiæ depictæ erant, ita ut facile quis falli potuisset, existimans veras esse reliquias, et totum pavimentum non fuisse versum, cum tamen revera diligentissime purgatum erat. Sic Zeuxidis uvæ pictæ aves decipiebant, et Parrhasii linteum ipsum Zeuxin. Itaque pavimentum hoc quoad apparentiam tantum ἀσάρωτον, et fictitiis cœnarum reliquiis conspersum erat, ne scilicet, dum veræ reliquiæ, et sordes in illud e mensa decidebant, tam facile animadverterentur. Vide Plinium lib. XXXVI. c. 25. et Sidon. Apoll. Carm. XXIII. de Narbone. *Gevart.*

57 *Gradus*] Pedes mei expavere, cum calcarent tam pretiosum pavimentum. *Domitius.*

58 *Tecta trichoris*] 'Trichorum' quod ædificii genus fuerit, quærunt

Grammatici. Domitius hoc loco existimat esse ædificia tribus pinnis surgentia. At Cælius Rhodigin. lib. XVIII. lib. 2. 'Trichorum' deducit a distributione triplici, χωρίζειν enim *disparare* et *distinguere* significat. Alii rectius ἀπὸ τριῶν χωρῶν, *a tribus cameris* terno ordine distinctis. Papias in Glossario: 'Trichora, tres cameræ, sive apsides.' Occurrit etiam hæc vox apud Spartianum in Pescennino, ubi sic legitur: 'Domus ejus hodie visitur in campo Jovis quæ appellatur Pescenniana, in qua simulacrum ejus in trichoro constituit.' Vide ibi Doctiss. Casaubonum. *Gevartius.*

59 *Quid te*] Arborem laudat quæ per postes et tecta surgebat in aërem: adeo ut nullus dominus villæ esse potuerit, qui noluisset succidi cum esset impedimento. Sed tanta erat Vopisci benignitas, ut non modo vellet eam cædi, sed etiam pateretur revirere: vel ope nymphæ fluvii qui allabebatur: vel numine Hamadryadis, quæ nympha est arborea. *Domit.*

61 *Quo non sub, &c.*] Recte, *Quo modo* animetur interrogatione. Quis non, inquit, Dominus, ceu obstantem luculentitati, ut Cæcilius loquitur, prætorii, te juberet excidi? Dat intelligendum Vopisci eam pietatem, ut arborem servet. Quæ sequuntur, vehementer mihi displicent. Illud *ignaro* et compositione verborum disjectum et sensu hebes est. Præterea quid opus ominari exitium arboris? Non satisfacio mihi. Conjiciebam: *At nunc intactæ forsan vel lubrica Nais Vel non abruptos tibi comet, &c.* Sive Nais aliqua sive Hamadryas, tecum commune fatum sortita, vegetabit et ornabit etiam senium tuum, canescas seclis immortalibus. *Gronovius in Observat. lib.* I. *cap.* 5.

67 *Martia*] Ex novem aquæ ductibus, quarum hæc nomina sunt: Appia, Anio vetus, Martia, Tepula, Julia, Virgo, Augusta, Claudia, Anio novus, ut, Frontinus auctor est. Martia quondam Aufea dicebatur, quod scribit Plinius. *Domit.* *Martia*] Sensus: Quid dicam de te o Martia, quæ subterraneo meatu, demersaque sub Anienis, seu Fucini lacus altum gurgitem, transcurris flumina *plumbo* (id est tubis et canalibus quibus duceris) *audaci*, quod tantos aquarum vortices sustinet? Enimvero, ut Plinius auctor, Martia in ultimis Pelignorum montibus oriens, transit Marsos et Fucinum lacum: mox specu mersa, in Tiburtino agro se aperit, et novem millibus passuum fornicibus structis, perducta est in urbem ope Anci Marcii, Q. Marcii, et Marci Agrippæ. Consule et Frontinum de Aquæductibus. *Bernartius.*

70 *Anienus fonte*] Contendit vir doctus legendum *Anieni fonte:* alius reponit *Anien et fonte.* Quid nugamur? veteres ipsos fluvios inter Deos referre, et sicuti a Tibere Tiberinus, ita ab Aniene, Anienus, formare notum est. Adi Varronem de Lingua Latina, lib. IV. *Bernart.*

71 *Nocte sub arcana, &c.*] Quid aliud Hom. νύκτα δι' ὀρφναίην· et de lucifugis Diis istis jam diximus, qui non credunt Poëtæ suo, ἀγαθὸν καὶ νυκτὶ πιθέσθαι. Ac Tiberinum quoque Divum 'Tenuis glauco velabat amictu Carbasus, et crines umbrosa tegebat arundo.' *Morell.*

76 *Hæc domus Ægeriæ, &c.*] Est vir doctus qui locum hunc affectum et ὕπουλον existimat, legitque: *Ægeriæ nemore almam abjungere Phœben.* Frustra. Quis est qui Dianam, quæ in Aricino nemore colebatur, proprio epitheto 'Nemoralem' et 'Nemorensem' dictam ignoret? Ovid. Art. I. 'Ecce sub urbanæ templum nemorale Dianæ.' Sueton. Calig. cap. 35. 'Nemorensem regem' vocat, qui Dianæ Aricinæ sacrificiis præerat. *Gevart.*

78 *Taygeta*] Mons est Laconiæ, qui imminet Spartæ et Amyclis, ex parte

terræ motu dirutus. Cum Sparta etiam corruit, eum terræ motum prædixit Anaximander. Illic erant sylvæ densissimæ Laconum venationibus. Sæpe lustra. Dryades, inquit, omnes quæ in sylvis sunt Taygeti mallent habitare villam Manlii et nemus. *Domit.*

79 *Quod ni templa darent*] Nonnulli has *sortes* ad Sibyllam, quæ Tibure colebatur, referunt. Ego verius existimem ipsi Herculi, qui Tiburi præerat, sortes fuisse institutas. Veteres enim rusticis Diis (qualis erat hic Hercules Tiburtinus, alio nomine 'Saxanus' dictus) sortes et oracula constituebant, ut undique ad illos concursus fieret. Sic ab Aponi fontis simulachro oracula petebant. Unde apud Trebellium Pollionem, vita Claudii, 'Sortes Aponinæ.' Sic apud Plinium Juniorem Clitumnus fons sortes habet. Ejus verba sunt lib. VIII. Ep. 8. Multa de hoc Statii loco Steph. Pighius in Hercule Prodicio, ubi Tibur describit. *Gevart.*

81 *Quid bifera Alcinoi, &c.*] Alcinous Nausithoi filius, rex Phæacum, cujus horti amœnissimi, et signate pomaria feracissima, adeo ut fructibus maturis alii succederent. Noster hic: 'Qui nunquam vacui prodistis in æthera rami.' Homerus Odyssea libro VII. Virgilius Georg. II. Ovidius Metam. XII. videntor. Oculos huc habuit Tertullianus de Pallio dum ait: 'Consitum et amœnum super Alcinoi pometum et Midæ rosetum.' *Bernart.*

83 *Jugera Telegoni*] Tusculum intelligit, nam Telegonus Ulyxis et Circes filius ea mœnia condidit, ut scribunt Pompeius et Porphyrio. Propertius: 'Ææi mœnia Telegoni.' Agrum vero Tusculanum fuisse amœnissimum, cum alia multa, tum Strabonis confirmat auctoritas. *Domit.*

84 *Littusque cruenti Antiphatæ*] Formianum agrum intelligit, sedem olim Læstrygonum. Plin. lib. III. cap. 5. 'Opidum Formiæ antiqua Læstrygonum sedes.' Horum rex fuit Antiphates humana carne victitans. Ovidius Met. IV. et Strab. lib. V. *Bernart.* *Cedant vitreæ juga perfida Circes*] 'Circen vitream' vocat, ut et Horat. I. Od. 17. 'Dices laborantes in uno Penelopen, vitreamque Circen.' 'Vitream' inquam, vocavit, quia juxta mare habitat, cujus color, ut omnium aquarum, vitreus est. Hinc paulo ante dixit Noster: 'Vitreasque natatu Plaudit aquas.' Auctor vero est Lactantius Circen post obitum suum, Maricam littoris Minturnensium Deam effectam esse. Ejus verba sunt: 'Nam et Romulus post mortem Quirinus dictus est, Leda Nemesis, et Circe Marica.' *Gevart.*

89 *Avia nimb. revoc. litora Bruma*] Straboni astipulatur, apud quem lib. V. Ἄντιον ἀλίμενος καὶ αὐτὴ πόλις. Lucretius lib. IV. 'Avia loca ... nullius ante Trita solo.' Avia lit. ἀλίμενα. At Livius initio lib. III. Antium propinquam, opportunam, εὐλίμενον et maritimam urbem nominat. Conciliate hæc Geographi. *Morell.*

94 *Senior Gargetius*] Epicurum intelligit, qui licet ipse Atheniensis esset, patrem tamen Nioclem habuit ex pago Gargetio, ut auctor est Laërtius. *Bern.*

96 *Oleniis dignum petiisse sub astris*] Capram Jovis nutricem, et Hœdos indigitat; de quibus autor vet. Sphæræ Jamb. jampridem a nobis διγλώττως editæ, Λαιῷ ἐν ὤμῳ Ζηνὸς αἲξ ἔστι τροφὸς, Ἐριφὸς δὲ ταύτης νερθεν εἴληχεν τόπον. Propert. hœdum ἑνικῶς, 'Purus et Orion, purus et Hœdus erit.' τὸ dignum, δίκαιον, δεινόν. *Morellus.*

97 *Maleæ*] Id est, periculis naufragiorum quæ fiunt ad Maleam Laconiæ promontorium: quod exit in mare quinque milibus passuum, tam certo discrimine, ut proverbium fuerit: 'Cum Maleam transieris, ne respicito,' ut scribit Strabo. *Domit.*

98 *Sit via*] Mens: Digna est Man-

lii villa propter amœnitatem, ad quam spurcissimis etiam tempestatibus naviges, etiamsi Maleam, Scyllam et Charybdim præternavigandum: et hanc negligitis vicinam? *Bernart.*

103 *Liventem Satyram nigra rubigine turbes*] Mirum est, tot correctores hactenus non subolfecisse manifestum mendum. Quid est *turbare Satyram?* Certo certius legendum mutata litterula: *nigra rubigine turpes.* Verbum *turpare* amat Statius. Sic Theb. IV. de Acheloo: 'Herculea turpatus gymnade vultus Amnis.' Idem verbum restituendum est Theb. X. ubi sic Dryas: 'Summumne hoc cladibus, inquit, Deerat, ut afflictos turbarem ego proditor Argos?' Ibi enim 'turparem' legendum esse omnes Mss. constanter tenent. Et hoc verbum optime convenit cum *nigra rubigine,* seu mordacitate, qua Satyram tinctam esse oportet. Nescio quid nugetur Domitius, dum ait ideo hic 'liventem Satyram' dici, 'quia is qui natus est ut Satyrus livorem contrahit vultu.' Nihil de 'vultus livore' hic Statius. *Liventem* dixit, id est, mordacem et asperam. Sic Martialis libro X. Epigr. 33. *Gevart.* *Nigra rubigine turbes*] Ultima illa admodum turbata .... *turpes* emendat. Sed quæso, quid est Satyram vel turbare vel turpare? somnia sunt et nugæ meræ. Nullus subito quin sic scripserit Auctor: *nigræ rubigine turbæ.* Tollas ἀπὸ τοῦ κοινοῦ repetendum, et subintelligendum est, per 'rubiginem' scelera et malas artes, per 'nigram turbam' homines pravi ingenii elegantissime Poëta designavit. Notum illud: 'Hic niger est; hunc tu Romane caveto.' *Boxhorn. Epist. ad Joh. Fred. Gronov.*

104 *Seu tua non alta splendescat epistola cura*] Inepte in omnibus vulg. legitur, *non alia.* Nam eleganter dixit *non alta cura,* quod Epistolæ familiari et minime affectato stylo scribi debeant, ut præcipit Demetrius Phalereus, Dionys. Halicarnassens, et Quintilianus. Hinc Cicero in Epist. ad Pætum: 'Quid tibi ego in Epistolis esse videor? nonne plebeio sermone agitur tecum, quæ præcipua virtus est?' *Gevart.*

CARM. IV. *Soteria*] Veteres olim cum duces cum exercitu e gravi et periculosa expeditione salvi domum revertebantur, publice sacrificia instituebant, quæ Σωτήρια appellabant. Deinde vero, etiam privatim, cum amicorum aliquis aut pater, aut uxor, aut filius e gravi morbo convaluerant, vota et sacrificia Diis solvebant, quæ eodem nomine etiam *Soteria* vocabantur. Vide Martialis lib. XII. Epigr. 45. Egregie vero ludunt Interpretes in hoc Papinii et Martialis loco, dum *Soteria,* munera esse aiunt, quæ dabantur amicis a morbo convalescentibus, quemadmodum die Natali etiam varia munera missitabantur. Nam, ut dixi, nihil aliud sunt *Soteria,* quam Vota et Sacrificia, quæ ob Principum et amicorum salutem Diis instituebant. Quod satis ipse Statius innuit, in fine Soteriorum, ubi de Sacrificiis, pro impetrata Gallici salute solvendis: 'Qua nunc tibi, pauper acerra,' &c. Et ideo etiam statim initio hujus Carminis a Deorum laude incipit. *Gevart.*

1 *Estis*] Alii ambigunt an Dii sint, quorum providentia mundus regatur. Alii putant Deos quidem esse, sed eos nullis precibus moveri, quo minus fata in exitum perducantur. Ego, inquit Papinius, ex hoc didici, et Deos esse qui audiant preces mortalium, et eos aliquando flecti. Nam Gallicus videbatur moriturus: sed populi votis servatus est diis exaudientibus. *Domitius.* Nam stulta gentilitas ex humanis successibus opinionem divinitatis conjiciebat, aut dimittebat. *Cruceus.*

3 *Cadit*] Omnino emaculandum, *redit.* Jove nim. post Saturnum reg-

nare orso, irata malo seculo, abiit terris Astræa. Jam redit ad nos, reconciliata Jovi. Multi Poëtæ sic de redeunte Astræa loquuntur. Vide Calpurn. Claudian. de Cons. Manlii Theodori. Virgilius: 'Jam redit et virgo, redeunt Saturnia regna.' *Barth.*

5 *Erubuit tanto, &c.*] Verita, inquit, est Fortuna, quæ animum et vultum Domitiani probat, ne erepto tanto viro præf. urbi, sinistra fuisse videretur Imperio quod tam alte evexerat; ut in testamento Augusti scriptum erat, autore Sueton. in Tiber. cap. 13. 'Quoniam sinistra Fortuna C. et Luc. filios mihi eripuit, Tiber. Cæsar mihi ex parte dimidia et sextante heres esto.' *Morell.*

6 *Stat proxima cervix*] De præfectura prætorii hæc verba accipienda videntur, quæ secundum in imperio locum obtinuit l. unica. C. de sent. præf. præt. et l. II. §. hunc magistratum. ff. de orig. ju. *Cruceus.*

11 *Legesque confugiunt*] Fora turbida, legesque, &c. confugiunt in sinum tuum. Nam qui in foro inique damnatus esset, ad Rutilium provocabat. *Domitius.*

13 *Collis*] Interpretes hic per *collem*, Parnassum intelligunt, et Poëtas. Quin potius aliquis ex urbis collibus, aut Æsquilinus, Palatinus, aut Capitolinus, aut alius quispiam intelligendus est, in quo Rutilius et Poëta noster habitabant. Hoc confirmat simillimus locus IV. Sylv. 17. Consulat. Imper. ubi collem Evandrium jubet exultare. *Gevart.*

17 *Nec tantum, &c.*] Vir doctus in nuperis suis commentariis, asserit addita litterula pro *fatis* legendum *fastis*: 'Nec tantum induerint Fastis nova sæcula crimen,' &c. Sed nihil hic mutandum, locus omnino sanus est. Nam, ut supra diximus, solebat impia illa priscorum natio, si quid adversi sibi aut ex amicorum morte, aut aliunde accideret, subito in Deos, et Fata verbis sævire. Omnia namque infortunia sua fatorum ac Deorum crimine et invidia sibi accidere existimabant. Hinc solemniter vox illa jactabatur 'Fatorum crimen,' 'Deorum crimen,' &c. Martial. x. Epig. 61. Epitaph. puellæ sexennis: 'Hic festinata requiescit Erotion umbra, Crimine quam fati sexta peregit hyems.' Ex hoc et aliis clarus est Statii locus præsens, cujus hic sensus est. Dii prohibeant ne *nova sæcula*, id est, anni quibus ludi sæculares jam recenter celebrati sunt, *Fatis crimen induant*, id est Fata accusent, quod tantum virum nobis eripuerint. Eleganter autem dixit, 'crimen alicui induere,' pro insimulare, et crimen affingere. Ita Quintil. lib. IV. cap. I. 'Fictam orationem personis induere,' dixit. Lucret. lib. IV. 'At nos in fraudem induimus.' *Gevart.*

18 *Aut instaurati, &c.*] Illud superiora confirmat. Nam Ludi Tarentini seu sæculares ideo erant instituti, ut Deos infernales Plutonem, Proserpinam, et Parcas placarent, atque exorarent, ne pestilentia urbem invaderet, utque ab omni morbo viri urbis primarii servarentur, teste Valerio. Itaque cum Domitianus recenter ludos Tarentinos celebraverat, peccassent sane Dii, si Rutilium hunc statim initio novi sæculi abripuissent. Et tum merito potuissent Romani Fata et Deos infernales accusare, quod pro institutis nuper sacrificiis fuissent ingrati. *Idem.*

23 *Docto nec enim sine carmine*] Ven. et Salis. *numine*, quod et Bernartius annotat: nec opus cum Behottio *nactus*. Ipsum enim decora dedisse togæ ait, ut Trogus de Epaminonda, ita honores gessisse, 'ut ornamentum non accipere, sed dare ipsi dignitati videretur.' *Gronov.*

24 *Centumque dedisti*] Cassiod. loco laudato: 'Supra omnes Consulares sententiam primus dicis. In libertatis aula commissos habes Mundi primarios.' Cæterum ut judicium ab

Aristot. θεόσδοτον prædicatur: ita mens Hom. Ἄλλῳ δ' ἐν στήθεσσι τίθει νόον εὐρύοπα Ζεὺς Ἐσθλόν. *Morell.*

25 *Enthea Pimplæa*] Musa divina. *Vatis*] Rutilii. *Pimplæa*] Aliis Musa a fonte vel monte. Vide notata doctissimo Brodæo ad Oppiani Cynegetic. lib. II. p. 63.

27 *Pirene*] Et plane auxilium meæ scriptioni abnegat Pirene. Hæc est sententia hujus loci, quam rectissime contra inscitum correctorem defendit et explicat Gevartius noster lib. III. Electorum p. 122. *Pirene*] Fons, sedes Musarum. De ea memoranda sunt, quæ Casaubonus notat ad Prologum Persianum. *Barth.*

28 *Seu plana solutis, &c.*] De hoc exercitio soluto pedibusque adstricto sermone scribendi, et ratione studiorum, Plinius agit, lib. VII. Ep. ad Tuscul. *Morell.*

31 *Quare age*] Etsi, inquit, abundas carminibus cum sis Poëta: non tamen debes nostros versus aspernari, cum numina etiam dona sua in sacris accipiant. Nam et frugibus Cereri et vino Baccho sacrificamus, damusque spolia hostium Marti, et feras occisas Dianæ. *Tholo*] Tholus ut Varro ait, significat templi testudinem. Tholus item erat ædicula rotunda Athenis; in qua erat cœnatio magistratuum, ut Græci scribunt. Hic de tholo templi et Virg. 'Si qua ipsa meis venatibus hausi Suspendive tholo.' *Domitius.*

40 *Ignaræ plebis*] Dicit, non tantum oculos patrum et equitum vidi lacrymis madentes, sed et ipsam plebem, quæ non solet obitu majorum aut potentum moveri, vidi lugentem. *Ignara* forte ex invidia plebi insita, ut notat Cruceus, in optimates, de qua Sallust. de Rep. Ordin.

41 *Sic curia felix, &c.*] Quomodo 'felicem Curiam' vocat moriente Numa? Non potest hoc ferri nisi sic explicemus, felicem fuisse curiam donec Numa laberetur, hoc est, usque ad ejus obitum. Sed perplacet mihi acuta Clariss. Heinsii nostri conjectura: *Non labente Numa timuit sic curia, vel sic Pompeio: nec celsus eques, nec fœmina Bruto.* Non temere autem 'celsum equitem' dixit, quia solenni olim titulo equestris ordo 'celsus' dicebatur. Festus; 'Celsus ex Græco κέλης, *eques*, dictus.' Horat. de equitibus Rhamnens. 'Celsi prætereunt austera poëmata Rhamnes.' *Gevart.*

42 *Nec fœmina*] Nam Brutum fœminæ anno fleverunt, ut est apud Livium, quod maximus pudicitiæ vindex extitisset. *Domitius.*

43 *Tristes, &c.*] De placabilitate et Clementia Cic. III. Off. 15. Ep. Fam. pro Rab. Liv. lib. I. 'In aliis gloriari licet, nullis gentium quam Rom. mitiores placuisse pœnas.' Sen. I. et II. de Clem. Plin. II. Ep. 'Non quantum admisit reus, tantum vindicandum.' Claudiani istud insigne est: 'Qui fruitur pœna ferus est, legumque videtur Vindictam sumpsisse sibi.' *Morell.*

47 *Reddere jura foro, nec proturbare curules*] Observet Juventus solennia fori verba: 'Jus reddere.' Manil. lib. II. 'Reddere jura foro, componere legibus orbem.' Paulus in l. 'jus pluribus.' D. de Instit. et Jure: 'Reddere jus Prætor quoque dicitur, etiam quum inique decernit, relatione scilicet facta, non ad id quod ita Prætor fecit, sed ad illud quod Prætorem facere convenit.' Ovid. Fast. I. 'Nullus erat justis reddere jura labor.' Eadem formula utitur Livius lib. III. et Cicero II. de Legib. Illud pulchrum quod addit: *Et ferrum mulcere toga.* Sic V. Sylv. Abascant. Pietat. 'ferrique togæque Consilia.' Claudian. VI. Cons. Honorii, togæ paludamentum opposuit: 'Ducibus circunstipata togatis Jure paludatæ jam curia militat aulæ.' *Gevart.*

53 *Quippe ea bissenis, &c.*] In Solonis Epigr. de ætatum hebdomadibus,

Senectus nona hebdomade incipit post 63. ann. Τῇ δ' ἐνάτῃ ἔτι μὲν δύναται, μαλακωτέρα δ' αὐτοῦ Πρὸς μεγάλην ἀρετὴν γλῶσσά τε καὶ σοφίη. Catoni Ciceroniano Senectutis nullus certus est terminus, recteque in ea vivitur, quoad munus officii exequi et tueri possis. Leges tamen majorem annis LX. otio reddunt. Plin. Epist. lib. IV. *Morell.*

61 *Progressusque moras*] Locus implexus et turbatus. Quidam legunt *Progressusque morans;* id est tardans progressus suos ad medendum, vel paululum subsistens. Nam ante dixit Apollinem fuisse 'securum' seu negligentem super morbo Rutilii. Alii e contra malunt: *Prægressusque moras:* quod vulgo dicimus, 'sine mora.' quod non placet. Pro, *Hinc alti gaudens*, lege *Huc altis gaudens*, quemadmodum video etiam olim voluisse Joan. Britannicum. *altis gaudere*, est ὑψηλὰ φρονεῖν. Quasi dicat Apollo: Accede mecum mi fili Æsculapi, qui rebus tantum magnis nec nisi viris primariis gaudes, quique gravibus tantum morbis opitularis. Illa verba: *datur aggredienda facultas*, Parenthesi includenda sunt: et sensus est: Offertur res aggredienda et digna conatibus tuis, quum sit Rutilius vir summæ auctoritatis. Totum locum sic concipe: *Tunc Deus Alpini qui juxta culmina dorsi Signat Apollineos sancto cognomine lucos, Respicit (heu tanti pridem securus alumni!) Progressusque morans: Huc mecum Epidauria proles, Huc altis gaudens, (datur aggredienda facultas) Ingentem recreare virum tentemus adorti.* Gevartius.

64 *Nec fulminis atri Sit metus*] Ad fabulam qua Æsculapius, cum arte medica Hippolytum, sive, ut alii, Glaucum Minois filium, revocasset ad vitam, fulmine a Jove percussus fingitur. Tertull. Apolog. 'Est et ille de Lyricis (Pindarum dico) qui Æsculapium canit avaritiæ merito, qua medicinam nocenter exercebat, fulmine vindicatum; malus Jupiter si fulmen illius est, impius in nepotem, invidus in artificem.' Vide Arnobium Advers. Gentes l. VII. *Bernart.*

67 *Servo animam*] Medici prædicatio est, ἐπάγγελμα καὶ αὔχημα, nam in illa Abderit. Ep. ad Hippocr. αὐτὸς σωτὴρ, ut salutis auctor, nominatur Hippocrates, παντοδαπᾶν ἀλεατὴρ νούσων, quod Æsculapio dat Pindarus. *Morell.*

68 *Genus ipse suis*] Ipse ait, genus suum et familiam illustravit. *Domitius.* *Sed luce seq. &c.*] Origo et majores ejus non obscuri sunt, tales tamen ut ab uno hoc nepote ipsorum omnes superentur. *Barth.*

73 *Occiduas primasque domus*] Compar plane sententia Theb. I. 'Primæque occiduæque domus.' Ceterum ut plene capias Poëtæ mentem, operæ est te scire, veteres orbis partes diversimode constituisse. Varro de Lingua Latina lib. VI. 'Quocirca cælum quo tuimur dictum templum. Ejus templi partes quattuor: sinistra ab oriente, dextra ab occasu: antica ad meridiem, postica ad Septentrionem.' In hanc sententiam discessit et Plinius. Ex disciplina Thuscorum haud dubie, quam et Alcinous libro de Platonis doctrina probat. At Galenus: 'Pythagoras, et Plato, et Aristoteles mundi dextras ad ortum partes esse dixerunt, a quibus sit principium motus: sinistras vero occiduas. Empedocles vero dextras quidem in æstivum tropicum, sinistras in hibernum rejecit.' Livius l. I. ex Augurum disciplina, dextras partes ad meridiem, sinistras ad Septentrionem statuit. Cleomedes vero, apud Plutarchum libro de Iside, dextras ad Septentrionem, ad meridiem sinistras collocat. Sciunt Cosmographi maximam partem Arabiæ Felicis collocari inter æquinoctialem circulum, et tropicum Cancri. In quibus utique regionibus, solis in Cancro umbra, plane in meridiem nascitur, id

est Cleomedis doctrina, in sinistram mundi partem. Noster Papinius ex sententia Pythagoræ, Platonis, et Aristotelis dextram cœli partem in Oriente constituit. *Bernart.*

74 *Jurata manus*] Dextra Rutilii sacrata. *Domitius. Juratæ*] Non inepte quidam hic legunt *durata*. *Cruceus.*

76 *Galatea*] Pro mari accipitur ubi bellum gessit Rutilius: et nisi syllaba oppugnaret, tuti essemus legentes *Galatia:* ea est provincia juxta Bithyniam, in quam Galli olim venerunt, ut scribit Strabo. Eadem appellata Gallogræcia. Galatia item Hispaniæ. *Domit. Galatia vigens*] Non placet mihi τὸ *vigens*. neque omnino displicet τὸ *ingens*, in vet. edit. Paris. Sed perplaceret τὸ *rigens*, quia Ponto vicina 'Scythicisque trionibus alget.' Strab. lib. II. et XII. Solino cap. 45. *Morell. Vigens*] Cur non *vigens?* id est, potens, bellicosa; Sane hoc etiam laudem Gallici auget, et traduntur multa a scriptoribus huic lectioni firmandæ. *Barth.*

78 *Pannoniusque*] Vide L. Cælium Rhodiginum Antiquarum Lect. lib. XVIII. cap. 21. *Arcus fugax* forte quod sagittæ in fuga retro emittantur. Vide Theod. Sitzman. ad Boëth. lib. v. c. 1.

79 *Araxes*] Hunc fluvium ita appellavit Armenus Jasonis socius ex Penei Thessali similitudine, qui Arexes quoque dicitur, quoniam ille abrupit Ossam Olympo, et Tempe, e montibus in planitiem lapsus. Olim non habuit exitum: sed Jason imitatus Tempe, Thessaliæ, viam munivit per quam in mare Caspium defertur. Herodotus ex Mauritiana eum prófluere putavit, et scindi in quadraginta amnes, dividereque Scythas et Bactrianos. Hunc Callisthenes est secutus. Pontem instauravit Cæsar Augustus. *Domit.*

82 *Revocant fasti*] Urbs eum repetit et vult consulem. *Idem.*

86 *Gaudet Trasimenus*] Notat victoriam Annibalis de Flaminio Consule. Florus lib. II. *Bernart.*

88 *Lacera umbra*] Umbræ tribuit lacerationem Regulo illatam a Carthaginensibus. Vide quæ ad Silii Italici librum VI. accurate notavit Cl. Dansqueius.

90 *Captivæque preces Veledæ*] Hæc dictio in omnibus codicibus est inversa; ita enim scribebatur: *Captivæque preces Velideæ.* Sed nos ita emendavimus auctoritate Cornelii Tac. ut legas, *preces Velidæ captivæ.* Nam, ut ille scribit, Veleda et Aurina fuerunt loco numinum habitæ apud plerosque Germanos. Sensus igitur erit: Non possum tibi nunc exponere quemadmodum et Germanos et eorum numen Veledam cepit. Habuit Germana captiva, ut dicimus, 'captiva numina Trojæ.' *Domitius.*

92 *Cum tanti, lectus, rectoris habenas Gallice, fortuna non admirante subisti*] Non est, quod lectionem hanc rejiciat Bernartius: *rectoris*, non est referendum ad τὸ *lectus*, sed ad subsequens verbum *subisti.* et sensus est: Cum tu Gallice *lectus*, id est electus, *subiisti habenas tanti rectoris*, id est Domitiani. *Gevart.*

97 *Carmina patritio pueri sonuistis in ostro*]. Iterum ad ludos seculares Domitiani: queis pueros prætextatos et puellas virgines carmen solenne canere consuevisse, notius est quam ut admoneri debeat. *Bernart.*

99 *Herba, tholo*] Non bene doctissimus Lips. *herba et olus*, Elect. l. II. c. 14. Quid enim *olus* ad talia? Assentitur Bernartius, sed tanta ejus apud nos auctoritas non est, ut *olera* cum eo pro sanificis herbis legamus. Dubium non est *tholo* scripsisse Papinium, et intellexisse tale ædificium, quale Æsculapii delubro adjectum scribit Pausanias Corinthiacis ubi pernoctarunt ab eo quid petituri. Ut in Chironis antro, ita in tholo Æsculapii reconditum thesaurum salutiferarum

herbarum dicit, quia nempe hunc creditur habitare Æsculapius, non secus ac Chiron suum antrum. *Barth.*

102 *Dictamni flor. opem*] Quis autor ἀξιόλογος Dictamni 'Uberibus caulem foliis, et flore comantem Purpureo,' non celebrat, ejusque florem, non cervis tantum, sed et capris feris notum? De qua scite Pisidas noster in Cosmurgia: Ποίους ὁρισμοὺς ἐκμαθὼν Ἱπποκράτους, Τετρωμένος Δίκταμνον ἐμφαγὼν τράγος, Τὸν ἰὸν εὐθὺς τῶν βελῶν ἀποπτύει; *Decreta quænam didicit a Coo sene, Ut saucius caper ferus Dictamnum edat, Et sic sagittarum venenum respuat?* Lipsius. *Quoque anguis abundat Spumatu*] Ad fabulam quo Æsculapius anguem habuisse fingitur, qui lingendo ægros sanabat. *Bernart.*

104 *Virus*] Omnes herbas virentes; nam virus virorum significat: unde res virulentæ apud Celsum. *Virus* idem Latine dicitur quod Græce φάρμακον, id est *medicina*: ut tradit Plinius. *Domitius.*

105 *Amphrisiaco*] Ex pascuis ad Amphrisum fluvium Thessaliæ; nam Phœbus amore captus pavit regis Admeti armenta, ut est apud Ovidium et Strabonem. *Idem.*

107 *Ritu se cingit uterque Pæonio*] Omnis decoris observantissimus Poëta, etiam habitum chirurgicum hic elegantissime expressit. Inter cæteras enim conditiones quas Hippocrates requirit in chirurgo (quæ quidem eleganter etiam exprimuntur a Cornelio Celso libro VII.) imprimis hæc erat, ut veste esset astricta et succincta, non laxa vel duplicata, in humeris et cubitis. Admonet Soranus in vita Hippocratis consuevisse divinum illum senem pallium conplicatum in caput rejicere, ne in operatione a circumfuso pallio impediretur. Hujusmodi habitum etiam descripsit Poëta Æneid. XII. cum loquitur de Iapide Chirurgo: 'Ille, retorto Pæonium in morem, senior succinctus amictu, Multa manu medica, Phœbique potentibus herbis.' *Gevart.*

110 *Suspecta nubila*] Id est, invidiosas tenebras. *Somni mali*] Lethargi. *Ruperunt*] Hoc enim primum adhibendum est remedium, ut scribit Celsus, ut qui lethargo laborant excitentur. *Domit.*

113 *Arte Telephus Hæmonia*] Id est, altero vulnere Achillis Hæmonii; nam ab Achille Telephus sanatus est altero vulnere; vel certe emplastro ferri rubigine mixta, ut Plinius putat: unde Achilles, inquit, pingitur decutiens rubiginem ferri in vulnus Telephi. Plura recitavimus de hoc in commentariis Mar. ex primo libro Eustathii in Hom. *Idem.*

121 *Pro parte furenti Parva receptat aquas*] Lege ac distingue ex cod. Senensi: *Pro parte, furenteis Parva receptat aquas.* Et sic video eruditum Behottium jamdiu monuisse. *Pro parte,* id est, pro viribus, quantum quisque præstare potest. Sic Ovid. Trist. v. 'Pro parte virili.' Claud. de Laud. Serenæ: 'Laudem prudentia belli Fœminea pro parte subit.' Cicero ad Cass. lib. xv. 'Quibus aliquid opis ego pro mea, tu pro tua, pro sua quisque parte ferre potuisset.' Eandem porro Comparationem habet Statius v. Sylv. Pietat. Abascant. *Gevart.*

127 *Qua nunc tibi pauper acerra digna litem*] Pelignus poëta III. de Pont. 'Nec quæ de parva pauper Dis donat acerra Tura minus grandi quam data lance valent.' Cic. l. II. de Leg. τὸ 'litare' Lat. latius patet, estque ἐμφατικώτερον, quam τὸ λίτεσθαι Gr. ut sit sacris peractis voti compotem fieri. Plaut. in Pœn. 'Jupiter faciat ut semper sacrificem, nunquam litem.' *Morell.*

129 *Niveos tauros*] Hi accepti præ cæteris Diis putabantur. De *Clitumno,* alba armenta faciente, et alia, vix poterit quicquam afferri, quod

viri doctissimi jam non attulerint. Vide nos ad Claudiani Sextum Consulatum Honorianum, v. D. V. B. Brissonium Formularum lib. I. Gregorium Bersmannum, Comment. ad Virgilii Georg. II. J. Passeratium ad Propert. lib. II. Eleg. 19. *Barth.*

CARM. V. *Balneum Etrusci*] Mss. *Balneum Claudii Etrusci.* Recte : nam quia Claudius eum primus provexit, nomen ab illo patrono accepit. Confirmat præfatio libri. *Gronov.*

1 *Non Helicona*] Cantaturus, inquit, de aquis et fornace balnei, non accersam aliquod numen ex Helicone ; sed invocabo nymphas et Vulcanum alius cœtus numinum. *Domitius.*

4 *Tu quoque muta feræ, volucer Tegeæe, sonoræ Terga premas*] Non est dubitandum de hac Politiani emendatione, quam magnus Scaliger sua manu in suo codice firmarat. 'feram sonoram,' testudinem vocat. Vulgo inepte legitur : *Tuque inimica feræ volucer Tegeæe sonoræ.* Et ineptius in nupera edit. Parisiensi nullo sensu : *Tuque inimica fera volucer Tegæus honore Terga premas, &c.* Gevart. *Volucer Tegeæe*] Mercurius. 'Arcas Tegeaticus' alibi Papinio. Et 'de Mænaliæ volucer Tegeaticus umbra.' Boëthius l. IV. Cons. Phil. 'Numen Arcadis alitis,' &c. *Barth.*

6 *Naidas undarum*] Nunc, inquit, dum 'imbelli cithara Carmina divido,' et thermularum delicias memorare aggredior, satis est cum Charite Homerica Vulcanum advocare : Ἥφαιστε πρόμολ' ὧδε· Θέτις νύ τι σεῖο χατίζει. Virgilio : 'ignipotens opera ad fabrilia surgit.' Et : 'fornacibus ignis anhelat.' *Morell.*

8 *Thebæ*] Apostrophe ad Thebaidem quam componebat, cujus carmen intermittit, ut hanc Sylvam canat in gratiam Etrusci sodalis. *Domitius.*

10 *Junge puer cyathos, atque enumerare labora*] Referunt hoc interpretes ad morem convivalem, quo receptum erat ut in honorem amici tot calices ebiberent, quot litteræ in ipsius nomine erant. Quod et Martialis innuit : 'Nævia sex cyathis, septem Justina bibatur.' Sed mihi non fit verisimile, Statium nullo nomine expresso, vel proposito, hunc morem tangere. In principe edit. Veneta est : *Junge puer cyathos et enumerare labora.* Unde elegantissimam lectionem elicuit ingeniosissimus P. Scriverius : *Junge puer cyathos, sed ne numerare labora.* Vult enim poëta largius sese invitare et numerum cyathorum confundere, ideoque non vult ullum arbitrum esse, quam multos exhauriat. Sic loquitur Catullus ad Lesbiam : 'Da mihi basia mille, deinde centum, Dein mille altera, dein secunda centum, Dein cum millia multa fecerimus, Conturbabimus illa, ne sciamus, Aut ne quis malus invidere possit, Cum tantum sciat esse basiorum.' Sine dubio τὸ *atque*, interpolatum est a Calderino, cum videret illud, *et enumerare labora,* versus legem spernere. Nemo autem nescit, quoties in vett. codicibus *et* pro *sed* corrupte legatur, ex vetusta scilicet scribendi ratione, qua semper *set*, non *sed* exarabant. De quo non uno loco ad Martialem suum idem amicus noster P. Scriverius. 'Jungere,' autem, 'cyathos,' est sine intermissione semper novos exhauriendos porrigere. *Gevart. Junge puer, &c.*] Cum biberent ad nomina amicorum amicarumve numeranda erant omnino pocula, ut lex observaretur συμποτική. Continua, inquit, cyathos, puer, aliosque super alios porrige, et ipse laborem sume enumerandi : mihi non vacat, qui inter bibendum Hetrusci cano balnea. *Gronov. Observ. lib.* II. *cap.* 3.

13 *Dumque procax myrtis*] Callimachus primo Anthologiæ epigram. Tit. In Poëtas. Ὅσαι Μοῦσαι καὶ οἷα εὗρον. Κλειὼ καλλιχόρου κιθάρης μελιηδέα μολ-

πήν· Κλειὼ μαντοσύνης Μοῦσα καὶ ἱστορίης. Quod sic interpretari lubet: *Imbellis citharæ Clio cantusque procacis, Præsagique animi est, historiæque potens.* Horat. II. Od. 1. ‘Sed ne relictis Musa procax jocis Ceæ retractes munera Næniæ.’ *Morell.*

16 *Crinem redimite corymbis*] Propertius lib. II. ‘Tum capiti sacros patiar pendere corymbos.’ Est corymbus hederæ racemus in orbem circumactus: Plinius libro XXXVI. c. 33. Isidorus de Vitibus libro XVII. cap. 5. ‘Corymbi sunt annuli, qui proxima quæque ligant et comprehendunt, ne longius laxati palmites ventorum flatibus dissipentur.’ Quin et summa omnia dici corymba possunt, Homero et Herodoto astipulantibus, ut alii jampridem monuere. *Bernart.*

21 *Salmacis*] Fons in Caria, cujus aquam qui potaverit, mollis dicitur fieri. Id negat Strabo. Salmacis autem nympha, ut est apud Ovidium, Hermaphroditum adeo avide est complexa, ut ambo in unum coierint corpus. Hinc dolosum fontem appellat Papinius. Vitruvius scribit, Midam et Aradamam duxisse coloniam in Carianum, expulisse Lelegas et Cares: diversoriumque erexisse juxta Salmacim fontem: cujus aqua suavissima multos ad mutuam vitæ societatem in eundem locum allexerit: unde fabula de fontis mollitie nata est. *Domitius.* *Crebenicos*] Aliis syllabis inversa est dictio in omnibus codicibus; sed ita emendamus: nam Crebenes fluvius Phrygiæ est, cujus filia Hesperia, ut est apud Ovid. ab Æsaco amata fuit, filio Priami. Ea dum fugeret in ripa fluminis patris, morsu serpentis extincta est. Æsacus dolore in mergum est conversus. Hactenus Ovid. Deinceps Græci: Crebenus pater mœrore exaruisse dicitur, et factus esse palus; unde pestilentes exhalationes emittuntur. Strabo Crebesiam paludem appellat flumina *Crebenidos.* Hesperies filiæ Crebeni. *Idem.*

22 *Prædatrix*] Hylam lacum in Bithynia intelligit, ubi raptus est Hylas puer Herculis: quod accolæ testabantur singulis annis, circumeuntes lacum et Hylam vocitantes: quod scribit Solinus. Hunc raptum fuisse ad Argantonium promontorium scribit Strabo. Propert. (ut in ejus commentariis diximus) Argantiphagum appellat: ‘Hic erat Argantiphagi sub vertice montis;’ nam ita ille versus emendandus est. *Idem.*

24 *Tybrimque*] Et Tybrim undis aliunde advectis vestro sc. influxu augetis. *Anien*] Nam Anio vetus et Anio novus in urbem ducebatur: de aquæ igitur ductu, non de flumine nunc intelligit. *Virgo*] Virginem aquam duxit Marcus Agrippa ab octavi lapidis diverticulo duo millia passuum. *Virgo* dicta, quoniam Prænestina via qua labitur, cum est prope Herculeum sinum longo diverticulo secedit: quasi Herculis congressum declinare videatur: unde *virgo* est dicta, ut putat Plinius. Frontinus vero de Aquæductibus scribens, ait id nomen datum esse quoniam ejus fontem indicaverit virgo. *Idem.*

27 *Præcelsis, &c.*] Vide Rutil. Numatian. Itin. ad Romam lib. I. Et de ‘pendentibus’ talibus ‘molibus’ non inscite Adrianus Behottius Apophoret. lib. III. cap. 18. *Barth.*

28 *Pendens*] Non attingens terram, sed in aëre. *Transmittitur*] Sc. in urbem. *Innumero arcu*] Multis fornicibus. *Domitius.*

34 *Non huc admissæ Thasos, aut undosa Carystos*] O fastidiosa tempora, ‘Parius’ enim ‘et Thasius lapis (autore Seneca Ep. 87.) quondam rarum in templo spectaculum: postea piscinas Rom. circundedit.’ modo sordet in Baln. et negligitur Θάσος ἀγαθῶν. Strabo libro VII. meminit κεράμου Θασίου. Dion. Afer: Θάσος ὠγυγίη

Δημήτερος ἀκτή. Mela lib. II. cap. 7. Verum si Carystos undosa, quid novi in insula cujus solum salo circundatum? an ob aquas calentes, *ἐλλοπίας*, quibus mire salubribus abundare testis est Jul. Solin. cap. 17. Apud eandem lapidem natum, qui texebatur, ex quo *ὑφάσματα χειρόμακτρα*, mantilia conficiebantur, quæ ubi sordes contraxerant, in flammam injecta purgabantur, Strabo lib. x. perhibet. 'Nec procul Carysto,' inquit idem, 'sunt Styra et Marmarium, ubi Caristiæ columnæ excinduntur.' *τὸ λατόμιον τῶν Καρυστίων κιόνων*. Mart. lib. IX. Ep. 87. 'De marmore omni quod Carystos invenit.' *Morell.*

36 *Nomadum decisa metallis*] Numidicum marmor, de quo dixi Epithalamio Stellæ. Plinius libro v. cap. 3. 'Numidæ vero Nomades a permutandis pabulis, mapalia sua, hoc est domus, plaustris circumferentes.' Consule Pausaniam Atticis, Strab. lib. XII. Stephanum et Pomponium. *Bernart.*

37 *Sola cavo*] Præ cæteris et hoc nobile. Vide Cl. Salmas. ad Capitolin. Max. et Balbinum. Hermol. Barbarum ad Plin. lib. II. cap. 103. Bernard. Cyllen. ad Tibull. lib. III. Eleg. 3. Et ad conciliandum pretium fabulam addit, conf. Sirmond. ad Sidon. Epithal. Ruritii. Et Bernartius omnino hic legi vult Arnob. Adv. Gentes lib. v. ubi fuse hac de re.

40 *Vix locus Eurotæ, viridis cum regula longo Synada distinctu variat*] Ita hunc locum distinximus, cum in vulgatis nullo sensu legeretur: *Vix locus Eurotæ viridi, &c.* Est autem hic elegans locus, qui Marmorationis genus e duobus marmoribus compositum clare ob oculos ponit. Solebant enim marmori Synadico crustam aliquam marmoris Lacedæmonii, vel Tyrii interserere. Seneca Epist. 89. 'Pauper sibi videtur ac sordidus, nisi parietes magnis ac pretiosis orbibus refulserint: nisi Alexandrina marmora Numidicis crustis distinctæ sint.' Stat. Surrent. Pollii: 'Ibi marmore picto Candida purpureo distinguitur area gyro.' Hujusmodi marmorationis genus, 'Alexandrinum opus' appellabatur, vel quod Alexandrino marmore ad hoc maxime uterentur, ut ex superiori Senecæ loco patet, vel quod in Alexandria primum repertum. Æl. Lamprid. in Alex. Sev. 'Alexandrinum opus, marmoris de duobus marmoribus, hoc est porphyretico et Lacedæmonio, primus instituit, Palatio exornato hoc genere marmorandi.' *Gevart.* Cruceus tamen contra Epitheton viridis tribuit Eurotæ, id est marmori Lacedæmonio, quod viride fuisse pluribus docere studet.

41 *Non limina cessant*] Politianus legebat: *non lumina cessant*, ut Poëta dicat, excitari oculos colorum varietatibus. Cæterum prior lectio magis mihi arridet, quam et Calderinus secutus est, et recte interpretatur: scilicet tot undique marmoribus fuisse exornatum hoc balneum, ut nec ipsa limina marmoribus vacarent. Nam viliora marmora in liminum erant usu. Plinius lib. XXXVI. cap. 6. 'Numidicum marmor non in columnis tantum crustisve, sed in massa ac vilissimo liminum usu.' *Gevart.* *Non lumina cessant*] Sic Colinei habet editio, eaque interpretanda non oculos aspicientium, sed fenestras, quibus tamen admittitur. Ut Cic. de Oratore: 'Cum ædes venderet, in mancipio lumina, uti tuum erat, recepit.' Eorum margines pretioso fulgidoque marmore adornatas innuit Papinius. Et hæc optime cum *Cameræ* junguntur. *Gronov. Diatr. cap.* 12.

42 *Effulgent cameræ vario fastigia vitro*] Post M. Agrippæ tempora vitrum Cameris adhiberi cœptum esse et Seneca et Pl. autores sunt. Strabo lib. XVI. narrat inter Ptolemaidem et Tyrum esse litus arenæ tumulis ag-

gestum, ubi ὑαλίτιδος ἄμμου copia est: itemque se a vitrariis (quos ὑαλουργοὺς vocat) accepisse Alexandreæ, esse in Ægypto terræ vitrariæ genus, sine quo eximia et πολύχροα variorum colorum opera perfici nequirent: præterea Romanos multa ad concinnitatem, elegantiam et ῥᾳστώνην vitreorum operum excogitasse, in iis præsertim quæ κρυσταλλοφανῆ, crystallinorum speciem habent: unde tanta vasorum ejusmodi vilitas Romæ extitit, ut paropsis et poculum parvo ære væniret. Ideoque vitrea fracta pro rebus nihili frivolisque usurpata a Statio in Sylva proxim. vss. 77. 78. et a Martial. libro I. Epigr. 42. 'Qui pallentia sulfurata fractis Permutat vitreis.' Juvenal. Sat. v. in calycem: 'Quassatum et rupto poscentem sulfura vitro.' In oraculis Jobi XXVIII. vs. 17. זכוכית vitrum excellens nominatur a puritate et pelluciditate. Hanc vitro laudem tribuit ingeniosus vates Ovid. Met. IV. 'In liquidis translucet aquis, ut eburnea si quis Signa tegat, claro, vel candida lilia, vitro.' *Morell.*

48 *Sed argento, &c.*] Significat canales ex argento fuisse, imo et labra. Sen. in Ep. 'Nisi Parius et Thasius lapis quondam rarum in aliquo templo spectaculum piscinas nostras circumdederit, nisi aquam argentea epitonia fuderint.' *Cruceus.*

51 *Extra autem niveo, &c.*] Quidni ad has quoque delicias pertineat crater et siphunculi? de quibus Plin. Cæc. loco laudato: 'In fronte,' inquit, 'crater, circa siphunculi plures, qui miscent jucundissimum murmur; et piscina quæ fenestris servit, subjacet, strepitu visuque jucunda,' cum, 'ex edito desiliens aqua suscepta marmore albescit.' Idcircone hic piscina natatoria seu baptisterium, lacusve 'extra vivere' dicitur? Vide Sidon. lib. II. Ep. 2. Lacus Luciano, κολυμβήθρα· Libanio, δεξαμενή. *Morell.*

58 *Crepantes, &c.*] Magnas turbas dedit hic locus, et quot capita, tot prope sententiæ. Domitius per *crepantes pilas* columnam concavam intelligit, cujus sententiam amplexus est Franc. Robortellus, lib. de Laconico, ubi latius eam explicat. Cælius vero Rhodiginus, lib. XXX. cap. 19. per *pilas* hic intelligit sphæras aut glomos pice illitos, qui in ignem balneorum conjiciebantur, sicubi fortasse restingueretur. Et hanc interpretationem sequitur ad hunc locum Bernartius et Hieron. Mercurial. Artis Gymnasticæ lib. I. Sed hi omnes procul a vero aberrarunt. Nam Statius hic simpliciter 'pilam crepantem' appellavit 'pilam trigonalem,' qua sese in balneo exercebant. Quod ut rectius intelligatur, notandum Trigonem fuisse locum in Balneis qui ad pilæ lusum ædificatus erat. Dictus est τρίγων vel a triangulari figura, vel a situ ludentium, qui eo ordine stabant, ut trigonum seu triangularem redderent. Ad hunc locum confluebant homines, et sese exercebant, interea dum hypocausta et sudationes calescerent. Plinius Junior ad Apollinar. lib. V. ubi Balneolum suum describit: 'Apodyterio superpositum est sphæristerium, quod plura genera exercitationis, pluresque circulos capit.' *Gevart.*

60 *Nec si Baianis*] Ait tamen Epigrammatographus Gr. Anthol. lib. IV. Εἰς Λουτρὸν ἐν Βυζαντίῳ· Εἰ γὰρ ἅπαξ καθαροῖσι λοέσσεται ὕδασιν ἀνὴρ, Οὐ ποθέει πάτρην, οὐκ ἐθέλει γενέτας. *Qui semel his fuerit puris bene lotus in undis, Nec natale solum, nec cupit ille suos.* Atqui Venusino indice: 'Nullus in orbe locus Baiis prælucet amœnis.' Nec temere felices Baiæ ab Epigrammatario Lat. dictæ; siquidem calidæ aquæ Baianæ, non ad luxum tantum, sed ad sanationem etiam morborum idoneæ perhibentur, Strabon. libro V. πρὸς τρυφὴν καὶ θεραπείαν νόσων ἐπιτήδεια. *Morell.*

65 *Et tua jam melior discat fortuna*

renasci] Hetrusci hujus pater a Domitiano in exilium missus fuerat, sed intercessione et precibus Hetrusci filii brevi fuit revocatus. Unde ait Poëta ipsius 'fortunam jam renasci.' Olim autem omnes, qui ab exilio reversi erant, 'renati' dicebantur. Statius III. Sylv. Lachr. Hetrusci: 'Quas tibi devoti Juvenes pro patre renato Summe ducum grates, aut quæ pia vota rependunt?' Hinc Cicero eum diem quo ab exilio reversus erat, 'natalem' suum appellat III. ad Attic. *Gevart.*

CARM. VI. *Saturnales*] Ne ambigamus de germana epigraphe seu lemmate γνησίῳ hujus Sylvulæ, Papinius ipse facit, cum in clausula Epist. προσφωνητικῆς ad Stellam ita scribit, 'In fine sunt Kal. Decembris, quibus utique creditur. Noctem enim felicissimam habent, et voluptatibus publicis inexpertam.' At novum et insolens est a Kal. Decembribus initium dare 'Saturnalibus optimo dierum.' Plutarchus tamen adstipulari videtur, cum in Causis Rom. ait, Οὗτος ὁ μὲν καθιέρωται Κρόνῳ, quod cum his Senecæ verbis consentit: 'December est mensis, quo maxime desudat civitas.' In Saturnalium videlicet apparatu et celebratione. Rationem etiam adfert eloquentiss. Sophista Libanius, et his Kal. Decemb. et Januariis communem, in Ecphrasi seu florida Kalendarum descriptione, pag. edit. nostræ 178. quam consulere non pœnitebit. Ex hac enim patet Phœbum Musagetam, et severam ac tetricam Minervam. *Morell.*

2 *Feriatæ*] Sunt, qui legendum censent: *ite feriatum*. Sed nihil mutandum in re clara. Nam 'feriatus' idem hic, quod 'otiosus.' Auctor Pervigilii Veneris: 'Ite Nymphæ, posuit arma, feriatus est Amor.' *Gevart.*

4 *Saturnus compede exoluta*] Saturnus in compedibus toto anno erat. Ver. Flaccus causam ignorat: Apollodorus scribit, Saturnum vinciri per annum laneo vinculo, et solvi ad diem sibi factum, hoc est in Saturnalibus: inde proverbium, Deos pedes laneos habere, significari per id, decimo mense semen in utero animatum in vitam grandescere, quod donec erumpat mollibus nectitur vinculis. *Domitius.*

8 *Ebriamque partem*] Diu locus hic viros doctos exercuit. Nonnulli vulgatam lectionem tuentur, et de 'parte diei civilis' interpretantur. Et sic pene Ovidius alibi: 'Ultima pars noctis, primaque lucis erat.' Sed rectius de 'ludis' videtur intelligendum, quos exhibitos fuisse, Statius paulo post innuit. Omnes sciunt quid in Comœdiis vocentur 'partes.' Petronius: 'Mox ubi ridendas inclusit pagina partes.' Horatius: 'Partes nimirum tractare secundas.' Illustr. Scaliger ex Ms. Senensi ad marginem sui cod. adscripserat: *ebriamque pacem;* quod et Bernartio in mentem venisse video. Minimum recedit a vulgata scriptura ingeniosissima Heinsii conjectura: *ebriumque Martem.* Nam Domitian. in hisce Saturnalibus etiam fœminas gladiatrices in arenam produxit, quas ipse Statius paulo post proponit. Richardus Thomson in litteris ad Scriverium nostrum, legit: *ebriamque noctem.* Aitque eam esse indubitatam correctionem, cum ipse Statius in Epistola ad Stellam, de hoc suo carmine agens, sic loquatur. Ait enim: 'In fine sunt Kal. Decembr. quibus utique creditur. Noctem enim illam felicissimam habent, et voluptatibus publicis inexpertam.' Quin de ebrietate illius noctis et infra meminit: 'Vixdum cœrula nox subibat orbem.' Et mox addit: 'Largi flumina quis canat Lyæi? Jam jam deficio, tuoque Baccho In longum trahor ebrius soporem.' Idem Thomson aiebat se in Ms. reperisse *ebriamque mœram.* Constat autem Parcas olim dictas fuisse

'Mœras,' teste Censorino. Unde quispiam forte conjiceret primo, *ebriamque Parcam*, scriptum fuisse, quod interpretatus aliquis, *Mœram* ascripserat. Nobiliss. Barthius significavit mihi in Ms. suo trajecto versu legi: *Vix Aurora novos movebat ortus Læti Cæsaris ebrium per axem.* Quid in tanto et Mss. et eruditorum dissensu statuendum? Mihi modo satis est, veluti satura lance, diversas doctorum sententias lectori obtulisse, donec certius quid constituero. *Gevart.* *Ebriam partem*] Omnia recensenti, quæ ad hunc locum a viris doctissimis sunt allata, nihil occurrit, in quo sistere possim, nisi forte referamus eo, ut simplicissime *partem ebriam* dici Cæsaris intelligamus. Tota quidem illa dies beata fuit læto Cæsare, sed pars ejus cum ipsi, tum populo etiam ebria, convivio et vino affluens. Virg. Æneid. IX. 'Nunc adeo, melior quoniam pars acta diei, Quod superest, læti bene gestis corpora rebus Procurate viri.' Ovidius Met. 'Jamque duas lucis partes Hyperione mense Discubuere toris.' Horatius: 'Nec partem solido demere de die.' *Gronov.*

10 *Jam bellaria adorea*] Bellaria a Græcis τραγήματα, πέμματα dicuntur; *secundarum mensarum cibi.* Pro libis dulciariis accipit: propterea ait, *Et adorea liba per herbam.* Alii codices habent *velaria:* ut dicas, e velis quibus tegebatur amphitheatrum hæc decidisse: placet prior sententia. *Domitius.* *Bellaria, &c.*] Id est, Farracea, ut adorea liba apud Virgil. Ador enim farris genus Festo lib. I. dicitur, et substantive adorea, et exponitur in glossario εἶδος σίτου. Apud Plaut. Apul. et veteres adorea laudem significat, ut notavit idem Festus. 'Pluere bellaria' dicuntur eo sensu quo imbres odorati apud Senecam in Controv. Hæc enim sparsio missilium imber translatitie vocatur. Marsil. in Amphit. Mart. *Cruceus.*

13 *Jugis Idumes*] Palmas intelligit. Nam Idumæa, quæ Arabia finitur a Pelusio, 65. millia passuum palmetis conspicua est. *Domitius.*

15 *Et quas præcoquit Ebosia cannas*] Quænam hic a Poëta *Ebosia* dicatur, jamdiu quæsitum viris doctis, sæpiusque ampliata causa, nihil pronunciatum. Domitius nescio quæ de Libano et Antilibano adfert, quæ nihil ad Bacchum. Alii legunt, tota versus facie immutata: *Et quæ præcocibus reposta cannis.* Ego addita litterula ex vet. cod. scribendum censeo, *Et quas præcoquit Ebosita cannas.* Ut Statius incolam Ebosi insulæ intelligat, ut dicuntur Elamitæ, Scenitæ, Moschovitæ, &c. Est autem Ebosus, seu (ut alii scribunt) Ebusus, Hispaniæ insula in mari Balearico, altera Pityusarum. Isidorus lib. XIV. cap. 6. 'Ebosus insula Hispaniæ, sic dicta quod a Zonis non procul absit, quasi ebozos.' *Gevart.* *Et quas præcoquit Ebosia cannas*] Sic emendamus vers. *Et quas percoquit Ebosia Cannas.* Ebusitanas intelligit Caricas, hoc est, ἰσχάδας. Statio *Ebosia* insula, quæ aliis *Ebusus:* Græcis Βοῦσος et Ἐβοῦσος, quibusdam etiam Ἥβουσος. Ipse *Ebosiam* dicit, quasi Ἡβόσεια νῆσος diceretur; ita Latine 'Coam insulam,' quæ Græcis Κῶς dicitur, appellant. *Gronov. Diatr. cap.* 15.

17 *Molles Cajoli, Lagunculique*] Etiam hic locus non inter claros. Domitius existimat Caiolum et Laguncalum esse duo puerorum nomina diminutiva a 'Caius,' et 'Lagon,' aitque per hæc significari cupedia quædam ex pane saccharite, aut dulciario facta, in quibus impressa erat forma istorum puerorum. Certe, 'Lagon' egregia forma puer fuit: de quo Martial. lib. IX. Epigr. 37. 'Nos facimus Bruti puerum, nos Lagona vivum.' Hæc vero liba, forma istorum puerorum insignita, per Saturnalia missitabantur. vide Macrobium Saturnal. I. cap. 2. Martialis

libro XIV. Epigr. penult. 'Mille tibi dulces operum manus ista figuras Exstruet, huic uni parca laborat apis.' Et quia certis signis seu sigillis imagines illæ pani impressæ erant, ideo hæc munera 'sigillaria' dicta sunt. Seneca, Epist. 12. 'Ego sum Felicio, cui solebas sigillaria adferre.' Spartianus in Hadriano: 'Saturnalia et sigillaria frequenter amicis inopinantibus misit, et ipse ab eis libenter accepit.' Sueton. Claudio: 'Id solum codicillis rescripsit, quadraginta aureos in Saturnalia et sigillaria se misisse ei.' Alii pro *Caioli* legunt *Caseoli*, et pro *Lagunculi*, cum Turnebo malunt, *lucunculi*, hoc modo: *Molles caseoli, lucunculique.* Quæ sententia rejicienda non est. Nam scio caseum etiam fuisse inter dona saturnalitia. Hinc noster IV. Sylv. Risu Saturn. 'Non sal oxyporumve, caseusve.' Lucunculum vero etiam fuisse inter bellaria et cupedia probat Apuleius Asini lib. X. 'Hic panes, crustula, lucunculos, hamos, lacertulos, plura scitamenta mellita.' Afranius: 'Pistori cur non, cur non scriblitario, Ut mittat fratris filio lucunculos?' *Gevart.*

18 *Et massis Amerina non perustis*] Pyra, ex Ameria Italiæ oppido, Amerina dicta, ut Picentina, et Numantina, hic intelligunt. Sed quæ sunt illæ 'massæ' in pyris et pomis? Placet clariss. Heinsii nostri conjectura: *Et passis Amerina cum perustis.* Veteres, 'uvam passam,' uvam 'adustam' vocant, quia expanditur in sole et amburitur. *Idem.*

19 *Et mustaceus, et latente palma Prægnantes caryotides cadebant*] Valde hic sudant viri docti, dum quærunt cur Poëta, *caryotides latente palma*, cecidisse ait. Domitius: 'Videbamus,' inquit, 'cadere caryotides, ignorantes ubinam esset palma arbor ex qua deciderent.' Dispeream, si quid unquam in vita legi frigidius, aut ineptius. Politianus 6. Epistolar. ad Beroald. Commentariorum Calderini Aristarchum agens, ait Statium dixisse *latente palma*, præ magnitudine ipsa dactylorum. Quam Politiani interpretationem Bernartius nihil novi inveniens, amplexus est. Alius dum locum etiam non capit, perplexi nescio quid concinnat, quod, non vivam, si ipsemet intellexerit. Ait enim Caryotides *latente*, an *patente palma* cadere, fere ita dictum esse, ut apud Theognidem de Latona Apollinem et Dianam enixa canitur: *Φοίνικος ῥαδιναῖς χερσὶν ἐφαπτομένη. Palmam teneram manibus amplexata.* Equidem imaginari non possum qua ratione hic versus Statiano sit similis. Ait Theognis Latonam palmæ arbori innixam peperisse Apollinem: quid hoc ad Statii mentem? At quin potius his omissis nostram proponimus sententiam? Romani olim in Saturnalibus, quæ hic describit Statius, caryotides etiamnum in ramis a palma arbore abruptis dependentes sibi mutuo missitabant. Hos autem termites caryotidibus onustos, non incomptos, et quales ex palma decerpebantur, mittebant, sed omni parte, aureo quodam succo bracteato obducebant, ac illinebant: quemadmodum et apud nos moris est in solennibus epulis mellita bellaria aureis succis perfundere. Martial. lib. XIII. Epig. 26. ubi spathalion caryotarum describit: 'Aurea porrigitur Jani caryota Calendis, Sed tamen hoc munus pauperis esse solet.' Ibidem lib. VIII. Epigr. 33. 'Hoc linitur sputo Jani caryota Calendis, Quem fert cum parvo sordidus asse cliens.' Ex his jam, opinor, nemo est qui nesciat quid Poëta noster voluerit dum dixit, *latente palma.* Respexit enim termites illos a palma arbore abruptos, qui, quia sputo illo aureo obducti erant, merito latere dicti sunt. De his porro palmetis, Solinus in Polyhist. cap. ultimo, de Canaria agens: 'Nemora pomifera, palmeta caryotas

ficus ferentia, larga mella,' &c. *Idem.*

28 *Caveas per omnes*] Triplex in spectaculis cavea, summa, media, et ima, ut notant, qui de circo et theatro scripserunt. Nec theatri tantum cavea dicitur, sed circi et amphitheatri. De circensi cavea Virgilius lib. VII. De Amphitheatrali Marcellin. lib. XXI. et XXX.

30 *Plebes altera, &c.*] Multitudo ministrorum, non inferiori conditione eorum, quibus ministrabant. *Domitius.*

33 *Illi marcida vina largiuntur*] Aiunt interpretes *Marcida vina* hic esse dulcia et matura. Et inde 'uvam marcentem' vocari a Martiale 'dulcem.' libro V. Epigr. 79. 'Marcentes tibi porrigentur uvæ.' Huic αἱρέσει primo omnium nomen dedit Calderinus, et mox secuti etiam recentiores Martialis interpretes, docti sane viri. Atqui 'Marcentes uvæ' Martiali sunt 'passæ.' Et res ipsa hoc evincit. Quare hoc tibicine sublato nihil est quod *vina marcida* hic vina dulcia existiment vocari. Sane quod marcet, torpet et languet, unde Theocrit. σταφίδα, *uvam passam,* confert cum senectute. Quod elegantissime æmulatus est Claudianus I. Eutrop. 'Jamque ævo laxata cutis, sulcisque genarum Corruerat passa facies rugosior uva.' At vinum non potest dici 'marcere,' nisi sit corruptum et nihili. Dixit ergo familiari sibi Hypallage, 'Marcidum vinum' Statius, non quod ipsum esset 'marcidum,' sed quod homines qui illud biberent marcorem contraherent. Sic IV. Sylv. Hercul. Epitrapez. 'Tenet hæc marcentia Bacchi Pocula.' Idem Thebaid. IV. Bacchum 'marcidum' vocat: 'Marcidus edomito bellum referebat ab Æmo Liber.' Seneca Medea: 'Huc procede gradu marcidus ebrio.' Et Ovid. I. de Ponto, Eleg. 6. 'nimio marcescere vino,' dixit: ut Horat. 'marcentem potorem.' Et hanc interpretationem nostram firmat ipse Statius paulo post, dum subjungit, sese nimio potu marcere et deficere. 'Largi flumina quis canat Lyæi? Jamjam deficio, tuoque Baccho In longum trahor ebrius soporem.' Alii tamen hoc loco non *marcida,* sed *Massica* legere malunt. Ne pueri quidem nesciunt, vinum Massicum inter generosissima Italiæ vina fuisse. Quin et Columella lib. XII. cap. 10. *Marsica vina* agnoscit, quod propius ad scripturam accedit: sed nihil temere mutandum. *Gevart.*

39 *I nunc, secula compara vetustas*] Epiphonema ironicum in longinquæ vetustatis et aurei seculi laudatores, et μεμψιμοίρους. *Morellus.*

45 *Libertas reverentiam*] Nam libertas concessa est servis in Saturnal. Horatius in servum: 'Age libertate Decembri, Quando ita majores voluerunt, utere.' et cum dominis discumbebant: inde L. Actius in annalibus: mos traditur illic iste, ut cum famulis domini epulentur ibidem. *Domitius.*

46 *Et tu quin*] Medicæus et Rom. et Vet. codices: *hoc vocare.* Sed sincerius videtur, quod ex Senensi Ms. notavit Scal. *quis hoc rogare.* Nota iis etiam, qui nondum ære lavantur, formula: 'rogat te;' vel 'rogat ut secum cœnes.' *Gronov. in Diatr.*

52 *Effugit levis voluptas*] Voluptatem spectaculorum extollit, cum ait eam levem effugere; nam quæ jocundiora sunt, breviora nobis videntur, et effugere citius. *Domit.*

56 *Thermodontiacas*] Ad fluvium eum considentes, ibique degentes Amazonas. Recta autem hæc hujus vocis scriptura est, quam adjecta litera frustra corrumpere quidam volunt. De Amazonibus autem et isto flumine docti pridem ad hunc locum illustrandum multa contulerunt, quæ videas licet apud Beroald. item Joh. Gebhardum ad Propert. lib. III. Eleg. 14. et alios. *Barth.*

57 *Hic audax subit ordo Pumilonum*] Non fœminæ solum inter gladiatores, sed et nani. Xiphilin. Domitiano: Πολλάκις δὲ τοὺς ἀγῶνας νύκτωρ ἐποίει, καὶ ἔστιν ὅτε καὶ νάννους καὶ γυναῖκας συνέβαλλε. *Pugnas etiam noctu sæpe exhibuit, et interdum nanos ac feminas inter se commisit.* Bernart. *Hic audax, &c.*] Pro *Hic* ex Rom. *Hinc* scribendum. Gevartius corrigit *simul* pro *semel.* At nos docuerunt vet. libri aliud gravius vitium hic latere. Ms. Senens. et Medic. Rom. et Ven. editi *statim* habent, non *statu.* Et ita legisse Domitium putes ex Comm. *statim* enim interpretatur 'simul ac nati sunt.' Sed accipiendum paulo laxius: mox, haud ita multo post, quam esse cœperunt, quam natura eos elaborare orsa est, jam. Medicæus Ms. et Rom. ed. *brevis* non *brevi.* Non dubie scripserat Statius: *Quos natura brevis statim peractos Nodosum semel in globum ligavit.* Unica litera nostra est, cætera ex vett. lib. *Brevis Natura* est haud longius indulgens, non larga. *Gronov. in Diatr.*

58 *Peracto*] Omnino legendum *peractos*, absolutos, id est spem nullam habentes staturæ altioris. Mirum tam apertam rem nemini visam. *Barth.*

61 *Et mortem sibi (qua manu?) minantur*] Græcismus est, quod tam parva manu, aut imbelli et fœminea. Theocrit. Pharmaceutr. καὶ μέμψομαι οἷά με ποιεῖ. *Et couquerar qualia mihi facit.* Hoc est, quod talia mihi facit, quod me contemnat. *Gevart.*

63 *Casuræque vagis, &c.*] Grues, inquit, emissæ inter τρωγάλια missilia et volucres ἐπιδόσεις, imminentes capitibus pumilorum gladiatorum, intuentur cum stupore Pygmæorum genus audacius solito; nam cum Pygmæis ita grues congredi solere, ut superiores sint, stragemque eorum mox edant, perhibet Homerus, Il. Γ. his vers. quibus Trojanos gruibus, Græcos pumilionibus comparat: Τρῶες μὲν κλαγγῇ τ' ἐνοπῇ τ' ἴσαν ὄρνιθες ὥς, κ. τ. λ. *Morell.*

66 *Dives sparsio quos agit tumultus*] Non insulto hic bono Domitio, qui 'Spasionem' et 'Hæmum' saltandi magistros nobis hic commentus est; tantum admoneo Bernartium hæc male de sparsione croci, quam κρόκου ῥάνσιν Glossæ appellant, interpretari. Nam de sparsione missilium, quam 'Direptionem' et 'Rapinam' alias vocabant, locus intelligendus, quod vel ex sequentibus patet, dum ait: 'Inter quæ subito cadunt volatu Immensæ volucrum per astra nubes,' &c. Et Suetonius 'spargendi' verbo in ea re usus. Domitian. cap. 4. 'Dieque proximo omne genus rerum, missilia sparsit.' Vocabatur vero hæc Direptio, proprie 'Rapina.' Unde supra: 'Et quas præcoquit Ebosia cannas, Largis gratuitum cadit Rapinis.' *Gevart.*

70 *Hoc plaudunt grege Lydiæ tumentes*] Vel solum epitheton arguit falsam esse conjecturam viri magni, qui malebat, *ludiæ tumentes.* Nam fœminas Lydias tumentes et obesas fuisse testatur Juvenal. Sat. VI. 'Turgida nil prodest condita pyxide Lyde.' *Idem.*

74 *Permutat vitreis gregale*] *Gregale*, inquit Domitius; 'nam fasciculis, et gregatim sulphurata permutantur.' Jam potius *gregale* ideo dictum quod ab hominibus de grege, id est, vulgo vendebatur. Sic 'gregalia poma' dixit Seneca, id est maxime vulgaria, et quibus plebecula vesci solet, I. de Benef. cap. 12. 'Gregalia quoque poma, etiam post paucos dies itura in fastidium, delectant, si provenere maturius.' *Idem.*

77 *Quas Nilus sacer, Horridusque Phasis*] Cur Nilum 'sacrum' appellavit? An propter Memnonis sepulchrum ac templum quod Thebis Ægyptiis erat, ut interpres hic videtur voluisse? Dubium mihi non est, quin Statius respexerit ad superstitionem Ægyptiorum, qui Nilum 'Deum'

appellabant, et festa in ejus honorem celebrabant, quæ Νειλῶα dicebantur. Heliodorus lib. IX. Θεοπλαστοῦσι τὸν Νεῖλον Αἰγύπτιοι, καὶ κρειττόνων τὸν μέγιστον ἄγουσιν, ἀντίμιμον οὐρανοῦ τὸν ποταμὸν σεμνηγοροῦντες, κ. τ. λ. *Deum esse fingunt Nilum Ægyptii, et ex numinibus maximum ducunt, æmulum esse cœli fluvium prædicantes.* Deinde addit, eundem Nilum ab Ægyptiis Ὧρόν τε καὶ τὸν ζείδωρον, Αἰγύπτου τε ὅλης, τῆς μὲν ἄνω σωτῆρα, τῆς κάτω δὲ καὶ πατέρα καὶ δημιουργόν. *Solem, et fertilitatis auctorem, et Ægypti totius, superioris quidem Servatorem, inferioris vero Patrem et Opificem appellari.* Ibidem: Καὶ γάρ πως σύνεπεσε καὶ τὰ Νειλῶα τότε τὴν μεγίστην παρ' Αἰγυπτίοις ἑορτὴν ἐνεστηκέναι. *Etenim quodammodo accidit, ut tunc quoque Niloa maximum apud Ægyptios festum, exoriretur.* Hinc modo clarum est, cur Poëta Nilum 'sacrum' appellavit. *Gevart.* *Phasis*] Phasianos intelligit allatos ex Ponto ubi Phasis est fluvius. Illic tamen auriculas submittunt e plumis; quod alibi non faciunt, si Plinio credimus. *Numidæ*] Gallinas Numidicas intelligit. Eædem appellantur 'Meleagrides,' ut putat Plinius. Columella alias existimat; et Varro: crista scilicet cærulea, cum Numidicæ rubram habeant, guttis distinguuntur. Mar. Numidicas guttas appellat; Juven. aves Aphras. *Domit.*

79 *Desunt, qui rapiant*] Tanta enim fuit copia missilium in hac Domitiani sparsione, ut superet multitudinem legentium et rapientium. Similis fuit huic sparsioni venatio direptionis, in qua herbatica animalia populo dabantur in direptionem, quæ et Pancarpus seu Pancarpum dicebatur. *Cruceus.*

83 *Et dulci dominum*] Nihil hic viderunt Interpretes. Sensus est, plebem Romanam Domitianum Saturnalia celebrantem elata et clara voce 'Dominum' appellasse, ipsum vero vetuisse ne *Dominus* vocaretur: Sueton. Domitiano: 'Acclamari in Amphitheatro epulari die libenter audiit: 'Domino' et 'Dominæ feliciter.'' Sed mirabitur aliquis cur princeps generis humani et Imperator Rom. recusarit vocari 'Dominus?' Non miretur, nam illi Imperatores 'Domini' appellationem semper ut maledictum et opprobrium refugerunt, quod testatur Suetonius de Augusto, Tacitus de Tiberio, Lampridius de Alexand. Severo, Aurelius Victor de Juliano, et alii de aliis. Cæterum his Statii dictis ex diametro repugnat quod scribit Suetonius, qui refert Domitianum, cum procuratorum suorum nomine formalem dictaret Epistolam, sic cœpisse: 'Dominus et Deus noster sic fieri jubet.' Unde institutum ait, ut ne scripto quidem aut sermone cujuspiam appellaretur aliter. Quomodo ergo Statius noster dicit ipsum hoc vetuisse? Et Martial. de Domitiano agens, ipsissima ejus verba semper exprimit: 'Edictum Domini Deique nostri.' Et supra Suetonius dixit libenter ipsum audivisse in mensa sibi acclamari: 'Domino feliciter,' &c. Denique Aurelius Victor ubi de Diocletiano: 'Primus omnium,' inquit, 'post Caligulam Domitianumque, Dominum se palam dici passus est, et adorari se appellarique uti Deum.' Quid in hac manifesta auctorum discrepantia dicendum? Existimo Domitianum cum sese 'Dominum' appellari vetuit, temporis rationem habuisse, Saturnalium, inquam. Moris enim erat ut in Saturnalibus servi sederent ad Imperatoriam mensam, imo et ipsi Domini servis sedentibus ministrabant. Vide Macrob. Saturnal. I. Athenæum lib. XIV. Dionem lib. LVIII. aliosque. *Gevart.*

87 *Flammeus orbis*] Lycnuchus ingens, multas faces, aut funalia plurima in orbem distributa ferens. Tales plures fuisse oportet, aut tantæ amplitudinis hunc, ut amphitheatrum

universum illuminare valuerit, quæ sane res artificiosissima et sumtuosissima. *Barth.*

88 *Vincens Gnosiacæ facem coronæ*] Non interdiu solum, sed et noctu, ad lichnuchos et funalia Domitianum gladiatores dedisse ex Suetonio, hac eadem sylva docui. Hic lychnuchos componit, imo præfert coronæ quam Bacchus, Vulcani opere factam, Ariadnæ dono dedisse, ac tandem astris affixisse fingitur: non mihi mens onerare te, lector, copia vulgarium exemplorum; unum dabo, non omnibus credo notatum. Tert. de Corona Militis: 'Dat et Priapo tænias, idem et Ariadnæ sertum, et auro et Indicis gemmis: Vulcani opus, Liberi munus: post et sidus.' *Bernart.*

91 *Fugit pigra Quies*] Ovid. Met. xi. 'Ignavi penetralia Somni Muta Quies habitat.' Hic 'qui par Regi famuloque venit.' Apud Sen. Trag. fingitur Roma insomni relicta, Urbes invadere 'somno vinoque sepultas.' Primus autem Hom. urbem Somno assignavit, Il. ξ. Lemnum scil. quam Lucian. Veræ Hist. lib. ii. venustissime depinxit. *Morell.*

102 *Quod reddis*] Instauras; nam Domitianus instauravit Capitolium quod rursus arserat, ut scribit Tranquil. et ita fore vaticinatur Juppiter apud Silium: 'Ille etiam qua prisca fides stat regia nobis, Aurea Tarpeia jungit Capitolia rupe.' Martialis: 'Pro Capitolinis quid non tibi solvere templis, Quid pro Tarpeiæ frondis honore potest?' *Domitius.*

SYLVARUM LIB. II.

Colore] Id est habitu, conditione. Ut a *colore* rei præsentis status judicatur. Græcismum esse bene notat Calderinus. Sic χρῶμα ὅρμην exponit Hesychius. Idem valet ac si 'species' dixisset. *Barth.*

Epicedio] Epicedion carmen quod de mortuo canitur: κῆδος tumulum significat. Nescio quis Tortelius, ut in multis aliis, in hac quoque interpretatione insanissime lapsus est. *Domitius.*

Laturus acceptum] Refero acceptum tibi, quod licet ab altero acceperim, tamen abs te profectum arbitror. Putabit, inquit, visus se abs te accepisse hoc quod ad eum scripserim, cum videbit consolationem insertam libro ad te misso. *Idem.*

Carissima uxorum] Omnino scribendum *clarissima*, id est exemplum conjugis, etiam defunctum maritum diligentis et honorantis. De Pollæ hoc defuncti Lucani cultu Martial. lib. VII. Epigr. 22. Vulgata hic scriptura futilissima est, et tamen omnibus editionibus fere recepta. Recte Grasserus, qui in Argentinensi Editione *clarissima* rescripsit, aut alias sic habentes est secutus. Et ita in suo Vetere libro fuisse notat Lindebrogius. *Barth.*

CARM. I. *Glaucias Atedii*] Rhod. *Glaucias Atedii Melioris dedicatus.* Una litera differt Salisb. *delicatus.* Primum *Glaucias* terminatione Græca, quam sæpe Latini suæ in Græcis vocabulis præferunt, idem qui 'Glaucia' Romanis. *Delicati* autem deliciæ, παιδικά, pueri in amoribus. Sueton. Tito: 'Quosdam e gratissimis delicatorum.' Spartiano Hadrianus dicitur 'curasse delicatos.' Lapis antiquus: ET MARCIÆ. ET. PRIMULÆ. DELICATIS ET. TELAMIO. CELERI. AMICO. CARISSIMO. Sueton. Vespasiano: 'Flaviam Domitillam Statilii Capellæ equitis Romani Sabratensis ex Africa delicatam olim.' Ubi melius erat summos viros non ineptire. *Gronov.*

7 *Averteris aure*] Ut Penelope Homerica Odyss. B. Phemium lyricinem tempestiva canentem fastidit, atque invita φρεσὶ σύνθετο θέσπιν ἀοιδὴν, ab eoque flagitat ut orsa canere desinat, ταύτης ἀποπαύε' ἀοιδῆς Λυγρῆς. Tragicus Senarius abiit in Adag. οὐ νάβλα κωκυτοῖσιν, οὐ λύρα πρέπει. *Testudo luctum non decet, nec barbitus.* Morell.

8 *Tigris*] Tigris et in Hyrcania est fœtus amantissima, ut beluæ feritas maxime appareat cum eripitur: nam ubi vacuum reperit cubile, præceps odore vestigat raptorem: ille appropinquante fremitu unum abjicit ex catulis, qui plurimi sunt. Tigris tollit, refertque in cubile: mox raptorem consequitur. Alter catulus abjicitur: atque ita fit donec ea fraude retardata raptor navim conscendit: feritate beluæ frustra in littore sæviente. *Tigris* de fœmina intelligas; nam maribus non est cura fœtus, ut scribit Plinius. *Domitius.*

10 *Nec si tergeminum Sicula de virgine*] Respicit fabulam, qua Sirenes, quæ tergeminæ sorores erant, in mari Siculo habitasse finguntur. Adi Stephanum et Servium ad illud Virgilii: 'Jamque adeo scopulos Sirenum advecta subibat.' *Bernart.*

13 *Et admoto tactu*] Cum admovetur remedium consolatorium. *Domitius.* *Latrant*] Singultiunt. Mire utuntur hoc verbo optimi authores. *Barth.*

21 *Sævos damnati thuris acervos*] De hoc ritu, quo acerra thuris suffitus fiebat mortuis, Cic. II. de Leg. Herodian. lib. IV. ut 'damnatum' sit devotum Manibus. Hic τὸ 'sævum,

inculcat, quod rebus convenit quæ commovent terroremque incutiunt, a σείω, quod est *quatio, concutio.* Morell.

22 *Plorantemque animam*] Hujus versus hunc esse sensum ait Domitius: 'Vidi te, o Melior, lugentem teipsum, nam Glaucias erat alter tu.' Quæ interpretatio, quamvis omnino ridicula et absurda sit, satis tamen ex sequentibus refutatur, non enim hic Meliorem Poëta alloquitur, sed in sequenti demum versu orationem interruptam ad Meliorem convertit, dum ait: 'Teque patrum gemitus superantem,' &c. Maximus Scaliger in codice suo adscripserat legendum videri: *Plorantemque animam, &c.* Quod idem erudito Tiliobrogæ placuisse video. Sed ut priscam scripturam intactam servemus, quam clara res ex veterum Platonicorum sententia, qui aiebant mollium hominum ac puerorum animas indignari quod invitæ de hac luce discedant, ideoque circa funera sua oberrare, et plorare. Plato in Phædone, ubi plurima in hanc sententiam. Et juratus Platonicus, Macrobius in Som. Scip. lib. I. cap. 9. 'Anima,' inquit, 'quam in se pronam corporis usus effecit, atque in pecudem quodammodo reformavit ex homine, et absolutionem corporis perhorrescit, et cum necesse est.' Facilis est præsentis loci interpretatio. Mens enim Statii est, vidisse se et audivisse animam separatam Glauciæ pueri volitantem supra suum funus, et conquerentem, quod tam immatura morte ex hac vita erepta esset. Annos enim duodecim tantum habebat, quod indicat Statius paulo post: 'Herculeos annis æquare labores Cœperat assurgens.' *Gevart.*

24 *Haurire ignem*] Ad necem; nam et Porcia Bruti, ut nonnulli scribunt auctore Plutarcho, haustis carbonibus ardentibus mortem sibi conscivit. *Domitius.*

26 *Et nunc heu! &c.*] Cruceus scribit *et frondis.* Vatibus enim et vittæ et frondes tribuuntur, inquit. Nesciebat propriam amatamque Statio Phrasin esse, 'honos frontis,' pro ornatu capitis. Vid. *Diatr. Gron. cap.* 17.

34 *Quem natura patrem*] An illis piis natis non erant natura patres? Multo minus ad Meliorem referendum cum Domitio. Distinctione rem expedimus: *cum proprias gemerem defectus ad ignes (Quem? Natura!) patrem.* Qualem, quam mei amantem, quam mihi vicissim amatum et cultum? te, Natura, testem appello, te interrogo, an quos unquam magis conciliaveris, tenerius et arctius junxeris. Sic in Saturnalibus: 'Et mortem sibi (quam manu?) minantur.' *Gronov.*

42 *Siderei orbes*] Oculi, duo sidera referentes. Multa talia ad Musæum, Claudianum, et alibi conscripsimus. *Barthius.*

43 *Et castigatæ collecta modestia frontis*] 'Frontem castigatam' non simpliciter 'brevem' appellavit, ut hic volunt interpretes, sed talem in qua nullæ rugæ, nullus tumor, nihil denique apparet, quod reprehendi posset. Sic Ovid. I. Amor. Eleg. 5. 'Castigatum pectus.' Sic 'castigatam equi jubam' dixit Noster Theb. IX. Verbo 'castigare' convenit κολάζειν apud Græcos. Unde Theophrast. de Causis Plantar. κολάζειν τὰ δένδρα dixit, id est, *frondare arbores luxuriantes.* Gevart.

48 *Hyblæis*] Melle Hyblæo. Hybla ab Hyblone rege, ut Thucydidi placet, dicta. In Sicilia oppidum et mons: mel mittit quod cum Attico certat. Meminerunt Strabo et Plinius. Thucydid. in Historiar. VI. Ὕβλωνος βασιλέως Σικελοῦ προδόντος τὴν χώραν καὶ καθηγησαμένου, Μεγαρέας ᾤκισαν τοὺς Ὑβλαίους κληθέντας. *Domitius.* *Cui sibila serpens, &c.*] Ait hoc loco Domitius Papinium ad Histo-

riam Herculis alludere, cui infanti duo angues a Junone noverca immissi dicuntur, qua interpretatione nihil alienius dici potest. Nam Poëta sine dubio ad Incantationem et blandam vocem respexit, cui illam vim tribuunt magi, ut etiam serpentes occidere possit. Noster idem dixit v. Syl. ad Crispin. 'Qui voce potes prævertere morsus Serpentum, atque omnes vultu placare novercas.' Virgil. in Eclog. 'Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.' *Gevart.*

49 *Sævæ Novercæ*] Vide multis Andream Tiraquell. ad leg. Nonam Connubial. p. 259. et Marcelli Donati dilucidat. in Tacit. p. 122.

53 *Jurataque multum Barba tibi*] *Jurata barba*, inquit Domitius, id est valde optata, nam per res optatas solemus jurare: 'O rem ridiculam Cato et jocosam!' Duodecennis puer, qualem Glauciam fuisse Papinius et Martialis testantur, per barbam jurabit? Apage ineptias. *Jurata barba* nihil aliud hic, quam devota et consecrata alicui Deo. Notum est moris fuisse Romanis et Græcis ut puerorum etiamnum infantium capillos et barbam a teneris annis Diis aut fluminibus consecrarent. Exempla sexcenta occurrunt passim: nos tantum nonnulla ex Statio nostro adferemus. Vide Theb. VI. ubi Lycurgus infantis Archemori crines rogo injicit; et Theb. IX. de Adolescentibus, &c. Ignorantia verbi 'jurare' virum doctum in errorem traxit, nam 'jurare' Papinio nostro idem quod 'devovere' et 'consecrare,' quia scilicet in votis et consecrationibus juramentum adhibebatur. Hinc Theb. IV. Bacchi sacerdos: 'Alium tibi Bacche furorem Juravi.' Quo loco recte Luctat. 'Bene de more militiæ, 'juravi,' dixit, quia militiæ sacramentum dicitur. et sacerdotio dixit jurasse, non bello.' *Gevart.*

69 *Pius altor*] Inemendati omnes codices habent, *alter;* sed nos emendantes legimus *altor:* nam Melior fuerat altor Glauciæ, et educaverat eum: nam altor ab alendo dicitur; et hæc opponuntur, *altor* et 'alumnus.' *Altor pius*] Melior erga te pius. *Domitius.*

71 *Tu modo deliciæ*] Distinctio ponenda post hunc versum. Et ita recte ediderunt Aldus, Gevartius, Grasserus. Secus Parisienses repetitæ, et Antwerpiana Bernartii editio. Alluditur autem Amor, qui quo tenerior, eo est curis gravatior. *Barth.*

72 *Non te*] Ostendit eum non fuisse emptum ex grege venalitiorum, sed natum domi vernam, ut causam majorem amoris demonstret, et paternam prope pietatem Melioris in eum. *Domitius. Cathastæ*] Cathasta locus ubi servi venales exponebantur, pedibus cretatis. quod Plinius indicat cum de generibus terræ scribit, a *καθίστημι*, quod est *constituo:* nam illic constituti erant venales. Tibullus: 'Quem sæpe coëgit Barbara gipsatos ferre Cathasta pedes.' Martialis: 'Sed quos arcanæ servant tabulata Cathastæ.' *Idem. Non te barbaricæ*] A Politiano est, quod nunc omnes edit. invasit, quia legerat apud Mart. *nec araræ verna catastæ.* Sed ego quid sit, vernam illum catastæ non versavisse Glauciam, nullus video. Nisi forte voluit, *barbaricæ versabant, verna, catastæ;* ut *verna* sit ipse Glaucia, *catastæ* autem numero plurali dicantur. Sed quid moramur? Vet. edit. et earum traduces *turba* habent pro *verna.* Hinc proclivi nobis fuit eruere veram lectionem: *versabat turbo catastæ.* Et sic Ms. codex Senensis. *Gronov. Diatr. cap.* 16.

82 *Fas mihi*] Exemplis antiquorum et rerum naturalium fieri posse ostendit ut plus adoptivus filius ametur quam genitus a patre, ut ex hoc innuat Meliorem plus amasse Glauciam quam si fuisset filius. *Domitius.*

86 *Adscitaque serpunt Pignora, connexis*] *Nova et adscita pignora*, id est

adoptivi: *interius serpunt connexis*, id est altius arctiusque sese in animos, amoremque parentum insinuant, quam liberi connexi, id est genitura devincti et Naturales. Addit rationem Poëta, dum ait: 'Natos genuisse, necesse est, At legisse juvat.' Mirum est hæc verba fugisse acumen Calderini, qui hæc ita explicat: 'Filios genitos necessario habemus amandos; quos autem eligimus, in adoptione, hi sunt quos sponte et benevolentia complectimur.' Aberrat largiter, nec tangit mentem Statii. Falsum enim est nos necessario amare liberos ex nobis natos, imo contra sæpe fit ut eos minus diligamus, et hoc intendit Poëta hic probare. Dicit itaque Necessarium quid et ἀκούσιον esse in Generatione liberorum, id est in nostra potestate non esse ut tales generemus, quales esse optamus, atque hinc fit, ut genitos minus diligamus, quia, ut dixi, non tales gignimus, quales optamus. Contra vero in Adoptatione ἑκούσιον quid est, et pro arbitrio nostro formamus nobis tales liberos quales volumus, et proinde magis illos amamus. Et hoc est quod ait Valer. Max. 'Genitos,' inquit, 'nascendi sors, fortuitum opus, adoptatos vero et adscitos, uniuscujusque solido judicio incoacta voluntas producit.' Sic Plin. in Panegyr. ubi de Trajano a Nerva Imp. adoptato agit: et Hadrianus sapientiss. Imperat. in Oratione quam jam ægrotus habuit ad Senatum. Et Ausonius de Antonino Pio ab Hadriano adoptato: 'Orbus et hic, sociatque virum documenta daturum, Adsciti quantum præmineant genitis.' Porro opposuit hic Statius illa duo: *necesse est*, et *juvat*. Ita ut τὸ *necesse est* hic idem sit quod ἀκούσιον, et quod in nostra potestate situm non est: τὸ *juvat* vero, ἑκούσιον, et quod sponte a nobis fit. Ita etiam Lucanus lib. VI. eadem opposuit, ubi inquirit, unde tantam vim habeat magia, ut etiam Deos futura prædicere cogat: 'Cujus commercia pacti Obstrictos habuere Deos? parere necesse est An juvat?' Ausonius vero, ubi de Trajano agit a Nerva Imp. adoptato, omnia Statii verba expressit: 'Nulla viro soboles: imitatur adoptio prolem, Quam legisse juvet, quam genuisse velit.' *Gevart.*

91 *Phœnix*] Amintoris filius, ut scribit Homerus: cum suadente noverca rem habuisset cum patris concubina, expulsus ad Peleum confugit: ubi hospitio susceptus, Achillis educationi datus est magister et agendi et loquendi: quod Fabius repetit. Phœnix item Agenoris pater, qui nomen Phœniciæ dedit. Phœnix fluvius, auctore Herodoto, qui labitur a Thermopylis in Asopum. Phœnix mons, ut ait Strabo. *Domitius.*

94 *Cumque procul Dyctis*] Danaë Acrisii filia in mare projecta est, una cum Perseo filio arca clausa: Dyctis piscator Seriphius retibus arcam cepit, domumque retulit, et educavit Perseum, Gorgonem Seriphiis qui ostendit, et in lapidem vertit, in matris ultionem: quam invitam ad nuptias adigere voluit Polydectes rex. Juppiter, inquit Papinius, pater Persei filium periclitantem neglexerat: sed Dyctis eum servavit et fovit. Plus ergo amavit qui eum aluit quam Juppiter qui genuerat. *Idem.*

98 *Reptantem pectore*] In amplexu. *Tutius*] Nam periclitatus est in utero matris conflagratione. *Domit.*

100 *Accam*] Duas Accas fuisse scribunt: alteram, amatam ab Hercule, cujus meminit Plutarchus in quæstionibus: alteram, nutricem Romuli, Faustuli pastoris uxorem. Hæc, ut Antias scribit auctore Gellio, grandem pecuniam meretricio quæstu comparavit: cujus hæredem moriens Romulum scripsit. Alii non Romulum, sed populum Romanum hæredem institutum aiunt. Addit Massurius, hanc habuisse duodecim liberos, ex quibus uno extincto Ro-

mulum adoptavit; qui se et fratres voluit Arvales nominari: unde Arvalium collegium dictum est, et institutum ne plures quam duodecim essent. Horum insignia erant spicea corona et infulæ. Plinius hujus collegii meminit: 'Neglexerat,' inquit, 'Ilia mater Romulum, sed Acca nutrix curabat.' *Idem.*

105 *Vagitumque rudem*] Vagitanus Deus infantium vagitibus præfectus fuit, ut penes quem vocis humanæ essent initia, auctore Varrone apud D. August. Civit. Dei, lib. VII. Fabulino autem Deo Rom. sacrificabant, cum primum fabulari, id est, fari, pueri incipiebant, eod. Varr. teste, apud Nonium. Plin. lib. VIII. 'Natura hominem tantum nudum, et in nuda humo, natali die abjicit ad vagitus statim et ploratum: nullumque tot animalium aliud pronius ad lachrymas.' Synesius Epist. 90. ad Theophilum: Δεινὸν, εἰ μηδέποτε μετὰ τῶν εὐημερούντων στησόμεθα, τοῖς δὲ κλαίουσιν ἀεὶ συνδακρύσομεν. *Iniqua sors esset, si cum hilariter et beate degentibus numquam conversaremur, et cum flentibus semper flere amaremus.* Id vero quis elegantius expressit quam Palladas, Vitæ Humanæ Speculo Epigrammate? Antholog. lib. II. T. 19. Δακρυχέων γενόμην, καὶ δακρύσας ἀποθνήσκω, Δάκρυσι δ' ἐν πολλοῖς τὸν βίον εὗρον ὅλον. Ὦ γένος ἀνθρώπων πολυδάκρυτον, ἀσθενὲς, οἰκτρὸν, Συρόμενον κατὰ γῆς, καὶ διαλυόμενον. Quod iisdem numeris Lat. reddimus: *Natus sum lacrymans, lacrymis denascor obortis, In multis lacrymis vitaque tota mea est. O genus humanum lacrymabile, debile, et ægrum, Quod reptat terræ, solvitur atque solo.* Morell.

106 *Ad austros*] Ad primum flatum austri qui exurit herbas. Æmulatio est Virgiliana: nam ille mortem Euryali per languentem florem expressit: 'Purpureus veluti cum flos succisus aratro Languescit moriens.' *Domitius.*

110 *Sive catenatis curvatus membra palestris*] Implicitis, διὰ τὰς πλοκάς. Ausonius Idyl. XV. 'Iras, insidiasque, catenatosque labores Mutandos semper gravioribus.' Pro 'continuis,' quando πόνος πόνῳ πόνων φέρει. Cathenam qui cum aspiratione scribunt, notatione Græca niti possunt, παρὰ τὸ καθ' ἕνα, a serie annulorum. *Morell.*

114 *Menandri*] Quo nomine multi fuerunt: ut est apud Suidam Dioppidis filius, luscus, insani in mulieres amoris. Personis comœdiæ exprimendis excelluit: suis temporibus posthabitus Philemoni, iniquo vulgi judicio ab eo sæpe victus, cum tamen præstaret. quod sequentia secula agnoverunt. Inde Martialis: 'Rara coronato plausere theatra Menandro.' Auctor item Fabius. In Thaide potissimum scorto sui temporis argutissime lusit: unde Thais Menandrea dicta est. *Domit. Orsa Menandri*] Poëtæ ordiri dicuntur. Silius Ital. init. 'Ordiar arma quibus.' Hinc orsa pro carminibus. Auson. Protrept. ad Nept. 'Conditor Iliados, et amabilis orsa Menandri Evolvenda tibi.' *Cruceus.*

116 *Rosea corona*] Ait ipsam Thaliam, delectatam suavitate legentis, perlascivam comam calamistris exornatam demta capiti corolla verberasse et conturbasse. Lascivitas et Comici sales subditi erant huic Musæ. Ausonius Idyll. XX. 'Comica lascivo gaudet sermone Thalia.' 'Verbera' talia erant Dearum aut Heroinarum, et sic 'Aëris in campis' Cupidinem crucifixum mulcant Heroides, et quidem ipsa Venus apud eundem Ausonium Edyll. VI. 'Nec satis in verbis, roseo Venus aurea serto Mœrentem pulsat puerum, et graviora timentem.' Musarum autem coronamentum fuisse rosas, pulchre, illustrato etiam hoc loco, docet Carolus Paschalius de Coronis lib. III. cap. 7. pag. 160. *Barth.*

120 *Lachesis cunabula dextra Attigit*] Ex prisco more Rom. quo ultima

die Hebdomadæ Parcæ ad scribenda pueri fata vel canenda advocabantur; ut ex Catullo intelligitur in Nuptiis Pelei et Thetidis; ex Ovidio in fab. Meleagri, et Tertull. Cunina vero Dea infantes in cunis tueri dicebatur, et ab iis Fascinum summovere. D. August. lib. laudato, et Lactant. de Fal. Rel. lib. I. Cuba autem præerat Cubili, cum a cunis ad cubile transferretur puer. Varro apud Non. *Morell.*

122 *Invidia*] Interpres hic: 'Invidia,' inquit, 'id est propter invidiam.' Male: neque enim Invidia hic auferendi casus est, quasi Lachesis per invidiam nutrivisset Glauciam, sed nominandi; nam Statius duas nutrices assignat Glauciæ, Lachesin et Invidiam. Plura dixit in hunc sensum Epiced. Pileti: 'Attendit torvo tristis Rhamnusia vultu,' &c. Subjungit Poëta: *Et monstrare artes, et verba refringere*] *Verba refringere*, hic est, quod Seneca Controvers. I. dicit, 'vocem extenuare:' 'Capillum,' inquit, 'frangere, et ad muliebres blanditias vocem extenuare, mollicie corporis certare cum fœminis, et immundissimis se excolere munditiis, nostrorum adolescentium specimen est.' *Gevart.*

130 *Pectora*] Fasciam pectoralem intelligit, quam pueri gestabant viridem plerumque. Juvenalis eam thoracem appellat: nam thorax Græce significat pectus: 'viridem thoraca jubebit Afferri.' Caligula tamen, ut scribit Tranquillus, liberis senatorum et uxoribus dedit fascias purpuræ: ita enim emendavimus dictionem apud Tranquillum depravatam, fasces pro fascias; ut in commentariis in Suetonium diximus. *Domitius.*

132 *Modo puniceo velabat amictu*] Sunt qui dicant herbas hic fuisse depictas in toga; sed verius Statium viridem colorem designare, qui alias 'herbidus' dici solet. Ita Surrentino Pollii, de viridi Lacedæmoniorum marmore: 'Hic et Amyclæi cæsum de monte Lycurgi Quod viret, et molles imitatur rupibus herbas.' *Gevart.*

134 *Nunc vivis digitos incendere gemmis*] Ex eo videlicet gemmarum genere, *ὧν ἀκραιφνὴς ἐκ βάθους ἐαρινή τις ὥρα πυρσεύεται*, ut de fulgore et igneo vigore Amethysi Æthiopissæ scribit Heliodorus *Αἰθιοπικῶν* lib. v. *λίθον ὁρᾷν πάρεστι τῇ φλογὶ λαμπόμενον*. *Morell.*

142 *Editus Creusa*] Ut alii scribunt, Glauce Glaucen Creontis regis Corinthiorum filiam Jason uxorem duxit, ejecta Medea; cum illic decem annos fuerat, ut scribit Diodorus. Sed illa ulta est injuriam, immisso incendio naphthæ: quod est bituminis genus, ut etiam scribit Plinius in secundo Naturalis Historiæ. *Æolia*] Ab Æolo oriunda: fuit autem Creontis. *Creusa*] Quam pellicem suam præcipue oderat. *Domitius.*

147 *Crinem tenet infera Juno*] Ex superstitione veterum, qui credebant neminem mori posse nisi Proserpina prius illi crinem ex vertice abstulisset. Vide Virgilium Æn. IV. *Bernart.*

154 *Gratum est fata tamen, &c.*] Non potuit hæc verba concoquere in suis Apophoretis vir doctus, et ingenue fatetur ignorare se, quid illa *fata* sibi velint, dum Poëta ait: *Gratum est fata tamen.* Quod si tamen, inquit, fata homini mutare liceat, suspicatur legendum: *Gratum est solamen*, vel: *Gratum est forte tamen.* Sed, ut subjungit, fata movere nimis operosum est. Et certe ex hoc loco movenda non sunt. Solum enim Adverbium vocandi, *o*, quod virum doctum fefellit, subaudiendum est. Alloquitur Poëta ipsa Fata, et inquit: O Fata, gratum est, quod non, &c. Sic alibi: 'O fata! quis error Imperat?' Summa cura erat Romanis olim et Græcis ut vultu ac membris omnibus decenter essent compositi et ornati, dum

moreventur. Sueton. de Augusto moribundo: 'Supremo die, petito speculo capillum sibi comi, ac malas labentes corrigi præcepit.' *Gevart.*

157 *Qualis erat*] Quod idem valet, ac si diceret, eadem forma, eodem habitu, vultu et cultu quo vixerat, nihil omnino mutatus. Sic Theb IV. de Atalanta, quæ subito infaustum nuncium acceperat: 'Fugit sylvas pernicior alite vento Qualis erat, correpta sinus, et vertice flavum Crinem sparsa notho.' Idem valet huic simillima locutio: 'Sicut erat.' Noster Theb. VII. de Amphiarao: 'Non arma manu, non frena remisit, Sicut erat, rectos defert in Tartara currus.' *Idem.*

160 *Graminis Indi*] Id est costi, cujus radix in summo precio est apud Indos, gustu fervens, odore eximio. Nascitur in primo statim introitu Indi amnis in Patale insula; duobus generibus, nigro, quod præstantius est, et candicante. *Domitius.*

161 *Quodque Arabes, Phariique (palam est vidique) liquores, Arsuram lavere comam*] Illudit nobis hoc loco Calderinus, qui *Pharios liquores* hic 'aquam rosaceam' esse ait; 'nam,' inquit, 'ex Ægypto et copia et præstantia rosarum proveniebat. Unde Martial. assentando: 'Mitte tuas messes, accipe, Nile, rosas.'' Hæc ille: quæ omnia aperte et absurda et falsa sunt; et valde miror, Politianum, qui tam acrem sese hujus Calderiniani Commentarii censorem professus est, ut etiam minutissima quæque reprehenderit, hæc non observasse. Nam in primis tanta rosarum copia Romæ erat, ut jure illi qui rosas Romam mittebant, Athenas noctuam, et Venetias vitra portare dicti fuissent. Illud satis constat ex eodem illo Epigrammate Martialis, quod Domitius in erroris sui fulcimentum adducit. Ibi enim ridet Martialis Ægyptum, quæ Cæsari pauculas rosas miserat instar magni muneris, cum Romæ iis abundarent. Vide lib. VI. Epigr. 80. Unde clarum est perperam a Domitio hoc Martialis Epigramma esse adductum, 'et quæ de aqua rosacea' somniavit, esse falsa. Quid ergo per *Pharios liquores* hic intelligendum? Notandum ad hoc, Ægyptios omnium mortalium primos unguentorum mixtiones excogitasse, et cæteris nationibus distribuisse, ut recte observavit H. Mercurial. Var. lib. III. cap. 19. Hinc apud Hippocratem quatuor Ægyptiorum Unguentorum genera reperiuntur, quæ ordine recenset et explicat Galenus in Lexico Hippocratico. Primum simpliciter vocatur Αἰγύπτιον ἔλαιον, alterum, Αἰγύπτιον ἔλαιον λευκὸν, *oleum Ægyptium album.* Tertium, Αἰγύπτιον μύρον λευκὸν, *unguentum Ægyptium album.* Quartum simpliciter Αἰγύπτιον μύρον. Describit vero hoc unguentum Theophrastus in libello περὶ 'Οσμῶν, his verbis: Τὸ δὲ Αἰγύπτιον μύρον ἐκ πλείονων· ἔκ τε τοῦ κινάμώμου, καὶ ἐκ τῆς σμύρνης, καὶ ἐξ ἄλλων· ἔτι δὲ ἐκ πλειόνων τούτων τὸ μεγαλεῖον. *Ægyptium unguentum ex pluribus, ex cinnamomo scilicet, myrrha, atque aliis: adhuc ex pluribus quam istud componitur megaleum.* Plura de hoc unguento vide apud Athenæum Dipnosoph. lib. XV. Ex his satis patere arbitror, Poëtam nostrum per *Pharios liquores* unguentum hocce Ægyptium innuisse. *Gevart.*

162 *Arsuram lavere comam*] Mens: Croci, costi, nardi, myrrhæ, aliorumque liquorum acervos in Glauciæ rogum conjectos: ritus plene mihi explicatus ad Theb. VI. Addo nunc non Judæos solum, quod ex sacra historia notum, sed et antiquiores Christianos hunc morem tenuisse: Tertullianus Apologetico: 'Thura plane non emimus. Si Arabiæ queruntur, sciant Sabæi pluris et carius suas merces Christianis sepeliendis profligari, quam Diis fumigandis.' *Bernart.*

168 *Extimui! tune ille*] Apage inceptam lectionem. Scribatur ocius

autoribus Senensi Ms. Rom. et Veneto Codicibus: *tune ille hilaris comisque videri?* ut 'parvusque videri, Sentirique ingens,' in Hercule Vindicis. 'Exiguus videri' in Theb. VI. Eod. libro 'immanis cerni immanisque tueri.' Ita enim legendum ex Ms. et vetustissima editione. Terribilis, inquit, visu aliis videbatur, et revera erat. Vulgo: 'timeri.' *Gronov. in Diatr.* c. 16.

172 *Frigida lambis, &c.*] Tangit morem veterum, quo amici morientem osculabantur, quasi excepturi fugientem animam. Cic. in Verr. 'Filiorum suorum spiritum ore excipere liceret.' Virgil. Æneid. IV. 'Et extremo si quis super halitus errat Ore legam.' *Cruceus.*

176 *Agger Milvius*] Pons Milvius; describit enim locum sepulturæ: nam in Flaminia est sepultus ultra Milvium pontem. Martialis: 'Hoc sub marmore Glaucias humatus Juncto Flaminiæ jacet sepulchro.' *Domitius.*

178 *Gemitum formaque ac voce meretur*] Non fallit vitium attentum lectorem: qui enim potuit puer mortuus gemitum populi non forma solum, sed et voce mereri? mortuusne loquebatur? Non longos logos. Subscribo Musarum filio Gulielmo nostro rescribenti, *formaque, avoque meretur;* nec est quod audacem hanc conjecturam dicas: authoritas et ratio ab ea stant. Authoritas Papinii, qui hoc eodem Epicedio: 'Hinc anni stantes in limine vitæ, Hinc me forma rapit.' Ratio, priscæ scripturæ ductus, qua, doctis notum, C. et Q. sæpius permutantur. Quis abnuat veteri hac consuetudine scriptum, *quoce?* et hinc erroris hujus maculam irrepsisse? non tu, erudite lector. *Bernart.*

181 *Anguiferæ Lernæ*] Ob Hydram novem capitum, quam ad Lernam Hercules occidit. Vide Hyginum cap. 30. Apollodor. lib. II. et al. De angue illo altero Archemori seu Opheltis interfectore Papin. Theb. V. commodum a nobis enarratus. *Barthius.*

189 *Gaudenti virga*] Nam Mercurius dicitur habere virgam, quoniam orationis Deus et Deorum interpres est. Caduceum autem habet nodo serpentum obsitum, ut describit Macrobius virgam. Virgil. 'Tum virgam capit: hac animas ille evocat orco Pallentes.' Plinius XXIX. Naturalis Historiæ. Hic tamen complexus anguium et efferatorum concordia esse videtur, quare exteræ gentes caduceum in pacis argumentis circundata effigie anguium fecerunt. *Domitius.*

191 *Blæsus*] Puer fuit quem unice dilexit Melior: ejus mortui statuam domi servabat, et quo magis illius desiderium leniret, Glauciam libertum acceperat. Ait itaque Papinius, Glauciam, cum ad Inferos descendisset, agnovisse umbram Blæsi, cujus imaginem viderat sæpe ornari sertis a Meliore. Hujus Blæsi meminit et Martial. *Domitius.*

192 *Serta ligantem*] Statuam aut effigiem coronantem. Recte de cognato aliquo Atedii intelligas. Et fuit, puto, de familia 'Junii Blæsi,' quem magnopere, Vitellianis temporibus eversum, laudat Corn. Tacitus. *Barth.*

197 *Summos amictus*] Movet, inquit, laciniam Blæsi; quod cum Blæsus non ægre ferret, et illum tamen non agnosceret, puer audacius sequi cœpit. *Domitius.*

203 *Quæ munera mollis Elysii, steriles ramos, &c.*] Hoc est, quod Libanius in Encomio Justitiæ, nondum, quod sciam, edito, justum ad Inferos profectum ait Κήπους καὶ ἄνθη καὶ αὔρας ὀνειροπολεῖν. *Hortos et flores et auras quasi in somnis videre.* Additque μόνοις τοῖς δικαίοις καλὰ μὲν τὰ τῇδε, καλλίω δὲ τὰ ὑπὸ γῆν. *Solis justitiæ cultoribus præclara quidem esse quæ hic occurrunt: præclariora vero quæ infra terram.* Morell.

210 *Obeunt noctesque diesque, &c.*] Catullus: 'Soles occidere et redire

solent.' Sen. in Herc. Œt. 'Amissum trepidus polo Titan excutiet diem: Cœli regia concidet, Certos atque obitus trahet.' Adi Davidic. Hymnum CI. *Idem.*

218 *Quicquid habent ortus, finem timet*] Hæc structura verborum et enallage numerorum teretes radit auriculas. In cod. pereruditi Turnebi adscriptum erat: *Ortus quicquid habet, finem timet.* quod cujus animo et auribus non satis faciat? Sic apud chorum Trag. Senecæ, in Herc. Œt. A. 3. 'Quod natum est, poterit mori.' Philosophus in Timæo: Τὸ γιγνόμενον καὶ ἀπολλύμενον, ὄντως οὐδέποτε ὄν. *Quod gignitur et interit, nunquam esse vere potest.* Morell.

219 *Urnam quatit, &c.*] Id est: Nemo ex innumerabili hominum copia non adigetur sub judicium Æaci, Animarum Quæsitoris. Vide Petrum Greg. Tholos. Syntagm. Juris Univ. lib. XLVII. cap. 23. adde Franc. Polletum lib. v. Fori Romani cap. 7. De Æaco vide Isocratis Evagoram, Plat. Gorgia, et Mythologos utriusque linguæ. *Barth.*

230 *Nec diræ comes*] Omnium hæc toto Papinio corruptionum crassissima et obscurissima est, ideoque nec ab ullo ex interpretibus tacta. Quis autem *comes* iste? Quæ ista *fera?* Putidæ sunt correctorum et exscriptorum veteris lectionis ignorantiæ et temeritates. Non facilis quidem emaculatio, quoad literas vocum, certa tamen et indubitabilis ad rerum expeditionem et efflagitationem. Ideoque scripsit Papin. *Nec trinæ canis ille feræ.* Cerberum dicit, unum canem, sed trium ferarum capita præferentem. Quæ cum sit acutior et Papiniana complexio verborum, facillime decepit semihomines illos quos diximus. *Barth.*

233 *Et periisse nega*] In Scholiorum cantibus in laudem et gratulationem Harmodii liberatoris solenne fuit accinere, οὔτι πω τέθνηκας. *Nequam interisti.* Ex Aristidis Epiced. in Eteon. *Morell.* *Desolatamque sororem*] Id est, solam relictam: Statius Theb. I. 'Quod desolata domorum Tecta vides.' Suetonius Caligula, cap. 12. 'Cum deserta desolataque reliquis subsidiis aula.' Tacitus: 'Desolatus etiam paulatim servilibus ministeriis.' D. Cyprianus Epist. XXXIV. 'et desolatam per lapsum,' &c. *Bernart.*

CARM. II. *Surrentinum Pollii*] Salisb. *Villa Surrentina Polli et elicis.* Rhod. *Villa Surrentina Pollii Felicis;* quod cur repudiaremus, causa non erat *Gronov.*

1 *Est inter notos, &c.*] Qui ex hoc versu Surrenti Campanorum Pompeiis contigui notationem petunt, quasi a Sirenis nomen ductum et fictum sit, næ illi parum vident, primum quam repugnet orthographia, cum Sirenes Græca diphthongo primam syllabam insignitam habeat: at Surrentum etiam Græcis per υ et geminum ρ, Σύῤῥεντον, scribitur: Straboni lib. I. et v. Σύραιον: nec animadvertunt promontorii hujus partem alteram tantum, quæ νησίδας ἐρήμους πετρώδεις, tres parvas insulas, seu verius petras, habebat, Sirenum quondam sedem fuisse, autore Plinio: Sirenusas indigitant Geographi: quam vocem apud Strabonem depravatam feliciter restituit Is. Casaubonus in eruditissimis comment. Cum id promontor. ab altera parte haberet 'Αθηνᾶς ἱερὸν, 'Οδυσσέως ἵδρυμα, Minervæ, quam mox Tyrrhenam vocat Statius, fanum ab Ulysse conditum: indeque 'Αθήναιον appellatum. *Morell.*

3 *Dicarchei*] Dicarchea olim dicti sunt Puteoli, a δίκη, quod significat *justitiam*, qua potissimum regebatur, ut Festo placet. Postea Puteoli dicti, vel a frequentia puteorum qui ibi sunt, vel a putore, ut scribunt Varro et Strabo. Addit Strabo, putorem illum sulphureum inde natum esse, quod gigantes olim in bello Phlegræo

separatim illic laverunt vulnera. *Domitius.*

5 *Non invidet, &c.*] Qui invidet, minor est. Vinum Surrentinum non invidet Falerno, id est, ei non cedit, teste Strabone, qui addit illud Παλαίωσιν δέχεσθαι, *ætatem ferre.* Vide Athenæum. *Cruceus.*

8 *Conversa gymnade*] Gymnas Græce idem est quod gymnasium; sed a Papinio pro lucta accipitur hic et in Achilleide. Jam (inquit) res nulla restabat perfectis ludis Parthenopeis ubi luctantibus præmia proponuntur in Ambracia, unde sumus oriundi; nam pater habuit Sellas patriam in Ambracia, ut antea dictavimus. *Stadio Parthenopeo*] Lustri patrii: post quinquennales ludos quos in Parthenope patria spectaveram. *Domitius.*

12 *Appia tersarum, &c.*] *Tersam* fuisse hanc viam vel ex solo Procopio patet, qui ait: 'Et quamvis tot jam sæculis atterantur assiduis plaustris jumentisque, tamen neque serie sua vel minimum exeunt, aut dimoventur, neque franguntur, aut lævorem suum amittunt.' Lipsius tamen in Admirand. et Fabricius Rom. sua, ubi hunc Poëtæ nostri locum advocant, legunt: *Appia longarum teritur regina viarum.* Non male etiam; nam Procopius idem tantam hujus viæ longitudinem fuisse scribit, 'ut eam quinque dierum spatio vir expeditus vix posset emetiri.' *Gevart.*

19 *Chorus Phorci*] Nymphæ, inquit, marinæ cupiunt lavari balneis. *Domitius.*

22 *Excubat*] Templum, inquit, illic est Neptuni: unde fluctus imperio coërcentur, ne sæviant in lares innocuos et pios. *Idem.*

24 *Gaudet gemino sub numine portus*] Diomedi Homerico placent, Σύν τε δύ' ἐρχομένω. Nasone interprete: 'Non caret effectu, quod voluere duo.' *Morell.*

34 *Qualis si subeas Ephyres*] Corinthus dicta est Ephyre ab Ephyre nympha, ut scribit Pausan. et interpres Apoll. postea Corinthus a Corintho Jovis filio. Baccheis dicitur; nam familia Bacchiadum annis ducentis Corinthum tenuit, ut Strabo scribit. Cypselus tyrannus eos delevit. Hi sunt quorum factione Tarquinius et Demarathus domo ejecti sunt, ut scribit Dionysius Halicarnasseus. Ovid. 'Et quæ Bacchiadæ bimari gens acta Corintho.' In Chrysæo sinu alterum cornu tenet, ut ait Strabo; alterum et Cenchreæ vicus et portus, ab urbe Corintho distans stadiis septuaginta. Talis, inquit, porticus est a littore ad villam Pollii, qualis via est Lechæo cornu Corinthum; nam ea quoque tecta est in speciem porticus. *Domitius.*

38 *Ungula sedet equi*] Scribe divisa voce, *se det equi.* Usitatissima phrasis Statii. Ut in equo Max. 'Et cui se totis Temese dedit hausta metallis.' *Gronov. in Diatr.*

39 *Phœmonoë*] Phœbi filia fuit, ut scribit Plinius, et Pausanias: quæ prima, ut ille ait, carmen heroicum cecinit. *Domitius.*

58 *Discentia jugum*] Quæ nunc serviunt: cum prius indomita viderentur. *Domitius.*

59 *Intrantesque domos*] Interpretes aiunt, *Intrantes domos* hic esse, 'reconditas sub saxis.' Quin potius Poëtice dixit Papinius domos recenter exstructas, jam quasi intrare et migrare ad hunc locum, qui ante omnino incultus erat. Opponit enim illa duo: 'montem recedere,' et 'domos intrare.' *Gevart. Intrantesque domos, &c.*] Nescio an docti homines satis ceperint illud, *recedere montem.* Hoc enim est non abire, sed, quod alii dicunt, 'reduci,' ut Horatio 'reducta vallis.' *Gronov. in Diatr.*

60 *Jam Methymnæi fatis manus*] Arionem intelligit; is enim ex Methymno oppido Lesbi. Martialis: 'Sic Methymnæo gavisus Arione Delphin.'

Ovidius: 'Et Methymnææ potiuntur littore Lesbi.' Hinc non inscita periphrasi per Lyram Lesbiam eundem Arionem designavit Ovidius Fast. II. dum ait: 'Lesbida cum domino seu tulit ille lyram.' *Bernartius.*

61 *Thebais*] Id est, cythara Amphionis Thebani: nota historia plectri Getici Orphei, qui Thrax fuit, Œagri filius: qui musice omnes superavit, ut scribit Diodorus. Edidit poëma mira suavitate refertum. In Ægyptum navigavit: unum cærimoniarum usum ad Thraces detulit. Inter Argonautas cecinit historiam de chao et exordio mundi; ut est apud Apollonium. Nunquam fuisse Orpheum scribit Cicero in divinatione. Græci vero quinque Orpheos contendunt: quorum nomina, opera, patriam, in commentariis Silii recitavimus. Thamyras item Philamonis filius et Arsinoës. Thracius dictus est ex Edonis urbe: sive Odrisius, ut scribit Pausanias, quoniam illic sit natus. Is theologiam scripsit tribus millibus versuum. Nunc de Orpheo intelligit Papinius: 'Cedat,' inquit, 'gloria cytharæ' Orphei, Arionis, et Amphionis, quod olim bruta et inanimata allexerit sono; nam et 'tu moves saxa.' *Domit.*

63 *Quid referam veteres*] Plinius tamen excludit imagines omnes ab atriis nisi cereas, vide lib. XXXV. cap. 2. 'Aliter,' inquit, 'apud majores in atriis hæc erant, quæ spectarentur, non signa externorum artificum, nec æra aut marmora: expressi cera vultus singulis disponebantur armariis, ut essent imagines quæ comitarentur gentilitia funera, semperque defuncto aliquo totus aderat familiæ ejus, qui unquam fuerat, populus.' Vide Dempst. paralip. ad Rosin. p. 45.

68 *Æraque ab Isthmiacis auro potiora favillis*] Æs Corinthium intelligit. Corinthus siquidem oppidum Achaiæ, fere in medio Isthmi Peloponesiaci situm. Strabone et Diodoro testibus, L. Mummio Consule et Duce a Romanis incendio deletum, quod quidem incendium æs Corinthium conflavit. Florus lib. II. cap. 16. 'Quantas opes et abstulerit et cremaverit hinc scias, quod quidquid Corinthii æris toto orbe laudatur, incendio superfuisse comperimus. Nam æris notam preciosiorem opulentissimæ urbis fecit injuria, quia incendio perustis plurimis statuis atque simulachris, æris, auri, argentique venæ in commune fluxere.' Vide et Isidorum lib. XVI. cap. 19. *Bernart.*

70 *Quos tibi cura sequi*] Inventum fuit Asinii Pollionis ut imagines bibliothecis ponerentur, qui primus bibliothecam publicavit: eorum scilicet quorum animæ immortales in iisdem loquebantur: sed luxus temporum novas quoque et alienas imagines formavit. *Domitius.*

73 *Sua cuique voluptas*] Delicias Romanorum observa, lector, qui cubicula villarum suarum juxta aquas collocabant, ita ut e lectulo maria possent contemplari. Martialis ad Faustinum: 'Et non unius spectator lectulus undæ, Qui videt hinc puppes fluminis, inde maris.' Plinius Junior lib. IX. Epist. 7. de Villis duabus quas juxta Larium lacum habebat: 'Altera,' inquit, 'imposita saxis more Baiano, lacum prospicit: altera, æque more Baiano, lacum tangit.' *Gevart.*

76 *Inarimen*] Ante Misenum insula est. Homerus, ut Strabo quidem accipit, duas dictiones fecit, εἰν Ἀρίμοις. Nostri conjungentes Inarimen dixerunt. Tiphœus illic sepultus est. Silius: 'Non ardentem sortita Tiphœum Inarime.' *Prochyta*] A Pithecusis divulsa est, ut ait Strabo; Plinius, ab Inarime: nam Pithecusæ et Inarime idem est. Dicta a προχύω, quod est profundo; nam profusa est Prochyta: cujus mulieris meminit Dionysius Halicarnasseus. *Domit.*

79 *Inde vagis omen felix Euplœa Carinis*] In eodem cod. M. Turn. adscriptum, *Inde cavis om.* Lib. III. in eadem χωρογραφίᾳ, 'numenque Euplœa carinis.' Unde ambigat quis an hic *omen*, vel illic, 'numen' reponat. Nam et Euplœæ Venus apud Pausaniam cognomen habet. Jam vero olim in παρασήμῳ (quod Tacitus insigne dicit navium) boni ominis causa inscriptum fuit, εὔπλοια, *prospera navigatio;* vel πρόνοια σώζουσα, *Providentia sospita;* vel θεραπεία, *cultus Deum*, Plutarcho autore, in συνόψει τοῦ ὅτι παραδοξότερα οἱ Στοϊκοὶ τῶν ποιητῶν λέγουσι. *Morell.*

80 *Megalia*] Nomen prædii erat Pollii ita appellatum: vel legas *Megaria;* nam inter Pausilippum et Neapolim, ut scribit Plinius, est Megaris, seu malis legere *Megalia:* ut conveniat uterque auctor. *Domitius.*

82 *Tuus Limon*] Nomen prædii Pollii, a portu ita appellatum. Λιμὴν significat *portum:* vel legas *Limon*, ut sit prædium pratis virens; nam λειμὼν significat *pratum:* ut dicimus daphnona, lauretum, platanona, locum consitum platanis. Angitur, inquit, tuum prædium, domino absente a regione; et tanquam invidens spectat villam Surentinam procul. *Domit.*

83 *Una diætis*] Cœnaculum est in quo æstate cœnatur ad umbram, hieme ad solem, ait Varro. Suetonius Claudio cap. 10. 'In Diætam cui nomen est Hermetum recesserat.' Scævola Jurisconsultus l. LXVI. D. de donat. inter virum et ux. 'cum separata diæta ab eo esset.' Rogandi nota post τὸ *Syenes* et τὸ *agros* adscripta sententiam turbat, quam me authore liceat tollas. *Bernart.*

85 *Metallis*] Lapicidinis. Nam metalla sunt venæ tam lapidis quam æris et aliarum rerum. Plinius: Et ubicumque una inventa vena est, non procul invenitur alia: hoc quidem et in omni fere materia: unde metalla Græci videntur dixisse; nam μεταλλεύω significat *indago.* Domit.

87 *Synnade mæsta*] Ob perpetuos Atyos exsecti luctus et furores. Ibi enim Corybantes perpetuo se vulnerabant exscindebantque ad sacra Cybeles. Describit ea sacra Claud. de Raptu Pros. lib. I. 'Synnadicum marmor' Phrygium. Vide supra ad Tiburt. Vopisci, Cl. Salmas. ad Histor. August. p. 267. *Barth.*

92 *Thasos*] Thason e Cycladibus insulis unam Parii incoluerunt: ex qua maculosum marmor mittebatur, ut scribit Plin.

93 *Et Chios*] Plinius: Primum, ut arbitror, versicolores istas maculas Chiorum lapicidinæ ostenderunt, cum extruerent muros. *Domit.*

95 *Grata probus, quod grata frequentas*] Forte rectius legatur: *quod Graja probas, quod Graja frequentas, &c.* Nam de Neapoli ipsi sermo est, quæ olim a Græcis habitata. Unde 'Græca urbs' peculiariter appellata. Vide Nost. Epiced. Patris, ubi Neapolim alloquitur, et Tacit. Annal. XV. de Nerone: 'Non tamen Romæ incipere scenas ausus, Neapolim, quasi Græcam urbem, delegit.' Vide præterea Scaligerum de Emendat. Temp. *Gevart.*

99 *Madidas Bacchæo nectare rupes*] Inter cætera vina veteres maxime probarunt (si Plinio credimus lib. I. cap. 6. id adfirmanti) Surrentina, eo quod nec caput tentarent, stomachi et intestinorum rheumatismos cohiberent. Ceterum Tiberius Cæsar, eodem Plinio authore, dicere solebat: 'consensisse medicos ut nobilitatem Surrentino darent, alioquin esse generosum acetum.' *Bernart.*

101 *Scopulos*] In quibus sunt vates et Satyri. Satyri fabulosi sunt apud Poëtas: ab historicis dicuntur esse in Africæ desertis ad orientem; lascivireque Atlante monte: præter os nihil habentes humanum. Macrob. a σάθη dictos putat, i. e. *membro virili*, quod libidinosi sint. *Domit.*

106 *Panes*] Pan ore caprino, hircinis cruribus, colitur a Mendesiis tanto in honore illic (auctore Herodoto) ut ab ejus nomine urbs condita sit: quam Chemin vocant, id est Panos urbem: nomen est Arcadiæ et Campanorum: quod intelligi voluit Silius. *Idem.*

107 *Sis felix tellus dominis ambobus, in annos*] Domitius intelligit hic 'dominos' Pollium et Jul. Menecratem. Sed plane præter rem: nusquam enim toto hoc Carmine Menecratis mentionem fecit Poëta. Quare sine dubio Herculem et Neptunum innuit, qui villæ hujus quasi præsides. *Gevart.*

111 *Therapnæi placeant vineta Galesi*] Galesus Calabriæ oppidum est, prope Tarentum. Ptolemæus, Strabo, et alii videntor: cæterum vina Tarentina nec sua caruere gloria. Consule Plin. l. XIV. c. 6. Virgil. l. I. 'Qua niger humectet flaventia culta Galesus.' At cur *Teraphnæi Galesi*, cum, quod omnes sciunt, Teraphnæ Laconiæ urbs sit, non Calabriæ? hæret hic vir doctus, et prope est ut adhærescat. non turbemur. elegantissimus poëta, serio agens quod agere non videtur, more suo occulte historiam tangit. Tarentum a Tara ædificatum, a Laconibus expugnatum fuit duce Phalante. Vide Justinum lib. III. *Bernart.*

114 *Seu dissona nectit Carmina*] Per *disso carmina*, Interpres Carmen elegiacum intelligit. Inepte. Lyricum notat Poëta, quod 'dissonum' vocat ob strophas et antistrophas. Nam paulo post eundem Pollium in Lyricis excelluisse innuit, dum ait: 'Ac juvenile calens, plectrique errore superbus.' Quo loco etiam frigida Domitii interpretatio est, qui ait Pollium ideo 'plectri errore superbum' dici, vel 'quia superbus cythara, in qua errat plectrum dum pulsatur:' vel 'quia superbus erat laude carminis, qua per errorem efferimur.' Hæc ille: et quamvis prior ejus interpretatio rejicienda non sit, existimo tamen Poëtam hic 'errorem plectri' dixisse ob Lyricorum gestum et canendi modum. Nam quemadmodum errantium vertigo est ab occasu in ortum, ita Lyrici dum a læva in dextram obvertebantur, 'antistropha' uti dicebantur, 'stropha' vero, ubi a dextris in lævam fiebat conversio. Itaque lyram pulsantes ab uno latere in alterum se vertebant, et quasi errabant, unde suavissime Poëta 'plectri errorem' dixit. *Gevart.*

115 *Iambon ultorem*] Iambicum carmen quod Archilochus poëta Parius, ut Strabo, ob spretam filiam a Lycambe in ultionem primus invenit, compulitque maledictis et acerbitate ad laqueum. Eodem usus est Hipponax poëta in Bubalum et Anthermum sculptores, quoniam cum deformis esset, ab his in contemptum effictus fuerit; tametsi Plin. non assentitur. *Domit.*

122 *Troica et Euphr. &c.*] Jamdudum docta manus concinnius scribi putavit: *et Euphratæ et supra.* Sed Papinius reliquit, *Euphratæa supra.* Gronov. in Diatr.

123 *Quem non ambigui*] Ex sententia Epicuri, cujus philosophiam sectabatur Pollius, ait eum veræ vitæ vacare: nam Epicurus vitam appellabat id solum tempus, quo operam damus voluptati cum virtute, nec angimur curis. *Domit.*

125 *Spemque metumque domas*] Veram ad quietem et tranquillitatem animi viam quasi digito ostendit: quam qui pede recto peragraverit, attinget haud dubie in vitæ istius Circo candidam beatæ vitæ metam. Hinc Poëta: 'Rex est qui metuit nihil, Rex est quique cupit nihil: Hoc regnum sibi quisque dat.' *Bernart.*

130 *Optare parati*] Fontem malorum aperit, veram humanæ miseriæ causam: enimvero ut canis aperto ore frustra frusta casei aut panis a

domino missa captat, protinus quicquid exceperit devorat, semper ad spem futuri hiat: sic miseri mortales nunquam nostra sorte contenti vivimus, quid consecuti sumus nunquam cogitamus, semper ad rapinam alterius erecti et attoniti: miselli! alienissimi a vera solidaque virtute. *Bernart.*

138 *At nunc discussa rerum*] Levis correctio est, sed quam me vix spero magistris probaturum, quibus paronomasia blandietur: *discussa verum caligine rerum Aspicis.* Frequentissime ita Papinius, ut fere putidum sit notare. *Gronov. in Diatr.*

139 *Jactantur*] Scribendum *jactentur.* Tu qui semel emersisti, nunquam te denuo credes isti tempestati. De errore juvenili Pollii. Sensus est in illo veteris Latini Poëtæ, quod elegantissimo Græco versu expressit Joseph. Scaliger: Δεύτερος ναυηγὸς οὐκ εὖ τῇ θαλάττῃ μέμφεται. Prolixe errat, quem ostendit hic vocula *rursus.* Barth.

150 *Strangulat arca Divitias*] *Strangulare divitias*, est avarorum more constipatas et congestas arca servare, et velut opprimere. Estque contrarium τοῦ *fœnerari.* Nam qui pecuniam ad usuram exponunt, illorum numi fœcundi sunt, et novos generant; sed qui illam arcis suis conclusam tenent, illi opprimunt, et suffocant eam, ita ut novam pecuniam generare non possit. Hinc Aristoteles I. Polit. c. 10. eleganter adnotavit τόκος, *fœnus*, a verbo τίκτειν, quod *parere* significat, dictum esse, quemadmodum Latinis *fœnus* a *fœtu.* Similes porro locutiones sunt illæ Martialis: 'Flagellare,' et 'Vexare opes,' 'Flagellare annonam,' &c. Philostratus eleganter, δεσμωτήρια πλούτου, id est *Pluti carcerem*, vocavit arcas, aliaque id genus repositoria, quibus pecuniæ veluti captivæ detinentur ab avaris, ne in usum veniant. Addit Poëta: *expositi census*, id est, qui in usum amicorum liberaliter eroganttur. Sic Epiced. Patr. 'Expositos mores,' id est, faciles, dixit: 'Quid referam expositos, servato pondere, mores?' Et Epiced. Stellæ, 'Expositum limen,' omnibus patens: 'Licet expositum per limen, aperto Ire, redire gradu.' *Gevart.*

152 *Docta fruendi Temperies*] Ἡ μετριότης εὔκρατος καὶ εὐγνώμων. Hanc auream mediocritatem diligens Ausonius ait: 'Ex animo rem stare æquum puto, non animum ex re: Ille opibus modus est, quem statuas animo.' *Morell.*

CARM. III. 1 *Nitidi Melioris*] Atedius Melior adeo splendidæ et elegantis vitæ fuit, ut peculiari nomine 'Nitidus' vocaretur, ut hic a Statio et Martiale lib. I. 'Divitior Crispo, Thrasea constantior ipso, Lautior et nitido sis Meliore licet.' Et Horat. 'nitidum' rustico opposuit: 'Ex nitido fit rusticus.' Juvenal. Sat. II. 'Hæc eadem illi Omnia cum faciant, hilares nitidique vocantur.' Noster 'nitorem' pro liberalitate et splendore rei familiaris sæpe ponit, ut Lach. Hetrusci: 'Testis adhuc largi nitor inde assuetus Hetrusci.' *Gevart.*

8 *Nympharum teneræ fugiebant Pana catervæ*] Eo lepidior hæc fictio est, et ingeniosius commentum, quod accedat ad fabulam quam in principio Phædri commemorat, ut Aquilo ab Ilisso Orithyiam sustulerit, non longe a procerissima platano: Οὐκ ἐνθένδε μέν τοι πόθεν ἀπὸ τοῦ Ἰλυσσοῦ λέγεται ὁ Βορέας τὴν Ὠρείθυιαν ἅρπασαι. *Morell.*

10 *Pholoën*] Pholoë nomen ancillæ apud Virgil. quæ dicta est Sergesto, *Cressa genus Pholoë.* Idem nomen apud Horatium. Pholoë mons cum oppido in Arcadia. Pholoë hic pro una ex Naiadibus. *Domit.*

12 *Rura Caci*] Cacus notus carmine Virgiliano. Hunc malum vicinum fuisse interpretatur Columella; Solin. et Diodorus, furem, quem ipse Lycinium appellat. Speluncam ha-

buit in Aventino. Ovid. 'Cacus Aventinæ timor ac infamia sylvæ.' *Idem.*

16 *Flavos collegit*] Prima Veneta: *fluvidos;* lege: *fluidos collegit amictus Arctius.* Fluentes, sinuosos. *Gronovius.*

19 *Suspiria librat*] Anhelitum ex cursu vehementem compescere nititur. Pari figura Horat. 'Sublimi fugies mollis anhelitu.' Idem anhelitu potentiori, quam ut tu eum possis in ordinem redigere. *Barth.*

22 *Aventinæque legit vestigia terræ*] Scite; in Aventino enim Diana templum celebre habebat, ut omnes sciunt. *Bernart.*

25 *Pecus*] Faunos, Satyros, et Panes. *Domit.*

38 *Immitem Bromium*] Sensus esse potest: Pana, qui comes Bacchi esse solet, conquestum esse Bacchum sibi non favere, et adesse ut sperato Nymphæ complexu frueretur. Sed maximus Scaliger ad Propert. legendum docet: *Immitem Brimo, &c.* Ipsum vide, et Turnebum libro 11. capite 16. *Gevart.* *Immite Bromium, &c.*] Invitis Gratiis et genio suo nugacem hanc lectionem cum nugacissima Domitii explicatione tenet Gevartius. Autor sum, ut sine ulla hæsitatione in textum recipiatur palmaria illustrissimi viri conjectura: *Invitam Brimo.* Gronov. in Diatr.

42 *Optatisque aspergit aquis*] Atqui platanus mero quoque infuso enutritur. Plinius: 'Compertum id maxime prodesse radicibus.' 'Crevit et effuso lætior umbra mero.' Philippi Epigramma festivum testatur platanum a ventis dejectam; vitium juxta satarum beneficio iterum effloruisse, ut hæc nostra, 'Rursusque enode cacumen Ingeniosa levat.' *Morell.*

46 *Meruit*] Feriri igne superno. Novem Dii fulmina mittunt; ut docent Tuschorum litteræ. Sunt autem undecim fulminum genera: quorum octo Dii singula habebant, Jovi terna. Romani duos tantum Deos fulmina jacere dixerunt, Jovem diurna, Summanum nocturna. *Domitius.*

48 *Turbare*] Soli tibi hoc permissum sit. Sane hoc vitari non poterat. Itaque potestatem hanc largitur Arbori Pan, quam adimere non poterat. Ita tamen ut ab reliquis molestiis eandem tutaretur. Non placet hic mutari quicquam, nec *umbrare* reponere et *latices*, cum Joh. Isacio Pontano, qui correctionibus suis in hunc Poëtam parum profecit. *Barth.* *Et foliis turbare*] Imitatur Ovidium de fonte Narcissi: 'Quem nulla volucris, Nec fera turbarat, nec lapsus ab arbore ramus.' Moxque: 'Et lacrimis turbavit aquas.' Ne quis accedat viro docto, qui mire amabat conjecturam suam: *foliis umbrare.* Gronovius.

62 *Genitali luce*] Id est, natali tuo. nam celebrantibus diem natalem mittebantur munera ab amicis. *Domitius.*

69 *Et secrete palam, qui digeris ordine vitam*] In vet. cod. teste Calderino, legebatur: *Et satiare palam.* Unde fatetur se vulgatam, quæ nunc est, lectionem elicuisse. At ego non dubito, quin Statius scripserit: *Exsatiate palam, qui digeris ordine vitam. Exsatiatum* ait vivere Meliorem, quemadmodum supra Pollium, 'plenum vita' dixit: 'Dubio quem non in turbine rerum Deprendet suprema dies, sed abire paratum Ac plenum vita.' Sic Lucret. 'Cur non ut plenus vita conviva recedis?' Et Aristot. apud Stobæum serm. 271. Ἐκ τοῦ βίου κράτιστόν ἐστιν ἐξελθεῖν ὡς ἐκ συμποσίου, μήτε διψῶντα, μήτε μεθύοντα. *Ex hac vita discedere tanquam ex convivio optimum est, neque sitientem, neque ebrium.* Sosipater Charis. Grammat. 'Satietas in omnibus rebus dicitur, saturitas in cibo tantum.' *Gevart.*

71 *Opibusque immittere lucem*] Hoc dicit de homine liberali et magnifico, qui non patiebatur pecunias suas

arca conclusas in tenebris delitescere. Sic Claudianus Panegyr. Probini et Olybrii: 'Hic non divitias nigrantibus abdidit antris, Nec tenebris damnavit opes, sed largior imbre, Sueverat innumeras hominum ditare catervas.' Quem Papinius et Claudianus multis versibus describunt, eum Plautus in Persa, uno verbo, 'argentiextenebronidem' dixit, id est qui argentum extenebraret, et in lucem produceret. Hæc enim vera lectio est, et falluntur viri docti qui 'argentiexterebronides' supponunt ab 'exterebrando.' Nam et verbo 'extenebrare' Varro utitur, dum ait, 'Atque omnes adeo perquirit atque extenebrat artes.' Sic Devonius, Daretis Phrygii interpres de Bello Trojano lib. I. de 'Fama.' *Gevart.*

73 *Iliacos æquare senes*] Compar sententia Soterii Gallici: 'Tu Troica dignus secula;' Tithonum et Priamum intelligit. Tithoni fabula notissima. De Priamo Martialis ad Posthumum: 'Jam cras istud habet Priami vel Nestoris annos.' *Bernart.*

76 *Sub teste*] Nam Melior singulis annis celebrabat convivium in monumentum Blæsi pueri sui mortui, de quo Mart. 'Quod donas facis ipse Blæsianum.' Quo loco plura diximus. *Hoc* rogavit, ut vivas. *Domit.*

CARM. IV. 2 *Humanæ solers, &c.*] Psittacum vocalem esse omnes sciunt, modum institutionis non omnes credo: tradit illum et plura ad hanc rem Apuleius Floridorum lib. II. *Bernart.*

7 *Meditata*] Quæ didiceras. Fabula Phaëthontia, id est, Cycnus: nam Cycnus, audito interitu Phaëthontis, dolore in avem sui nominis conversus est. Cycnus autem antequam moriatur suavissimum cantum emittere dicitur. Ea de causa dicatus est Phœbo Deo vaticinii, ut scribit Cicero. Martialis: 'Dulcia defecta modulatur carmina lingua, Cantator Cycnus funeris ipse sui.' Plinius hoc fabulosum putat. Papinius ait psittacum sibi prædixisse mortem cantu, ut Cycni solent. *Domit.*

9 *Phaëthontia*] Phaëthon trisyllabum est. Varro per synæresem protulit: 'Tum te flagranti dejecit fulmine Phæthon.' Sol, ut Eustathius scribit, et Pherecydes, cum Rhode puella filia Asopi concubuit, unde suscepit filios, Phaëthontem, Æglem, Lampetiam, et Phaëthusam. Nostri aliter scripserunt. *Idem. Phaëtontia*] Cygnus Phaëtontis amator, post ejus obitum, diutino fletu in hanc avem mutatus fingitur, cygnum vero sub mortem suavissime canere multos tradidisse, tritum est. *Bernart.*

14 *Et querulæ jam sponte fores*] Ingeniose Politianus hunc locum interpretatus est: 'Querulæ,' inquit, 'jam sponte fores videntur, quoniam quidem querulæ antea quoque, sed non sponte, quia brutorum voces etiam interdum querulæ dicuntur.' Ita 'questus avium,' dixit IV. Sylvar. ad Sever. 'Nunc volucrum novi Questus, inexpertumque carmen, Quod tacita statuere bruma.' Ait itaque Poëta caveam Psittaci jam conqueri quod desolata sit. Eodem modo Theb. V. nidum avis, quem serpens rapuerat, 'querulam domum' vocat: 'Illa redit, querulæque domus mirata quietem.' *Gevart.*

17 *Ales Phœbeius*] Corvus; nam mira est docilitas corvorum, ut scribit Plin. historiamque refert de eo corvo qui ex nido supra ædem Castoris ad forum in proximam sutrinam evolabat. Illic sermoni assuefactus omnibus matutinis Tiberium, Germanicum, Drusum, Cæsares nominatim salutabat; mox populum Romanum transeuntem; a quodam interfectus: qui plebis indignatione a vico illo expulsus et interemptus est. Elatus duorum Æthiopum humeris, præcedente tibicine, sparsis coronis, in via Appia ad secundum lapidem humatus est. *Domitius.*

19 *Sturnus*] Et hic inter aves vo-

cales immo Cæsares juvenes sturnum et luscinias Græco atque Latino sermone dociles, præterea meditantes in diem, et assidue nova loquentes, longiore etiam contextu, habuisse, author Plinius lib. x. cap. 42. *Bernart.*

20 *Quique refert jungens iterata vocabula perdix*] Dicam Papinio scribit vir doctus, quod dociles humanæ vocis Perdices tradat: at vero, calculus omnis huc et illuc diversus bicolorque digeratur, vincet candida turba nigriorem: enimvero ut sileam referri posse ad genuinam avis ejus vocem κακκαβίζειν, de qua Aristoteles aliique, Plutarchus in Symposiacis exerte tradit vocales aliquando inventas perdices: cui et assentitur Athenæus Dipnosophist. lib. IX. scribens signate Adrianum Aristomenem Atheniensem, libertum suum, veteris comœdiæ histrionem, solitum vocare Atticam perdicem. *Idem.*

21 *Et quæ Bistonio queritur soror orba cubili*] Prognes fabulam notari nemini dubium esse potest; nisi sit ex iis qui ad primos adhuc magistros remittendi: at quid magis absurdum, inquiunt, quam hirundinem, quod Papinius facit, inter vocales aves referre? Bona verba, boni viri: scimus plerosque tradere, Prognem in hirundinem transformatam; ceterum aliter Græci, qui in Lusciniam mutatam tradunt. Probus videatur ad Bucolica Virgilii, et vetus Hesiodi Scholiastes. de Lusciniæ vero docilitate non repeto ea quæ ex Plinio suo loco notavi: quin et huic sententiæ videtur astipulari Ovidius, dum ait: 'Sola virum non ulta pie mœstissima mater Concinit Ismarium Daulias ales Ityn.' *Bernart.*

28 *Nec quas humenti Numidæ, &c.*] Eadem dixit Kal. Decembr. 'Quas udo Numidæ legunt sub Austro.' Intelligit autem Statius Gallinas Numidicas, quæ etiam Meleagrides appellantur, teste Plinio, Petronius; 'Gallina tibi Numidica, tibi Gallus spado.' *Gevart.*

Carm. v. 2 *Scelus*] Sæviendi in homines; nam leo, ut Polybius Æmilianus Comas dicebat, in senecta præsertim homines appetit, cum feras persequi non possit: viros potius quam fœminas, infantem nunquam nisi maxima fame. Testatur idem, se multos leones crucifixos vidisse in Africa, ut reliqui eo spectaculo a cæde deterrerentur. *Domitius.*

5 *Et a capta jam sponte recedere præda*] Quippe, ut alius poëta canit: 'Magnanimo satis est hostem prostrasse Leoni.' Contra in proverbiali versu Heroïco: Νεκροῦ σῶμα λέοντος ἐφυβρίζουσι λαγωοί. *Vel lepus exanimo solet insultare Leoni.* Morell.

8 *Grege Massyllo*] Multitudine Massyllorum venatorum. Nam Massylli populi Africæ ad occidentem leones miræ magnitudinis venatione capiunt. Martialis: 'Massylli leo fama jugi.' *Cæco deceptus hiatu*] Fovea; nam Gætulus quidam (ut scribit Plin.) veste objecta in caput leonem foveis factis capiebat. *Fera fugiente*] Nimirum hic est ille leo, qui laceratus fuit e tigride in spectaculis Domitiani: quem intelligas peracto morsu aufugisse. Martialis: 'Lambere securi dextram consueta magistri Tigris, ab Hyrcano gloria rara jugo, Sæva ferum rapido laceravit dente leonem.' *Domitius.*

17 *Ille novus pudor*] Illa tigris novum et inauditum dedecus. *Idem.*

18 *A media jam, &c.*] Collecta virtute, ad ultionem ante obitum. Talia leguntur fine Theb. VIII. de Tydeo; nec absimilia de Etheocle Theb. XI. *Barth.*

22 *Solito honore*] Magnanimitati non sufficiente corpore, sed sensim collabente, et sanguine fuso formam turpante. *Idem.*

28 *Scythicas feras*] Scythia pauca animalia gignit inopia fructuum, ut scribit Plin. ut Lybia inopia aquarum diversas habet feras; nam ad

unum fontem diversis convenientibus et illic coëuntibus, monstrosa nascuntur animalia. inde proverbium, Africam semper novi aliquid afferre. *Domit.*

29 *Et Pharia de gente feras*] Priamus Homericus de Hectoris cæde ita quiritatur apud reliquos natos imbelles: Σπεύσατέ μοι κακὰ τέκνα, κατηφόνες· αἴθ' ἅμα πάντες Ἕκτορος ὠφέλετ' ἀντὶ θοῇς ἐπὶ νηυσὶ πεφάσθαι. Τῶν πάντων οὐ τόσσον ὀδύρομαι, ἀχνύμενός περ, Ὡς ἑνός. Ut Domitianus Leonem tanto effectu ingemuerit, quanto Priamus Hectorem, cujus *Unius amissi tetigit jactura* parentem. *Morell.*

CARM. VI. *Epicedium Pileti Ursi*] Rhod. *Consolatio ad Flavium Ruffum de morte pueri delicati.* Salisb. *Consolatio ad Flavium Ursum de amissione pueri delicati.* Quod admisimus. Scribit quidem Plinius aliquoties ad Ursum, sed nullo alio adjecto nomine, ut dubium sit an hic sit ille. Videtur cliens Flaviæ domus aut ab se aut a patre fuisse. *Amissio* εὐφημεῖ. *Gronov.*

3 *Accendere*] Sc. rogum, et celebrare funus. *Deserti partem Conclamare tori*] Lugere amissam uxorem. *Domitius.*

6 *Et fratrum gemitus*] D. Rex Hymnographus in Epicedio Jonathæ affinis: ἀλγῶ ἐπὶ σὲ, ἀδελφέ μου. Catullus ad Fratris Manes: 'Numquam ego te vita frater amabilior Aspiciam post hac; at certe semper amabo: Semper mœsta tua carmina morte canam.' *Morell.*

9 *Sic miscet Fortuna manu, nec pectora novit*] Perperam Piccartus *movit* conjectat, ut habetque Rom. editio. Venit sub acumen stili: *si miscet Fortuna manu, nec pectora movit.* Non si fortuna bonos, malos, perdigna, indigna miscet, si ex homine animi ingenui servum facit, mentemque liberalem addicto vestit corpore, propterea contagione illa etiam pectora moverit, naturamque ipsam cum statu commutaverit. *Gronov. in Diatr. c.* 21. *Nec pectora movit*] 'Fortunam pectora non movisse,' ait Domitius, hic dictum, quia nulla mota est misericordia: mihi placet cum aliis scribere: *nec pectora novit.* Dicit enim Poëta fortunam non agere καρδιογνώστην, nec attendere ad voluntatem hominum, et videre quid illi malint. Ita Hercule Surrent. dixit: 'si mores humanaque pectora curæ Nosse Deis.' *Gevart.*

11 *Cui major stemmate*] 'Junctum stemma' non est propinquus nobilitatis gradus, quo aliquem contingimus, sed longa serie continuatum stemma. Vide Observ. Gronov. l. II. c. 3.

12 *Libertas ex mente fuit*] 'Junctum stemma' quidam interpretantur libertatem ab Urso datam. Bernartius mutat, et legit *justa Libertas.* Inepte. Nam 'junctum stemma' hic posuit, pro propinquo nobilitatis gradu, quo aliquem contingimus. Ita Theb. 2. 'Sanguinem junctum' dixit: 'Tibi larga (Pelops et Tantalus auctor) Nobilitas, propiorque fluat de sanguine juncto Juppiter.' Malim etiam legere, litterula addita, *fluit,* pro *fuit. Libertas ex mente fluit.* 'Fluere' enim proprie in ea re dicitur. Stat. supra: 'Propiorque fluat de sanguine juncto Juppiter.' *Idem.*

13 *Rumpat frænos dolor iste, Deisque*] Locus hic obscurissimus. Quorsum enim τὸ *Deisque* referas? Nonnulli parenthesin demunt, et τὸ *si* hic 'siquidem' interpretantur, ut sensus sit: Siquidem Diis tam dura placent. Ego, retenta parenthesi, malo dicere Aposiopesin hic latere. Incitat enim Ursum ad dolendum, hortaturque ut frænos dolori laxet, et Deos accuset quod puerum tam egregium adeo immatura morte abstulerit. Itaque cum ait, *Deisque,* subaudi, 'convicia inferas,' aut quid simile. Vel lege *Deosque: rumpat frænos dolor iste Deosque. Deos rumpe,* id est Deorum invidiam contemne, vel fortiter feras,

Sic Epiced. Glauciæ dixit: 'Felix hominesque Deosque, Et dubios casus, et cæcæ lubrica vitæ Effugit.' *Idem.*

14 *Si tam dura placent, &c.*] Vera scriptura est: *Deisne Hei tam dura placent? hominem gemis! hei mihi! subdo Ipse faces, &c.* Summa ars excellentissimi Poëtæ est, quod periodos breves velut singultibus interstinguit. *Ei* in vett. lib. scriptum fuerat, ut assolet, pro *Hei*, id in *Si* degeneravit. Insanum dolendo et plangendo Invidiam Diis se facere credebant stulti gentiles. Ad hoc ergo Ursum hortatur Poëta et faces dolori addit: omnem modum excedat ista comploratio, iste planctus. Videant Dii, quam ipsis dura placuerint, quam sævi fuerint, quam injusti. Vide Gron. Diatr. c. 21. *Hominem gemis*] Pro famulo, eadem notione qua Galli dicunt, *Mon homme.* et hanc phrasim e medio Latio petitam non Papinius solum locuples fidejussor, sed ipse Cicero oratione pro Quinto: 'Hominem P. Quintii deprehendis in publicum, conaris abducere.' Catullus: 'Comparasti Ad lecticam homines.' *Bernart.*

19 *Parthus equum*] Parthia non admodum magna fuit. nemorosa est et montana, Tiberii temporibus latos occupaverat fines: nam ad Caspias usque portas Aragos et Rapiros erat propagata. De Parthorum moribus propriam scripsit historiam Strabo, quæ non extat. Parthi exules dicuntur eorum lingua, ut Trogus scribit. *Domitius.*

21 *Quid si nec famulus*] Hactenus excusavit lacrymas tanquam missas in funere servi, nunc contendit eum fuisse liberum, etsi fortuna erat servili. *Te tantum*] Qui te solum herum potuisset pati. *Domitius.*

30 *Nec bella caventum*] Insignem sane injuriam fortissimo Heroum Achilli hic factum ivit Domitius, dum ipsum *bella caventem* introduxit. 'Inemendati codices,' inquit, 'habent *cauentem*, nos *caventem* legimus: nam in Scyro insula latuit, ut bellum vitaret.' Hæc Domitius, ubi ecce fatetur sese hunc locum interpolasse. At, o bone, Achillesne *bella cavit?* Imo vero ille in Scyrum contra mentem suam a matre detrusus bella ardentissime appetiit, unde tandem ad bellum Trojanum, Ulyssis tuba excitus, invita matre prorupit. Nihil certius quam veterem scripturam, quæ hactenus ex omnibus editionibus exulavit, recipiendam esse, et *bella canentem* restituendum: qua lectione nihil elegantius dici potest. Achilles enim Musicus fuit, et puer cytharam pulsare didicit a Chirone Centauro. Claudian. III. Cons. Honorii: 'Non ocius hausit Achilles Semiferi præcepta senis, seu cuspidis artes, Sive lyræ cantus, medicas seu disceret herbas.' Noster v. Sylv. Epiced. Patris: 'Quique tubas acres, lituosque audire volentem Æaciden, alio frangebat carmine Chiron.' Quin etiam Achill. II. introducit Achillem inter virgines in Scyro insula cithara canentem: 'Modo dulcia notæ Fila lyræ, tenuesque modos, et carmina monstrat,' &c. *Gevart.*

37 *Hesperus*] Atlantis filius cum Atlantis montis cacumen ascendisset, ut syderum cursus observaret, subito ventorum turbine raptus est: a populis vero, quibus erat jocundissimus ob excellentem justitiam et humanitatem, cœlo est dicatus, et receptum ut stella ab Hespero Hesperus vocaretur. *Diodorus.*

39 *Dubiæ formæ*] Nam spado dubium est ex facie, vir ne sit an mulier. *Transire de sexu*] Quod faciunt spadones. *Jam casside visa*] Cum jam tractaret arma. *Domitius.*

42 *Missa casside*] Id est, *demissa, deposita, laxata.* Qualis autem fuerit Parthenopæus deposita casside, dicit ipse Statius Theb. IX. ubi Parthenopæi arma describit: 'ast ubi pugna

Cassis anhela calet, resolutus vertice nudus Exoritur,' &c. *Gevart.*

46 *Eurotas*] Laconiæ fluvius ex monte Mænalio fontes ducit, ut scribit Callimachus. Alpheo confunditur, rursusque discedit; ripæ Tauro opacantur: tam virilis, inquit, forma erat Pileto, quam solet esse in pueris Lacedæmoniis, qui ab ineunte ætate laboribus durantur. *Elin*] Id est, ludos Olympiacos. Eleorum rex Augeas fuit, qui ad Trojam quadraginta naves misit. Elei præfuerunt in Olympico certamine a prima Olympiade, in qua Chorœbus palmam obtinuit, usque ad vigesimam sextam. Pisa deinde ludorum possessionem sibi vindicavit: rursus tamen Elei facti domini. *Domit.*

50 *Carmine quo donasse queam*] In veteri libro Lindenbrogiano fuit: *Carmina quæ donasse queant.* Difficilis locus, quem nemo expositorum tentavit. Nec Domitius quidem, qui cum tantilla sua lectione multum tamen in obscuro eatenus Poëta vidit. Meo animo reliquit Papinius: *Nam pudor inde novæ mentis, tranquillaque morum Temperies, teneroque animus maturior ævo, Carmina quæ non fessa premant? Sæpe ille volentem.* Recepit Lindebrogianam scripturam in contextum sermonis doctissimus Gevartius. Sed ea nihil dicit. Si vero recipienda esset, accusandi casu priores duo isti versus forent concipiendi, quæ absurda sit mutatio. Hac autem emendatione omnia suo pede ingrediuntur. *Barth.*

52 *Tecum tristisque hilarisque, nec unquam, Ille suus*] Hac præcipua virtute ὁμονοίας Achilles Patroclum suum in Libanianiæ Ethopœiæ questibus commendat: et apud Homerum Phœnicem commonefacit, Iliad. I. οὐδέ τί σε χρὴ Τὸν φιλέειν, ἵνα μή μοι ἀπέχθηαι φιλέοντι. Καλόν τοι σὺν ἐμοὶ τὸν κήδειν, ὅς κέ με κήδῃ. quod sic verti; *amure Hunc te non decuit, mihi ne esses sævus amanti. Æquum est me graviter vexantem ut tu quoque vexes.* Morell.

55 *Sed laudum terminus esto, &c.*] Legendum est per interjectionem: ut dicat, non excedamus terminum ejus conditionis: nam fuit servus; nec comparari potest ejus amicitia Achilli et Patroclo, aut Theseo et Pirithoo, hominibus liberis: sed comparat amori servi erga dominum, ut Eumæi erga Ulyxem; nam Eumæus Ctessii filius Ormeni, Syrus emptus a Laërte in agro, magna fide fuit in adventum usque Ulyxis, quem unice diligebat. *Domit.*

62 *Locros*] Locri in Bœotia. Opuntii ab Opunte oppido Patrocli patria. Locri item Epicnemidii in eadem Bœotia a Cnemide monte dicti. Locri præterea Ozolæ, a malo odore, quem Taphosus mons proximus emittit. Locri denique Zephyrii in Brutiis a Zephyrio promontorio dicti, de quibus nunc sensit. *Polentinos saltus*] Polentia in altera ex Balearibus insulis, ejusdem nominis ad radices Alpium lanis nigris nobilis, ut scribit Plin. de hac Papinius. *Domit.*

65 *In dextram torsisset*] Rhod. et Sal. melius: *In dextrum.* Puta, latus. Theb. II. 'In lævum prona Inachus urna.' lib. X. 'huic languida cervix In lævum cogente Deo.' *Gronov.*

69 *Gnara dolorum Invidia infelix, animi vitalia vidit*] Eadem apud Ovid. Met. II. 'hamatis præcordia sentibus implet, Inspiratque nocens virus, piceumque per ossa Dissipat, et medio spargit pulmone venenum.' Pindarus Olymp. VIII. cavet sibi ab illius saxo aspero: Μὴ βαλέτω με λίθῳ τραχεῖ φθόνος. *Morell.*

70 *Modo carmen adultæ*] Fortasse: *cardine.* Ut Thebaid. X. 'fatorum in cardine summo.' *Gronov.*

72 *Cum tribus, &c.*] Elegantissima periphrasi indicat Ursum octodecim annorum fuisse. *Bernart.*

76 *Heu misero lethale favens*] Ad Parœmiam, εὔνους σφάκτης, benevolens cæsor. Georg. Pisides in Cosmurgia

de Satanæ illecebris: Σφαγεὺς προσηνὴς, καὶ φονεὺς συνεργάτης. *Jugulum petens blande, enecans quos adjuvat.* Morell.

79 *Quinta vix Phosphoros hora*] Indicat sub auroram seu prima luce obiisse. Cicero de Natura Deor. lib. II. 'Infima est quinque errantium, terræque proxima stella Veneris quæ Φώσφορος Græce, *Lucifer* Latine dicitur, cum antegreditur solem, cum subsequitur autem Hesperus.' Scite, eadem enim stella et mane et vesperi oritur. Tragicus Medea: 'Et tu, quæ gemini prævia temporis Tarde stella redis semper amantibus.' *Bernart.*

81 *Sæva, Pilete*] Scripsimus *Philete.* Est enim Φιλητός. Et sic unus e scriptis. Occurrit in lapidibus antiquis et apud Martial. Sic inter Rhetoras Suetonii 'L. Otacilius Philetus:' non enim *Pilitus* aut *Pilutus*, ut viri doctissimi voluerunt. *Gronov.*

82 *Quo domini clamante, &c.*] Rh. et Sal. *Clamate.* Rectius. Conclamate, complorate. Epithal. Stellæ: 'Quantum non clamatus Hylas.' Theb. VI. 'In Isthmiaca victor clamatus arena.' Theb. XI. 'Hunc et Mavortia clamant Semina.' Prop. lib. II. Eleg. 19. 'Nec tibi clamatæ somnus acerbus erit.' Ambr. lib. V. Ep. 33. 'Clamavit aliqua populus.' Quod male vitiatum existimat Nannius, et 'aliquamdiu' substituit. Ex illo enim poëtarum formavit suum Ambrosius. *Gronov. Non sævius atros, &c.*] Quam hæc inconcinna sint nemo attendit aut monuit. 'Atri' enim 'lacerti,' quomodo nigrari possunt? Et cur 'sævius' et 'sæva' de eadem re dicuntur? Morem quidem sive negligentiam dicas hac in re. Scribendum, *non sæpius atros.* Iterationem enim planctus indicat. De 'lacertis verberatis' ad Claudianum et alibi diximus. *Barth.*

85 *Sed nec servilis adempto Ignis*] Animadverte μικρολογίαν καὶ εὐτέλειαν funerum servilium, de quo alios ex professo scribere scio. Sed Ursus juvenis candidissimus noluit σμικρολογεῖν cum Manibus sui famuli. *Morell.*

89 *At domini fletus*] Recte cod. Senens. *Et domini fletus.* Veteres existimabant mortuos admodum gaudere lachrymis, illæ namque desiderium arguunt. Unde subjungit Poëta: 'Gremio nec lubricus ossa Quod vallavit onyx, miseris acceptius umbris Quam gemitus, sed et ipse juvat.' *Gevart.*

90 *Nec quod tibi Setia canos*] Ex ritu inferioris ævi, quo rogum, combusto jam cadavere, vino extinguere Romani solent, ac tum demum ossa colligere. Virgil. Æn. VI. 'Postquam collapsi cineres, ac flamma quievit, Reliquias vino ac bibulam lavere favillam.' Tibullus lib. III. Eleg. 2. 'Pars quæ sola mei superabunt corporis, ossa Incinctæ nigra candida veste legant, Et primum annoso spargant collecta Lyæo.' Dixi 'inferioris ævi.' Nam antiqua Numæ lex, 'Vino rogum ne respergito:' adi Plin. lib. XIV. cap. 12. *Bernart.*

93 *Quid terga dolori Urse damus*] Autor Dramatis Thebaidis Antigonem iisdem prope verbis patrem Œdipum consolantem inducit: 'Et hoc decebat roboris tanti virum, Non esse sub dolore, nec victum malis Dare terga.' Quæ sequuntur cum Homeri monito consentiunt, Odyss. Δ. Οὔτις γὰρ πρῆξις πέλεται κρυεροῖο γόοιο. *Non gemitus quicquam prodest, nec fletus acerbus.* Morell.

104 *Forsan et ipse*] Exoratis Diis Infernalibus. Nam post certum tempus credebantur in vitam redire mortuorum umbræ. De quo nos ad lib. poster. in Rufinum Claudiani nostri. Mittet tibi ab Inferis, eque campis Elysiis, alium iste, modo compositus, Phileten; cui demonstrabit quo pacto mores sint componendi, ut pariter eum ames. Vidit hanc sententiam etiam Domitius. *Barth.*

Carm. vii. 1 *Lucani proprium*] Proprius et suus cujusque dies est natalis, ἀρχὴ τῆς γενέσεως τῆς ἑκάστου, ἡ ἡμέρα ἐφ' ἧς ἐγένετο, ut scribit Dionys. Halicarnass. ἐν Μεθόδῳ Γενεθλιακῶν. Nonnus Panopolitanus ἠῶ λοχίην a puerperio nuncupat. Ovid. v. Trist. El. 6. Festam lucem, et 'Assuetum anni natalis honorem.' De natalium reg. celebritate apud Persas Plato i. Alcibiad. Βασιλέως γενέθλια πᾶσα θύει καὶ ἑορτάζει ἡ 'Ασία. Natalitii etiam ludi Romæ in illustrium virorum et Impp. natalibus editi. ut C. Jul. Cæs. A. D. iv. Id. Jul. Titi Cæs. A. D. ix. Kal. Jan. *Morell.*

2 *Isthmiæ Diones*] De fonte Pirene intelligit, de quo ante diximus. Is ad Acrocorinthum in Isthmo sacer Musis. montis vertex habet ædem sacram Veneris. Papinius appellat Pirenem fontem ungulæ pendentis: quoniam, ut scribit Strabo, Pegasus alatus equus illic bibens deprehensus est a Bellerophonte. *Diones Isthmiæ*] Veneris Acrocorinthiæ. *Pendentis*] Id est volantis: collis autem excelsus est ad tria stadia. *Domitius.*

7 *Et tu Bassarid. rotator Evan*] Orpheus in Hymn. Διονύσου Βασσαρέως, 'Ελθὲ μάκαρ Διόνυσε πυρίσπορε, ταυρομέτωπε, Βάσσαρε καὶ Βακχεῦ. Horat. i. Od. 18. 'Non ego te, candide Bassare, Invitum quatiam.' Bassarides ejus antistitæ, Pers. Sat. i. Nominis rationem malim cum Phornuto referre ad τὸ βάζειν, *vociferari*, unde βάξις, *vox:* quam ad vestis talaris Bassaris dictæ usum. *Morell.*

8 *Et Hyantiæ sor.*] Adr. Turnebus Adv. lib. i. c. 23. ait se Hyanteam aquam alicubi legisse pro Hippocrene. An hujus versiculi umbra tanti viri animo obversabatur? An vero hic eruditus poëta ab Hyantibus, Bœotiæ populis, per Hyantias sorores nymphas seu aquas fontis caballini innuit? an potius earum præsides Musas? Quid si cui veniret in mentem Iantidas sine aspiratione nuncupari Camœnas, quasi Violantillas nymphas, a violis quas ἴα Græci vocant? unde ἰοστεφάνους Μούσας dixit Theognis, ut violis redimitas, quæ etiam purpureis hisce vittis respondeant. Ita Violantilla Stellæ uxor, (utriusque ἐπιθαλάμιον Papinius noster celebravit,) Iantis vocatur a Martiali lib. i. Epigr. 21. Verendum tamen ne quis nimis nasutus hoc ad λευκὰς φρένας referat. *Idem.*

14 *Aut diem recepit*] Hæc germana lectio est: altera quæ pateram parum sobriam porrigit, explodenda. Si qua, inquit ἐπιῤῥηματικῶς, non frondescant arbores, ut sit hiatus et lacuna, quæ lucem admittat, qua sol insertim fundat radios per minus opaca: quo modo rarescunt umbræ, ut loquitur ipse Statius Achill. i. 'Phocis et Aoniæ jaculis rarescitis umbræ.' Porro 'recipere diem,' Seneca Tragicus proprie dixit de Cassandra in deliquio animi connivente: 'jam recipit diem Marcente vultu.' *Idem.*

16 *Thespiacis*] Thespiæ ad Heliconem sunt, ubi est consecrata Musis ædes, fonsque caballinus: locum nobilitavit Cupidinis signum a Praxitele sculptum, quod Glycerium meretrix Thespiensibus dono dedit. *Domit.*

20 *Vestra est ista dies*] Veteres olim dies illos, quibus singulari quadam voluptate afficiebantur, aut alias memorabile quiddam ipsis accidebat, 'suos' appellabant. Unde formula erat: 'Hic meus est dies.' Corn. Severus, apud Senec. Rhet. Suasor. ii. de militibus epulantibus, 'stratique per herbam, Hic meus est, dixere, dies.' Martial. lib. x. Ep. 59. 'Hic mihi, quando dies meus est, jactamur in alto Urbis, et in sterili vita labore perit.' Seneca Medea: 'Perfruere lento scelere: ne propera dolor. Meus dies est: tempore accepto utimur.' *Gevart.*

22 *Et vinctæ pede vocis et solutæ*] Ita omnino legendum. Vulgo male;

Et junctæ, &c. Tibull. ad Mesall. 'Quinque canent vincto pede sive soluto.' Noster Epiced. Patris: 'Sive orsa libebat Aoniis vincire modis; seu voce soluta Spargere.' *Idem.*

24 *Fœlix*] Adversio est ad Cordubam patriam Lucani: quæ in Hispania Bætica est. *Pronos meatus*] Declives vias in occasum Hyperionis. Hyperion Solis et Lunæ pater fuit, ut scribit Diodorus. Pro Sole tamen accipitur, nomenque habet, ut nonnulli Græcorum sentiunt, *παρὰ τὸ ὑπερ-ιέναι, a superno cursu.* Domit.

28 *Tritonide fertiles, &c.*] Tritonis *μετωνυμικῶς*, olea Palladia. Marcellus Sidites in Fragm. 'Αλιευτικῶν a me utraque lingua edito: Ζωοῦ δ' *ἑψομένου μεγάλου ἐνὶ τεύχεϊ γόγγρου Παλλαδίου πλήθοντι πυρὸς καθύπερθεν ἐλαίου. Ingentem Congrum si virum condis aheno Palladio exundante oleo ferventeque in igne.* Τριτογένειαν Æschylus in Eumen. a Tritone fluvio Minervæ natali deducit: *Τρίτων 'Αθηνᾶς γενέθλιος πόρος.* Scholiastes Apollonii in Argon. variat, *Τρίτων πόλις Λιβύης, καὶ Βοιωτίας· δοκεῖ δ' 'Αθηνᾶ παρὰ θατέρα αὐτῶν γεγενῆσθαι, ἢ παρὰ τὸ τρεῖν.* De trapetorum quibus oleæ teruntur fabrica, Cato de R.R. c. 22. Turnebus Advers. lib. xx. cap. 7. *Morell.*

31 *Hoc plus, &c.*] Seneca Cordubensis, et Junius Gallio ejus frater. Vide Senec. Epist. 105. *Domit.*

34 *Graio nobilior*] Quod septem oppida Homerum sibi vindicarint, Smyrna videlicet, Rhodus, Colophon, Salamina, Ios, Argos, Athenæ, tritius est quam ut admoneri debeat. Smyrna tamen potiori calculo patria illi tribuitur. Papinius huc respicit, Melete siquidem fluvius ante Smyrnam. Consule Stephanum. *Bernart.*

45 *Sed septem juga, &c.*] Hac *τριστίχῳ περιφράσει* S. P. Q. R. Lucanum plus præstitisse innuit, quam Orphea. quod 'Romanos rerum dominos, gentemque togatam,' carminis sui lepore, quasi *ἐπαοιδῇ* elicuerit. *Morell.*

48 *Nocturnas alii*] Argumento operis anteponit Lucani poëma Homero, qui Iliadem scripsit, excidium Trojæ, et Odysseam, errores Ulyxis: utrumque opus antiquitatis ambagibus fabulosum. Lucanus vero res Romanas complexus est memoriæ fide et rerum nobilitate præstantiores. *Domit.*

50 *Et puppem temerariam Minervæ*] Ad fabulam qua Argo prima navium ab ipsa Minerva ædificata fingitur, Tertullianus de Corona Militis: 'Sed et Minerva prima molita sit navem, videbo navigantem Jonam et Apostolos.' *Bernart.*

55 *Ludes Hectora*] Quasi præludium grandiori operi scribes. Nam Lucanus opusculum juvenis composuit, quo complexus est certamen Achillis et Hectoris, iterque Priami ad Achillem, a quo redemit Hectoris cadaver datis muneribus. Id totum transtulit ex ultimo Iliados Homeri. *Domitius. Thessalosque currus*] Achillis bigas quibus raptatus fuerat Hector, Il. Φ. *Morellus.*

56 *Aurum supplex*] Describit munera quibus Priamus supplex Hectoris corpus redemit: fuerunt autem duodecim pepla, totidem chlænæ, tapetes totidem, totidem albentes vestes. Homerus ultima Iliade. *Domit.*

57 *Inferorum*] Diximus Adv. lib. XXIII. cap. 3. peculiariter hic innui Lucani opus: Descriptionem nimirum Inferorum. Quod verisimile utcunque sit. Possit enim reseratio hæc ad Orpheum duci, cujus mentio sequitur. Scilicet ut eum longo carmine ad Plutonem deduxerit, et inde reduxerit Lucanus, et continuetur hujus versus sententia sequentibus. Prior tamen expositio concinnior videtur. *Barth.*

58 *Ingratus Nero, &c.*] Non vacat hoc loco refutare interpretes, qui aiunt Calliopen hic Neronem alloqui,

hoc modo: 'O Nero vel invito tibi in theatris præferetur noster Orpheus,' &c. Sed procul a mente Statii aberrant. Nam perpetuo Lucanum alloquitur Calliope, et ait: 'Nero ingratus erit theatris,' id est poëmata ipsius populo non placebunt; nam *ingratus* hic passive accipiendum, ut 'ingratum cibum,' 'ingratam orationem,' dicimus. 'Et noster Orpheus,' o Lucane 'tibi,' id est, in tuam gratiam, in tuam laudem, 'præferetur' scriptis Neronis. Lipsius ad Tacitum legit: *Ingratis Nero, &c.* Sed ingrata opera. Acuta est Clariss. Heinsii conjectura: *Nec noster tibi præferetur Orpheus.* Ut mens Poëtæ sit: Tandem, sicut Orpheus o Lucane, ipse quoque reserabis inferos, et Euridicen iterum accerses, quod poëma ita acceptum erit populo, ut Neronis versus ingrati sint futuri præ illo theatris. Imo nec Orpheus meus tuo præferetur. *Ingratus Nero*, ellipsis est Statio familiaris. *Gevart.*

61 *Infandos domini*] Tangit incendium urbis Romæ, a Nerone procuratum. Vide Sueton. Nerone cap. 38. et Dionem lib. LXII. *Bernart.*

61 *Titulum decusque Pollæ*] Titulum appellat honorificum nomen et dignitatem seu claritudinis argumentum: ut loquitur Tacitus An. XV. de Lucani natalibus. Ita Corn. Gallus: 'Sæpe poëtarum mendacia dulcia finxi, Et veros titulos res mihi ficta dedit.' Græci postea Roman. æmulatione τὸ τίτλον usurparunt ἀντὶ τῆς ἐπιγραφῆς. Proinde D. Joan. Evangelista inscripta verba super crucem, cui affixus fuit Dominus Deusque noster, τίτλον vocat: Ἔγραψε δὲ καὶ τίτλον ὁ Πίλατος, καὶ ἔθηκεν ἐπὶ τοῦ σταυροῦ. *Morell.*

69 *Et gratum popularitate Magnum*] Plutarchus in Cn. Pompeii vita, hujus λεουργίας, popularitatis seu pop. favoris hasce causas affert: Σωφροσύνην περὶ δίαιταν, ἄσκησιν ἐν ὅπλοις, πιθανότητα λόγων, πίστιν ἤθους, εὐαρμοστίαν πρὸς ἔντευξιν. *Frugalitatem et sobrietatem in victu, peritiam armorum, probabilitatem orationis, fidelitatem morum, et facilitatem suavem in congressu.* Hæc vero defuerant in patre Pompeii, unde invisus plebi fuit. Adeo ut populus Rom. Pompeium M. iisdem verbis affari potuisset quibus Æschuli Prometheus Herculem: Ἐχθροῦ πατρός μοι τοῦτο φίλτατον τέκνον. *En chara proles patris infensi mihi.* Id.

70 *Canopi Pelusiaci*] Ptolemæi Ægyptii qui Pompeium interfici jussit. Canopus vero in Ægypto distat ab Alexandria centum et viginti stadiis. Nomen accepit a Canopo Menelai gubernatore, qui ibi mortuus est. Serapidis habet templum cultu et religione excellens, ubi somnia captabant vel pro se vel pro aliis. Eo per fossam navigatur ab Alexandria ad sacra solemnia, mulieribus virisque nocte et die impudenter canentibus et saltantibus: unde impudicam et lascivam Canopum legimus, quod illic dictavimus. *Domit.*

73 *Hæc primo juvenis, &c.*] Ex hoc loco et Suet. in Vita Lucani ἀνεκδότῳ, vir augustæ doctrinæ Josephus Scaliger omni enargia evidentius fecit, et Virgilium Culicem suum scripsisse, πρότερον γενεῇ καὶ πλείω εἰδότα, *majorem natu et exercitatiorem*, quam censeant ignobiles litteratores: et Lucanum Poëticam attigisse tenerioribus annis quam Maro, qui non tyro, sed jam ἁδρὸς καὶ τέλειος Culicem lusit. Cui annis et pannis laceris corrèctorum corruptorum obsito medicas et munificas adhibuit manus magnus ille Asclepiades. *Morell.*

77 *Qui duxit Argonautas*] Qui scripsit navigationem Argonautarum: is est Publius Terent. Var. cujus meminerunt Propert. et Ovidius. Atacinus dictus ab Atace vico in quo natus est in provincia Narbonensi. 35. annum agens litteras Græcas magno studio didicit: transtulitque quatuor

libros Apollonii Rhodii in suum opus de Argonautis: propterea Fabius ait eum fuisse interpretem operis alieni. *Domit.*

85 *Forma, simplicitate, comitate*] Versus hic trivialis et insititius e margine videtur irrepsisse, ob similitudinem sequentis, qui sine dubio Statianus est, et peccarunt operæ dum illum diverso charactere ediderunt. *Gevart.*

93 *Sic natum Nasamonii Tonantis*] Alexandrum intelligit; enim, ut omnes tradidere, Jovis Ammonis sese filium dicebat, cujus templum in Libya. Nasamones vero populi Libyæ. Lucanus: 'Hoc tam segne solum, raras tamen exerit herbas Quas Nasamon gens dira legit.' *Bern.*

95 *Babylon*] Ad Babylonem quidem primo sepultus est Alexander; sed Ptolemæus Lagi filius ejus corpus Perdiccæ abstulit cum id ex Babylone referret, atque in Alexandria diverteret ut Ægypto potiretur: idque composuit in alveolo aureo, qui postea a Ptolemæo, cui nomen erat Coceas, raptus est, et vitreus suppositus. *Domit.*

98 *Ripis Ebri*] Nam caput Orphei in Ebrum fluvium Thracium abjectum, in Lesbum, ut nonnulli Græcorum tradunt, delatum est: ibique Græcis ad Trojam navigantibus dedit responsum. *Idem.*

111 *Seu pacis meritum*] Malebat Heinsius: *Seu paucis meritum nemus recludi.* Præstantes viros, et qui admittantur in Elysium paucos esse, nemo ignorat. Unde ipse Anchises apud Virgilium Æneid. vi. 'exinde per amplum Mittimur Elysium, et pauci læta arva tenemus.' *Meritum* est Græcorum ἄξιον. *Gevart.* *Seu pacis, &c.*] Et hic locus non vulgares viros, sed primorum principes exercuit. Rom. et Veneta editio: *merito.* Ut et Ms. Flor. qui et *reclusi.* Magni viri scribunt e conjectura: *Sed paucis meritum nemus recludi.* Quod sane ipsorum elegantiam decet: sed aliud sensit atque illi Statius. Scripserat magno cum ingenii plausu Lucanus Orphea, qualis ad Inferos Eurydicen repetitum profectus et reversus fuerat. Quæ enim scribebant facta esse Poëtæ, ea ipsi facere vel gerere dicebantur, alluso ad ipsum nomen Poëtarum. Igitur hoc expressit: Seu tenes beatum in campis Elysiis et bene meritum nemus quietis, quam tu inducto et reducto Orpheo reclusisti. *Gronov. Diatr. c.* 21.

119 *Lampade matris*] Hoc in invidiam Neronis dicit, a quo Lucan. jussus est mori: nam ille matrem, dicta factaque sua exquirentem et acerbius corrigentem, tandem interfici jussit. Lege historiam apud Tacitum et apud Cornelium copiosius. *Domitius.*

123 *Redeuntibus maritis*] Notat fabulam Protesilai et Laodamiæ uxoris, de qua Claudian. in Laudib. Serenæ. Et Higinus Fab. 103. et 104. Nec solus ille ab Inferis ad nuptam rediit, sed præterea Osiris. Diod. Sic. Antiq. lib. II. *Cruceus.*

124 *Hæc non thyasis dolosis*] Hæc non agit dies festos, quia ita velit suæ indulgere voluptati, atque exercere Bacchanalia sub prætextu tui natalis: sed tota de te cogitat et ex te pendet. *Induit figuras*] Falsi numinis: id est non colit Bacchum simulans celebrare diem natalem tuum. *Domit.*

131 *Securæ procul hinc abite mortes*] Quænam hic *mortes securæ?* cum antea et mortem et Parcas crudeles et immites appellarit, quod Lucanum rapuissent: 'O sævæ nimium, gravesque Parcæ,' &c. An 'mors secura,' Venæsectio, qua Lucanus obiit? Nugæ. Distinguo et lego: *Stratis prænitet, incubatque somno Secure. Procul hinc abite mortes, Cedat luctus atrox, &c.* Vel quod eidem illi Gratiarum ἀγάλματι Heinsio placebat: *Sint curæ procul: hinc abite mortes, &c.* Gevart.

134 *Dolorque festus, &c.*] Elegantissime *festus dolor:* non secus ac si Adonia aut Hyacinthia agenda in natali Lucani diceret. *Gron. Diatr. c.* 22.

135 *Adoret*] Celebret et colat diem natalem Lucani. *Domit.*

SYLVARUM LIB. III.

Fideliter inhæres] Summa fide, spretis ambitionis et avaritiæ seductionibus a scopo veræ vitæ. Vere et ex animo ait tranquillitatem et secessum colere suum Pollium. Contaminat hanc lectionem, et veritatem adeo ipsam, qui *feliciter* quam illud mavult. Is est non magnæ rei Grammatista Jo. Scoppa Collectaneor. lib. I. cap. 30. *Barth.*

His versibus, &c.] Adorare interdum est compellare et salutare, ut sæpe apud Apul. Præsertim Mil. lib. II. ‘Accusator quidam senior exsurgit et populum sic adorat.’ Noster infr. Epist. lib. IV. ‘Consulatum adoravi.’ De hoc verbo fuse Muretus in variis. *Cruceus.*

Germanici nostri libertus] Non *Dei nostri:* quod fatetur pro libidine se inseruisse Domitius. *Gronov.*

Cum gemmata pyxide] Morem hunc condendi et consecrandi capillos docet Lucianus de Dea Syria. *Cruc.*

Intendere tibi] Susceptam esse causa tua ut tecum verser: quoniam ad te tua, inquit, potissimum causa in patriam cogito: nam Pollius in Campania erat. *Domitius.*

Carm. I. 1 *Tirynthie*] Herculis epitheton. A Tirynthe civitate Peloponnesi, ab sorore Amphitryonis nomen adepta, auctore Epitomatore Stephani. Eam Cyclopes mœnibus cinxisse auctor Apollodorus lib. II. Ibi natum Herculem tradit Servius ad Æn. VIII. Habitatum eo profectum ex jussu Oraculi Apollodorus. *Barthius.*

2 *Causas anni desidis*] Causa quare hoc anno tibi cessaverint sacra: hæc autem ratio est, quod coleris majore tholo, id est, quod occupatus fui in tholo et templo tibi amplificando ubi coleris. *Domitius.*

5 *Sed nitidos postes, Graiisque, &c.*] Paruit monito tuo Pindare. Olympionic. Od. VI. inserto: Ἀρχομένου ἔργου, πρόσωπον Χρὴ θέμεν τηλαυγές. en πρόθυρον etiam εὐτεῖχες, *arrectaria, valvarum ornamenta, antepagmenta,* σταθμοὶ, *antæ:* φλιαὶ, *postes,* quasi παραστάδες, a quibus ostium pendet. Veterani emeriti ἀναθήματα armorum ad postes Ἡρακλείου appendebant. *Morell.*

7 *Œtæa*] Erat in monte eo locus, quem ‘pyram’ dicebant, index Herculis ibi concremati, ut Livius testatur lib. XXXVI. Et notavit illustrando huic Papinii loco Hermolaus Barbarus ad Plin. lib. XXV. c. 5. Qui male tamen verba Papinii producit. *Barth.*

23 *Ergo age, et mersum, &c.*] Eurystheus Micenarum rex, cujus meminit etiam Thucydides in primo historiarum, qui labores Herculi imperabat, postea quam peractis certaminibus Junone quoque assentiente, ut scribit Diodorus, in cælum Hercules relatus est, interficitur ab ejus filiis qui Atheniensium præsidio, Iolao, Theseo, Ilo ducibus, exercitum adversus Eurystheum duxerunt: quem victum et fugientem Ilus interfecit. Hactenus Diodorus. Strabo vero et Pausanias scribunt, Eurysthei membra Gargetis sepulta esse, caput Corinthi seorsum, quod ab Iolao circa fontem Acariam secus tramitem abscissum fuit, locusque appellatur Eurysthei caput. Ait itaque Papinius: Adsis Hercules sive jam peractis

certaminibus et non timens imperia Eurysthei Argivi, Eurystheumque mortuum et diversis tumulis sepultum ac mersum. *Domitius.*

24 *Liber calcas*] Sive es in cælo, quod virtute tua tibi parasti, ubi habes Hebem uxorem. Nam, ut scribit Homerus, et Diodorus sequitur, consecrato Herculi et recepto in cælum Hebe uxor data est. *Idem.*

26 *Haustumque tibi, &c.*] Flaccus IV. Od. 8. 'Jovis interest Optatis epulis impiger Hercules.' Uxor ejus cœlestis Hebe, pubertas seu juventa, pincernæ ministerio fungens, vice Ganymedis, succincta dicitur, ut Venatricem Virgilianam vidimus: 'Succinctam pharetra et maculosæ tegmine lyncis.' quippe erat 'Nuda genu, nodosque sinu collecta fluentes.' Par vero locus est apud Xenophontem Κύρου Παιδείας lib. I. Cyrus enim Cambysis Persarum Reg. filius, adhuc puellus, Saccam pincernam Astyagis Medorum Reg. avi sui æmulatus, porrecta Regi phiala tribus digitis, δεξιῶς, apte et decenter, osculatusque avum, 'O Sacca,' inquit, 'actum est de te, excluderis a me.' ἀπόλωλας· ἐκβαλῶ σε τῆς τιμῆς. *Morellus.*

27 *Phryge excluso*] Hoc ait in consolationem veteris repulsæ Hebes: nam Hebe recepto Ganymede exclusa est a poculorum ministratione: sed post consecrationem Herculis, ut ait Papinius, rediit in pristinos honores. *Domit.*

28 *Et genium templis, &c.*] Solenni formula olim 'nascentia templa' dicebantur, quæ primum dedicata ac consecrata erant. Martial. lib. VI. Ep. 4. ad Domit. 'Tot nascentia templa, tot renata.' Et Noster IV. Sylv. Via Domitiana: 'Donec Troicus ignis, et renatæ Tarpeius pater intonabit aulæ.' *Gevart.*

29 *Non te Lerna nocens, &c.*] Secundum Herculis certamen primo loco statuit, quo deluctatus est cum excetra, ut loquitur Plautus in Persa. Arva autem Molorchi pascua designat, ejus qui Herculem venientem ad cædem leonis hospitio suscepit: apud Nas. in Deian. 'Nempe sub his animam testis Nemcæa lacertis Edidit Herculeis.' Hic tamen leo dicitur etiam Κιθαιρώνιος ab Apollodoro lib. II. quem Hercules 18. ætatis anno interfecit. 'Formidatum' vero agrum dicit ob hunc 'vastum Nemeæ sub rupe Leonem.' Jam vero per *antra Thracia* Diomedis Thraciæ tyranni Mapalia intelligit, 'cujus equos (Herculis) nono cum rege peremit.' Græci πώλους ἀνθρωποφάγους et ἀνδρομέους vocant. Porro *altaria polluta* Ægyptii regis, Virgilius 'illaudati Busiridis aras' appellat, victimis humanis pollutas: inficiatur tamen Eratosthenes Busiridem Ægyptium fuisse. *Morell.*

36 *Instratumque humeris, &c.*] In omnibus retro vulgatis pessime hactenus lectum fuit *Lustratumque*, quod Calderinus frustra explicare conatus est. Cod. autem Senensis signate *instratum* habet, et dubitandum non est. Nam sic Virgil. 'Fulvique insternor pelle leonis.' Et Noster Epulo Domitiani: 'Sic gravis Alcides, post horrida jussa reversus, Gaudebat strato latus acclinare leoni.' Quod vero dicit, *humeris gerentibus*, tolerari hoc potest: malim tamen transpositis litterulis: *rigentibus*. Ante enim omnia ut horrida et aspera descripsit, *truces arcus*, inquit, *agmenque immite pharetræ, &c.* Et humeri cruda pelle instrati proprie 'rigere' dicuntur. Sic Theb. I. 'Riget horrida tergo Palla, et cœrulei redeunt in pectora nodi.' *Gevart. Instratumque humeris, &c.*] Et potest et debet ita legi, non *rigentibus*. *Gerentibus humeris* est non jam luctantibus, sed gestantibus modo et jam victoribus humeris. *Gronov. Diatr.*

37 *Acantho Sidonio*] Acanthus Latine spina dicitur: herba tamen est quæ assurgit in topiarium et urba-

num opus. Virg. 'Bacchas semper frondentis acanthi.' Vid. Plin. *Domit.*

40 *Famulare timens*] Erravit graviter hoc loco vir doctus, qui τὸ *famulare* hic verbum activum esse existimavit, nam 'famularis' et 'famulare' nomen usitatissimum est. Noster Achilleid. II. 'Mensas famularis turba torosque Instruit.' Est autem *famulare timens*, idem hic quod 'timens more famulari et serviliter.' Sic Theb. IV. de Bellona ait: 'Turmale fremens,' id est, 'instar turmæ:' 'Mox et castra subit, ferroque auroque coruscis Mixta viris, turmale fremit.' *Gevart.* *Auge Mænalis*] Arcas. Nam Hercules in Arcadiam regressus ad Aleum regem divertit, cujus filiam Augen clam gravidam factam reliquit. Invocat Herculem ut veniat tam hilaris quam fuit post coitum cum Auge, qui quoniam clam fuit, majore eum affecit voluptate. *Confectum thyasis*] Lassum saltatione et bacchatione: nam thyasus bacchationem significat, a θύω, quod est *impetum facio.* Domit.

43 *Thespius obstupuit toties socer*] Hic Thespiensium Rex, non Thespius, sed Thestius vocatur ab Apollodoro Bibl. lib. II. cujus armenta leo Cithæronius discerpserat: ad quem persequendum profectum Herculem hospitio suscepit per quinquaginta dies, eique pro leonis interfecti præmio quotidie unam e 50. filiabus spondebat, et quasi usuariam præbebat. Eas vero susceperat ex Megamede Arnæi filia, et singulas præclara prole parentes videre in votis habebat. ἐσπούδασε δὲ πάσας ἐξ Ἡρακλέους τεκνοποιήσασθαι. Porro 'vagam noctem' appellat ob concubitum vagum, de quo Horat. ad Pisones: 'Concubitu prohibere vago, dare jura maritis.' *Morell.*

45 *Veloci lustro*] Velox lustrum erat illic, quoniam cum Olympici ludi post Olympiadem seu lustrum celebrari soleant, ludi Herculis singulis annis ei a Pollio exhibebantur. *Domit.*

46 *Hic templis*] Nepotem Pollii ex Pollia filiam intelligit, qui puer sacerdos initiatus erat Herculi, hoc est quod scribit Diodorus, in agro Leontino ludos Olympicos institutos fuisse Herculi, palæstræ scilicet et equorum, tanta numinis præsentia, ut si intermitterentur, pueri illius sacerdotes muti fierent, quo morbo liberabantur simul ac sacra repetebant. Hic quoque puer est sacerdos Herculis, ut erat in agro Leontino. *Idem.*

48 *Atque exanimata doleres*] Quare dicit Herculem doluisse dracones illos a se occisos? Interpretes hoc referunt ad magnitudinem animi Herculis adhuc pumili, qui dolebat hostes suos esse mortuos, quod signum generosæ indolis est, quemadmodum, 'Hostem magnanimo satis est prostrasse leoni.' Sed longe alia mens Statii, qui puerilem Herculis infantis simplicitatem elegantissime expressit. Moris olim erat ut infantes cum draconibus, quos veneno carere scribit Plinius, colluderent. Unde Ælianus in varia Histor. narrat multa miracula draconum pueros et puellas amantium. Et similem describit Noster Theb. V. *Gevart.*

55 *Profugis cum regibus*] Ad Ariciam. Barbaricus mos erat, ut scribit Strabo: nam qui primus hostiam mactabat, sacerdos appellabatur. Servi de honore certabant fugitivi, singulisque annis ei, qui tenuerat sacerdotium, certandum erat, cum alius victor succedebat. Hi appellabantur reges, et quidem Nemorenses: nam illic erat nemus, unde Diana Nemorensis dicta est. *Domit.*

57 *Lacus conscius Hippolyti*] Nam revocatum ab Inferis ope Æsculapii Hippolytum Diana occultavit in nemore Aricino, unde equi arcentur, quoniam ab his olim fuerat discerptus, putaturque illic vivere in occul-

to, et appellatur Virbius. Virgil. 'At Trivia Hippolytum secretis alma recondit Sedibus.' Lacus ergo conscius est Hippolyti latentis, scilicet illic: nam conscii proprie dicimur rerum occultarum. *Idem.*

58 *Emeritos Diana*] Diana credebatur suis festis, quæ Idibus Aug. celebrabantur, feriari, canesque suos coronare et a venatu immunes habere, quod Statii versus indicat, et confirmat Gratius in Cynegetico: 'Spicatasque faces sacrum ad nemorale Dianæ Sistimus, et solito Catuli velantur honore.' Turneb. lib. VII. c. ult. Male ergo Paschalius de Coronis lib. I. exponit hic coronare pro vincire et constringere. Legimus et boves coronatos fuisse diebus feriatis. Ovid. Fast. V. Tibul. lib. II. Eleg. 1. *Cruceus.*

62 *Rus proprium, magnique Ducis mihi munere currens Unda*] Papinius Albanum rus a Domitiano acceperat, cui si minus gratuitum, certe gratum et εὔχαρι testimonium reddit. Ex eorum enim numero erat qui multa principi debebant. *Morell.*

69 *Augustasque feros, assuetaque tecta gravamus Frondibus*] Frustra est Domitius, et alii ipsum secuti, qui hic *assuta tecta* nobis consarcinarunt, quasi male cohærentia et biantibus rimis contexta. Nam Statius hoc loco augustissimum et magnificum Dianæ Aricinæ templum etiamnum describit, et necdum descendit ad humile et vetustum Herculis templum, quod a Pollio restauratum est. Nam de eo loquitur paulo post: 'Stabat dicta sacri tenuis casa, nomine templi,' &c. Dixit autem *assueta tecta*, quia moris erat diebus festis, quales hic describit Poëta, templorum fores frondibus ornare. Unde ait templa propter illam consuetudinem jam *assueta* esse velari ramis. Similiter dixit a contrario Claudianus VI. Cons. Honorii: 'Desuetaque cingit Regius auratis fora fascibus Ulpia lictor.' Causam erroris viris doctis dedit confusio Templi Dianæ, et Templi Herculis, quæ ambo Statius hic tangit. Legendum autem in proposito Statii loco, *Augustasque fores*; non *Angustas*, ut male ediderunt operæ. *Gevart.* *Augustasque fores assuetaque tecta gravamur*] Ita habet conjectura Maximi Salmasii quam nos ambabus ulnis amplectimur. Dum, inquit, diem festum Dianæ in udo litore ducimus, et augustas Pollii fores, tectaque assueta gravamur, solis autem frondibus vel arborum opacitate solem arcemus. *Tecta gravantur*, quibus grave est tectis succedere. Sueton. 'ampla et operosa prætoria gravabatur.' *Gronov. Diatr. cap.* 23.

76 *Redimitaque vina*] Respicit ad corollarum ejus sæculi in conviviis luxum, quo non capita solum, colla, adeoque humeros discumbentium, verum etiam vina atque calices coronabant. Non exscribo quæ alibi notavi, adjunge Tertullianum nostrum libro de Resur. Carnis. *Bernart.*

77 *Ne quo convivia migrent*] Vetus editio Parisiensis habet: *nec quo conv. m.* quæ γνήσια, vera, germanaque lectio videtur, imo lampas, qua tenebræ opacæ, quæ hic Statii mentem involvebant, discutiuntur: ut jam maxime liqueat, et pateat hic sensus: Famuli, inquit, esculenta et poculenta abripiunt: nec tamen locus idoneus occurrebat, quo transferrent epulas. Hoc viro docto, amico nostro Adr. Behottio, venerat in mentem, etiam priusquam veterem illam editionem consuluisset. *Morell.*

84 *Scrutatoresque*] Piscatores. Multa huc facientia Oppianus in Piscationum libris, Alciphron Epistolis. Paria etiam leguntur apud Manilium et Firmicum. *Barth.*

92 *Juvenem replesti Parthenopen*] Instaurasti nostram Neapolim: et Stertinii medici frater, cui sexcentena sestertia in quæstu fuerunt Claudii liberalitate, ædificiis Neapolim ex-

ornavit. Parthenope Neapolis appellata, a Parthenope una ex Sirenibus illic sepulta, ut Plinius credidit. Eustathius vero, Dionysii interpres, Parthenopen puellam fuisse arbitratur, quæ ex Eubœa advecta cum aliis colonis, cum urbem imperio teneret, amore extincta sit. *Domit.*

95 *Lumine ceras*] Id est, luce colorum. 'Ceræ' dicuntur colorum omne genus. Scribere est pingere. E quo Maximo hæc pariter conjunxit: 'Apellææ cuperent te scribere ceræ.' Utrumque Græcum est, utrumque alibi nobis illustratum. Recte autem *lumine* edidit Gevartius, cum Bernartius, Aldus, Argentinenses, et Parisienses libri perperam retineant *Limine*. Lumina colorum nota sunt, unde hodie quoque usitatissimum, *Illuminare*, coloribus depingere. *Barth.*

104 *Proxima Juno*] Templum Junonis Argivæ, quod Surrento proximum fuisse constat ex Strab. et Plinio lib. III. cap. 5. ubi ejus conditorem facit Jasonem. *Cruceus.*

106 *Dignasque tuis conatibus aras, Quas puppes velis nolint transire secundis*] Etiam hoc loco magnæ interpretibus tenebræ. Domitius ait Statium alludere ad sedem Sirenum quæ hic erat, quam naves prospere etiam navigantes transire non poterant allectæ suavitate cantilenæ. Ego non dubito quin Poëta *aras littorales* intelligat, quibus nautæ præternavigantes sacrificabant. Erant enim olim Deorum simulachra passim in littoribus posita, quibus ob prosperum cursum nautæ libabant. Noster Propempt. Metii de classe Ægyptiaca, quæ Palladi in Surrentino littore positæ fecerat: 'Prima salutavit Capreas, et margine dextro Sparsit Tyrrhenæ Mareotica vina Minervæ.' Hi Dii Græcis a littore, Αἰγιάλιοι, Latinis *Littorales* dicti sunt. Catullus Phasello: 'Neque ulla vota littoralibus Diis sibi esse facta.' Tales autem fuerunt Apollo, Minerva, Hercules, &c. qui passim in littoribus culti. Hinc Apollo ἐπάκτιος apud Apollonium. Imo et 'Actiacus' dictus Apollo, ut nonnulli volunt ab *acta*, id est littore. sic et 'Pallas littorea' nostro dicitur Achill. I. 'Palladi littoreæ celebrabat Scyros honorem.' Rogat itaque Hercules Pollium, ut curet sibi etiam exstrui aras in littore, quas nautæ, inquit, præternavigantes tametsi prospero cursu utantur, transire nolint, nisi antea illis sacrificarint. Porro in supracitato Catulli versu viri docti per 'Deos littorales' intelligunt Glaucum, Panopæam, et Melicertam, &c. Sed male illi 'Marinos' et 'littorales Deos' confundunt. 'Littorales' enim potissimum Dii Cœlestes erant, Pallas, Apollo, Hercules, &c. unde illi potius apud Catullum sunt intelligendi. *Gevart.*

116 *Pergameus labor*] Pindari interpres scribit, Apollinem, Neptunum, Junonem, cogitasse de Jove dejiciendo de Imperio: sed deprehensos dedisse pœnas. Junonem in vincula conjectam: Neptunum et Phœbum coactos parere Laomedonti, eoque assumpto in societatem operis struxisse mœnia Trojæ. *Domit.*

120 *Pars uvida terræ*] Mendosi codices *pars invida* habent: ego *uvida* lego: ut sit periphrasis tegularum quæ ex terra uvida fiunt ad arcendas hyemes. Plinius: 'Inenarrabili terræ benignitate si quis singula æstimet:' paulo post: 'Figulinarum opera, imbricibus, tabulis, tegulisque ad balnea mammatis, vel ad tecta coctilibus laterculis.' Cornelius tamen Nepos auctor est, contectam fuisse Romam ad bellum usque Pyrrhi quadringentis septuaginta annis scandulis. *Domit.*

128 *Dites Capreæ viridesque resultant Taurubulæ*] Capreæ Pithecusas olim adjunctas ac socias habuerunt, ut scribit Strabo lib. V. et Teleboas populos accolas: unde probatur Fr.

Tiliobrogæ juvenis πολυμαθοῦς emendatio, qua *Teleboæ* postliminio redeunt; ut eas quoque M. Adrian. Turneb. in suum Cod. jampridem revocarat, manuque sua adscripserat: ita ex Aristotele νοῦς φύσει πρὸς ἀλήθειαν φέρεται. Virgilius Æn. VII. stat pro illis: de prisco rege Caprearum, Œbalo: ' quem generasse Telon Sebetide Nympha Fertur, Teleboum Capreas cum regna teneret.' *Morell.*

129 *Taurubulæ*] Hoc nomen a cosmographis prætermissum est: sed puto fictum esse a Papinio, atque ita appellari viam Herculeam septem stadiorum ante Lucrinum in exteriore parte: cujus meminerunt Strabo et Diodorus: nam structa est causa traducendorum boum, ταῦρος autem Græce, Latine *taurus;* et βάλλω, *jacio*, sive *trajicio*, significat. Unde *Taurubulæ*. Domitius. *Taurubulæ*] Non est dubium *Thelcbræ* genuinam lectionem esse. Ea debetur Lucio Joh. Scoppæ, Coll. lib. I. cap. 30. Cujus hominis ignobilitas fecit, ut idem sentiens Frid. Lindenbrog. in vestigia ejus incurreret. Nos tamen huic illam acceptam restitutionem ferimus, qui tot bonis rem literariam mactavit, cum ille alter plus tenebrarum quam lucis insperserit. Non attinet autem plura adnotare, cum Geographi sint in omnium notitia. *Barth.*

135 *Anhelat*] Vix altero anno laborabatur: vel quod placet, vix altero anno redierat æstas qua anhelamus. *Domit.*

139 *Jam placidæ dant signa tubæ*] Et hic iterum mos priscus tangitur: tubæ signo ludi omnes, etiam Scenici, commissi. Plinius lib. II. Epistol. ' Qui nunquam castra viderunt, nunquam tubarum sonum nisi in spectaculis audierunt.' Virgilius: ' At tuba commissos medio canit aggere ludos.' Quintilianus in Gladiatore: ' Sonabant clangore ferali tubæ.' Alia de his habes apud cognatum meum Lipsium Saturnalium libro II. quæ non recoquam ego. *Bernart.* *Fortibus addens*] Ubi congrediantur et exerceantur juvenes. Dicit id quod supra memoratum est: ' hic tibi festa,' &c. Fortia sacra etiam citra sanguinem, virtutis et virium experimenta in honorem fortissimi herois, Herculis. Non igitur accedimus Justo Lipsio Saturnal. lib. II. c. 14. et ejus cognato J. Bernartio ad hunc locum *sortibus* hic legentibus. Non enim est Papinio digna sermonis mora, quæ hinc oritur. Et quid est ' Ardentem arenam fumare sortibus?' Favet eidem correctioni Emer. Cruceus, quem cum illis seponimus. *Barth.*

141 *Aut Cyrrhæ pater aspernetur opacæ*] Hæc est periocha quatuor celeberrimorum Græciæ ludorum: Olympiorum, qui ab Hercule Jovi Pisæo instituti fuerant: Pythiorum, qui Apollini Pythio consecrati erant, quem Cyrrhæ patrem hic nominat; ne quis cum Calderino comminiscatur nescio quid de Actiaco, quod hic plane est ἀπροσδιόνυσον; est enim Cyrrha in Phocide infra Cyrphin urbs antiqua ad mare sita, e regione Sicyonis; unde adscensus Delphos patebat stadiis circiter 80. Straboni lib. IX. et Eustath.: Isthmiorum, qui in insula Isthmo celebrabantur, non longe a Corintho, in honorem Neptuni, et Palæmonis Portumnive seu Melicertæ: Nemeorum, qui Archemoro dicati erant ab Argivis. Est autem Neme inter Cleonas et Phliuntem. *Morell.*

145 *Scopulis humentibus hærent*] Ms. Senensis: *virentibus*. Ms. Flor. Rom. Venetusque Cod. *viventibus*. Scio alibi ' Vivum saxum ' dici: sed nullum dubium est, quin scripserit Papin. *scopulis uventibus hærent;* id est, βρεχομένοις. Ut ' Uvidus aspergine multa Desilientis aquæ ex alto lacus.' Ovid. Fast. IV. *Gronov. Diatr.*

147 *Gaurus*] Nam Gaurani colles

Surentini junguntur in Campania, ut Plin. scribit, nobiles vinetis. *Icario palmite*] Icario patri Erigones propter justitiam et pietatem Liber pater uvam et vinum dedit, quod prius ostendit mortalibus. Hujus meminit Eratosthenes et Hyginus. Icarius, Tyndari frater, quem alii Icariotum dixerunt: unde Penelope Icariotis dicitur a Propertio. *Domit.*

154 *Actus*] Alloquitur Herculem, ut suis laboribus memoriam statuat his ludis. *Barthius.*

155 *Disco*] Saxum gymnasio quod jaciebatur ad exercitationem. Homer. spatium, quo antecesserat Antilochus Menelaum in certamine equestri, tantum ait fuisse quantum discus occupat. *Domit.*

157 *Seu tibi dulce manu Libycas nudare palæstras*] Per Libycam palæstram luctam cum Antæo intelligit: de quo Plautus in Persa: 'Deluctari cum Antæo mavelim, quam cum amore.' Damagetas poëta palæstram hanc in ære sculptam venuste expressit, Epigrammate, quod est lib. VI. Anthol. T. h. *Morell.*

158 *Et si tibi poma supersunt Hesperidum*] Poma Hesperidum ad XII. certamen Herculeum spectant: 'Postremo Hesperidum victor tulit aurea mala.' Epigram. ἀδήλου. Δωδέκατον δ' ἐκόμισσεν ἐς 'Ελλάδα χρύσεα μῆλα· Tametsi hæc κλυτὰ μῆλα, non ab Hercule, sed ab Atlante decerpta alii tradant, interim dum Hercules vicariam illi operam præstitit. Hic festive dictum *si poma supersunt*, cum tria tantum lecta fuerint. Quæ vetus Herc. ἄγαλμα manu sinistra gerebat: quod mythologice, apud Suidam, ad tres virtutes ἐν τῷ τριμερεῖ τῆς ψυχῆς refertur, ad τὸ μὴ φυλαργυρεῖν, *contemptum opum*, ad τὸ μὴ φιληδονεῖν, *temperantiam*, ad τὸ μὴ ὀργίζεσθαι, *lenitatem.* Morell.

160 *Et tantum non dedignatur honorem*] Politianus jam olim legendum esse monuit: *non degeneravit honorem.* Procul dubio ex Ms. codice. Sed *non degenerare honorem*, quem nunquam acceperis, profecto mire, imo male dicitur. Codex habuit *degeneravit* pro *degenerabit:* quemadmodum Equo Maximo, 'Mutavit habenas' Rom. codex, pro 'Mutabit,' sæpeque alibi. Illud autem *degenerabit*, quod etiam ita nullo apice minus habet Ms. Flor. corruptum est ex *degener ambit*, cum compendio litera M non ascripta, sed nota ejus supra A posita fuisset. Reliquerat igitur Statius: *Nam capit et tantum non degener ambit honorem.* Gronov. Diatr. cap. 23.

166 *Macte animis opibusque*] Sic Horat. 'opes' et 'animos' jungit, IV. Od. 4. 'Per damna, per cædes, ab ipso Ducit opes animumque ferro.' Hoc autem votum est Callimachi in clausula hymni in Jovem: Δὸς ἀρετήν τε καὶ ὄλβον. *Morell.*

179 *Oscula Pollæ*] Male egit cum muliere hac Papinius, quod non expressit 'uxorne' an 'cognata' aut 'soror' fuerit Pollii. Ambigua enim ea res semper erit, et uno verbo toti consulere poterat. *Barth.*

183 *Solisque cubilia Gades*] Duplicem historiam seu fabulam notat. Gades insulam in fine Bethicæ provinciæ, versus occidentem, ubi Europa ab Africa dirimitur, noti orbis terminum credidit antiquitas. Hispani hodie *Cadiz*, et corrupte *Caliz*, vocant: nostrates, *Calis malis.* Fuit in hac Insula Herculis templum, et columnæ illæ quæ Herculis nuncupantur ab omnibus celebratæ. Consule Plinium, Suidam, Isidorum, aliosque. In Iberico vero freto Solem occidere, vulgata Poëtarum fabula. Vide quæ notavi ad Theb. I. Recte itaque Papinius *Solisque cubilia:* quin et hodie nostrates Nautæ promontorium hujus insulæ versus occidentem, quod ab incolis S. Sebastiani vocatur, *het eynde der werelt* nominant, quasi mundi metam. Adi eruditissimi Abrahami Ortelii nostri tabulas

Geographicas. *Bernart.*

185 *Albentia tempora*] Nam cum sint tria genera populi, ut scribit Plin. alba, nigra, et quæ Lybica appellatur: alba Herculi dicata est: et ea coronati olim ejus sacra peragebant: sed posteaquam Laurentum germinavit in Aventino, lauro coronabantur. Auctor Varro in secundo rerum humanarum. *Domitius.*

Carm. II. *Propempticon*] Veteres προπομπὴν *prosequutionem* rite explicant; quæ non minus animo fit, quam corpore: ut Tibullus προπέμπει, 'Messalam terra dum sequiturque mari.' Horatius Virgilium I. Od. 3. et Mæcenatem Epod. I. officioso et votivo προπεμπτικῷ. *Morell.*

5 *Grande tuo rarumque damus Neptune profundo Depositum*] Xenophon amicum appellat κτῆμα πάγκαρπον, *heredium fructuosissimum.* Alexander M. amicos indigitans, οὗτοι ἐμοὶ θησαυροί. de quo Libanius Pseudo-Theo. I. Chria. D. Joan. Evangelista apud Eusebium Histor. Eccles. lib. III. cap. 23. ab Episcopo, cujus fidei adolescentem, τὴν ὄψιν ἀστεῖον καὶ θερμὸν τὴν ψυχὴν, tradiderat, depositum repetens ait, ἄγε δὴ, ὦ ἐπίσκοπε, τὴν παρακαθήκην ἀπόδος ἡμῖν. *Grande rarumque* τὸ πλείστου ἄξιον in Epist. Amasis ad Polycratem, apud Herod. in Thalia: 'Επ' ᾧ τις ἀπολομένῳ μάλιστα τὴν ψυχὴν ἀλγήσειε. *Morell.*

6 *Dubio committitur alto, &c.*] Ne corrigamus *alveo*, vel *dubiæ alno*, ut quidam voluerunt. *Tutus pontus*, fidus, in quo sine periculo quis fertur. Vide Observ. Gronov. l. 2. c. 11.

10 *Fratres Œbalii*] Castorem et Pollucem Laconicos ab Œbalo rege dictos, rege Laconiæ, cujus filia Pyrene, audita Chencreæ morte, lachrymis fontem dedit Pyrenem, ut scribit Pausanias, invocat tanquam stellas salutares Metio navigaturo: rogatque ut excludant Helenem sydus tempestuosum. *Domitius.*

11 *Sororis Iliacæ*] Helenæ raptæ a Paride Trojano. *Cessit*] In sortem venit. *Secundi regni*] Maris: nam primum cælum est. *De Doridos antris*] Nam Nereides fundum maris tenent in specu, habitantes apud Nereum patrem. *Baianos sinus*] Rogat numina ut Baias se recipiant et Puteolos; nam illic erat navis qua erat discessurus Metius in Alexandriam. Ea annonam attulerat ex Ægypto; nam in urbem inde sæpe annona immittebatur. Martial. 'Mitte tuas messes, accipe Nile rosas.' *Idem.*

22 *Pharium annum*] Annus hic pro annona, et apud Claud. de Bello Gildonico: 'Pensabam Pharium Getulis messibus annum.' 'Pharius' ergo 'annus' est annona ex Ægypto, de qua Plin. in paneg. et fuse Lips. Elect. I. ubi etiam citat hunc locum, Demster. Collect. Antiq. lib. VII. cap. 38. Casaub. ad Sueton. August. cap. 98.

24 *Sparsit Tyrrhenæ*] Promontorium Miseni infame naufragiis erat. Libabant itaque Palladi, quæ inibi colebatur, nautæ, periculo maris defuncti. Vide notata mihi ad Theb. I. De Mareotici vero vini præstantia velim te consulere Strabonem. *Bernart.*

29 *Moderamina*] Periphrasis est anchoræ. *Domit.*

30 *Sint quibus exploret rupes gravis ære Molorchus*] In illo Cod. Adrian. Turnebi αὐτογράφοις insignito, quo Stephani ejus filii, Senatoris clariss. benignitate usi sumus, pro *arte* reponitur, *ære*, ἀνενδοιάστως, et ἀντὶ τοῦ *Molorchus*, *Molybdus* de plumbo; vel *Bolochthus*, vel *Molochthus*, de pondere, quod jaci soleret in profundum: vel *Hermateleuchus*: quarum suspicionum, ut eas vocat, rationem adfert Advers. lib. XXVIII. et XXXIV. ubi ingenue fatetur τὸ *hermateleuchus* magis animo arridere; pro instrumento vel ferramento quo scopuli et murices, teniæque cæcæ et sub aqua latentes deprehendantur: quod hic versus de Proreta scriptus esse videatur, qui in

prora et ventos captat, et scopulos rupesque explorat. Lil. Gyraldus lib. de Navigiis, cap. 12. monet alios legere malle *Molorthum*, quasi *μόλυβδον ὀρθὸν*, *plumbum rectum* et *perpendiculum*, quod ad explorandam aquæ altitudinem adhibeatur, ut *βολὶς* et *καταπειρατηρία*. Sunt qui per Molorchum potius denotari dicant rei navalis peritum. Ita *gravis* esset *δεινὸς* non *βαρὺς*. An alicujus palato sapiet *Bolarchus* a principatu et regimine bolidis? Quænam harum *κυρία δόξα* censebitur? *Morell.* *Molorchus*] Quia in vetustissimis editionibus *Molochus* legitur non *molorthus*, verius mihi visum est, *Malachus* esse proprium cujusdam navarchi seu proretæ nomen, qui *Molochus* dictus fuerit seu *Malachus*. Sic invenio exstitisse quendam Atheniensium navarchum, *Malachum* nomine, apud Justinum lib. XVI. Sed et Strabo cujusdam *Maluchi* mentionem facit. Et hinc fortasse per contractionem, Syrorum *Malchus* natum, sicut a 'Proculus,' 'Proclus,' &c. Quis ergo neget ex nautica pube Syrum quendam fuisse rei navalis peritum, cui *Malachus* nomen seu *Molochus*? Sed Latinitas non videtur admittere, ut vir præditus arte aliqua dicatur *arte gravis*, sicut contra aliquem recte 'virtute' aut 'pietate gravem' dicimus. Huic difficultati responderi potest, *τὸ arte* non referendum esse ad *gravis*, sed ad *τὸ exploret*, quod præcesserat, ut scilicet, *arte exploret*, *gravis molochus*. Sed, ut verum fatear, duriusculum hoc est, unde perplacet mihi sententia Clariss. Viror. Dan. Heinsii, qui censebat *Molochum* hic non navarchi aut proretæ nomen esse, sed urinatoris, cujus proprium munus erat fundum petere, et scopulos rupesque explorare. 'Urinari' enim est submergi. Atqui proprie convenit urinatori, ut dicatur *arte gravis*. Nam cum quilibet imperitus ejus artis pondere suo et gravitate ad fundum feratur, soli urinatores eleganter hoc *arte* facere a poëta dicuntur. Ergo *arte gravis*, est urinator qui arte mergitur. *Molochum* autem temporis illius urinatorem Synecdochice pro urinatore quolibet poni non est dubitandum, et hic mos est Poëtis, Juvenali imprimis et Martiali familiaris. Ita in re simili Socrates de libro obscurissimo Heracliti, aiebat Natatore 'Delio' opus esse ad explorandos sensus ejus nimium abstrusos et profundos. Erat enim 'Delius,' urinator ejus sæculi, ut *Molochus*. Vim proverbii non viderunt qui interpretati sunt. Ut autem præsens locus rectius intelligatur, notandum est Poëtam singulas Nereides extra aquam in aliqua navis parte constituere, et omnia nautica officia ipsis Nymphis tribuere, quod legenti patet. Cum vero proretæ munus esset, bolide fundum prætentare, aut ejus loco urinatorem emittere ad explorandas rupes; hoc jam Nereidibus tribuit, ut illæ *τὸ βολίδος* loco, *Molochum*, *arte gravem*, hoc est *ἔντεχνον κολυμβητὴν* emittant, qui exploret rupes. Cum dixit, *exploret*, respexit ad instrumentum quod *καταπειρατηρίη* ab Herodoto vocatur, cujus loco erat urinator, verus *καταπειρατὴρ*, quasi dicas *exploratorem*. Gevart. *Sint quibus exploret, &c.*] Scripsit Statius: *Sint*, *quibus exploret lino gravis alta molybdis*. Dictio *rupes* semper suspecta fuit. Pro ea in Florentio legitur *primo*. Sed hanc mutari malim in *lino*, quo sc. *molybdis* in mare demittitur. Nam cum L et N in M coaluissent, hoc modo *Imo* ineptus librarius *τὸ* L pro nota vel Latini numeri accepit, et *primo* reddidit. *Arta* pro *alta* deinde *arte* correctum est. *Moluptis* autem pro *molybdis* videtur olim scriptum, quod facile fuit in *molorchum* mutari. Vocarunt olim instrumentum mari explorando *μολυβδίδα*, quia plumbum habebat assutum in extremo. Vide *Gron. Diatr.* c. 27.

36 *Qui perdidit inguina*] Cujus pars inferior versa est in piscem. Duo enim Glauci fuerunt, uterque Bœotius: alter discerptus ab equabus ad Pothniam. Virg. meminit, et Strabo: alter Anthedonis filius in balenam conversus. Anthedon oppidum Idumææ Palestinæ, ut scribit Plin. ejusdem nominis oppidum Bœotiæ, ab Anthedone patre Glauci, de quo Hom. Il. B. *Cum matre*] Matuta seu Leucothea. *Vestras*] Patriam vestram. Nam Ino et Palæmon Thebani fuerunt. *Palæmon*] Idem Portunnus. *Amphiona Phœbeium*] Citharœdum, id est, res Thebanas, quarum auctor et conditor Amphion fuit. *Et pater Æolio*] Æolus Hypotæ filius sumta uxore Lippari filia Æolidibus insulis imperavit, in hospites perhumanus. Velis uti nautas docuit. Ad eum divertisse Ulyxem scribit Homerus. *Paretoniis*] Ægyptiis Paretonium civitas et portus ingens quadraginta fere stadiorum, ab aliis Amonia vocatur, ut Strabo scribit. A Catabathmo distat nongentis stadiis: vel, ut Plinius metitur, septuaginta milibus passuum. *Domitius.*

51 *Increpat: ecce meum*] Ms. Senensis, Rom. et Venetus Codex: *Increpat, inde meum.* Eodemque alludit Flor. qui *unde.* Probo sane. Perquam elegans usus particulæ pro nunc vero, ab hoc momento, enimvero, jam. Scaliger et Rutgers. *vivide. Primo congressu inde.* Locutio vocibus brevis, sensu copiosa, pro a primo congressu incipientes continenter postea ostendamus. Dein scribe: *quamvis monet ominis horror.* 'Monere, monitus,' propria verba de auguriis, oraculis, prodigiis, ominibus, somniis. *Gronov. Diatr.*

61 *Quis rude*] Detestatio navigationis, in qua et Horatius mortalibus succenset, et Propertius, demum Claudianus. Antea non nisi ratibus navigabatur inventis a rege Erytra in Mari Rubro. Jason vero primus longa navi navigavit, ut Philostephanus auctor est: et scribit Plin. *Domit. Quis rude, &c.*] *Abscissum æquor animantibus* est præclusum et prohibitum τοῖς πεζοῖς: vel si mavis *abscissum æquor factum iter animantibus,* est iis, quos terra et aëre provida natura contentos esse voluerat, nec concesserat sub aquis durare posse, *solidæ telluris alumnos,* ut loquitur. *Pelagoque immisit hiantes,* est respirantes. Antecedens positum pro consequenti. Est enim 'hiare' proprie recludere os ad respirandum, neque sine hiatu, qui vel fit ore, vel est in naribus, attrahitur vel emittitur spiritus. *Gron. Diatr. c.* 27.

65 *Pelion Ossæ*] Æque oppugnant, inquit, Dei ordinem, qui terram mari confundunt navigando, quam qui congestis montibus voluisse cœlum escendere dicuntur. Nota omnia. Vide Philonis lib. de Confusione Ling. Hieron. Magii Miscell. lib. I. cap. 4. 66. *Bis pressit Olympum*] Quia mons ille altissimus duplicibus eum aliis cumulatum dicit, ut eo nempe citius sic in cœlum penetraretur. Potest etiam bicipitem Olympum, poëtica licentia fingendi omnia. *Barthius.*

Anhelantem Olympum] Sub pondere. Olympos quatuor fuisse accepimus. Et Strab. observavit, quorum duo sunt: alter Idæ Phrygiæ ad Antandri ora, ubi Sophocles Menelaum ita Agamemnonem alloquentem introducit: Tu hic consistens ad Idæam tellurem ex Olympo greges cogens immola tibiæ sonitu. Alter in Mysia quem Plin. scribit quoque dictum fuisse juxta Olympenam civitatem. Tertius in Thessalia, de quo nunc loquitur. Quartus in Lesbo insula. *Domit.*

72 *Et fulmina plura Tonanti*] Inepte Domitius: 'Plura fulmina, id est frequentiora, quam si mortales nunquam æquor intrassent.' Usus comparationis, defecta parte, imprimis amatus Statio et reliquis illius ævi.

Gronov. in Diatrib.

76 *Plias*] Pliades, ut antiqui astrologi scribunt, filiæ fuerunt Atlantis et Pleiones septem, quibus per Bœotiam iter facientibus Orion vim inferre voluit: sed cum fugissent, septem annis eas insecutus est; nec potuit reperire. Jupiter puellas miseratus, in cælum transtulit, ad caudam Tauri. Vergiliæ a nostris appellatæ quod post ver appareant: quod tempus quoniam initium navigationis est, Pliades nonnulli dixerunt: a πλέειν quod est *navigare*. Earum ex ortu æstas significatur, occasu hyems. *Tunc nubila*] Tunc tempestuosa facta est cum ante non esset. *Pecus Olenium*] Capellas et hœdos Olenios intelligit, sydus tempestuosum. Ægium enim oppidum non procul ab Oleno Arcadiæ oppido locus est, ubi capra, a qua nomen accepit, Jovem nutrivit lacte. *Domit.*

78 *Justa queror*] Merito, inquit, damno audaciam navigandi: vel ex hoc quod navigaturus est Celer meus. *Tot timores*] Vectores; timores appellat ob discrimina tempestatis. *Idem.*

85 *Lucani maris*] Tyrrheni. Nam inde solvebat: atque ita sigillatim et ex ordine maria nominat, per quæ navigaturus est Celer, contendens in Syriam. *Num torva Charybdis*] Nam ex Tyrrheno Siculum ingrediebatur: ubi in freto est scopulus Scylla et Charybdis mare vorticosum: ut scribit Plin. Scylla, ut Acusilaus scribit, Phorci et Hecates filia. Homerus Erati matrem fuisse tradit. Hæc, ut Homerus in duodecimo Odysseæ scribit, monstrum fuit duodecim pedibus, sex cervicibus, totidemque capitibus; et ut ille ait δεινὸν πέλωρ· Charybdis vero, ut idem est autor, scopulus inferior sub caprifico ter fluctus absorbet quotidie et revomit. *Idem.*

87 *Quos tibi currenti*] 'Ferre mores' dixit, pro in ordinem redigi, legem pati, quietem, tranquillitatem, modestiam assumere. Vide Gron. Diatr. c. 29. *Adria mores*] 'Mores Adriæ,' vocat 'naturam' et affectiones ejus maris. Græcis ἤθη dicuntur. Errant autem illi qui verbum Latinum *mores* non tam late patere dicunt, quam Græcorum ἦθος, illudque tantum ad consuetudines, affectionesque hominum astringunt; nam et de cæteris animalibus, adeoque etiam de inanimatis dicitur, ut hic apud nostrum 'mores Adriæ' dicuntur et apud Tibull. lib. IV. ad Messal. 'Mos Charybdis.' Virgil. Georg. I. 'Varium cœli prædiscere morem.' *Gevart.*

88 *Carpathio*] Hoc mare inter Rhodum et Ægyptum interjacet: ita appellatum a Carpatho insula. Plin. Carpathos, quæ mari nomen dedit. *Quali aura*] Hoc est mare Syrium, quod demum est ingressus Celer. *Doris*] Mare. *Blandita*] Quæ olim favit. *Furtis*] Raptui. *Juvenci*] Jovis conversi in taurum. *Agenorei*] Qui rapuit filiam Agenoris Syrii. Quamvis Herodotus eam raptam scribat a Græcis Cretensibus: et abductam in Cretam. Eusebius scribit eam fuisse Phœnicis filiam, compressam a Jove, nupsisse Asterio regi Cretensium: indeque natos, Minoëm, Rhadamanthum, Sarpedonem. *Domit.*

92 *Cimmeriumque chaos*] Cimmerii in Italia apud Baianum et Avernum sinum fuere, subterraneis domiciliis habitantes, in queis tota die delitescebant, noctu tantum ad latrocinia egressi, ut refert Strabo. Festus vero regionem totam eminenti jugo circundatam scribit, quæ neque matutino, neque vespertino tempore Sole contegeretur. Fuere et Cimmerii Bosphorani, de quibus Hesiodus lib. IV. et a queis montes super Albaniam Cimmerii dicti Ptolomæo, tabula Asiæ secunda. *Bernart.*

98 *Nihil juratus*] Hoc est ex historia quam Thucydides in primo scribit.

Ait enim principes Græciæ secutos esse Agamemnonem non tam jurejurando addictos quo obligati erant Tyndaro patri Helenæ, quam Agamemnonis opibus. *Domitius.*

101 *Isi Phoroneis*] Inemendati codices modo *ipsa* modo *ipsi* proferunt. Nos *Isi* scribimus; nam invocat Isidem numen Ægypti, cui Celerem commendat. Hæc antea Io dicta Inachi filia fuit: et Inachum flumen Bosporum dixit Eusebius. *Phoroneis antris*] Argivis. Phoroneus, ut Eusebius, regum antiquissimus Argis regnavit, filius Inachi et Niobes. Alii Niobem fuisse filiam affirmant, prius judicia et leges conscripsit. Hujus filii fuerunt Io et Spartus, qui Spartam a suo nomine condidit. *Stabulata*] Cum erat bos. *Domitius.*

103 *Multisono sistro*] Instrumento Isidi peculiariter adscripto. De eo ex poëtis et Apuleio jam dixit, hoc etiam loco illustrato, Joh. Passeratius ad Propert. lib. III. Eleg. 11. Speciem ejus depictam dedit Stephanus Claverius comentario ad Persii Sat. pag. 208. *Barth.*

108 *Fœcunda licentia*] Doce, inquit, eum res mirandas Ægypti: in primis quare tantum inundet Nilus. *Domitius.*

110 *Cecropio stagnata luto*] Siculis gerris vaniora sunt, quæ de *Saitico* Nili ostio hic commentus est Domitius. Per 'Cecropium lutum,' Poëta innuit 'murum hirundinum,' ita dictum, quod hirundines eum exundanti Nilo opponant. Est enim hirundinum species in Ægypto, quæ a Nili ripa, in qua assidue versantur, Plinio 'ripariæ,' a Marcello Empirico 'ripariolæ' nominantur. Hirundines illæ in ipsa etiam ripa nidos suos construere solent, eosque tanquam aggeres quosdam atque obices contra Nili impetus opponunt. Vide Plutarch. lib. de Fluviis et Plin. lib. x. Dixit autem Poëta 'Cecropium lutum,' quia etiam pueri norunt Procnen Atheniensis regis filiam in hirundinem, notissima fabula, conversam esse. Cecrops autem primus Athenarum conditor fuit. Recte etiam dixit 'stagnatam ripam,' quia Nili aqua in ea continetur, nec effluere potest. Ita et Silius libro x. 'stagnantes ripas' dixit. Beroald. in Annotat. ait Francis. Puteolanum præceptorem suum primo omnium hunc locum ita esse interpretatum. *Gevart.* *Cecropio stagnata luto*] 'Stagnans aqua' proprie, quæ non liquide manat, sed stat paludosa, multo limo crassa et turbida. *Stagnata* non est, in qua perpetuus latex subjicitur, irremisso fonte profluens, ut Barthius Advers. lib. XXXVII. cap. 7. putat, sed simpliciter limosa aqua inundata. Naturam soli, ubi hortus colitur, vult neque siccam, neque paludosam, sed habilem, pinguem. Unde Nilus 'stagnare' dicitur. Vide Gronov. Diatrib. *Invida Memphis*] Existimo Memphim hic 'invidam' dici propter summum odium ac simultatem quam Ægyptii inter se mutuo exercebant, ortam ob diversitatem Deorum, quos quisque locus colebat. Auctor est enim Diodorus l. II. cum Ægyptii frequenter in suos principes conspirare solebant, cujusdam eorum regis consilio factum esse, ut diversorum animalium cultus diversis civitatibus tribueretur, hocque pacto, cum illæ in religione ac Deorum cultu minime convenirent, ideoque gravibus odiis a se mutuo dissiderent, aliæque aliarum superstitionem contemnerent, non possent concordes unanimesque in principes suos conjurare. *Lasciviat ora Canopi*] De Canopæorum luxuria eleganter Strabo lib. XVII. 'Canopismus' proverbialiter dictus est pro petulantia et immodica lascivia. *Gevart.*

112 *Cur servet Pharias*] Næ multum Domitio debet Charon portitor Lethes, cui janitoris etiam munus assignavit, modo ne id stomachum mo-

veat Cerbero. cum hic 'Ingens janitor antro Æternum latrans exangues terreat umbras.' et Charon ipse conqueritur de Hercule, quod 'Tartareum ille manu custodem in vincla petivit Ipsius a solio Regis, traxitque trementem.' Nunquid vero in comitatu pompatico Isidis fuit 'latrator Anubis?' quin Deorum custos fidissimus habebatur, ut canis hominum. *Morell.*

113 *Vilia cur magnos*] Ad Ægyptiorum vanam superstitionem, qui et bovem, et crocodilum, et alia animalia, Deos denique canino capite effigiatos colebant. *Bernart.*

114 *Præsternat*] Nam moriturus phœnix facto rogo ex variis odoramentis concussu alarum incendit: nascitur vermiculus ex cineribus; unde alter phœnix crescit, qui primum reddit justa phœnici mortuæ, defertque totum nidum in Panchaiam ad Solis urbem, eamque in ara collocat. Manilius docuit, repetit Plin. *Vivax*] Nam ut Manil. auctor est, vivit annis sexcentis sexaginta: et cum hujus alitis vita magni anni fit conversio. *Domit.*

116 *Mergat adoratus*] O cautam Apis Majestatem, si ita se sacro Nili fluvio mergeret, ut haustus non duceret ullos, sed a potu plane temperaret, prout ei præscriptum erat a sacrificis. non quod aquam Nili pollutam vel profanam esse censerent, sed ne 'fibris increscat opimum Pingue,' ait Pers. Sat. III. Sic enim cavent 'affligere humi divinæ particulam auræ.' Atque ita Plutarcho placet περὶ Ἴσιδος. *Morell.* Vide Herod. Diod. Plin. Frid. Lindebrog. ad Ammian. lib. XXII. Joh. Selden. De Diis Syris lib. I. cap. 4. &c.

117 *Ad manes Æmathios*] Ad tumulum quidem Alexandriæ: nam in urbe Alexandri circuitus quidam erat, in quo regum sepultura erat et Alexandri. Nam Ptolemæus Lai filius Alexandri corpus Perdicæ abstulit, qui ex Babylone deferebat: detulitque Alexandriam, eique parentavit prius in aureo alveolo: quem Coccas vitreo supposito rapuit, ut ante diximus. *Duc ad Æmathios manes*] Id est in Alexandriam, ubi est corpus Alexandri Æmathii seu Macedonici. *Domit.*

119 *Anguiferamque domum*] Duc, inquit, o Isi Metinm etiam Necropolim: ubi anguibus extincta Cleopatra. *Blando veneno*] Locus distat ab Alexandria 30. stadiis, ubi Cleopatra vel aspidis morsu, quod Plutar. refert, vel delibutorio veneno, quod Strabo tradit ex quorundam sententia, se necavit in vinculis. *Actias*] Patronymicum affectatum pro Cleopatra quæ ad Actium victa fuerat. *Ausonias catenas*] Nam se interfecit, ne in potestatem Augusti veniret. *Catenas* dixit, quoniam regum vincula erant catenæ e collo pendentes cum ducebantur in triumphum. *Domitius.*

124 *Notus adhuc tantum, &c.*] Ita moris erat ab Augustæo ævo, qui 'liberis Senatorum, quo celerius Reip. adsuescerent, protinus virili togæ latumclavum induere, et curiæ interesse permisit.' Consule Suetonium. *Bernart.*

136 *Bactra*] Narrabis, inquit, et describes loca in quibus fueris. Bactri populi quorum Zariastes oppidum est. Idem postea Bactrum dictum a flumine. Plinius auctor. Zeugma a Seleucia Syriæ ad nostrum littus distat centum viginti duorum passuum milibus: oppidum ita appellatum, quoniam Alexander ibi pontem in Euphratem junxerit: nam ζευγνύω Græce, Latine significat jungo: quod Plinius Nat. Hist. lib. XXXIV. ostendit. *Domitius.*

139 *Iterata purpura*] Dibapham intelligit, id est bis tinctam: quæ gratior erat. *Plinius.* Huic successit dibapha Tyria quæ in libris denariis mille non poterat emi. Hac Lentu-

lus Spinter Ædilis Curulis primus in prætexta usus improbabatur. Verba hæc accipit Plinius ex Nepote Cornelio, qui divi Augusti principatu obiit. *Idem.*

142 *Ast ego, devictis, &c.*] Perperam Domitius. *Devicti Pelasgi* sunt, qui ad Thebas occubuere, quos cum sepultura arceret Creo, Thesei armis impetitus et cæsus est, illi justa acceperunt. In seq. vs. 'includere' claudere est. *Quæ pagina mihi claudat Thebas* est, quid in Eschatocollio Thebaidos scripserim, quid cecinerim in summa scheda, quo modulamine finierim Thebaida. 'Cum pagina inclusit partes ridendas,' est eum ea pagina acta est, finita est, quæ ridendas partes inducit, in qua exodium scriptum est. *Gron. Diatr. cap.* 29.

CARM. III. *Lachrymæ Hetrusci*] Non ausus sum mutare. Bini tamen illi scripti: *Consolatio ad Claudium Etruscum.* Gron.

3 *Niveoque insignis amictu*] Ambigunt docti, cur niveo amictu, ad exequias, Pietatem Papinius vocet, cum ex Halycarnassæo, Varrone, Valerio aliisque constet, atram vestem in luctu sumptam: ac sunt in eo ut concludant, variatum hac in re apud Romanos: priscis temporibus nigra veste in luctu usas etiam mulieres. At sub Impp. post tot genera reperta colorum, spretum contemptumque colorem album, adeo ut nota luctus fuerit superbo sexui eum induisse, et sane Plutarchus, Herodianus etiam lib. IV. simile quid innuunt. Ceterum non Apuleius solum, notatum aliis, sententiam hanc oppugnat, *matronam flebilem fusca veste* describens, sed Julius Paulus noster Recep. Sent. lib. I. cap. de Sepulchris et Lugendis, plane evertit. 'Qui luget,' inquit, 'abstinere debet a conviviis, ornamentis, et alba veste.' Ego me solvo judicato isto, et ampliandum judicium sentio, at verecunde contra virum eruditum credo, non habuisse Papinium oculos ad luctum, sed ad solennem Deæ cultum, quam non tam ad funus vocat, quam ad celebrandam Hetrusci pietatem singularem. Quare et Deam eo habitu vult venire, quo aureo sæculo conspici fuerat solita: *niveoque insignis amictu, &c.* Bernart.

16 *Matris*] Illustratio Virgiliani illius, 'Pulsatusve parens.' *Pulsare,* ἅπτεσθαι, βιάζεσθαι, αἰκίᾳ τινὶ, Plato Leg. lib. IX. 'Fessus pater,' longævus et 'inutilis annos.' Autor Thebaidis Lat. 'Cæci parentis regimen et fessi unicum.' *Morell.*

22 *Ad flumina Lethea*] Lethe fluvius Inferorum. Lethe item fluvius in Hispania: quem antea Lineam appellabant. Hujus meminit Strabo, addita etiam historia cur Lethe appellatur. Silius carmini inseruit. Letheus præterea fluvius in Asia juxta Magnesiam labitur. *Domit.*

23 *Elysiæ gaudete domus, &c.*] Hæc qui attente legerit, de interpretatione nostra ampliusne deliberabit? non lugere, sed gaudere, qua superos, qua inferos vult Papinius, et sicuti Pietatem alba veste vocarat, ita hic aras coronari vult, ex recepto in publico privatoque gaudio ritu. ipse Statius ad Julium Men. ob prolem: 'quæ festos cumulare altaribus ignes, Et redimire chelyn, postesque ornare juberet.' Tibullus: 'Sertaque de sanctis deripuisse focis.' *Bernart.*

38 *Munera non arsura*] Æternitatem carminis pollicetur et sibi portendit. *Me monstrante*] Testimonia mei carminis. *Flere parentem*] Et hic et antea indicavit Sylvam, quam composuit in epicedion funeris paterni, esse multis diebus elaboratam, et vix tandem editam: cum hic se patrem flevisse dicat, et in quinto tandem eam Sylvam collocaverit. *Domit.*

43 *Non tibi*] Aversio est ad patrem mortuum: quem laudaturus diluit

primum quod maxime obstabat. Nam servus fuerat: quam ignominiam multis exemplis et rationibus Papinius levare nititur. *Idem.*

50 *Regibus omnis Terra*] Paraphrasis Gnomes Horatianæ: 'Regum timendorum in proprios greges: Reges in ipsos imperium est Jovis.' Ex hoc Sophocleo in Ajace *μαστιγοφόρῳ, Lorario:* Καὶ γὰρ τὰ δεινὰ καὶ τὰ καρτερώτατα Τιμαῖς ὑπείκει. *Et gravia quæ sunt, quæque sunt immania, Cedunt honori.* Ut eleganter Jos. Scaliger interpretatur. *Morell.*

54 *Et vaga*] Luna quæ videtur vagari arbitrio suo, et tamen servit; nam plenilunium non fit; nec ipsa potest implere orbem suum imminutum, nisi certa temporum lege, cui servit. *Domitius.*

58 *Fistula Phœbi*] Nec puduit Phœbum sumere fistulam more pastorum: et custodire armenta regis Admeti in Thessalia, cui serviebat ad Amphrysum. *Idem.*

59 *Sed neque*] Eum laudat a patria, quod quamvis servus esset, tamen non venerit ex Barbaris, ex Dacis, Getis, Cappadocibus: unde alii servi mitti solent: sed ex Smyrna oppido nobilissimo Ioniæ. *Quo Lydius intrat Bacchus*] Tmolus ante Timolus dicebatur, utrumque in usu apud poëtas Ovidium et Silium. Mons Lydiæ vitibus consitus, et vini generositate nobilissimus: inde etiam labitur Pactolus. Apte poëta, ut carmen variet, ait Bacchum descendere in Hermum fluvium, ut ibi aurato illius limo sua reficiat cornua. *Idem.*

69 *Proximus hæres*] Caligula, qui Tiberio successit. *Idem.*

77 *Senior demissus, &c.*] Suspicor scripsisse: *senior emissus;* ut in Hercule Epitrap. 'Œtæis emissus in astra favillis.' In patrem: 'seu membris emissus in ardua tendens.' Salvum præstat versum Virgilius: 'ubique pavor et plurima mortis imago.' Rursumque: 'Et furiis agitatus amor et conscia virtus.' *Gronov.*

80 *Promeruisse datur*] Id est, dicitur. 'dare sententiam' pro 'dicere' et 'ferre.' Modestinus Jurisconsultus LXXVIII. D. de Re Judic. 'Duo judices dati diversas sententias dederunt.' et Paulus L. LVI. § 1. D. De Evict. 'et contra me data fuerit sententia.' Immo simpliciter 'dare,' eadem notione. Ulpianus L. XXV. D. de Liber. Caus. 'Si enim liquebit contra libertatem dabit.' Tacitus lib. I. 'Ita secundum Messenios datum,' id est, 'pronunciatum.' *Bernart.* *Arcas*] Mercurius, inquit, servit Jovi, non pluribus. *Juno potitur*] Juno sola utitur ministra Thaumantide, id est, Iri: quæ quoniam cum admiratione quadam oritur, ut scribit Macro. et Cicero, dicta est Thaumantis filia: nam θαῦμα significat *miraculum.* *Tu*] Tu vero. *Toties*] Quater. *Integer*] Illæsus. *Domit.*

86 *Jam creditur uni, &c.*] Totum hunc locum more suo imitatus est Claudianus in Panegyrico Manlii Theodori: 'Huic sacræ mandantur opes,' &c. Quærunt interpretes, quo nomine munus hoc appellatum sit, quod tam late hic descripsit Statius. Sunt qui 'Præfecturam ærarii' intelligant. Sed eos refutat vel solum epitheton, *Sanctarum,* illud enim proprie ad Imperatorem spectat, cujus res omnes familiares solenni titulo, 'sacræ' dicebantur. Hinc 'sacram domum,' 'sacrum latus,' 'sacros vultus' alibi dicit Noster, ubi de Domitiano agit. Itaque 'Dispensatoris' munus hic notari censeo, sic enim in Constitutionibus vocantur, qui Principum pecunias curant, thesaurorumque administrationem gerunt. Labente Imperio hujusmodi muneribus præfecti dicti sunt 'Comites sacrarum largitionum,' sub quibus erant 'Præfecti Thesaurorum,' 'Comites metallorum,' aliique. Erat et 'comes rei privatæ' dictus. De quibus omnibus vide Notitiam Imperii, et Cas-

siodorum. Hoc ergo munus est, quod Noster Hetrusco et Claudianus 'Manlio Theodoro' tribuit. Et hic est ille 'Manlius,' qui falso hactenus 'M. Manilius' dictus est, auctor illius Astronomici quod hodie exstat, quem omnes hactenus eruditi, etiam maximus Scaliger suis in illum Commentariis, magno sane errore Augusti tempore floruisse et scripsisse existimarunt, cum pene quadringentis post annis Theodosii nimirum, ejusque filiorum Arcadii et Honorii tempore floruerit, ac Claudiani coætaneus fuerit, quod quidem primum a nobis est observatum. *Gevart.*

89 *Ejectat Iberia fossis*] Attentum lectorem non fallet vitium, neque enim aurum ejicitur, sed labore eruitur. inducor ut rescribam : *electat Iberia fossis*, ab *elicit.* Ceterum de Metallis Hispanicis consule Plin. XXXIII. cap. 4. Lucanus lib. VII. 'Quidquid fodit Iber, quidquid Tagus extulit auri.' *Bernart.*

91 *Area Nili*] Annonam etiam ex Nilo et ex Ægypto servabat.

92 *Mersus scrutator*] Uniones et margaritas significat, quæ ab urinantibus colliguntur. Indicus maxime has mittit Oceanus circa Arabiam in Persico sinu maris Rubri. *Domit.*

93 *Pecuaria culta Galesi*] Intelligit lanas Tarentinas. *Perspicuaque nives*] Crystallina pocula. Plinius lib. XXXVII. cap. 2. *Massylaque robora et Indi Dentis honos*] Mensæ citreæ, cujus pedes ex ebore. Massylia, vicina provincia est Maris, apud quos plurima arbor citri, (dixi Tiburtino Manlii,) ut non mirum sit eam pro Mauritania poni : quam et Virgilius pro Africa posuit, Æneid. lib. VI. *Bernart.*

100 *Romana pila*] Exercitus omnes Romanos, eorumque præfectos dicit. Laborant docti in 'Pili Romani' figura inveniunda; eumque Josephi Scaligeri fere ultimum literarium laborem fuisse dicunt. At cura ea supersedere posse faciunt nummi Veteres, qui telum hoc perspicue spectandum exhibent. Ex iis unus est, quem Jac. Gutherius proponit de Jure Pontificali Vet. Rom. lib. III. c. 16. p. 329. *Barthius.* *Quid alti Undarum cursus*] Id est, quantum impendendum sit purgandis alveis Tiberis et aliorum fluviorum. *Domit.*

104 *Quæ Divum*] Et quantum impendendum sit pro statuis Deorum instaurandis. *Scriptum*] Percussum et signatum. *Monetæ Ausoniæ*] Signatum in Flavios nummos et numismata Romana. Qui primus ex auro denarium signavit, latet auctore incerto. Servius quidem rex æs primus signavit, argentum vero signatum est anno urbis quingentesimo octogesimo quinto, Fabio consule, annis quinque ante primum bellum Punicum. *Idem.*

108 *Sed jura tamen*] In tantis, inquit, laboribus, cogitasti tamen de uxore ducenda non magis tuæ voluptatis causa quam ut procreares clientes Imperatori. *Idem.* *Mentem vincire, &c.*] Venerem incipere a conjugio. Ita suos principum institutores laudat Claud. Stilicon. lib. II. Hinc fuit ut primos, &c. *Barth.*

111 *Genus*] Hetruscum ipsum servitutem servisse supra dixit. Non ergo videbatur in Hetrusca genus laudaturus. Sed cecinit eandem cantilenam mox, Nec vulgare genus. Nobilis igitur conjux ducta Hetrusco. Quam a meriti vocabulo Hetruscam nominat. Sic infra, vs. 207. *Id.*

113 *Sed decus eximium, &c.*] Distinctio ponenda post *imago*, non post *vultibus.* Dein pro *haudquaquam* scribendum : *haudquanquam.* Rom. codex : *haud nunquam.* τὸ *sed* non vulgari usu pro 'tamen' ponitur. *Gronov. Diatrib. cap.* 30.

116 *Ausonios enses*] Quod munus hic notet merito ambigas, præfecturam prætorii an cubiculi an armorum custodiam. Puto per *Ausonios enses,*

Statium intelligere arma publica, quæ in armamentario fieri et reponi solebant, cui loco qui præficiebatur armorum custos vocabatur, ut in vetere inscriptione apud Renardum I. Conject. 'V. F. C. Virius Sabinus Veteranus armorum custos leg. I. XIV. Gem. Vict. D. M.' Domitius tamen nihil aliud in his verbis Statii interpretatur nisi consulatum, cui adversari non audeo: sed neque P. Fabro qui I. Semestrium jus gladii et merum imperium præsidis provinciæ aut præfecti prætorio exponit. *Cruceus.* *Mandataque fidus, &c.*] Mandata signa eleganter dicuntur, quæ feruntur alienis auspiciis et pro ultione alterius. vid. *Gronov. Diatr. cap.* 30.

134 *Spargere: collectæque*] Lege *collatæque.* Studium et felicitas Papinii perpetua in quavis re propria et sua phrasi explicanda. Tales 'ferre,' 'conferre' de muneribus functo aut rogo donatis. Item: 'quos nunc ego confero questus.' *Gronov. Diatr. cap.* 32.

138 *Illum et qui*] Sequentes versus obscuros et implicatos in hunc tandem sensum explicavimus: Vespasianus, inquit, qui prolem habet in cælo et in terris: in cælo Titum, in terris Domitianum: cum de Judæis triumpharet, exercitumque victorem honore et muneribus prosequeretur, Claudium Etruscum in numero aliorum militum habuit, quamvis ei bello non interfuisset: quoniam absens multa quæ illuc pertinebant curaverat: et quamvis obscuris parentibus esset, tamen minorem numerum et honoris partem non habuit. Eundem quoque equitem fecit, cum ordines recognosceret. *Nunc temperat*] Relatus est in numerum deorum.

139 *Progeniem partitus*] Titum in cælo, Domitianum in terris. *Domitius.*

140 *Lætus Idumæi donavit*] Vitiosa interpunctione sublata, totum locum sic restitui. Sensus: Vespasianum, dum de Judæis triumpharet, exercitumque victorem muneribus prosequeretur, Claudium Hetruscum in aliorum militum numero habuisse, licet bello non interfuisset, et ex servis oriundus foret. *Bern.*

144 *Mutavitque genus*] Multum certe debet Calderino Claud. hic Hetruscus; nam cum ille conditione servus fuerit, ut ex superioribus patet, Calderinus tamen ex hoc præsenti loco: *celso natorum æquavit honore.* Ait illum pari honore affectum a Vespasiano ac filios ejus Titum et Domitianum. At longe alia Statii mens, Vult enim Hetruscum a Vespasiano jure trium liberorum donatum. Nam 'natorum honos' hic est jus trium liberorum, quod etiam peculiariter 'honos' appellatum fuit. Unde Græcis dicebatur τιμαὶ τρίπαιδες. *Æquavit,* ergo idem hic est, quod pari jure, iisdem præmiis et immunitatibus eum affecit, quibus ille gaudere solent, qui tres liberos procrearunt. *Gevart.*

145 *Exuit et celso*] Corruptissimum locum sanavit divina emendatio maximi Salmasii: *et celse natorum.*

147 *Sine labe*] *Sine nube,* perturbatione scil. felicitatis et successuum. Vide nos ad Claud. de Bello Getico, et de Laudibus Sereni. *Barth.*

152 *Et imperio*] Nunquam imperio meo ostendebas te patrem: sed tantum amore. *Domitius.*

157 *Seu blanda diu, &c.*] *Maluit regressum,* puta, quam continuationem. Maluit redire fortuna, scil. intercapedine quadam digressa, (nec enim regreditur, nisi qui abierat,) quam manere: qui lusus divæ inconstantis credebatur. Nec satis accurate Gevart. nomine *fulminis* exilium solemni verbo veteribus appellatum vult; non enim exilium proprie 'fulmen' appellabatur, sed damnatio, sive ad exilium illa, sive pœnam capitis. Vide Gron. Diatr. c. 33.

158 *Attonitum et venturi fulminis, &c.*] Exilium veteres solenni verbo

'fulmen' appellabant. Martial. lib. VI. de eodem hoc Hetrusco ad Domitian. 'Nam tu missa tua revocasti fulmina dextra, Hos cuperem mores ignibus esse Jovis.' Ovidius ad August. 'Parce precor, fulmenque tuum, tua tela reconde, Heu nimium misero cognita tela mihi.' Sic etiam Plinius Panegyr. de amicis suis a Domitiano in exilium ejectis. *Gevart.*

160 *Monuisse*] Non affecisse supplicio: sed monuisse errati senem Claudium. *Domit.*

165 *Limen Romuleum*] Vel palatinam aulam: vel certe ærarium. Restitui, inquit, eum pristino loco. *Marcomanos*] Marcomani conjuncti cum Sarmatis bellum adversus Domitianum gesserunt. Hos populos Marobutius ex humili loco ad Rhenum coloniam duxerat. Domitianus victos noluit ducere in triumphum: sed tantum de ea victoria lauream intulit Jovi Capitolino sine triumphi pompa. Tranquillus auctor et nos apud Martial. diximus. Papinius tribuit hoc clementiæ Imperatoris, qui hostem captum in vinculis ducere noluerit. *Idem.* *Marcomanos*] Populi Germaniæ, de quibus Strab. lib. VII. Creduntur Bohemi hodie esse. *Bernart.*

171 *Sarmatas, &c.*] Suevos dici puto cum 'Sarmatis' seu 'Sauromatis' vel et 'Lygios.' Vise notata Lipsio ad Tac. Hist. I. p. 453. et Scriverio ad Martial. lib. IX. Epigr. 101. Germanos devictos a Domitiano dicit lib. IV. Carm. 2. fin. *Barth.*

183 *Fortuna redeunte*] Cum sis revocatus ab exilio. *Quique tener*] Scipio patrem servavit ad Ticinum seu Trebiam, utrumque enim traditur, cum et ipse puer esset, et pater ab hostibus circundatus. Silius: 'tum rapta propere ex ossibus hasta Invisum cervice ferens humeroque parentem Emicat.' Sed servati Scipionis decus Celius historiarum scriptor servo natione Liguri tradit. *Domitius.*

186 *Ad Manes, ignare, &c.*] Repone ex Senensi Ms. et Rom. Venetaque editione: *Ad Manes, ingrate, fugis.* Ita enim in hac comploratione loquitur, quasi volens pater se relinquat et properet fugiatque ad Manes. 'Ingratus' ergo, qui non agnovit utendo beneficium Cæsaris. Verba impatienti dolore expressa. *Gronov. Diatr. c.* 34.

192 *Mariti*] Admeti. Alcestis Pelei filia uxor Admeti regis Thessaliæ: ut Homerus in secundo scribit: et Diodorus tradit: ut viveret maritus ipsa mortua est: aliquem enim pro eo mori oportere responderat oraculum. Fuit item Admetus rex Molossorum, ad quem confugit Themistocles. Hujus meminit Thucydides in secundo histor. *Domitius.*

195 *Potuit Phryga vincere*] Per Phryga Rhadamantus, per Thracium Orpheus exponitur a Domitio. Sed nusquam legi Rhadamantum fuisse Phryga, qui Gnosius et Cretensis a Virgilio dicitur. Itaque hunc locum plane depositum non aliter sanari posse existimo, quam si pro *Phryga* legamus *Styga.* Hæc mea conjectura, quam probavi jam pridem aliquot eruditis. Certe proxime abest a vulgata lectione, et menti poëtæ imprimis convenit. Quid facerent interpretes nisi liceret interdum στοχάζειν, in his præcipue sylvis, quarum vix ulli codices fide digni reperiuntur? *Cruceus.*

197 *Tu custos dominusque laris*] Tolle rogandi notam a mala manu adpictam. *Bernart.*

201 *Linea ceræ*] Hic pro lineamentis vultus cerei, siquidem pictores lineas ducere proprie dicuntur. Lineis enim stemmata discurrebant ad pictas cera imagines. Plin. c. 2. et 3. *Monituraque somnia,* Vaticinia ex insomniis olim captata, ex Peripateticorum doctrina, qui animam interdiu corpori servire, noctu liberam ab ejus ministerio veritatem facilius per-

spicere, et futura cognitione præcipere dictitabant, ut scribit Ælianus cap. 2. Var. Hist. lib. III. Quin et in sacris literis legimus Deum veteribus Prophetis dormientibus arcana suæ providentiæ commisisse et mentem fatidicam inspirasse. Numerorum c. 12. Briso ethnicis Dea somniorum præses et interpres ἀπὸ τοῦ βρίζειν. Athenæus lib. VIII. vide Lactant. in Theb. v. *Cruceus.*

208 *Salve supremum genitor*] Poëtæ hæc verba sunt, non Hetrusci filii. Conjeceram, *senior mitissime patrum:* et puto sat habebam causæ, cum ita plane habuisse Ms. Florentinum deprehendi. *Gronov. in Diatr.*

210 *Mœstisque situs*] Facile feras: tamen Ven. Rhod. Sal. *mœstique situs patiere sepulchri.* Quem consensum cur spernam? *Gronov.*

211 *Spirabunt*] Cinctæ et sparsæ floribus. Nota omnia. Vide quæ adnotata Joanni a Wouwer, amico olim nostro, ad Minutium Felicem. p. 111. *Barthius.*

213 *Qui major honos*] Major, inquit, honos erit effusæ lacrymæ a filio quam alia odoramenta. *Exemplo*] Meritis, ut inde esset exemplum meritorum tuorum, voluit me tibi dicare hoc carmen. *Hoc sepulchro*] Id est, hoc genere sepulchri: id est carmine. *Domitius.*

215 *Nostra quoque, &c.*] Alii hæc intellexerint, nec ne, ipsi videant. Mihi constat, *meritus* scripsisse Statium. Claudius Hetruscus filius dicat tibi, o senior, vel senex, nostra lugubria et pia carmina, *meritus exemplo,* id est quæ exemplo pietatis suæ meruit, a nobis elicuit. *Gronov. in Diatr.*

CARM. IV. *Coma Earini*] Sal. *Capilli Flavi Ierini.* Rhod. *Capilli Fluvii Ierini.* Saltem hinc agnoscas *Flavii* nomen, quod a gente patroni Domitiani accepit, adjiciendum. Quod et Sidonii locus docet a Sirmondo et Scriverio emendatus. *Gronov.*

2 *Auro coronato*] In pyxide aurea. *Puppe timenda*] In qua periclitamini.

6 *Juvenis Phœbeie*] Æsculapi fili Phœbi: quem Martial. Deum Pergameum appellat, quoniam Pergami colebatur, ut docuimus in commentariis Martialis. Alii Phœbum intellexerant illic qui Pergama condidit: sed hujus Sylvæ testimonio redarguuntur. *Domitius.*

Accipe laudatos juvenis Phœbeie crines] Qua apud Græcos, qua Romanos, puerorum virginumque comæ, adolescentum prima lanugo, detonsa, Deo alicui consecrabatur. Achillis exemplum apud Homerum, Thesei apud Plutarchum, Neronis apud Suetonium, filiarum Adrasti apud Papinium hunc nostrum Thebaidos II. Earini hic, et apud Martialem, apud alios aliorum extant: quæ aliis citata hic non congeram. Ritus, Diabolo, uti solet, divinum cultum æmulante, a Nazaræis Judæorum desumptus, quibus sollenne fuisse comam radere, in templo offerre, et cum sacrificio cremare, ex sacra historia, Num. VI. scimus. *Bernart.*

8 *Dulce nitentes comparet*] Hellenismus Horatio familiaris: 'Dulce ridentem Lalagen amabo.' Ita Sappho, Πλασίον ἀδὺ φωνούσας ὑπακούει. *Morell.*

9 *Atque diu fratris putet esse Lycæi*] Hinc illa Apollini et Libero communia epitheta κοσμοπλόκος, ἀκερσεκόμης, ἁβροχαίτης, ἁβροκόμος, εὐχαίτης· sed βοτρυοχαίτης, peculiare Bacchi in Epigr. κατ' ἀλφάβητον. Pelignus poëta Narcisso suo tribuit, 'Et dignos Baccho digitos, et Apolline crines.' *Idem.*

10 *Forsan et ipse*] Putans, inquit, Apollo jam Bacchum, cum quo certat de pulchritudine crinium, esse tonsum; et ostentans tibi hos crines suos, fortasse ipse quoque suos consecrabit in illius æmulationem. *Domitius.*

14 *Quem turbida semper Juno videt*] Hic est ζηλοτυπίας χαρακτήρ· a dolore,

indignatione, tædio, fastidio: ut *turbida* sit ἐμπαθής· quasi 'Æternum servans sub pectore vulnus:' cui mox opponitur τὸ *placida fronte Aspicere et probare;* quæ nota est φιλοστοργίας, in Junone Homerica, quæ Vulcano nectar porrigente, risit. Iliad. A. μείδησεν δὲ θεὰ λευκώλενος Ἥρη· Μειδήσασα δὲ, παιδὸς ἐδέξατο χειρὶ κύπελλον. *Morell.*

18 *Juno Romana*] Domitiam intelligit, ex qua secundo consulatu filium suscepit Domitianus. Altero anno salutavit, ut Augustam: eandem Paridis histrionis amore deperditam repudiavit; intraque breve tempus dissidii impatiens reduxit. *Domitius.*

21 *De vertice Ericis*] Erix filius Butæ et Veneris, pugna cæstuum nobilis. In Sicilia ejusdem nominis collis: in quo Veneris fanum eximiæ venerationis multis illic mulieribus ministerio Deæ dicatis ex Sicilia et aliis provinciis. Veneris item Erycinæ fanum Romæ erat ante portam Collinam: quod Marcellus construxit devicta Sicilia. *Idem.*

22 *Venus aurea*] Cur passim poëtarum principibus Venus aurea dicitur, χρυσῆ Ἀφροδίτη? An διὰ τὸ χρυσοφορεῖν, quod auro fulgere feminarum sit proprium? Proinde Homerus virum φιλόκοσμον merito cavillatus est, auro insignem ut culta puella: χρυσὸν φορέοντα, ἠΰτε κούρη. quem æmulatus ingeniosus poëta: 'Sint procul a nobis juvenes (inquit) ceu femina compti.' An potius quod auro ad Cythereæ regna tutum et patens iter sit? χρυσῷ τὰ κατ' Ἀφροδίτην ἀνύεται· quippe, 'Inclusam Danaën turris aënea Robustæque fores munierant satis Nocturnis ab adulteris:' at, non a 'converso in pretium Deo.' Hinc χρύσοφρυς piscis species auri decus imitata, Veneri φιλοχρύσῳ, venustæ Auripetæ, olim consecrata fuisse fertur. *Morell.*

25 *Saluti fero mitis Deus, &c.*] Æsculapius in anguem versus, et hac specie Romam delatus, Ovid. Met. xv. Occasionem huic fabulæ dederunt remedia plurima quæ ex serpentibus petuntur, ut diximus ad illud 'Anguis abundat Spumatu' in Soteriis Rutilii; et in Æsculapii templo serpens nocturnis horis lambere solitus ægrotos eosque curare, ut et Aristophanis Pluto observavit Sabellicus. Ejus quoque Dei simulachris subjungitur draco, Macrob. I. Sat. cap. 20. *Cruceus.*

29 *Natorum de plebe putat*] Suavissime finxit Venerem existimasse, Earinum esse *de plebe natorum suorum*, nam et plebeios quosdam Cupidines finxit Antiquitas, ex Nymphis genitos, ac unicum illum, quem 'Cælestem' vocabant, Venere ortum asserebant. Philostratus Icon. lib. I. ἜΡΩΤΕΣ. Ejus verba sunt: Μῆλα ἔρωτες ἰδοὺ τρυγῶσιν· εἰ δὲ πλῆθος αὐτῶν μὴ θαυμάσῃς· Νυμφῶν γὰρ δὴ παῖδες οὗτοι γίγνονται, τὸ θνητὸν ἅπαν κυβερνῶντες, πολλοὶ, διὰ πολλὰ ὧν ἐρῶσιν ἄνθρωποι· τὸν δὲ οὐράνιόν φασιν ἐν τῷ οὐρανῷ πράττειν τὰ θεῖα. *Ecce Amores poma colligunt: quod autem multi sint ne admiratus fueris. Hi namque Nympharum sunt filii, mortalium genus omne moderantes; multi, quod ea multa sunt quorum amore homines capiuntur. Cælestem autem divina agere in cælo ferunt.* Totum hunc Philostrati locum elegantissimis versibus expressit Claudianus de Nupt. Honorii. *Gevart.*

30 *Et ex humeris nullæ fulgentibus umbræ*] Concinit iis quæ sunt apud eundem Philostratum, de pharetris depositis et appensis ab his pharetratis fratribus: Φαρέτραι μὲν οὖν χρυσόπαστοι καὶ χρυσαῖ καὶ τὰ ἐν αὐταῖς βέλη· γυμνὴ τούτων ἡ ἀγέλη πᾶσα, καὶ κοῦφοι διαπέτονται περιαρτήσαντες αὐτὰ ταῖς μηλέαις. Paulo post nudam comam satis per se decoris habuisse docet, ut capita coronis redimita non essent: οὐδὲ ἐστεφάνωνται τὰς κεφαλὰς, ὡς ἀποχρώσης αὐτοῖς τῆς κόμης. Quod innuit hic Statius: *Miratur puerile de-*

cus. Morell.

40 *Cedat tibi Latmius ultro, &c.*] Nimio reprehensionis studio incitatus Politianus, male hic per 'Sangarium puerum,' Ganymedem intelligendum esse asserit, nam ut recte Domitius adnotavit, Atyn, Cybeles delicias, innuit Statius: Cybele enim prope Sangarium et Gallum Phrygiæ flumina colebatur. Vide Claudian. II. Eutrop. et Marcian. Capellam lib. VI. cap. de Phrygia. Quin etiam Arnobius lib. V. ait matrem Atys fuisse Nanam Sangarii fluminis filiam. Præterea, quod caput est, ineptum foret, Poëtam bis comparare Earinum cum Ganymede, quod jam supra fecerat, dum dixit: 'Pergame, pinifera multum felicior Ida! Illa licet sacræ placeat sibi nube rapinæ,' &c. *Gevart.*

41 *Quemque irrita*] Narcissus Cephisi et Liriopes filius, quem diu victurum respondit vates, si se non novisset, in fonteque formam suam aspiceret. Elanguit in florem amore umbræ, quam putavit puerum verum. *Domit.*

42 *Te cærula Nais Mallet, &c.*] In Epithal. Stel. 'Quantum non clamatus Hylas.' Hunc 'in fonte relictum,' non tam nautæ 'per longa reclamant avia,' quam Poëtæ per carmina: sed a nullo post Apollonium et Maronem concinnius celebratur, quam a Nonno Dion. lib. II. hoc tristicho, in quo *πάθος* Herculis et Nymph. patet: *Οὐ τόσον Ἡρακλέης δρόμον ἤνυεν, ὁππότε Νύμφαι Ἁβρὸν Ὕλαν φθονεροῖσι κατεκρύψαντο ῥεέθροις Νυμφίον ἰκμαλέῃ πεφυλαγμένον ἅρπαγι κούρῃ.* *Morell.*

44 *Formosior ille*] Domitianus; nam statura fuit procera, vultu modesto, ruborisque pleno: præterea pulcher et decens; maxime in juventa, et quidem toto corpore, exceptis pedibus, quorum digitos restrictiores habebat: postea deformis calvitio quoque offendebatur. *Domitius.*

50 *Quæ forma capillis optimæ*] Ornatum capillorum compositorum et calamistratorum, *σύνθεσιν, πλόκαμον, βόστρυχον*, Gr. in genere nuncupant. Atticos *κρώβυλον* virorum, *σκορπίον* puerorum cinnum, *κόρυμβον* fœminarum appellare autor est Thucydidis Scholiastes, lib. I. Synes. in *φαλάκρας ἐγκ.* De nativa comæ conformatione, Philostratus tabula laudata: *Ἀμφιλαφοῦς οὔσης κόμης, καὶ οἷον χρυσῆς, τὸ μὲν οἱ τένοντες ἐφέλκονται, τὸ δὲ τῇ ὑπήνῃ ἐπιῤῥεῖ.* Vide supra in Epithal. de suggestu comæ. *Morell.*

55 *Sic ornat crines, Tyrios sic fundit amictus*] 'Amictus fundere,' eleganter dixit pro 'dimittere,' proprio in re vestiaria verbo. Tertullian. de Pallio: 'Adhuc sustinet stolam fundere, comam struere, cutem fingere, speculum consulere, collum demulcere.' Ita 'humeros fundere' dixit Noster Achill. I. 'quantum cervice comisque Emineat, quantumque humeros ac pectora fundat.' Ad quem locum Bernart. male reponendum censet: 'quantum humeros a pectore fundat.' Nam ipse Stat. paulo ante dixerat: 'Submittitque graves humeros, et fortia laxat Brachia.' *Gevart.*

58 *Myrrhasque graves*] Id est, vasa myrrhina. *Domit.* *Myrrhasque graves*] Hæc quid fuerint non proclive statuere, propter authores qui ea in re sententiis diversi. a gemmis exerte removet Ulpianus JC. L. XIX. § 6. D. De auro et arg. leg. 'Myrrhina autem vasa in gemmis non esse Cassius scribit;' ut proinde non recte vir eruditus Gregorius Agricola de Natura fossilium lib. VI. materiam Myrrhinorum gemmam esse onychem existimarit, quem et præter Ulpianum etiam refellit Capitolinus in Heliogabalo, 'in Myrrhinis eum et Onychinis lotium reddidisse' scribens. Denique Onychina vasa, Plinio teste, non ex onyche gemma, sed ex marmore quod Alabastritis esse speciem vult Dioscorides lib. V. c. 10. fiebant. Ceterum ipse Plinius Myrrhina hu-

morem credidit esse sub terra concretum: lib. XXXVII. c. 11. At pugnat in hanc sententiam Propertius: fictilia fuisse innuit, dum in Parthorum caminis coqui vult, lib. IV. eleg. 5. 'Myrrheaque in Parthis pocula cocta focis,' cui refragatur aperte non citatus modo Plinii locus, sed et alter lib. XXXV. c. 12. ubi conqueritur, 'eo venisse luxuriam, ut fictilia pluris constent quam Myrrhina.' Michaël vero Mercatus, vir doctissimus, qui etiamnum superest, libro de fossilium natura, materiam ex Myrrhæ arbore incisa fluentem in massam coagmentari tradit, coloribusque ad speciem inductis artem inde potoria hæc vasa fingere; cui etsi Plinius, Propertius tamen non repugnat; fictilia sane fuisse, et Arrianus auctor de navigatione maris Rubri, scribens Diospoli vasa Myrrhina fieri. *Bernart.*

60 *Superis qui prælibare verendum*] De Pincernarum seu pocillatorum Reg. officio alibi dictum est ex Xenophonte. Utrum vero τὸ *Prælibare verendum Nectar*, referendum ad τὸ καταῤῥοφεῖν, cum hi qui a poculis erant Reg. Per. post pateram porrectam, ex ea haustum cyatho vinum in sinistram manum fundentes absorberent: an ad τὸ κομψῶς οἰνοχοεῖν καὶ καθαρῶς ἐγχέειν? quod est *scite, apte, pure merum infundere.* Hoc Heliodorus in Theagene Reginæ Æth. Arsace pocillatore vocat προσινὲς κεράσασθαι, εὔρυθμόν τέ τι καὶ ἄκροις τοῖς δακτύλοις ἐποχεῖν τὴν φιάλην· id enim operam dabant ut phialam tribus summis digitis ita Principi offerrent, ut facillime ab eo prehendi posset: quod commode fieri non poterat, nisi Augustam dextram contingerent. *Morell.*

66 *Carperet et pulchræ, &c.*] Domitius, *fuscetur*, conjicit. Pueri sciunt quidem usum istum verborum actionem proprie denotantium. Sed Poëtam reliquisse puto: *fuscaret gaudia formæ.* Gronov. in Diatr.

67 *Deus patriæ*] Æsculapius, qui Pergami colebatur.

68 *Mollire*] Mollem et spadonem facere.

70 *Torpens*] Torpebat Æsculapius: non enim aduitebatur, nec vim inferebat, ne puerum vulnere offenderet.

71 *De sexu transire jubet*] Facit spadonem tamen: quamvis Æsculapius, de cujus imperitia nihil timendum erat, puerum castraret, tamen Venus cruciabatur et timebat. *Domit.*

73 *Nondum pulchra ducis, &c.*] Meritissimo Domit. hujus pulcherrimæ, humaniss. et sanctiss. leg. præcones habuit omnes Poëtas, historicos, profanos, sacros, immo, ut ait Martial. lib. IX. c. 7. 'Urbes, et populos,.... infantes, pueros, juvenesque senesque.' Attendant hic studiosi, 'Quæ variare cupit rem prodigialiter unam.' ut Papinius in tanta verborum copia 'nihil molitur inepte:' Nam, 'Puerum mollire,' vs. 68. 'de sexu transire jubere,' vs. 71. 'frangere sexum,' vs. 74. 'hominem mutare,' vs. 75. sunt ὁμοιόσημα, pro 'castrare.' Adde ex Martiale, 'Puerum secare.' 'Virilitatem eripere.' 'Fœdare mares.' Græci, ἀποκόπτειν, ἐκτέμνειν, θλίβειν, θλᾶν· unde dicti τεθλασμένοι, ἀποκεκομμένοι, fracti et contusi, qui arcentur a cœtu sacro, Deuter. c. XXIII. et vs. 1. οὐκ εἰσελεύσεται θλαδίας οὐδὲ ἀποκεκομμένος εἰς ἐκκλησίαν κυρίου. De his Ulp. l. 128. D. de verb. sign. l. 6. D. de liberis l. 6. v. 39. D. de jur. dot. 'Castrati nec prono conjugibus, nec parentes ulla spe esse possunt.' *Morell.*

78 *Tu quoque*] Qui sequuntur versus veteri menda adeo confusi erant ut legi non possent. A nobis vero emendati in hunc sensum proferuntur: Si tardius et post legem latam a Domitiano natus esses, o Earine, non fuisses factus spado, sed emisisses barbam, quam nunc una cum crinibus

dicares Æsculapio: sed postcaquam spado es, et barbam non habes, mittantur soli crines. *Domit.*

81 *Nunc*] Verticem et crines. Libet hoc loco gloriari quod multos versus perobscuros unius verbi emendatione aperuerim. Nam omnes alii codices ita scripti sunt: *patrius nunc solus victor ad aras Naviget:* unde nullus existat sensus: propterea ita castigavimus: *patrias nunc vertex solus ad aras Naviget.* Idem.

82 *Hunc multo Paphie saturabat amomo*] Callimachus in Epig. fatetur se olim in saturanda cæsarie sua fragrantissimis unguentis oleum et operam perdidisse: 'Namque olim capiti beneolentes sæpe corollas, Unguenta et flavo tincta liquore dedi: Mox odor hic abiit liquidas extinctus in auras.' τὸ 'saturare,' est bene et plene imbuere δευσοποιῷ βαφῇ, paulo post, 'iterare liquores.' *Morell.*

83 *Tergemina petebat*] Rom. et Veneta editio: *repetebat.* Quod rectissimum est. *rectebat*, quod Aldina invexit, angustius illo est, et sub eodem comprehenditur. *Repetebat* est sæpe comebat: immo et cum non comeret, sæpe repetebat hunc crinem, et lenta manu ducebat. Ideo etiam *nova*, quia quæcunque dextra post aliam admovebatur capiti, semper a priore proxima nova erat, alia, non eadem, cum triplex Gratia sit. *Gronov. Diatr.* c. 34.

84 *Huic et purpurei*] *Saucia* nihil aliud est, quam purpurea, sanguinea, saucii colorem referens. Sic 'mora sanguinea, cruenta myrta' dixit Maro. *Gron. in Diatr.* *Coma Nisi*] Pandionis regis Athenarum: ut Pausanias meus tradit, et Strabo ante docuerat. Quatuor filii fuerunt, Ægæus, Lycus, Pallas, Nisus. Distributo regno a patre, Megara obvenerunt Niso, et ex Isthmo usque Ithium, ut Philochorus scribit: ut vero Andron tradit, Eleusinem usque ad campum Triasium: hic habuit crinem purpureum fatalem a filia decerptum et traditum Minoi. Nota fabula vel solo Ovidii carmine. *Saucia*] Decerpto crine a filia. *Domit.*

85 *Et quam*] Ex Homeri carmine hoc dictum est: nam Achilles in Patrocli funere flavam totondit comam, ut ait Homerus, quam Sperchio fluvio alebat germinantem: ubi Achilles ita loquitur, Carmen est in Iliad. Ψ. nos Latine ita fecimus: 'Sperchie, hos alia crines tibi mente dicarat Peleus, in patriam reditum si fata dedissent Pia, et ad fontem lectas mactare bidentes Quinquaginta tibi simul, et divinam Hecatombem.' *Idem.*

87 *Decretum est, humerosque modo*] Rom. Venetusque Cod. *humerosque manu.* Quomodo omnino reponendum. Et significat nihil aliud quam arte tonsoria, opere tonsorio. Quicquid per artificium manuale, aut ultro, laboreve manus fit, *manu* factum dicitur, amatque id genus loquendi Statius. Vide Gronov. Diatr. c. 34. *Modo nudare nitentes*] Suspecta erat hæc lectio, cum video veterem ex Codice Scripto proponi a Frid. Lindenbr. *manu nudare*, quam, cum sæpius sic loquatur Papinius, recipiendam statuo. *Barth.*

90 *Tunc junctis crinem incidere sagittis*] Quid ingeniosius magisque industrium hac nova forcipum molitione? qua apud Pind. Olymp. I. Ἄπιστον ἐμήσατο πιστὸν Ἔμμεναι. *Morell.* *Atque auro gemmisque locant*] Theologus Naz. eod. Carm. Οὐ χρυσὸς λιθάκεσσι διάπλοκος ὄμματα βάλλων Αὐγαῖς ἠερίαις, τίμιος εὐγενέταις. *Non aurum gemmis intextum lumine suavi Perstringens oculos, nobilibus pretio est.* Idem.

96 *Potentius auro*] Preciosius, inquit, erit hoc speculum cum formam Earini receperit, quam pyxis aurea in qua sunt capilli. dicatum est enim speculum una cum coma: ut etiam apud Martial. idem consilium formæ speculum. Specula au-

tem Brundusina apud majores præstabant ex stanno et ære mixtis ætate Pompeii. Praxiteles primus fecit argentea. Paulo ante Vespasiani tempora inventum est addere aurum. Nam ita certiorem imaginem reddi putabant. *Domit.*

98 *Speculum reclusit imagine rapta*] Vides quam vere canat Olymp. I. Pindarus: Καί πού τι καὶ βροτῶν φρένα Ὑπὲρ τὸν ἀληθῆ λόγον Δεδαιδαλμένοι ψεύδεσι ποικίλοις Ἐξαπατῶντι μῦθοι. *Impune gentes decipit hæc Venus Mellita vatum, callida musico Condire sermones lepore, Dans nebulis aliquando pondus.* Nam quæ hic lepide fingit *de vultu relicto in speculo*, pugnant cum oraculari dicto S. Jacobi, Ep. I. quo auditorem Sapientiæ inertem probat similem esse, ἀνδρὶ κατανοοῦντι τὸ πρόσωπον τῆς γενέσεως αὐτοῦ ἐν ἐσόπτρῳ. De hoc irritandæ voluptatis organo, et instrumento muliebris gloriæ, (ut speculum Seneca et Tertullianus indigitant,) deque ejus usu et effectu scite Nonnus idem in Dionys. de Proserpina se in æneo speculo conspiciente cecinit. *Morell. Et speculum reclusit*] 'Recludere' aperire est: quid ergo *reclusit speculum?* imo *seclusit.* τὸ *rapta* imitatus est Claud. in Epithal. Honorii et Mariæ. *Gronov. Diatr. c.* 34.

106 *Motas miratur, &c.*] Motio altaris ac delubri spontanea, signum advenientis Dei, præsertim Apollinis: Virg. Æneid. III. 'Tremere omnia visa repente, Liminaque laurusque Dei.' Claudianus de Rapt. Pros. I. 'Jam mihi cernuntur trepidis delubra moveri Sedibus et claram dispergere culmina lucem, Adventum testata Dei,' &c. Interdum tamen hæc motio est mali ominis, ut apud nostrum in Theb. IV. *Cruceus.*

CARM. V. 9 *Non intertextas*] Vitiatam hanc vocem esse ratio debitæ significationis ostendit. Non enim alia sententia esse debet quam non deducto ad finem, sed interrupto textu, nunquam ad finem telam deductam a Penelope. In Ms. libro, quo usus est Fridericus Lindebrogius scriptum *intersectas.* Quod ex mente auctoris esse possit. 'Intersecuit' enim, sive solvit, noctu, quæ die texuerat. Ego tamen Papinium scripsisse puto, *Non impertextas.* Orsa enim quotidie, et redorsa, nunquam tamen pertexuit quod pertexere velle videbatur. Illam lectionem Lindebrogiani libri ante hoc sesquiseclum in editis etiam libris fuisse, sed corruptam indicant Philippi Beroaldi commentaria, in Propertium, l. II. Eleg. 9. Qui *interfecta* producit. *Barth. Non commenta*] Non fingens ut Penelope: nam illa, ut est apud Homerum in Odyssea, procos elusit matrimonium promittens cum absolvisset telam: quam die quidem texebat, noctu vero redordiebatur, ut ita labor produceretur: et Ovidius ad uxorem: non est tibi opus, inquit, tela Icariotide. *Domitius.*

11 *Dic tamen unde alia mihi fronte, et nubila vultu*] Mirifice expressit τὸ συννεφὲς, quo Græci frontem φροντίσι contractam, seu supercilium mœstitiæ nubibus obductum, signant, metaphora pulchre ducta ab aëre caliginoso et tempore nubilo, cum 'Horrida tempestas cœtum contraxit.' Apud Euripidem in Phœniss. Κρέοντα λεύσσω τόνδε δεῦρο συννεφῆ Πρὸς δόμους στείχοντα. *Cerno Creontem nubilo vultu pedes Huc conferentem.* Morell.

20 *Vada caligantia*] Vel ignota maximam partem, vel sub caliginoso cœlo sita. Dicas unam noctem et unum diem innuere, quas per totum annum huic Insulæ adscribebant, ut Cymmeriis Herodotus. Sententia igitur Papinii sit non deserendum se a Claudia sua, etiamsi eo tempore ipsi in Thulen navigandum fuerit, quo tota ea regio sole careat. Insulam esse Thulen septentrionalem, in qua aut nunquam aut raro lux videatur, idque sese ab accolis fontium Ta-

nais didicisse scribit Pomponius Sabinus ad Virgilii Georg. I. Sed pridem hæc ei rei dicatis laboribus a doctissimis viris sunt expensa. *Barth.*

22 *Hortarere vias*] Puto, inquit, te voluisse mecum venire, si irem ad extremas Arctos; nam tibi eadem est mens quæ fuit cum mihi nupsisti: et ego eundem servo amorem, quem olim in te contuli. *Domit.* *Hæc mens tua*] Salisb. *at enim tua.* Rhod. et Ven. *etenim tua.* Quod placet cum interpunctione, quam dedimus. Ostendit merito se hanc opinionem de uxore habere, ut non dubitet quævis loca secum petituram: nam et ego libentissime libertatem meam tuo toro adstrinxi, et fidem datam semper servavi, et tu meis laudibus semper favisti, labores ingeniosos meos fovisti, morbum ægerrime tulisti. *Tua* conjungendum cum *τῷ frena,* quod repetit toties, quia bis aliquid de ipsa interponit. *Gronov.*

28 *Ter me*] Ter Papinius coronatus est in certamine Albano instituto a Domitiano. Id erat ubi poëtæ certatim Minervæ laudes canebant: auctor Tranquil. Victus autem idem est, ut hic fatetur, in certamine Capitolino, ubi Jovis Capitolini laudes perpetua certantium erat materia et argumentum, quod Fabius quoque observavit et rettulit. *Domitius.*

31 *Cum Capitolia, &c.*] Hoc est cum honor de certamine Capitolino non datus est nostro carmini. *Longi Conscia laboris*] Tu sola scis quantum temporis consummavi in carmine formando: nam prima murmura audis. *Idem.*

33 *Mecum victa*] Verba illa ostendunt Claudiam poëtici laboris non modo consciam, sed et participem fuisse, quemadmodum plures fœminæ suis viris in carminibus pangendis affuerunt, quas memorat Sidonius lib. II. Epist. 10. *Cruceus.*

49 *Et quanquam sævi, &c.*] Si locus recte habet, ita distinguendus est: *Et quam, quam sævi! &c.* id est, *quam sævissimi.* Aiunt autem interpretes Statium hoc versu innuere Laodamiam; sed potius de Andromache intelligendus est, quam scribit Homerus, audito de mariti morte nuncio, similem Mænadi se proripuisse e foribus: Ὣς φαμένη μεγάροιο διέσσυτο Μαινάδι ἴση, Παλλομένη κραδίην. Vel Ariadnen intellige, quam Theseus in Naxi littore deseruerat, unde in Mænadem conversa, Bacchum secuta dicitur. Catull. de Nupt. Pelei. Vide et querelam Ariadnes Ovid. Fast. III. *Gevart.*

52 *Sic exequias amplexa canori, &c.*] Summus vir Adr. Turnebus ad oram codicis sui in hunc locum bis adscripserat *Lucani* nomen, ut persuasum haberit Claudiam non tibicinis, quem fingunt, sed Lucani poëtæ uxorem fuisse priusquam nuberet Papinio. 'Canorus' certe potius et aptius dicetur Vates Heroicus et Lyricus, 'Cui liquidam Deus Vocem cum cithara dedit,' quam tibicen, quem incertus Epigrammatarius Græcus inflando tibias efflare mentem jocose scripsit hoc disticho: Ἀνδρὶ μὲν αὐλητῆρι θεοὶ νόον οὐκ ἐνέφυσαν, Ἀλλ' ἅμα τῷ φυσᾷν χὠ νόος ἐκπέταται. *Aulœdo haud mentem Deus infudisse videtur, Nam simul ac spirat, mens abit in nebulas.* Morell.

57 *Trachynia Alcinoë*] Uxor Ceycis regis Trachynii in avem versa cum marito, ut est apud Ovid. in mari nidificat: nidi sunt pilæ figura paulo eminentiore, ut scribit Aristot. et Plinius Stesichorus putat septem filias Alcionei gigantis in has aves conversas fuisse, audito patris interitu. *Domit.*

60 *Viduo quod*] Tres illi codices, *tenet.* An fuit: *Heu nunc illa tenens viduum quod sola cubile Ocia tam pulchræ terit infœcunda juventæ.* Gronov.

61 *Otia! jam pulchræ, &c.*] Schidæ Gruteri: Aliquid hic latet mali ulceris. Certe illud *terit* iteratum nauseæ

mihi est, nisi removeatur illud *jam.* Suspicabar aliquando: 'Otia tam pulchræ vere infœcunda juventæ.' Sed cui bono suspicari tantum? aliud quid subest. Gevartius tentat: *terit viduum quod Sola cubile! Otia tam.* Malo: *Heu! nunc illa terit viduo quod sola cubili Otia! tam pulchræ perit infœcunda juventæ.* Frequentissimæ vices literarum T et P. In Lucretio: 'quocunque inducere pergis.' Ms. optimus habebat: 'tergis.' *Gron. Diatr. c.* 35.

66 *Seu molli diducit brachia motu*] Videtur Chironomiam intelligere, positam inter civiles virtutes Platoni et Chrysippo, libris de educatione puerorum. *Bernart.*

72 *Vesuvinus apex*] 'Incendium Vesuvianum' intelligit, quo periit Plinius. Nomen autem hoc versui Papinius aptavit, nec sine exemplo tamen. Ita enim Lucretius: 'Is locus est Cumas apud et Vesuvî prope montem.' Quo pacto recte contra Gifanium legendum statuit Ludov. Carrio Castigation. in Valer. Flacci lib. III. *Barth. Et flammea diri, &c.*] Elegantissime 'flammeam hyemem' appellavit incendium ejus montis. Totidem verbis Valerius Flaccus Argon. IV. 'vix dum ignea montem Torsit hyems, jamque Eoos cinis induit urbes.' *Gevart.*

75 *Hospita mundi*] Quo totus orbis confluit: nam, ut scribit Strab. ad Puteolos erant portus manufacti, et stationes, et objectis molibus pulveris Puteolani ad arcendos fluctus. nam pulvis Puteolanus in speciem calcis concretus in alto adversus fluctus objiciebatur: ubi naves jactis anchoris commode manebant. *Domit.*

79 *Parthenope*] A Parthenope Sirene, quæ illic est sepulta, ut Leucosia ab altera, quod Plin. et Strab. placet. Eustach. vero in Dionys. putat Parthenopem dictam a Parthenope, quæ ex Eubœa venerit dux eorum colonorum, qui Neapolim tenuerunt: qui duce columba et Phœbo auspice ad Neapolim substiterit cum sociis columbæ: quam in augurio secuta est Parthenope. *Idem.*

80 *Ipse Dioneæ monstravit, &c.*] Quis est ille *Apollo Dioneæ columbæ?* Non sana ea verba. Tu corrige: *Ipse Dionea monstravit Apollo columba.* Ita in re simili Theb. VII. de Thebis agens: 'hæc omine dextro Mœnia Cyrrhæa monstravit Apollo juvenca.' Id est, *per juvencam.* Nam Cadmus oraculo Apollinis bovem secutus est, et ubi illa procubuit, illic Thebas condidit. Sic etiam fertur Parthenope, de qua hic Statius, secuta augurium columbæ cum ex Chalcide profecta est in Italiam. *Gevart.*

85 *Desidis otia, &c.*] Romani enim plerique ut otio fruerentur Neapolim secedebant. Strab. lib. V. Hinc Ovid. Met. XV. in otia natam vocat Parthenopen. *Cruceus.*

87 *Nulla foro rabies*] Tiliobroga in sua editione totum locum sic mutavit: *Nulla foro rabies, aut scita Lycurgia: leges Morum jura viris, &c.* Plane inepte. Nam priscam scripturam confirmat ipse Stat. IV. Sylv. ad Marcell. 'Certe jam Latiæ non miscent jurgia leges.' Ait autem Poëta Neapoli tantam esse civium inter se concordiam, ut legibus opus non sit, sed quod bonos mores pro legibus habeant. Hoc enim est, quod dicit: *Morum jura viris.* Simillimum est Taciti de Germanis elogium: 'Apud eos plus valuisse bonos mores quam apud alios bonas leges.' *Gevart.*

91 *Nudi tectique theatri*] Nudum theatrum est sine tecto hic et apud Tertull. in Apolog. Talia fuere primitus theatra Romæ, quæ idcirco diebus munerum aut ludorum velis tegebantur. Plin. lib. XIX. c. 1. Theatrum cum tecto Regelli et Corinthi extruxit Herodes teste Philostrato. *Cruceus.*

93 *Menandri*] Menander poëta comicus, de quo ante est dictum, unde

comœdiæ Latinæ quæ in theatris agebantur, traductæ pene omnes sunt: quid, inquit Papinius, laudem nunc actionem et spectacula comœdiarum, quæ Romana lingua a Menandro acceptæ grata poëtarum licentia in theatro illic aguntur? *Domit.*

98 *Iliacoque jugum memorabile, &c.*] Misenum montem intelligit. De quo Virgil. Æn. VI. *Bernart.*

100 *Teleboumque domos*] Etiam cæco pateret eandem τοπογραφίαν seu χωρογραφίαν hic designari, quæ supra vers. 129. 130. et seq. in Herc. Surrentino, ubi de Capreis et Telebois diximus ex Strabone, Plauto, Virg. quibus consentit Tacitus Ann. IV. Significavit tamen mihi pereruditus Fr. Tiliobroga, cum has Notas ad umbilicum ducerem, se non multum pertendere de emendatione illius loci, eo quod per *Taurubulas* videatur intelligi νησίδιον illius tractus ignobile, ut Nesis et Euplœa, quorum vix nomina alibi extant. Id vero ingenue acceptum fert V. C. Jos. Scaligero ἐγκυκλοπαιδείας Soli. Consilio et judicio tanti viri accederem, nisi tutior esset 'ΕΠΟΧΗ. *Morell.*

104 *Ænariæque lacus medicos*] Mendosi codices ita scripti sunt, *tanarumque lacus:* nos vero emendamus ut legas *Ænariæ*, nam Ænaria insula est in littore Campano ubi aquæ scaturiebant quæ calculosis medebantur, ut Plin. scribit. idcirco Papinius ait *lacus medicos.* *Statinasque renatas*] Statina insula in littore Campano. *Renatas*] Nam uno terræ motu oppidum haustum est, altero Statina emersit. *Domit.*

110 *Venies, prævenies*] Figuram istam loquendi cum productione versus illustravit J. G. Vossius Rhetor. lib. V. cap. 5. p. 322. *Barth.*

SYLVARUM LIB. IV.

Tres habet] Vitiata verba neminem fugiunt. Ortus error ex numeri notis III. quem *tria* dicere non *tres* non est observatum futilibus exscriptoribus. Eadem ratio τοῦ *quarta.* Opineris tamen vocem *opusculum* glossam esse, et Papinium *Eclogam* scripsisse. *Barth.*

Ejus epulis honoratus] In omnibus aliis codicibus menda est: nam legitur *epistolis.* Papinius autem agit gratias in secunda Sylva non epistolis, sed convivio et epulis Imperatoris quibus interfuerat. *Secundi ordinis*] Equestris. Nam primus est senatorius. Contra hoc jus, id est, ita carus est mihi, ut quamvis tibi sit condiscipulus, et eo jure a te diligatur, tamen ita ametur ut isti tuo juri non cedam. *Domitius.*

Quanto hoc plus est quam edere] 'Domino Cæsari dare,' est, Ad majestatem sacri nominis allegare, et accedere ad templa: ut ἥδιστα Martial. Epist. l. VIII. ad eundem Cæsarem scribit. Et Julianus Imp. ad Jamblicum, ἀντ' ἀναθήματος τὴν πρόῤῥησιν ἐκπέμπειν, *Pro dono sacro salutationem mittere.* Quis autem ambigat 'majestati consecrare,' ἀναθεῖναι καὶ ἱρὸν γράφειν, ut citavimus ex Pind. plus esse, quam 'edere?' ἐκδιδόναι λόγους, in Epist. Alexandrini M. ad Aristot. ubi ἐκδομένους, πάντων κοινοὺς, appellat, 'Editos' libros, 'omnium communes.' Plato in Timæo, εἰς πάντας λέγειν. Cic. interprete, *enuntiare,* et *indicare in vulgus.* Hinc Plaut. in Bacchid. 'Vulgo dispalescere.' Αἰτιολογία legitur in ead. Epist. Mart. cum ait, 'Libellos suos Domino Cæsari supplicare, quia Cæsar iis famam, id

est, vitam dederat: et puto propter hoc leguntur.' *Morell.*

Sed et sphæromachias] Atqui, inquit Papinius, publice eduntur levissimi ludi, et spectantur sphæromachiæ, a σφαῖρα, *pila*, et μάχη, *pugna:* ludus erat pilarius in gymnasio, qui, ut ait Julius Pollux, lib. IX. Sphenna appellabatur, vel a primo auctore, vel a σφάλλω quod est *fallo:* nam cum pilam unus alteri videretur polliceri, alteri mittebat. Pilam, quæ eo in ludo erat, putat ipse esse harpastum: ambigit tamen an potius pila illic fuerit quæ mollis dicitur; nam harpasti lusio ab eodem describitur, quamvis pilam non nominet. Dividebantur, inquit, juvenes in partes: ducebaturque linea in medio campo ubi pila ponebatur pari spacio ultro citroque. Duas ducebant lineas ubi diversæ partes tanquam ad metam consistebant: unde facto impetu pariter accurrebant ad pilam in medio positam. Pars quæ prius rapiebat, jaciebat ad metam alterius partis, quam si pila prætergrediebatur, hæc victrix erat. Contendebant igitur et pilam prius rapere, et eam jactam repellere, ne metam transiret. Ea lusio appellatur ἐπίκοινς, quia ex pulvere raperetur: κόνις significat *pulverem:* in editis tamen codicibus legitur ἐπίκοινος, quasi a dubio jactu, et ἐφηβική, quia ephebi ea exercebantur: quod utrumque aperte designat in harpasto Mart. 'Sive harpasta manu pulverulenta rapis.' His rationibus ego plane existimo non in sphenna fuisse harpastum, ubi nec pulveris nec epheborum mentio est, sed in hac lusione. Sileat itaque Brotheus, et hæc a nobis discat, quæ multis conjuratis adnitentibus percipere non potuit: novissime denique.' *Domit.*

CARM. I. 1 *Læta purpura*] Libanius in Panegyrico, Juliano A. Cons. dicto, Prætextam Consularem augustissimam vestem nominat. Martial. lib. VIII. Ep. 8. 'Purpura te felix, te colat omnis honos.' *Morell.*

4 *Primo major Eoo*] Admirabilior, ex Aristotele, qui justitiam magis admirandam esse vult, quam Veneris stellam, quæ mane Lucifer, sero Vesper vel Noctifer dicitur: καὶ οὔτε Ἕσπερος οὔτε Ἑῷος οὕτω θαυμαστός. *Idem.*

9 *Et requiem bis sextus honos*] Pudet in re facili tantopere sudasse. *Bis sextus honos* est duodecim fascium et lictorum honos, proprium consulatus insigne. Ut cum Juvenalis: 'cum jam sexta cervice ferat,' id est, sex lecticariorum cervicibus. Is honos requievit Imperatori, quamdiu eum non usurpavit admisso consulatu: *requiem* apud illum *vicit*, postquam adhibitus est suscepto consulatu. *Gronov.*

11 *Ipse etiam immensi reparator maximus ævi*] Idem est apud Mart. lib. VIII. E. 1. et 8. 'Fastorum genitor Parensque Janus.' Siquidem: 'Principium dat velocibus annis, Et renovat vultu secula longa suo.' τὸ *reparator* eandem vim et ἔννοιαν habet, atque συνοικιστὴς Pindaro Olymp. VI. A. quasi 'reconditor,' aut 'conditor alter.' *Morell.*

13 *Janus agit, quem, &c.*] Pulcherrimus locus, sed quem rari adhuc intellexerunt. Ait Janum pace ligatum composuisse bella et jurasse in leges novi fori, id est, obstrictum esse Janum ad præstandam æternam pacem vigoremque legum. Alludit eo, quod qui magistratum inibant, in leges jurabant: et quantum in ipsis erat, operam daturos se pollicebantur, ne solverentur leges, itaque potestatem temperaturos, ut leges supra se esse meminissent. Janus præses fori erat. Seneca Apocolocynth. 'Interrogatur sententiam Janus pater. Is multa diserte, quod in foro vivat, dixit.' *Gronov. Diatr. cap.* 37.

20 *Da gaudia fastis*] Hæc etiam figurata phrasis stabilit emendationem

nostram in vs. 19. Sotcrior. ut illa Ciceroniana: 'Non dicam animi hominum, sed fasti ulli ferre possunt?' Fasti porro gaudent cum notant optimum Cons. gubernare Remp. Fastorum enim est, ut bonorum civium, οὐ τὴν μετὰ σιγῆς ἡδονὴν ἥδεσθαι, ἀλλὰ καὶ λόγῳ μηνῦσαι, ut Liban. scribit in Panegyr. *Morell.*

22 *Et properata tuæ, &c.*] Perperam locum hunc interpretatus est Princeps harum litterarum Casaubonus ad Suetonii Octavium cap. 74. ubi probare nititur vestes forenses a fœminis fuisse contextas. 'Apud Statium,' inquit, 'IV. Sylv. optat Roma Imperat. Domitiano: 'Da gaudia Fastis Continua: hos humeros multo sinus ambiat ostro, Et properata tuæ manibus prætexta Minervæ.' Ecce,' inquit, 'optat ut quotannis fiat Consul, et semper consulari prætexta, manibus uxoris confecta, decoretur.' Hæc ille: ex quibus clarum, ipsum per 'Minervam' hic Domitiani uxorem intellexisse, quod falsum est: simpliciter enim Minerva, seu Pallas Dea intelligenda est, quam superstitiose Domitianus coluit. Unde recte Poëta *tuæ* adjecit, id est, Tibi addictæ et faventis. Xiphilinus Domitiano: Τεὸν γὰρ τὴν Ἀθηνᾶν ἐς τὰ μάλιστα ἤγαλλε, καὶ διὰ τοῦτο καὶ τὰ Παναθήναια μεγάλως ἑώρτασε. *Minervam præcipue ex omnibus Diis coluit, atque ob eam causam quinquatria magnifice celebravit.* Gevart.

25 *Moribus atque tuis, &c.*] Non omnes capiunt, quare *moribus* Domitiani gaudere patres, equitem, et plebem dicat Papinius. Interpretes muti, nec defuerunt doctissimi homines, qui nos monuerunt scribendum: *Muneribusque tuis.* Quibus ut pro amore meritoque suo alia omnia cedimus; ita non putamus per hunc locum medicis esse licere. Si nihil aliud, certe digna laus 'morum' Consule simulque Imperatore, utpote a cujus moribus seculi pendet felicitas, et in omnes exemplum spargitur. Quod sequitur, *lucemque a consule ducit Omnis honor* est ex Mart. omnes magistratus vivunt sanctis moribus Principis. 'Lucem ducere' est amittere sordes et vitia ordinum, nitoremque virtutis et morum trahere ab exemplo Consulis Imperatoris. Vide Gronov. Diatr. cap. 37. *Gaudent turmæque tribusque, &c.*] Senatum, Equites, et populum notat, ut nemini ambiguum: illud non negligendum juventuti, per *tribus* solum populum designari. Sic et L. Florus lib. II. cap. 6. Alias tribuum appellatione infima plebs venit, quæ et a populo distinguitur. Martial. lib. VIII. 'Dat populus, dat gratus eques, dat thura senatus, Et libant Latiæ tertia dona tribus.' Inde *tribulis* pro pauperrimo apud Horatium, Martialem, et alios. *Bernart.*

38 *Revocabitur ara parentis*] Nihil certius, quam corrigendum, ut viri docti censuerunt: *revocabitur ara Tarenti.* Sic I. Sylv. Soteriis: 'Aut instaurati peccaverit ara Tarenti.' Domitianus paulo ante ludos Sæculares celebraverat. Janus hic, adhuc altero toto sæculo Domitianum victurum spondet, ita ut denuo ludos sæculares in Tarento sit celebraturus: ideo enim dicit: *mecum altera sæcula condes.* Martialis eodem modo locutus est lib. IV. Epig. I. 'Hic colat ingenti redeuntia sæcula lustro, Et quæ Romuleus sacra Tarentus habet.' Valde miror, esse quosdam qui, inventis frugibus, adhuc malunt βαλανοφαγεῖν, et vulgatam lectionem retinent, et de templo Flaviæ gentis quod Domitianus Vespasiano parenti suo, &c. erexerat, intelligendum putant. At illos refutat vel solum verbum *revocabitur.* Nam illa sacra dicuntur tantum solenni verbo 'revocari, quæ jamdiu instituta et intermissa fuerunt: unde Noster Achill. I. de Orgiis Bacchi: 'Hujus in umbra Alternum revocare pia Trieterica matres Consuerant.' Et constat il-

lam Ditis et Proserpinæ 'aram,' quæ in campo Martio, in eo loco qui 'Tarentus' dicebatur, sub terra latebat, singulis centum annis effodi, novisque sacrificiis coli solitam. Consule Valer. Maximum lib. II. cap. 4. Politianum Miscel. cap. 58. D. Augustinum de Civitate Dei, lib. IV. cap. 18. et Censorinum de Die Natali. *Gevart.*

41 *Nondum gremio Jovis Indica Laurus*] Ad veterem triumphantium ritum, qui ascendere Capitolium soliti, et laurum, quam manu tenebant, quæque in fascibus lictorum, deponere in gremio Jovis. Ovid. Trist. IV. de triumpho Germanici: 'Inde petes arcem et delubra faventia votis, Et dabitur merito laurea vota Jovi.' *Bernart.* *Nondum gremio, &c.*] Insere voculam *in.* *Nondum in gremio Jovis.* Deposita videlicet. Et recte hoc ante nos vidit judicio ingenioque vir præclarus Joh. Levineius. De 'lauro' in gremium Jovis Capitolini deposita vide istum ad Paneg. Plinii p. 287. Lips. ad Tac. Ann. II. p. 91. et alios. *Barth.*

43 *Decem menses*] Nam duo menses jam sortiti erant nomina Domitiani. Septembrem enim Germanicum nominaverat, quia eo suscepisset imperium: et Octobrem Domitianum, quia eo esset natus: utrumque nomen abolitum est eo mortuo: tanta illius invidia, ut postea nullus mensis nomen Imperatoris acceperit; quod Macrobius refert. *Domitius.*

47 *Annuit, atque suos*] Altius jacularis, o Papini, in hac *ὑπερβάσει θωπευτικῇ*, quam rivalis aut Collega tuus Mart. lib. VIII. Epig. 2. in cujus hendecasyllabis Janus, 'Terrarum Domino Deoque rerum Promisit Pyliam quater senectam; Addas, Jane, tuam Pater rogamus.' *Morell.*

CARM. II. 2 *Intulit*] Venisse scripsit. Æneas, ut Menecrates scribit, urbem prodidit Græcis ob privatam simultatem cum Paride: enavigavitque in Thraciam ubi mortuus est; quod Hegesippus quoque tradit. Alii in Arcadiam progressum scribunt: alii ad Epirum. Homerus vero indicat eum mansisse in Troja. *Arvis Laurentibus*] Laurentum oppidum juxta Ardeam et Lavinum solis indigetis: illic multa oppidorum vestigia sunt adventu Æneæ memorabilia. *Domit.*

3 *Alcinoique dapes*] Homerus Ulyxem ad Alcinoum venisse scribit, susceptumque hospitio: et statim Pontonoum circumtulisse poculum jussu Alcinoi: mox Alcinoum mactasse ad convivium duodecim oves, octo sues, duos boves: Demodocum citharœdum cæcum cecinisse, tum celebrata certamina. Clytoneum fuisse victorem cursu, Euryalum palæstra, Amphialum saltu, Elatreum disco, Laodamantem cæstibus. *Idem.*

9 *Et Smyrna et Mantua lauros*] Sensus: Non par essem, etiamsi et Homerica et Virgiliana mihi vena. *Bernart.*

12 *Transmittere annos steriles*] Ut Tibullus dixit, 'Stultos præteriisse dies.' Et, 'transire ætatem:' in voto pœnitentis: 'O si præteritos reddat mihi Jupiter annos!' *Morell.*

15 *Te spes hominum, te cura Deorum Cerno jacens*] Solenniter olim homines felices 'curam Deorum' appellabant veteres, quod existimarent Deos peculiari quadam cura illos prosequi. Martialis lib. I. Epig. 83. ad Regulum: 'Quis curam neget esse te Deorum Propter quem fuit innocens ruina?' *Gevart.*

16 *Datur hæc juxta, datur ora tueri*] Alcinous Homericus Odyss. H. narrat Deos interdum se conspiciendos piis hominibus præbere, et eorum conviviis interesse: *Αἰεὶ γὰρ τὸ πάρος γε θεοὶ φαίνονται ἐναργεῖς Ἡμῖν, εὖθ' ἕρδωμεν ἀγακλειτὰς ἑκατόμβας· Δαίνυνταί τε παρ' ἄμμι καθήμενοι ἔνθα περ ἡμεῖς.* *Morell.*

23 *Tanta patet, &c.*] Scribe *effusæ*

qua impetus aulæ. Notandus ἰδιωτισμὸς Statii, qui molem illam ædificii Cæsarei alte assurgentem lateque se efferentem extendentemque 'impetum' dixit. Ut celsi montes altaque ac lata ædificia 'petere æthera,' 'protendere se,' 'erigere,' 'inclinare,' tanquam viventia, dicuntur. Virgilius: 'geminique minantur In cœlum scopuli.' Non prætereundum, Rom. et Ven. edd. legere et distinguere seq. vs. *Liberior campi, multumque amplexus operti*, pro *aperti*. Et sane ita scripsit Statius. *Liberior campi*, id est, quod ad campum. Dicit domum Domitiani cinctam esse longo æquore seu capacissimo atrio, et vastum tectum continere. Vide Gronov. Diatr. cap. 38.

25 *Æthereo et tantum domino minor*] Ait Poëta tantam esse majestatem Domitiani, ut tota aula ipsum vix capiat. Sic Martial. lib. VIII. Epigr. 36. de eodem Palatio agens, idem dixit: 'Hæc Auguste tamen quæ vertice sidera pulsat, Par domus est cœlo, sed minor est Domino.' Ait itaque Domitianum numine ac majestate sua totam domum implere. Ita Plinius in Panegyr. de Trajano: 'Veniet ergo tempus quo posteri visere, visendum tradere minoribus suis gestient, quod tectum magnus hospes impleveris.' *Gevart.*

27 *Mons Lybis*] Marmor Lybicum et Iliacum sive Phrygium et Syenites, unde trabes fecerunt reges quodam certamine obeliscos vocantes a similitudine radii; nam ὄβελος significat radium. Erant enim Solis numini sacrati. Mitres rex primus eos instituit tumulo. *Domitius.*

28 *Et Chios*] Marmor versicoloribus maculis: quod cum Chii in muris suis ostentarent, multo magis mirum fuisset, inquit Cicero, si eos Tiburtino lapide struxissetis. *Idem.*

32 *Trabeataque Cæsar, &c.*] Equites Romanos intelligit. Trabea etenim, uti olim regum, sic postmodum proprium equestris ordinis insigne esse cœpit. Suetonius Domitiano, c. 14. 'Quo decretum erat ut quoties gereret consulatum, equites Romani quibus sors obtigisset, trabeati et cum hastis militaribus præcederent eum.' Tacitus Annal. III. 'trabeati equites.' *Bernart.*

36 *Triptolemi*] Triptolemus, filius Celei et Hyones, cum Ceres a parentibus hospitio suscepta fuisset ad Eleusinem, illis dormientibus a Cerere conjectus est in focum et obrutus cineribus: mater excitata eum eduxit. Ceres: Impia, inquit, es; nam fuisset immortalis, si permisisses ita ejus mortalitatem purgari: sed tamen a me habebit ut primus doceat serere frumentum. Atque ita volucri curru abreptus Triptolemus annonam per Atticam disseminavit. Plinius aliter et Probus: alii ad Brigem referunt: superiora scribit Hyginus. *Domit.*

39 *Robora Maurorum*] Citreas mensas. Strabo citrum quidem non nominat, sed Mauritaniam multas et magnas habere arbores affirmat. Indeque mensas Romanis suppeditari varietate quadam distinctas ex uno integroque ligno. *Idem.*

47 *Dimissus Gradivus equis*] Etymon hoc Martis, hunc enim intelligi et pueri jam sciunt, quosdam petere ait Festus: 'Quia gramine sit ortus: quod interpretantur, quia corona graminea in re militari maximæ est honorationis:' addit Plinius lib. XXII. cap. 4. 'Quia summum victoriæ indicium erat herbam porrigere victos.' *Bernart.*

48 *Terapnæa gymnade*] Palæstra Laconica. Stephanus auctor est alios aliam civitatem, alios ipsam Spartam 'Theramnas' appellare. Aliæ 'Terapnæ Bœoticæ' sunt apud Strabonem lib. IX. *Barth.*

52 *Parva loquor, necdum æquo, &c.*] Hoc nimirum est quod Flaccus ad Agrippam ait: 'dum pudor Imbellis.

que lyræ Musa potens vetat Laudes egregii Cæsaris et tuas Culpa detererc ingeni.' Et ad Musam : ' desine pervicax Referre sermones Deorum et Magna modis tenuare parvis.' *Morell.*

53 *Talis ubi Oceani fines, mensasque revisit Æthiopum*] Fabulam respicit quam tangit Arnob. lib. VI. Adi et Homer. Iliad. A. *Bernart.*

56 *Triumphos Pallenæos*] Victoriam suam de Gigantibus; nam Pallene oppidum est in Macedonia, ubi bellum giganteum gestum fuisse contendunt Macedones in agro, quem postea Phlegræum, demum Comam: unde suborta est opinio eorum qui dixerunt Gigantes conflagrasse ad Cumas in Campania. *Domit.*

57 *Dii tibi (namque animas, &c.*] Hæc votiva clausula longævitatem, victorias, novos Consulatus exoptat Domitiano: quo respicit Libaniana Apologia Ambitionis Rom. qua scribit Romanorum liberos, si a Principibus optio data esset vitæ longæ et Consulatus, etiam altæ Senectuti Consulatum prætulissse. *Morell.*

60 *Templaque des, &c.*] Omnino scribendum *habilesque domos:* dignas et Numinibus suis singulas aptas. *Templa*] Fana, basilicas dicit. De talibus Domitiani erga Deos suos meritis venusto Epigrammate irrisor Martial. lib. IX. Epigr. 4. *Barth.*

62 *Quinquennia lustris coronatis*] Intelligit quinquennale certamen institutum Jovi Capitolino, ubi musica equestri cursu gymnicis ludis certabatur, et plures aliquanto erant coronati, ut ait Tranquillus, quam nunc sunt: inde ait *coronatis lustris.* Domit.

67 *Palladio tuu me, &c.*] Infra Lyrico ad Severum : ' Huic mea carmina Regina bellorum virago Cæsareo peraravit auro.' Quæ referuntur ad præmia, quæ victor in Albano certamine obtinuit, ideoque Albanum aurum dixit Martial. lib. IV. Epigr. 1. Palladium autem hic vocatur, quia certamen illud Palladi a Domitiano institutum, teste Suet. Domitiani cap. 4. *Cruceus.*

CARM. III. 1 *Quis duri silicis, &c.*] Orditur ab admiratione, et quærit quem strepitum audiat, cum neque per Campaniam Annibalis exercitus ducatur, nec Nero vada frangat: intelligens fossam quam Nero ab Averno Ostiam usque perducere conatus est. Adi Suetonium Nerone cap. 31. *Bernart.*

3 *Latus*] Nam ad latus Appiæ erat hæc via Domitii. *Domit.*

5 *Nec dux advena*] Nec aliquis Spartacus. Ego de Spartaco intelligo. Nam Lentulus Bardiacus familiam gladiatorum habuit Capuæ, quorum maxima pars e Galatia et Thracia erat. Ex his octoginta duo diffugerunt una conspiratione raptis instrumentis culinariis pro armis. *Id.*

11 *Qui castæ Cereri*] Respicit ad edictum Domitiani de excindendis vineis. Sueton. cap. 7. et cap. 14. *Bernart.*

16 *Qui reddit Capitolio Tonantem*] Notat Capitolii, incendio absumpti, instaurationem, de qua idem Suet. Domit. cap. 5. *Idem.*

17 *Et Pacem propria domo reponit*] Cur Domitiano extructionem templi Pacis tribuat Papinius, adhuc quæro. Historici omnes consensu a Vespasiano constructum adfirmant. Suetonius Vesp. cap. 9. Josephus de Bello Judaico lib. VII. cap. 24. Plinius lib. XXXVI. cap. 26. videntor: immo Dio non exstructum solum, sed Vespasiano sextum et Tito quartum Conss. dedicatum scribit. Auxitne Domitianus? cogitemus. *Idem.*

19 *Flaviumque calvum*] Alludit ad Domitianum qui calvus erat: immo et calvitio offendebatur, quamvis librum scripsit de cura capillorum ad amicum, illum seque consolans. Juvenalis: ' Et calvo serviret Roma Neroni.' *Domit.*

Flaviumque culmen] Adnotatum in

lib. Turn. *Cœlum.* arguta hyperbole: hic apex est culminum: et quid congruentius clausulæ Scazontum Mart. de Templo gentis Flaviæ? lib. IX. Ep. 2. 'Manebit altum Flaviæ decus gentis Cum sole et astris, cumque luce Romana. Invita quicquid continet manus, Cœlum est.' *Morell.*

20 *Hic scenis populi, &c.*] Locus hic corruptissimus. Domitius legebat: *cœno hic populeo vias gravatas.* Quod vir maximus Ang. Politianus jam diu improbavit, lib. IV. Epist. 1. ad Beroaldum. Bernartius cum locum fœde corruptum fateatur, tantisper tamen se Domitii correctioni adhæsurum dicit, donec melius quid alius attulerit. Ego non dubito, quin rem ipsam repererim. Via hæc quam Domitianus restaurabat, vetustate adeo collapsa erat, ut vicinorum fluviorum aquis immissis, paludis instar stagnaret, atque arundinetis, juncisque palustribus penitus oppleta sorderet, quod ex sequentibus Poëtæ verbis clarum est. Hinc omnino legendum puto minima mutatione, tantum diphthongo addita: *His scœnis populi vias gravatas.* σχοῖνος Græca vox, Latinis *juncus, canna* dicitur, sed ut innumera alia Græca vocabula Latio jure donata est. Plautus Rudent. VIII. 'Hi scœni etiam, atque hæ arundines, nobis quæstui et cultui.' *Gevart. Hic scenis*] Ven. et Salis. *savis.* Rhod. *senis.* Credo *cœnis.* *Vias populi,* ut in lapide veteri: 'redonatori viæ populi.' *Gron.*

22 *Eximit longos ambitus*] Dum sternit viam Domitianus, fecit ut viatori per longos ambitus non sit rependum ut prius. *Novo injectu*] Nova tellure et harenis injectis. *Domit.*

27 *Hic quondam piger, &c.*] An ideo *Piger viator*, bigis vectus, quia tardius procedit et quasi testudineo gradu, titubans et vacillans, ob iter impeditum ac præruptum? an tanquam fessus, qui Hebræis פגר vocatur: velut πικρὸς, *acer* et *trux* effectus salebrosæ viæ tædio? 'Crux' vero 'pendula' acute et mire ab Ethnico poëta temo, seu jugum currus nominatur, quia ῥυμὸς σταυροειδὴς est. Animadvertendum et sedulo notandum inter pias Græc. et Latin. Patrum τῶν ἐν ὁσίοις καὶ ἁγίοις inventiunculas, quibus certatim εὐφυῶς καὶ ἐφαμίλλως crucem ita describunt et notificant, ut in omnibus pateat signi ejus sacri usus necessarius, οὗ ἄνευ οὐ τὸ εὖ. *Morell.*

32 *Impeditum tardabant iter*] Itineris impediti incommoda scite persequitur Plutarchus initio convivii Septem Sap. *Idem.*

35 *Languida quadrupes*] Mula vix incedens propter cœnum. Nam mulæ olim currum vehebant: unde aurigæ muliones dicti. Auctor Festus: et nos in commentariis Juvenalis docuimus, et apud Tranquillum, ubi mulio pro auriga accipitur. *Alta statera*] Stateram appellat lignum unde vincto fune et alligata mula currus trahebatur, a similitudine: nam statera videtur. *Domit.*

40 *Sulcos*] Rivos quibus aquæ emittantur. *Idem.*

41 *Alto egestu*] Hoc est extrahere eas magna profunditate. *Idem.*

43 *Aliter replere*] Alio genere terræ. *Idem.*

44 *Parare gremium*] Sedem saxis sternendis. *Idem.*

45 *Ne maligna sedes*] Scilicet sit saxis. *Idem.*

47 *Umbonibus*] Umbo significat extremam partem scuti: hic accipitur pro extremitate viæ stratæ quæ utrinque erigebatur, ne proximum infunderetur cœnum. *Idem.*

49 *Et crebris iter alligare gomphis*] Aiunt Turnebum maluisse: *alligare tophis.* Sed nihil mutandum. Nam hoc, ut et superiori loco, Poëta usus est voce Græca. Γόμφος enim Latinis *clavus* dicitur et *cuneus*: unde

γόμφωμα coagmentatio. Vide Hesychium. *Gevart.*

51 *Hi ferro scopulo, &c.*] Hæc vera lectio est servata in Ms. Flor. et edit. Rom. Venetaque, et ab A. V. Fr. Lindenbrogio in textum assumta merito suo, quem vide ad Herc. Surrent. ubi: 'his cædere silvas et levare trabes.' *Gronov. in Diatr.*

56 *Et Athon cavare*] Alludit ad operas Xerxis, quibus mons Athos excavatus est et discissus a continenti. Plura apud Juvenalem diximus ex Herodoto et Plinio. *Domitius.*

59 *His parvus (Lechiæ, &c.*] Quantum est eruditorum, mire se torsit in hoc loco. In vetustiss. codicibus, trajecto τῷ *nisi*, legebatur: *His parvus (nisi deviæ vetarent.)* Unde primum Domitius legendum dixit: *nisi Lechiæ vetarent.* Sed Politianus, et Hermolaus ad Plin. lib. IV. cap. 4. nullo modo tolerari posse aiunt hanc lectionem eo quod penultima longa et antepenultima brevis in *Lechiæ* repugnent. Unde ipse Stat. Theb. II. 'Curva Palæmonio secluditur unda Lechæó.' Existimat ergo Hermolaus magis ferendum, si legatur: *nisi Cenchreæ vetarent.* Quomodo etiam legendum videri adnotarat in cod. suo Jos. Scaliger. Sed ne hoc quidem probat Hermolaus, videretur enim si alterutrum pro *Deviæ* poneretur, hoc dicere Poëta: 'perfodisset Nero Isthmum, nisi Isthmus probibuisset,' quod est ac si diceret quis, 'tangerem manu cœlum, nisi cœlum vetaret:' quod absurdum est. Quare Marc. Musurus in Orthographia sua Statiana existimat Poëtam tangere causas, propter quas Nero a perfodiendo Isthmo destitit, quæ duæ erant; altera, ne submergeretur Ægina, quod geometræ minabantur, altera quod Vindex res novas in Hispania movebat, et jam Italiæ appropinquabat. Unde secundum hanc historiam legebat: *His parvus (nisi res novæ vetassent, &c.* Cælius vero Rhodiginus Antiq. Lection. lib. XI. cap. 52. scriptam lectionem *deviæ* retinet, aitque cum Demetrius Isthmum perfodere vellet, ab Architectis eum deterritum qui dicebant navigationi non futurum alveum habilem, ob affluxus rapidam varietatem, qualis in Euripo visitur. Per *devias* itaque intelligebat 'ambages,' quibus nautæ necessario circumagi debuissent ad rapidum illum maris fluxum vitandum. Cæterum, nusquam me *devias* pro 'ambagibus' legisse memini, quod etiam movisse Alciatum existimo, qui lib. V. cap. 22. παρέργ. legendum putat: *His parvus (nisi Deliæ vetarent.)* et per *Delias* intelligit 'Delias sortes' seu Apollinis oraculum, quo perfodi Isthmum vetitum fuit, teste Herodoto. Sed illud *Deliæ*, nimis obscure, substantivo suo viduatum ponitur. Quare Turnebi conjecturam potius amplecterer, qui rescribebat: *His parvus, (nisi Delius vetaret.)* Quis post tot ac tantos viros ullum novæ emendationi aut interpretationi locum superesse putet? Existimo tamen, si contra Domitii sententiam τὸ *nisi* rejiciatur post τὸ *Lechiæ* ut in quibusdam vulgatis legitur, locum recte habiturum, hoc modo: *His parvus (Lechiæ nisi vetarent) Inous freta miscuisset Isthmos.* Sensus est: Isthmos his tot hominibus laborantibus parvus, et facile superabilis, fuisset perfossus, nisi obstarent Lechiæ. Et ad difficultates quas Hermolaus et Musurus movebant, facile responderi potest. Notum est 'Cenchreas,' et 'Lecheas,' esse duo promontoria, quæ terminant utrumque latus Isthmi Corinthiaci. Jam vero, a 'Lechiæ' deducitur 'Lechæus, a, um,' ut a 'Cenchreæ,' 'Cenchræus.' Hinc mirum non est, si in *Lechiæ* penultima sit correpta, in 'Lechæo' autem producta. Nam hoc ratio deductionis postulat. Ad secundam Musuri objectionem dicendum est, 'Lechæum' non esse idem quod 'Isthmos.'

Illud enim unicum tantum Isthmi promontorium est asperum et saxosum, quod mari obstat. Hinc patet recte dici posse, Isthmum potuisse perfodi, nisi saxosum illud promontorium obstitisset. Quid enim in eo absurdi? Sic dicimus: 'Civitatem aliquam fuisse expugnatam, nisi vallum ejus aliquod obstitisset.' *Gevart.* *His parvus (Lechiæ nisi vetarent,) &c.*] Scripsit Papinius: *Hic parvus (Lechiæ nihil vetarent,) &c.* hoc est: Si tu velles, Cæsar, hæ manus facile Isthmum parvum jam nec magni operis censendum perfoderent: nec obstarent ipsis Lechiæ, quæ cæteris inexpugnabiles fuere, aut quæ maximum negotium facerent: ut non alludat ad causas irriti conatus priorum, sed simpliciter nominet Lechæum, in quo maximus sudor laborque erat futurus. Ortum vitium ex scribendi compendio, quod sæpissime in vett. libb. *nisi* et *nihil* confudisse ipsi observavimus. *Gronov. in Diatr.*

65 *Quieta Cyme*] Mendosi codices habent *Grine:* sed nos *Cyme* legimus, ut etiam emendavimus apud Silium: 'fatorum conscia Cyme.' Græcum autem est: nos Cumæ dicimus. *Domit.*

66 *Linterna palus*] Linternum post Suessam ad mare cum fluvio ejusdem nominis. *Palus*] Nam aquis stagnantibus illic sunt paludes. *Pigerque Savo*] Alii codices habent: *pigerque Sason.* Sason quidem insula est inter Epirum et Brundusium medio intervallo. Silius: 'Adriaci fugite infausti Sasonis arenas.' Sed ego puto legendum *Savo,* qui fluvius est in finibus Campaniæ. Meminit Plinius: nam *piger* epitheton non convenit Sasoni. præterea loquitur de locis tantum Campaniæ, non de Calabris. *Idem.*

67 *At flavum caput, &c.*] Ita bene Swartius. Sic Theb. IX. 'et nexa virentibus ulvis Cornua concutiens.' Ovidius de Rheno: 'viridi male tectus ab ulva.' *Gronov. in Diatr. c.* 40.

68 *Ulmis*] Inscite. Scribe cum Eustathio Swartio, *ulvis,* ipsumque vide, Analect. lib. II. c. 2. *Barth.*

69 *Vulturnus*] Fluvius per Venafrum labitur, et mediam Campaniam. Capuam etiam alluit et Vulturnum oppidum. *Domit.*

81 *Grates ago, servitus*] Id est tanti facio quod sim domitus a te, ut non modo non pudeat venisse intra alveum, sed etiam agam gratias. *Idem.* *Sed grates ago servitusque tanti est, &c.*] Ita Aldina et pro hac scriptura allegat Politiani autoritatem Bernartius. Quæ nobis tanti non est, ut hoc fidejussore corrumpamus autorem et exsulem esse jubeamus veram lectionem, quam servavit Rom. et Ven. Codex: *Sed grates ago strictus, atque tanti est.* Quam quod spuriam vocat Bernartius, castigationem merebatur, nisi umbra tanti viri se tueretur. Verbum *strictus* adserit ipse Statius, quando ait: 'Qui me vallibus aviis refusum Et ripas habitare nescientem Recti legibus alvei ligasti.' Lucanus: 'nec ripis alligat amnem.' Nempe 'ligare' hic, quod ibi 'stringere.' Eademque sententia in sacro Jobi libro: 'fasciasti flumina a fletu.' Quin et male oratio cohæret, quam interpolat importunum 'servitutis' vocabulum. Ego amnis 'strictus,' legibus ligatus, etiam grates ago: atque tanti, ut gratias agam, hoc est, quod sub te duce jubente cessi et in ordinem coactus sum. *Gron. Diatr.*

87 *Deterges sterilis soli putorem*] In Turn. libro manus erudita τὸ *putorem* unica literula affini mutarat in τὸ *pudorem.* an quia 'malus pudor soli,' situs, viæ et quasi αἶσχος (ut αἰσχύνην βάρος τοῦ ζῆν Euripid. in Heraclid. *dedecus onus vitæ* appellat et Demosthenes,) verecunda translatione dicitur? at vero 'malus putor' vel 'putror' potius, (ut passim apud Lucretium legitur,) non sine πλεονασμῷ usurparetur: ubi 'malus' παρέλκει. Quis enim bonus putror? nisi qua mente

Satyrographus ab Imp. Vespasiano laudatus dixit: 'Lucri bonus est odor ex re Qualibet.' *Morell.*

90 *Cinyphius*] Lybicus. Cinyps autem fluvius ex monte Charitone, ut Herodotus scribit, inter duas Syrtes labitur. *Domit.*

91 *Bagrada*] Fluvius Lybiæ juxta Uticam: proxima sunt castra Cornelia. Hic inundat proximas regiones, facitque æstuaria. *Idem.*

94 *Provocare*] In certamen aquæ conspicuæ. *Lyrim*] Lyris Minturnas præterlabitur. Ad eum Latii olim fines erant. Antea Clanim dixerunt. Labitur de Apenninis collibus et agro Vestino præter vicum Fregellas; excurrit in lucum sacrum: quem Minturnenses celebrabant honoribus. Fibrenus in eum erumpit. Lyris autem aquis, si Ciceroni credimus, nullæ sunt frigidiores. *Idem.*

98 *Arcus*] Nam ad initium viæ stratæ a Domitiano ex Appia in eam ingredienti, primum occurrebat arcus triumphalis, quo honore ille plurimum delectatus est, multosque in urbe sibi erexit. *Idem.*

100 *Quantus nubila, &c.*] Tantus, inquit, est arcus ille triumphalis quantus Iris. Is noctu non apparet: quamvis Aristoteles affirmet aliquando visum esse: nihil autem aliud est quam radius solis immissus cavæ nubi: colorumque illa varietas fit ex mixtura ignis, nubiumque aëris. Plin. auctor. *Idem.*

106 *Prima carbasa*] Ab Domitio est, qui veterem ponit: *Primæ carbasa ventilantis auræ.* Nec aliter Rhod. Redundat una litera: dixit enim per apostrophen: *Primæ carbasa ventilatis auræ.* Ut plane Salisb. et excerpta Lindenbrogii. Sic in Saturn. 'Hunc, annona, diem superba nescis.' Et mox Rhod. et Salisb. *Largis, India, nubibus maderes.* Quod non refuto. Theb. IX. 'cultus, Triviæ pendebitis alto Limine.' *Gronov.*

110 *Eoæ laurus*] Triumphi orientales; nam Septentrionales ei dati sunt, et ex Occidente. Paulo ante: 'nondum gremio Jovis Indica laurus.' *Domit.*

122 *Replet*] Viam occupat dum furens agitur. *Idem.*

133 *Lucos Averni*] Hi erant ad Avernum, ubi nec romantiam Ulyxis ab Homero descriptam putarunt antiqui. Ea regio erat Plutoni dicata, sacerdotesque illic, placatis Diis manibus per sacra, responsa dabant, atque inde comparabant victum. Ibidem fuisse Æneam duce Sibylla, Virgilius horum imitator cecinit. *Idem.*

137 *India*] Cui natura dedit siccitatem. Nam, ut Aristobolus scribit, soli montes illic et ima montium imbribus irrigantur, campi arent. Hearchus vero in campos pluere æstate affirmat, hyeme negat. Sed omnino, inquit Papinius, maderet India, si cæli imperium teneret Domitianus. *Idem.*

142 *Prece quindecim virorum*] Hi enim, inspectis Sibyllinis prædictionibus, quibus modis placandi Dii essent, pronunciabant. Vide quæ peculiari de his libro scripsit Onuphrius Panvinius, Joh. Obsopœi opera Posthuma Parisiis, cum figuris æneis longe elegantissimis et toto chorageo Sibyllnarum observationum edito. *Barth.*

152 *Poposci Delium*] Sumpto pulvere Puteolano manibus, petii a Phœbo, ut totidem annos mihi daret. *Domit.*

153 *Juravit tibi*] In tua fœdera. *Arctos*] Daci, Sarmatæ, Cati ad Arcton habitantes. *Idem.*

155 *Qua vagus Hercules*] Herculem in India fuisse scribit Plinius, cum de Macedonia ita ait: Hæc est Indiæ victrix per vestigia Liberi patris atque Herculis evagatæ. Nisi malis columnas Herculis intelligere: quod non placet. *Idem.*

157 *Nili caput*] Occidentem intelligit: nam Nilus in extremis Mauritaniæ partibus oritur, ut Juba rex

deprehendit, in monte superioris Mauritaniæ, in lacu quem Nilidem vocant, ubi natant pisces, Alabetæ, Coracini, Siluri, Crocodili, quæ genera in Nilo præterea tantum reperiuntur. *Nives Atlantis*] Nam Atlas mons, de quo ante dictum est, ab una parte perpetuis nivibus riget. *Idem.*

159 *Belliger obviosque, &c.*] Non improbo præ Turnebi: *Belligeros piosque.* Sed tamen Salisb. *abimesque.* Ven. *annuesque:* ita tamen ut prius *N* in *B* mutatum foret. Recte, *abnuesque currus.* Nam et hoc in laudem trahebat Domitianus fastidisse, cum posset jure triumphare. Unde Martiali, 'Sæpe recusatos parcus duxisse triumphos.' Et noster in Lacrymis Etrusci prædicat manum, quæ Sauromatas 'non erat dignata triumpho.' Inde et in consulatu: 'tantum permitte triumphos.' *Gronov.*

Carm. iv. *Ad Marcellum*] Rhod. et Salisb. *Ad Victorium Marcellum.* Rhod. addit, *Epistola.* Recte utique prius, est enim hic ipse, cui Quintilianus Institutiones suas inscripsit. Lib. i. 'Quod opus, Marcelle Victori, tibi dicamus.' Lib. v. 'Hæc, Marcelle Victori, ex tua voluntate maxime ingressus.' *Gronov.*

3 *In latus*] Addita via a Domitiano. *Ager solidus*] Via vetus strata lapidibus. *Domit.*

7 *Ripa Lydia*] Designat domum Marcelli, quæ juxta naumachiam erat Domitiani: ea autem erat juxta Tyberim. *Vadum*] Naumachiæ. *Prætexitur*] Ambitur. *Idem.*

23 *Mœnia Lunæ*] Hetruriæ oppidum, de quo Ptolomæus lib. ii. silicem profert qui serræ sectionem admittit, si fides Plinio lib. xxxvi. cap. 18. *Bernart.*

26 *Inde sonus geminas, &c.*] Insignis hic locus de stulta veterum opinione qua existimabant aures iis tinnire, de quibus alibi mentio fiebat. Aristænetus lib. ii. Epist. 13. *οὐκ ἐβόμβει σοι τὰ ὦτα, ὅτε σου μετὰ δακρύων ἐμεμνήμην; Nonne auris tibi resonabat, quando lacrymans tui memoriam faciebam?* Sappho: *βομβεῦσιν δ' ἀκοαί μου.* Quod Catullus convertit: *Sonitu suopte Tintinant aures.* Vide Plinium et Lucianum Ἑταιρ. 14. Sunt nonnulli qui hoc fieri dicant *κατὰ σχέσιν* spiritualium substantiarum, seu per affectionem et habitudinem quandam mutuam patientis cum agente, quod operatur sine ullo effluvio, et sine medii affectione. Sed verius est, dicere opinionem hanc inanem, et vulgi persuasione inductam esse, ac tinnitum illum causari ab humoribus e cerebro defluentibus, qui si ad aures descendant, tinnitum hujusmodi gignunt, si ad oculos, supercilii subsultationem, quam etiam inter omina veteres retulerunt. *Gevart.*

30 *Et sontes operit*] Alludit ad thecas sive integumenta, quibus vacantia arma includi solebant. Vide Cæs. libro ii. De Bello Civili. *Gronov. Diatr. cap.* 41. *Arcumque retendit Parthus*] Ex Horat. i. Od. 10. 'neque semper arcum Tendit Apollo.' *Retendere, ἀνίεσθαι.* Arcum vero studii sapientiæ retendendum ἀνέσει solvendumque minime esse, vetus autor monuerat, ut Laërtius Epigr. in Theophr. docet: Οὐκ ἄρα τοῦτο μάταιον ἔπος μερόπων τινὶ λέχθη, Ῥήγνυται σοφίης τόξον ἀνιέμενον. *Morell.*

36 *Positis plectris*] Nam Achilles, ut est apud Homerum, in ocio fuit rapta Briseide: amoresque cithara cecinit, ut nostri quoque scribunt, iratus Græcis, sed interfecto Patroclo, ex eo ocio armavit se in Hectorem, quem vicit. *Domit.*

37 *Flammabit*] Alii omnes codices *flammabat* scriptum habent, ex *exsulabit* nos *flammabit* emendavimus, et *exultabis.* Idem.

39 *Non miscent jurgia*] Feriæ scilicet sunt, et rerum judicandarum vacatio, ut loquitur Seneca in Menippæa. Hæ feriæ dabantur ob messes et vindemias ut in jure docemur.

De æstivis messium feriis Gellius lib. IX. Plin. VIII. Ep. 21. De feriis vindemiarum Divus Cyprianus ad Donatum initio. De feriis vindemiarum et festis Lamprid. in Heliogab. et Paulus Diac. Longob. lib. III. cap. 6. *Cruceus.*

44 *Qua tibi sublimi*] Nam Marcellus fuit patronus in causis apud centumviros: quorum judicia nunc cessabant. Hi hasta utebantur, ut diximus apud Suetonium, erantque centum et quinque, ut docet Festus, sed tamen centum dicti. *Domit.*

62 *Thules nigræ*] Caligantis. Domitianus habuit Orcadas insulas Oceani Britannici in ditione, quarum ultima est Thule. Vespasianus pater expeditione sua temporibus Claudii eas devicerat, redacta Vecte una ex illis in potestatem. Juvenalis: 'et modo captas Orcadas.' *Idem.*

63 *Portæ Caspiacæ*] Caspiæ portæ in Ponto sunt quædam angustiæ ita appellatæ a mari Caspio proximo: populi illic sunt Caspii: quo loco multos redarguit Plinius qui Caspias portas putarunt esse easdem quæ sunt in Heberia Ponti provincia proxima Caspiis, nam hæ aliæ sunt; emittuntque in Sarmatas. *Idem.*

66 *Gravem tarde*] Mendosa verba. Ignaviæ enim damnant, quem alacritatis et strenuitatis laudat Papinius. Lege, inserta vocula: *Quique gravem haud tarde.* An *intarde* scripsit, ut *intrepide, intimide, &c.* dicimus? Non displiceat si subveniatur exemplo; de quo nunc non subit. *Barth.*

73 *Triumphos*] Avus tuus proponit tibi triumphos domesticos, nam ipse triumphalis fuit, quorum æmulatione accendaris. *Domit.*

75 *Stemmate*] Stemmata imagines æreæ majorum qui triumphassent: aliquando coronati, a στέμμα, quod significat coronam. Hæ quibusdam lineis etiam pingebantur ad aliorum imaginum differentiam. Et quoniam ex his major propagatur nobilitas; factum est ut 'stemma' significet nobilitatem majorem. *Idem.*

79 *Fractas ubi Vesbius egerit*] Romanus Venetusque codex: *erigit iras.* Quod non possum non probare. Epicedio in Patrem: 'exemptum terris ad sidera montem Sustulit.' *Gronov. Diatr.*

82 *Virebunt*] Nam Vesbius vitibus in primis abundabat. *Domit.*

83 *Premi*] Obrutas esse illic. *Idem.*
Proavituque toto, &c.] *Proavita rura* dicit respectu venturæ posteritatis, quæ ipsa, quæ rura avita possidebit, vix credet ita periisse. Ms. Flor. *Rura deesse mari.* Quod sive quis probabit, sive retinebit vulgatum, ut faciendum putamus, hic sensus est: Mirabitur posteritas, et vix credet omnia illa proavita rura, quæ tunc forte restituta erunt, et arabuntur, mari Vesuvioque adjacentia, periisse, abiisse, invisa nostro ævo facta esse. Quomodo? nempe quæ cineribus lapidibusque et aliis reliquiis incendii obtecta latissimum veluti et perpetuum bustum erant, non rura. *Gronov. Diatr.*

84 *Abiisse*] Nam aliæ terræ provolutæ sunt in insulas illic: ut Prochyta, Pythecusæ: aliæ sunt terræ motu absorptæ. *Domit.*

85 *Apex*] Vespii cacumen. *Idem.*
Procul ista tuis, &c.] Alii legunt: *procul ista tuis sint fata, Teate, &c.* Sed nihil mutandum, nam *Tiphata* locus est prope Capuam, de quo Festus et Livius. *Teate* est Marrucinorum urbs in Italia, teste Ptolomæo lib. III. c. 1. hodie *Tieti* vulgo dicitur. Sed cur optat Poëta ut incendia a campis Marrucinis, potius quam ab aliis agris avertantur? Id videor observasse ex Plinio lib. XVII. cap. 25. ubi 'agros Marrucinos' a Vectio Marcello, qui fuit pater hujus Marcelli, ad quem hæc scribit Statius, ait possessos, et memorabilem de iis historiam narrat: 'Super omnia,' inquit, 'quæ unquam audita sunt, etiam pro-

digium in nostro ævo, Neronis Principis ruina factum in agro Marrucino Vectii Marcelli e primis equestris ordinis, oliveto universo viam publicam transgresso, arvisque inde a contrario in locum oliveti profectis.' *Gevart.*

91 *Virginis juvencæ*] Musis enim incorruptis hostiis sacrificatum: ut virginibus quidem, quarum tamen pleræque suos habuerunt liberos. *Barth.*

92 *Votiferaque meas*] Inepte in omnibus retro vulgatis legitur: *Pomiferaque.* Recte Ms. *Votiferaque*, ut reposui. *Gevart.*

93 *Nunc vacuos crines*] In aliis codicibus mendosis scriptum est: *Nunc alios cineres.* Domit.

95 *Vocat arcitenens alio pater*] Pro Apolline, ut alias frequentissime. Vide Virg. Æneid. III. vs. 73. ibique Servium.

101 *Jamque vale et penitus voti, &c.*] Sensus est: Vale et nostri amorem corde exire veta: neque enim Tirynthius jam fama amicitiæ est, postquam tecum comparari cœpit: Theseos quoque cedit tibi gloria, et illius qui 'circa mœnia Trojæ Priamidem cæso solatia traxit amico.' *Gronov. in Diatr. cap.* 41.

102 *Nec enim Tirynthius almæ, &c.*] Plane abrupta sunt, et suspicarer aliquid hic deesse, nisi morem Papinii observassem exilire aliquando, et, ubi minime quis exspectet, lectorem relinquere. Unde eleganter Jul. Scaliger Poëtam nostrum, 'equum alatum' appellabat. Quod autem ad loci hujus lucem facit, notandum apud veteres tria fuisse Amicitiarum exempla maxime celebrata, Herculis et Telamonis, Thesei et Pirithoi, Achillis et Patrocli, quæ tria Statius hic tangit, aitque tantam inter se et Marcellum intercedere amicitiam, ut si Hercules cum ipso conferatur, amplius amicitiæ exemplum non sit futurus. Plane eodem modo locutus est Theb. IX. ubi Tydei et Polynicis amicitiam deprædicat: 'Jam Telamona pium, jam Thesea fama tacebat.' Eleganter autem dixit *Pectus amicitiæ*, pro 'amico.' Sic Martial. lib. IX. Epig. 15. in fictos amicos: 'Hunc quem cœna tibi, quem mensa paravit amicum, Esse putas fidæ pectus amicitiæ?' Est enim Religionis et Amicitiæ sedes in pectore. Symmachus lib. IV. Epist. 42. 'Nostra charitas adyto pectorum recondatur.' Et Belgæ, vulgo, in Idiotismo suo, 'Amicos,' *Borsten*, id est, *pectora* appellant. Totus vero locus longe clarior futurus est, si ex elegantissima conjectura tua Legate Ampliss. pro *almæ* legamus, *ad me*, hoc modo: *nec enim Tirynthius ad me Pectus amicitiæ, cecidit tibi gloria fidi Theseos, &c.* Poëta ecce, sese Herculi, et Marcellum Theseo comparat, ac dicit: Hercules, ad me collatus, inter amicitiarum exempla amplius censeri non meretur, nec Theseus si tecum conferatur. Ingeniose (quomodo ille aliter?) Vir incomparabilis Hugo Grotius legendum divinabat: *nec enim retinentius almæ Pectus amicitiæ.* Cui certe emendationi accederem, nisi vulgata lectio etiam commode posset explicari. *Gevart.*

CARM. V. 1 *Parvi beatus ruris honoribus*] Parvum rus, quod ipse colebat, quodque ei illustre signum Cæsareæ gratiæ, ac proinde gloriæ erat, 'honores' appellat. Hoc observato vera mens Statii in multis elucet. Vide Gronov. Diatr. cap. 44. *Honoribus*] Nam Domitianus id prædium donaverat. *Domitius.*

2 *Teucros lares*] Vestam, sacrum Trojanum. *Idem.*

5 *Jam trux ad Arctos, &c.*] In hac florida veris delineatione ὀκταστίχῳ extulit Homeri ὥραν εἰαρινὴν, Bionis εἶαρ τριπόθατον. Lucret. lib. VI. Virg. Georg. I. Horat. I. Od. 4. et IV. Od. 7. Libanii vero ἔαρος ἔκφρασιν, *Expositionem Veris*, accuratissime, Attice, et

terse admodum a cultissimo autore descriptam habes pag. 176. edit. nostræ bilinguis. *Ad Arctos Parrhasias*] Ad plagam Septentrion. ‘Cærulea glacie concretam atque imbribus atris.’ Strabo Parrhasios et Azanas recenset inter antiquiss. Græc. gentes in Arcadia. *Morell.*

8 *Zephyris refractus*] Nihil mutandum ab hac lectione. Sic enim ‘refringere’ pro ‘frangere,’ et alibi usurpat. *Inexpertum carmen*, id est, nunquam prolatum in usu, sed per tacitam brumam conceptum et constitutum. *Barth.*

13 *Nos parca tellus, &c.*] Schidæ J. Gruteri: ‘Apud Apuleium mulier paupertina: ‘At ego misera et pernox et perdia lanificio nervos meos contorqueo, ut intra cellulam nostram saltem lucerna luceat.’ At Tibull. ‘Dum meus assiduo luceat igne focus.’ Ita enim malo pro altero *exiguo*, quod supposuit ex vett. cod. vir illustris. Itidem Tibull. ‘Quam juvat immites, &c. Securum somnos igne juvante frui!’’ Cum ita quoque membranæ nostræ, haud ausim recipere, quod idem ille substituit, ‘imbre juvante.’ Otiose hic tale quid ponatur, cum illud *aquas*, quod proxime antecedit, imbrem facile inferat, nec minus ignis sopiat quam imber. Sic manus præstantissimi viri, et de re literaria supra invidiam meriti. Quæ ideo ascribo, ut pateat error F. Morelli, qui *Culmen multo lumine sordidum*, undique fenestratum, luminosum tectum, patens et diem recipiens interpretatur. *Gronov. Diatr. cap.* 43.

15 *Exemptusque testa Qua modo ferbuerat Lyæus*] Audi quid de eo sentiat Varro: ‘Quod mustum,’ inquit, ‘conditur in dolium, ut habeamus vinum, non promendum dum fervet, neque etiam cum processit, ita ut sit vinum factum. Si vero est ex eo genere uvæ quod mature coacescat, ante vindemiam consumi aut venire oportet.’ *Morell.*

24 *Cæsareo peraravit auro*] Locus fœde corruptus. Mss. *peramavit auro.* Mihi Sphynx domi non est: satius itaque indicata tantum scriptura veteri, imitari verecundos medicos, et depositum ægrum peritioribus delegare. Ceterum quod ad hunc Severum attinet, putatur proavus Septimii Severi Imperatoris fuisse. Baronius Annal. II. videatur. *Bernart.* *Cæsareo peraravit*] Sarta tecta habenda est vulgaris lectio, neque alio respicit, quam ad coronationem Albanam. Vide quæ altius de ritibus agonis illius repetita sunt Gron. Diatr. c. 42.

25 *Cum tu sodalis dulce periculum, &c.*] *Sodalis* proprie est ejusdem ἑταιρείας, l. ult. D. de coll. et corp. hic de condiscipulo arctissime charo, ut Statius Severum in προσφωνήσει nuncupavit: quia quantum Septimius conniti animo potuit, quantum labore contendere, effecit ut Papin. periculum ancipitis certaminis evaderet. *Dulce periculum*, recte et jure vocatur, quoniam, ut Pindarus Olymp. O. VI. A. 11. affirmat, Ἀκίνδυνοι ἀρεταὶ Οὔτε παρ' ἀνδράσιν Οὔτ' ἐν ναυσὶ κοίλαις Τίμιαι. πολλοὶ δὲ μέμνανται, καλὸν εἴτι πονάθῇ. S. Consulari interprete: *Tutior virtus rigidæque nunquam Icta fortunæ gravibus procellis, Nec solo illustris, neque fertur altum Clara per æquor: Longa sed pulcros hominum labores Fama per terras memorat.* Morell.

28 *Arenæ Bebryciæ*] Bebryx filiam Pyrenem habuit: a qua compressa ab Hercule Pyrenæos montes putat dictos Silius, qui dividunt Galliam ab Hispania. Diodorus filiam regis in montibus Pyrenæis ab Hercule compressam tradit: sed nec Bebrycem nominavit, nec Pyrenem. *Domit.*

29 *Te ne in remotis, &c.*] *Leptis* opp. Libycum, situm inter duas Syrtes, conditum a Sidoniis profugis ob discordias civiles. *Morell.*

30 *Jam feret Indicas messes*] Has

messes et merces plus quam gemmeas Plin. prosequitur lib. VI. c. 19. et XII. a c. 4. ad 26. et lib. XXXVI. Virg. Georg. II. 'Sola India nigrum Fert Ebenum, solis est thurea virga Sabæis,' &c. Mens est: Ut Leptis urbs pene barbara in longinqua atque externa orbis parte sita, te civili, polito ac divino prope ingenio virum procreavit, non diffido quin eadem civitas et regio mox 'Libyco conderet horreo Quicquid de Indis et thuriferis verritur areis.' *Idem.*

32 *Cynnama*] Cynnamum in Æthiopia nascitur Troglodytis connubio permixta: inde mercantes veniunt per maria navibus sine remis et velo, solisque ventis acti deferuntur. Tandem in portum Gebenitarum Ocilam nomine vix quinto anno ea navigatio perficitur: idem cinamomum dicitur: de quo ante est dictum. *Domit.*

38 *Ausonum portus, &c.*] Dionys. Περιηγήσεως vs. 78. 'Εκ Διὸς Αὐσονίηες ἀεὶ μέγα κοιρανέοντες. Eustathius eo loci stat pro iis qui putant Ausonas dictos esse ab Ausono proautore et principe Rom. Ulyssis fil. e Circe, vel Atlantis ex Calypso. *Vadosa Africa*, quia, ut Salustius in Jug. de Syrtibus notat, 'Ubi mare magnum esse et sævire ventus cœpit, limum arenamque et saxa ingentia fluctus trahunt.' Cavesis hic Philomuse ab immundis et noxiis aquis Lutrarum nimis calidarum Calderini, in quas fervidus insiliit, nescius mendi, quod latebat in κιβδήλῳ et fallaci voce *nesciit.* Morell.

41 *Pignora curiæ*] Filii senatorum. Dionysius Halic. in μεθόδῳ γαμηλίων liberos patriæ, ὥσπερ ὅμηρα, pignora dari a parentibus tradit. Quod autem hic de Septimii proavi Severi Imp. modestia refert, Paterculus Hist. Rom. lib. II. de Mæcenate memorat, quod in equestri ordine substitisset. *Idem.*

47 *Turmis Romanis*] Inter equites Romanos. *Domit.*

48 *Doceant Libyam*] Alios Libycos possint erudire moribus Romanis et lingua. *Alumni*] Ut Septimius qui alumnus erat Libyæ. *Idem.*

51 *Ensisque vagina quiescit, &c.*] Vel Princeps insignis pietate et servantissimus æqui, ut Trajanus strictum ensem coram proceribus Præfecto Prætorii tradens, 'Cape hunc ensem,' inquit, 'et, si quidem recte fecero, pro me, sin minus, in me utitor.' *Morell.*

55 *Frondosa supra, &c.*] Hernici dicti, a saxis, quæ Marsi Herna vocant. Festus lib. VII. unde et petrosa Hernica dici poterant. *Curibus vetustis*] Sabini gens antiquissima Italiæ, quorum urbs præcipua Cures. Virg. Æn. VII. 'Ecce Sabinorum prisco de sanguine regum.' *Cruceus.*

57 *Hic plura panges, &c.*] *Vocibus et modis passim solutis* non aliter accipio, quam apud Horatium: 'numerisque fertur lege solutis.' Vid. Gron. in Obs. lib. III. c. 16.

Carm. VI. 5 *Nec enim ludibria ventris*] De saburra ventris, arvina, et sagina idem sentit Callimachus in Epig. ὅσσα δ' ὀδόντων Ἔνδοθι, νειαίραν τὴν ἀχάριστον ἔδυ, Καὶ τῶν οὐδὲν ἔμεινεν ἐς αὔριον. *Quæ bona in ingratum congessi plurima ventrem, Confestim in ventos cuncta abiere leves.* Morell.

8 *Phasidis ales*] *Phasianus*, celeberrima veterum conviviis avis. Vid. Guil. Stuckium ad Arriani Periplum Ponti Euxini, Interpretes Petronianos, et aliorum copiam. *Barthius.*

9 *Grue Rhodopes*] Strymonia. Cornelius Nepos scribit, ciconias magis placuisse temporibus Augusti; sed temporibus Vespasiani grues inter primas aves expetebantur: ciconias nemo volebat attingere: e longinquo certe veniunt, ut ait Plin. Locus est in Asia, quem appellant Pythonis comem: ubi grues discessuræ commurmurant: apparentque in nostro orbe tam repente, ut nemo viderit venire, sed venisse. *Domitius.*

10 *Exta*] Id est, jecur. De jecore

anseris et ejus sapore, in commentariis Martialis diximus. Dubium est Scipio ne Metellus vir consularis, an Marcus S. ejus eques id primus docuerit. Varro et Plin. auctores. Exta quid significent ex divinatione Cic. Plin. et Varr. alibi recitavimus: hic pro jecore tantum. *Idem.*

11 *Qua ulga*] Lucrino fundo, an Britannico, an Baiano. Aliunde certe advecta ostrea in Lucrino compascebantur. Ita enim gratioris saporis fore putabant. *Idem.*

15 *Alter Castor*] Nam alternis diebus Castor et Pollux lucent. Homer. *Domitius.*

17 *Junctaque utinam*] Falsus Cruceus, qui *junctam noctem* explicat triplicatam in ortu Herculis Tirynthii, quam 'Ternoctem' dicit alibi Statius, undeque Herculem τριέσπερον Lycophron in Cassandra. Nam hic Statius cum illis sentit, qui duas noctes impensas Herculi fabulantur. *Gronov. Diatr. cap.* 43. *Luna Tirynthia*] Utinam nox geminata fuisset: qualis fuit, cum Hercules conceptus est compressa Alcmena a Jove, tunc enim nox geminata est, ut est apud Plautum. *Domit.*

24 *Et non inscriptis, &c.*] Refert Plinius in Præfat. Hist. Nat. pictores ac statuarios veteres operibus a se factis nomen suum inscripsisse titulo appenso in hunc modum: 'Apelles faciebat,' 'Polycletus faciebat,' &c. Quin huic Herculi Epitrapezio, quem hic describit Statius, Lysippi nomen inscriptum erat. Vid. Mart. lib. IX. Ep. 45. de illo ipso. *Gevart.*

27 *Praxitelis*] Praxiteles marmoris gloria etiam semet vicit. Duas Veneres vendidit magnæ admirationis: alteram Cois velata specie: quod illi pluris fecerunt, putantes id esse severum et pudicum; alteram quæ reliqua erat emerunt Gnidii, ad quam spectandam multi navigabant. Nicomedes rex eam voluit emere, repromittens se dissoluturum totum æs alienum Gnidiorum: illi recusarunt. Tota ædicula aperiebatur, ut spectaretur, par erat ex omni parte admiratio: signum contaminatum est macula quam contraxit, cum juvenis, amore ejus captus, clam noctu ei cohæsisset. Praxitelis signa erant Romæ, Flora, Triptolemus, Ceres in hortis Servilianis: boni Eventus et bonæ Fortunæ simulacra in Capitolio, Mænades. *Domit.*

28 *Quod Polycletæis visum, &c.*] Pro, *visum est*, lege apicibus litterarum parum immutatis, *jussum est.* Et sic in Ms. Senensi haberi adnotarat in suo cod. Scaliger. Et firmat noster II. Sylv. Surrentin. Pollii: 'Aut Polycletæo jussum est quod vivere cœlo.' Pergit Poëta: *namque hæc quoties chelyn exuit ille, Desidia est.* Lege et distingue: *namque hæc quoties chelyn exuit, illi Desidia est, hic Aoniis amor evocat antris, &c.* Gevart. *Jussum spirare, &c.*] Recte *jussum* ex Ms. Senensi probat Gevartius, et ita quoque Rom. et Venet. cod. Schidæ Gruteri: Emendabat Palladis Astreæque qua decus qua voluptas Freherus noster: *jussum æs spirare camœnis.* Quod fortasse non nemini ideo placeret, quia cum *marmoris* mentionem fecerit, et *eboris* et *lineæ*, non videatur hic ita relativum absolutum ponere voluisse. Sed tamen *æra Myroni vigilata* jam ante leguntur, nec illud insolens Statio, aliquot appellatis speciebus unam solo relativo intelligendam dare. *Gronov. Diatr. c.* 43.

32 *Tutelaque mensæ*] Pagani statuam Dei cujusdam in mensa ponebant, velut ejus genium et tutelam. Talem antiquæ manus Deum vidisse Fridericum Lindenbrogium apud ocellum Galliæ Franciscum Pithæum JC. testatur Gebhardus Elmenhorst in Arnob. lib. II.

35 *Firmosque inclusa per artus*] Sal. 'finesque inclusa per artus.' Excerpta Linden. et prima Veneta: 'finesque inclusa peractos.' Legendum:

'finesque inclusa per arctos majestas.' Augusti fines illi pes unus. Mox: 'et cum mirabilis intra Stet mensura pedem.' *Gronov.*

37 *Parvusque videri*] Νοῆσαι. qualis et quantus fuit ἐν ἀκμῇ. Martial. 'exiguo magnus in ære Deus.' Seneca Epist. 76. 'Parvus pumilio licet in monte constiterit, Colossus magnitudinem suam servabit, etiamsi steterit in puteo.' De status longitudinisque Herculis præstantia, *ex mensura pedum*, quibus stadii Olympici curriculum metatus fuerat, a Pythagora subtiliter comprehensa, secundum naturalem membrorum omnium inter se competentiam, A. Gellius ex Plutarchi ἀνεκδότοις edisserit. Certe ex Antæi mole, de qua Plutarchus in Sertorio, colligi utique potuit Herculis proceritas. *Morellus.*

38 *Sentirique ingens*] Notabile verbum 'sentire' de iis, qui, ut Tullius in Paradoxis ait, eruditos oculos habent in imaginibus æstimandis. Plin. 'Leontius Syracusis fecit claudicantem (an Philocteten?) cujus ulceris dolorem sentire etiam spectantes videntur.' 'Intelligere' dicunt alii. *Gronov. in Diatr.*

39 *Mensura pedum stet intra*] Id est, lateat; nam tantum dimidia pars videbatur cum sederet. *Domit.*

40 *Si visus*] Si oculos. *Hoc pectore*] Tali quale hoc est. *Idem.*

42 *Argoos remos*] Tanti roboris erat *Hercules*, ut remos Argo navis fregisset, si connixus esset totis viribus. Et fregit sane, cum esset adhuc remigandi parum doctus. Vid. Apollon. lib. I. vs. 1163. *Barth. Frangebant*] Domabant. *Domit.*

43 *Tam magna mendacia formæ*] Simulacra et effigies. Admirantis autem est quod in tam parvo signo tanta repræsentetur forma quanta est Herculea. *Idem.*

46 *Ingentes animo versare*] Pausanias in Eliacis scribit Thasios e Tyro et reliqua Phœnice oriundos, ad Europam quærendam cum Thaso Agenoride classe profectos, dedicasse Herculis colossum æneum in Olympia x. cubitum magnitudine: cujus dextera clavam, arcum læva teneret: ob hoc σχῆμα, Hercules a Gratio in Car. Cynegetico vocatur *Prædexter*, ἀμφιδέξιος. Romæ etiam in Capitolio stetit Herculis colossus. *Morellus.*

47 *Telchines*] Maris filii cum Caphyrna Oceani filia Neptunum educarunt: artium inventores fuerunt primi. ab ipsis Apollo apud Lyndios Telechinus dicitur. Juno et Nymphæ apud Alysios Telechines. Nonnulli tradiderunt eos proprias formas mutare solitos, invidosque fuisse in artium disciplinas: et eosdem fascinatores, solitosque infundere aquam Stygiam plantis et animalibus. Alii ab æmulis id fictum aiunt. Eosdem dictos Idæos dactylos nonnulli tradunt. Ex Creta in Cyprum navigarunt et in Rhodum. Primi æs et ferrum fabricati sunt: feceruntque harpem Saturno. Plinius Idæos dactylos ferri inventores fuisse scribit. *Domit.*

54 *Nectar adhuc torva, &c.*] Idem significat Geminus in laudato epigram. Κ'ἤκ πυρὸς εἰς Οὔλυμπον ἐκώμασας, ὦ βαρύμοχθε 'Αλκείδη, τοίην εἰκόνα σου βλέπομεν. *Qualis ovans igne Œtæo translatus ad astra es, Alcide, signum tale videre tuum est. Juno torva*, ab Archia P. μισόνοθος appellatur in clausula octastichi, "Ηρης πρηΰνων μισονόθοιο χόλον. *Placans Divam quæ torva videt spurios.* Morell.

57 *Adhuc særæ meminit*] Nam in altera manu signi erat patera: in altera, clava Martia: cujus læva caret robore, dextra mero. Totum hoc hemistichium ita inversum est in aliis codicibus; *et hæc leve meruit manus aspera sedis.* nos vero ita emendavimus, ut legas: *adhuc særæ meminit manus altera cædis.* Domit.

58 *Sustinet occultum, &c.*] Sedebat Hercules, substrata Leonis pelle,

Martialis: 'Hic qui dura sedens porrecto saxa leone.' *Bernart.*

59 *Digna operi fortuna*] Quasi Hercules ipse sui signi fortunæ faber fuerit, provideritque, ut per manus Ducum, Regum, Principumque virorum, tandem ad Vindicem doctum, integrum vitæ, scelerisque purum, perveniret. *Morell.*

62 *Prensabatque libens*] Codices alii omnes ita scripti sunt, *præstabatque libens.* nos vero ita legimus: Alexander libenter præstabat potaturus hoc signum, ea ipsa dextra qua et regna paulo ante abstulerat, et everterat urbes. *Domit.*

64 *Semper ab hoc*] Menda est in aliis codicibus: *semper ad hoc:* sed lege ut nos emendavimus: ut dicat, sumebat semper animos in proximum prælium ab hoc signo Herculis spectato. *Idem.*

69 *Obruerat*] Nam Philippus pater Alex. in ditionem Græciam redegerat: sed adhuc non pacaverat cum mortuus est. Alexander igitur patri succedens, Athenienses, Thebanos, Corinthios, qui defecerant armis, oppressit. Thebas in primis diruit: exceptisque amicis Macedonum, et his qui dissuaderant defectionem, et familia Pindari poëtæ, omnes captivos vendidit ad triginta millia. sex millia occubuerunt. *Idem.*

70 *Excusàsse*] Omnes alias victorias ostentavit Herculi Alexander: sed tantum veniam petiit de eversione Thebarum; nam erat Herculis patria. *Idem.*

71 *Ille etiam*] Alexander. *Fatis rumpentibus*] Cum fata eum eriperent ex medio cursu rerum magnarum. *Idem.*

72 *Traheret*] Hauriret. *Idem.*

74 *Timuit alios in numine caro*] Suspicatus est venenum sibi appositum ab aliis indicio numinis cari Herculei. *Æra*] Signum Herculis æneum. *Idem.*

75 *Mox Nasamoniaco*] Annibalem intelligit; Nasamones enim populi Libyæ: at Libya Africæ pars, quæ et pro tota Africa sæpe ponitur: in Africa autem Carthago, ut omnes sciunt. Signum vero istud Herculis, post Alexandrum, tandem ad Annibalem venisse, etiam Martialis tradidit, dum de hac eadem statua scribit: 'Hunc puer ad Lybicas juraverat Annibal aras.' *Bernart.*

82 *Miscuit*] Incendio corripuit. *Arces*] Saguntinas. *Domit.*

83 *Ipsius*] Ab ipso Hercule conditas. Saguntum enim condidit Hercules sepulto illic Zacyntho comite: qui secum ab expeditione in Gerionem revertebatur. *Idem.* *Cum sacrilegus face*] Salisb. et Lindenb. *Sacrilegas.* Scribe: *sacrilega face.* In Patrem: 'sacrilegis lucent Capitolia tedis.' Sequente versu iidem et Ven. *Ipsius, meritæque.* Fuerat: *Ipsius immeritæque domos ac templa Sagunti.* Silius quoque, 'Ausoniæ Sagunto.' *Gronov.*

84 *Furias honestas*] Id est furorem. quo nomen et honorem consecuti sunt Saguntini ita se necantes; nam primores, ut Livius tradit, argentum et aurum in ignem conjecerunt, ne ab hoste possideretur, et eodem se plerique. *Domit.*

86 *Conviva Sybillæ*] Id est Syllæ. Martialis: 'Jusserat hic Syllam ponere regna trucem.' Syllæ autem Sybillæ prius dicebantur. et Corn. Sybilla prius dictus est: sed vetustas, auctore Macrobio, syllabam elisit; et pro Sybilla Syllam accepimus. *Idem.*

87 *Ornabat semper*] Plutarchus L. Corn. Syllam, cognom. Felicem, gentis quidem Patritiæ fuisse memorat, (*οὓς εὐπατρίδας ἄν τις εἴποι,*) sed egenis et abjectis parentibus, (*τῶν ταπεινὰ πραττόντων,*) jam inde a Rufino, qui inter proavos Syllæ Consulatum adeptus, et convictus supra decem libras argenti cælati contra legem possidere, Senatu motus fuerat. Cicero

'Faustum Syllæ felicis' fil. ex Metella, 'nobilissimum adolescentem' nominat, et 'Dominum epuli magnificentissimi' facit. De mollitie et socordia L. Syllæ in conviviis tempestivis, idem Plutarchus, Οὐκ ἦν τῷ Σύλλᾳ περὶ δεῖπνον ὄντι χρήσασθαι σπουδαῖον οὐδέν. *Morell.*

90 *Non aula quidem, &c.*] Apud Vindicem Dominum Signi tui: is enim non ex iis est, qui 'Penetrant aulas et limina Regum.' 'Regius honos' ab Ariphrone Sicyonio, Pæane in Sanitatem, præclare nuncupatur Χάρις τᾶς εὐδαιμονος Ἀνθρώποις βασιληΐδος ἀρχᾶς. D. Gregorius Theol. allegoria venustissima θρόνους τε κ'ἀρχὰς vocat καιροῦ φρύαγμα πῖπτον. *Fastum cito cadentem.* Idem.

94 *Vestinus*] Cui amicus fuit extrema etiam fortuna: et nunc illius nomen mortui recolit. Vestinus interfectus est jussu Neronis in consulatu. Odium in eum conceperat princeps ob nimiam sodalitatem: nam Vestinus ejus ignaviam devinciebat: ille metuebat amici ferociam. Misit igitur Generatum tribunum cum cohorte ut eum necaret: nam tunc epulabatur cum juventute delecta pari ætate. Primo adventu tribuni statim venæ abscissæ sunt medico accito: vivens adhuc balneo mersatus, nulla edita voce qua se miseraretur. *Par magnis aquis*] Id est, qui quamvis mergeretur, moriturus non cessit, nec victus est, ut ullam vocem emiserit indignam viro. Vindex, ut innuit Papinius, inter eos juvenes erat, qui tunc cum Vestino epulabantur. *Domit.*

100 *Iliacas Geticasque domos*] Cædem Laomedontis Trojæ, et Diomedis Thraciæ regis intelligit. *Bernart.*

101 *Quantumque jugis Erimanthon*] Cum aprum occidit. *Idem.*

102 *Pecoris possessor Iberi*] Respicit fabulam Gerionis. *Idem.*

105 *Libyæ Scythiæve puellas*] Diodorus contendit Amazonas non solum fuisse in Scythia ad Thermodoontem: sed multo ante etiam in Libya: eas autem vicit Hercules. Notissima historia. Per *puellas Libyæ* Hesperidas intelligit. *Domit.*

107 *Sævi vox horrida Sullæ*] Quid horridius proscriptionibus Sullanis? Hic de sævitie intolerantissime gloriatus est, etiam inscriptione sepulchri, in campo Martio, quam ipse, ut fama erat, delineatam reliquit, cujus summa fuit, autore Plutarcho: Ὡς οὔτε τῶν φίλων τις αὐτὸν εὖ ποιῶν, οὔτε τῶν ἐχθρῶν κακῶς ὑπερεβάλετο. *Morell.*

107 *Lysippe*] Quod Lysippus hoc signum fecerit, testatur etiam Martialis. Plinius sane tradit Lysippi opera fuisse sexcenta et decem: quæ singula ejus artem nobilitare possent. *Domit.*

CARM. VII. 1 *Jamdiu lato satiata campo*] Unde istud tam ἄκυρον, imo tam inficetum et putidum, in tam terso et polito scriptore? Cui, non fungo, placeat iste nævus in tam formoso corpore? Unde *Erato* in istum locum *jamdiu satiata* venit? Quæ aures, non ἄμουσοι, hoc admittant? ut Musa a jucundo et mellifluo cantu nomen nacta dicatur *satiata campo:* quasi nauseans in amœno et canoro Camœnarum horto. Apagesis ineptias et offucias verborum. Hic sublato auxilio codicum meliorum, Erato, ni fallor, ipsa mihi, vel 'Cynthius aurem Vulsit et admonuit' Statium alumnum suum, non *satiatam,* sed *spatiatam* cecinisse: ut cunctandum non sit profiteri germanam Lectionem, et γνήσιον versum esse, *Jamdiu lato spatiata campo.* Quomodo Flaccus dixit: 'Lætus ut in circo spatiere.' Ita Prætoriana tessera (P.) interdicta 'undevi' in suum domicilium restituta Statianæ Musæ spatianti facem præferet. Porro 'Campus latus' dicitur, ut a Pindaro ἐξαίρετος χαρίτων κᾶπος. *Campo lato* et Circo mox opponuntur *minores gyri.* Nec sensu dissimili Cicero: 'Homines effræna-

tos secundis rebus tanquam in gyrum rationis et doctrinæ duci.' *Morell.*

2 *Fortis herois*] Id est Achillis. Heroës suum sæculum habuerunt: ut Hesiodus scribit: quorum alii ad Thebas perierunt, alii in Fortunatis insulis, quas alii Elysios dixerunt, perpetuum ævum agunt, semideique omnes dicuntur. Hesiodus. *Domit.*

5 *Regnator lyricæ cohortis*] Pindarus, Scopelimi filius, Thebanus: cujus laribus et familiæ parci jussit Alexander: morte quoque nobilis. Nam in gremio pueri dilecti in gymnasio mortuus inventus est. Novem lyricorum, ut ait Fabius, facile princeps. Novem autem Lyrici hi sunt. Alceus Mytileneus, qui Æolice scripsit. Sappho Cledis et Eurygili filia. Stesichorus Euphemi filius, in cujus infantis ore cecinit philomela, qui bella scripsit et duces magnanimos Dorice. Anacreon Teius Parthemi filius, qui Bathyllum puerum dilexit, et acino uvæ passæ strangulatus est. Bycus Reginus vel Messinus, ut alli scribunt, qui Dorice scripsit. Bacchylides Ceus Milonis filius. Alcman Dimantis filius Spartanus, qui Dorice scripsit, et pediculari periit morbo. Simonides ex Iulide oppido Ceæ insulæ Cycladum, tenuis, et ad lacrymas movendas maxime idoneus: nonus Pindarus horum omnium princeps: idcirco ait Papin. 'Regnator lyricæ cohortis.' *Idem.*

14 *Dalmatæ montes*] Aurifodinis Dalmaticis præfectum intellige supra lib. III. Carm. 3. vs. 90. *Barth.*

17 *Ecce me natum propiore terra*] Adeo prope abest Neapolis Cum. a Baiis, ut Cocceius, sub Agrippa, *cuniculum*, διώρυγα, duxerit a Neapoli et Puteolis supra Baias tendentem authore Strabone. A Baiis quinque tantum stadiis distare Puteolos asserit Josephus. *Morell.*

19 *Liricenve notus Hectoris armis*] Misenum promontorium Cumis vicinum denotat, quod 'tenet æternum per secula nomen:' a Miseno Æolide, 'quo non præstantior alter Ære ciere viros, Martemque accendere cantu.' *Idem.*

33 *Orbitas omni, &c.*] Ob pœnas orbis et cælibibus irrogatas, de quibus fuse Lips. in Tacitum. At Crotoniatis id genus hominum honestissimum habitum fuisse notat Petronius in Sat. Ea de re queritur et Seneca aliquoties, et Marcellin. lib. XIV. *Cruceus.*

37 *Orbitas nullo tumulata fletu*] Siquidem ex mimo Publ. 'Heredis (externi præsertim) fletus sub persona risus est.' Hoc abhorruisse Solonem Athen. ipsius ἐλεγίδιον clamat: Οὔτι μοι ἄκλαυστος θάνατος πέλει, ἀλλὰ φίλοισι Καλλείποιμι θανὼν ἄλγεα καὶ στοναχάς. Tullio interprete: *Mors mea ne careat lacrumis, linquamus amicis Mœrorem, ut faxint funera cum gemitu.* Morell.

38 *Stat domo capta cupidus superstes*] Captatoris orborum ἦθος. Hoc vero, ut canunt Catullianæ virgines: 'Quid faciunt hostes capta crudelius urbe?' *Idem.*

40 *Ignem*] Avide invehitur in captatores orborum: quorum multitudine temporibus suis offendebatur. *Ignem*] Computat etiam impensam pyræ tanquam id ipse solvat: lege autem duodecim tabularum ligna ad rogum indolata esse oportebat; quod a Solonis legibus manavit ad coërcendam funerum impensam. *Domit.*

46 *Quod ad Eoum tuleris Orontem*] Orontes fluvius in Cælosyria oritur, tum hiatu qui inter Apamæum et Antiochiam vocatur χάρυβδις ἢ χάσμα absorptus et demersus, post 40. stadia rursus emergit. Strab. lib. VII. et XIV. Prius Typhon dicebatur a fabuloso Typhone gigante fulmine icto. Deinde ab Oronte, qui in eo pontem fecit, nomen accepit. *Morell.*

48 *Castore dextro*] Castor enim equitandi peritissimus, ut notum est

ex poëtis. *Cruceus.* *Dextro*] Id est, favente. Vide Ad. Turnebi Advers. lib. XXIX. cap. 35.

51 *Dederit sub imo*] Scribe: *sub uno Vivere cælo.* quod et olim P. Scriverio videbatur. Vagis et errare suetis populis hæc lex amara. Liv. lib. XXXVIII. 'Manlius evocatis eo regulis Gallorum leges, quibus pacem cum Eumene servarent, dixit, denuntiavitque, ut morem vagandi cum armis finirent agrorumque suorum terminis se continerent.' *Gronov.*

54 *Mundi senium*] Innuit hunc Maximum Chronica scripsisse. Per *senium* enim *mundi* historia universa, omne ævum explicatur, stilo ex brevitate Sallustiana et ubertate Liviana mixto.

55 *Timavi reddis alumnum*] T. Livium Patavinum. Timavus fons et fluvius in Istria inter Aquileiam et Tergistum. Servius in hæc Virg. Æn. I. 'Fontem superare Timavi Unde per ora novem,' &c. Claudianus, in VI. Consul. Honorii: 'tardusque meatu Mincius, inque novem consurgens ora Timavus.' Strabo Polybio fert acceptum, quod Servius ex Varrone refert: 'hunc fluvium Mare ab incolis nominari:' imo fontem et matrem maris vocari dixerat Polyb. *τοὺς ἐπιχωρίους πηγὴν καὶ μητέρα θαλάττης ὀνομάζειν τὸν τόπον.* *Morell.*

CARM. VIII. 1 *Pande fores, &c.*] Acumen Bulengeri de Imp. Rom. lib. III. c. de nato Imperatoris filio, hos versus citantis. Sed et Persium ibidem pari judicio laudat Satyra V. ubi ne verbum quidem in hanc sententiam reperies: imo neque in Sat. ejusdem secunda. Nam ibi de privatorum natali Persius, ut hic Statius loquitur. *Cruceus.* *Sabæis nubibus*] Μετωνυμικῶς, thureis vaporibus. Est enim *νέφος*, *nubes*, species *ἀναθυμιάσεως νοτερᾶς καὶ ἀτμώδους*, *exhalationis humidæ et egelidæ*, quam effluentis vaporis natura ad se trahit, ut Aristot. Theophrastumve Apuleius explicat. *Morell.*

5 *Et insani solatur damna Vesevi*] Vesevi montis Campaniæ prodigiosum incendium sub Tito respicit. Plinius Junior Epist. ad Tacitum accurate hoc describit. Adi et Dionem in Tito, Suet. cap. 8. et Tacitum Annal. IV. Allusit, uti solet, docte Tertullianus de pœnitentia: 'Quid illum thesaurum ignis æterni æstimamus cum fumariola quædam ejus tales flammarum ictus suscitent, ut proximæ urbes aut jam nullæ extent, aut idem sibi de die sperantes. Dissiliunt superbissimi montes, ignis intrinsecus fœta. Quis hæc supplicia montium non judicii minantis exemplaria deputabit? quis scintillas tales non magni alicujus et inæstimabilis foci missilia quædam et exercitoria jacula consentiet.' *Bernart.*

8 *Madenti Deo*] Neptuno. *Surrentinas oras* et *villas* deductis aliisque aquis irriguas et nobiles supra non semel testatus est. *Barth.*

21 *Tergeminæ prolis*] Julius Menecrates a Domitiano impetraverat jus trium liberorum, cum nullum adhuc haberet. Id autem institutum est in honorem Horatiorum, ut scribit Dionysius. *Domit.* Jus hoc admodum celebre fuit, et nonnisi parce ac cum delectu a principibus datum, ut testatur Plin. lib. X. Epistol. ad Trajan. Et dabatur iis, qui parum felices in prole fuissent. Vide Dionys. in suis Antiquit. Appian. Bell. Civil. lib. II. Vertranium Comment. de hoc jure p. 12. et 341. Raderi Comment. ad Mart. et alios.

26 *Robore: sed inveni lætam*] Unius literulæ et interpunctionis vitium densam sententiæ facit noctem: illustro, *Robore, se juveni lætam dat virgo parenti.* Sensus, gratiorem fuisse filiæ nativitatem post duas masculas proles. *Bernart.*

28 *Digna palæstris*] *Maternis*, quia legibus Spartanis etiam nudabantur in palæstris virgines, et nudis juvenibus colluctabantur. Vide Crag. lib.

III. de Repnbl. Lacedæm. Passerat. ad Propert. lib. III. Eleg. 14. *Barth.*

35 *Cumque tibi vagitet*] Quidni sequimur potius Lutetianam editionem vetustam, quæ τὸ *vagiret* rectius exprimit, et κακέμφατον complosionis syllab. ac ταυκισμὸν tollit. *Morell.*

36 *Protinus ingenti non venit, &c.*] Μεγαληγόρως ludit ad laureatas Epistolas, quas Imperatores post victoriam ad Senatum mittebant. Theognideum, Τῆς εὐεργεσίης ῥηδίη ἀγγελίη. *Actorum pulchre nuncius est facilis.* Idem.

44 *Quem non hoc agmine vincas*] 'Agmen' de tribus, non tam hyperbolica, quam Pythagorea phrasis. Ejus assertor est Aristoteles: Τὰ τρία πάντα, καὶ τὸ τρὶς πάντῃ. καθάπερ γάρ φασι καὶ οἱ Πυθαγόρειοι· Τὸ πᾶν καὶ τὰ πάντα τοῖς τρισὶν ὥρισται, κ. τ. λ. Hac basi nititur 'Jus tergeminæ lætabile prolis.' *Idem.*

46 *Abantia classis*] Id est Euboica. Carystus ante Chalcodetis dicebatur, vel Macris, ut Dionysius putat, et Euphorus tradit. Aristides Macram ait. Chalcidemus Chalcidem a χαλκὸς, quod significat *æs*, quod ibi primum aiunt repertum. Menechmus eandem Abantiam ait appellatam. Homerus nunquam Euboicos, semper Abantes appellat: eorumque laudat robur: ut illud: 'pariter comitantur Abantes.' Aristoteles ex Aba oppido Phocidis Thraces venisse scribit, qui Eubœam tenuerunt. Alii ab Abante heroë appellatam putant: ut etiam Eubœam ab Eubœa muliere indolis heroicæ. *Domit.*

49 *Eumelis*] Id est Parthenope Eumeli filia: nam Parthenope, ut poëta sentit, Eumeli filia Coloniæ Chalcidensis dux, solum Neapolitanum elegit, secuta augurium columbæ, in cujus rei monumentum Apollinis statua effecta est, columba in lævo humero incidente: ita ut eam respiceret Parthenope, et adorare videretur. *Idem.*

51 *Votivam taciti quassamus*] Præter rem sunt quæ de votis tacite conceptis hic adnotavit Bernartius. Nam Cereris Sacerdotes 'tacitos' appellat, quia ejus sacra religiosissimo silentio colebantur. Cicero in Verrem Act. v. 'Tuque Ceres et Libera, quarum sacra, sicut opiniones hominum ac religiones ferunt, longe maximis atque occultissimis ceremoniis continentur.' Et notissimum proverbium est, Ἀττικοὶ ἐλευσίνια, de iis qui arcana sua silentio tegunt. *Gevart.*

54 *Hos cum plebe sua Patrii*] Hic ecce 'Patrios Penates' vocat, quos paulo ante 'Deos Patrios' appellavit, illo versu: 'Dii Patrii, quos auguriis,' &c. Unde patet graviter errare Had. Junium, qui cap. 14. sui Nomenclator. Dionysium Halycarnass. accuratissimum Scriptorem reprehendit, quod 'Deos Patrios,' et 'Penates,' eosdem esse dixisset. Nam hic Statii locus Dionysii sententiam omnino confirmat. Ut etiam Martianus Capella: 'Post ipsum,' inquit, 'Jovem Dii consentes et Penates, qui et Patrii et Genethlii.' *Idem.*

59 *Quippe et opes*] Ætiologia est. Etenim beati sunt liberi Menecratis, ἀγαθοὶ γὰρ ὄντες εὐδαιμονοῦσι, quandoquidem eorum virtuti fortuna conjuncta est. Quiritatur Theognis quod ævo suo in delectu conjugum, *origo*, prosapia, genus sorderet: *opes*, dos, census præponderarent: in aliis vero rebus 'originem' præferri 'opibus.' *Morell.* *Hanc lampade prima, &c.*] Intricatus locus, et cui opem ferre frustra hactenus conati maximi viri. Casaubonus ad Sueton. August. cap. 38. ubi hunc locum adducit, ubique *hos* legit: *hos lampade prima Patritias intrare fores: hos pube sub ipsa, &c.* Eruditiss. vero Livineius utrobique *hac* legit: *hac lampade prima*, et *hac pube sub ipsa.* Alii aliter varie distinguunt et legunt. Sed nemo illorum intellexit, quid illud *lampade pri-*

ma hic sibi velit. Nam quod per hoc 'virilem togam' quidam intelligunt, ineptum est. Quid hæremus? Unius tantum litterulæ et interpunctionis vitium densam sententiæ fecit noctem. Pro *hac*, lege *hanc*, et pro *hoc*, lege *hos: Quippe et opes et origo sinunt, hanc lampade prima Patritias intrare fores: hos pube sub ipsa, &c.* Hac exigua mutatione quanta facta est sententiæ lux! Res ita habet: Menecrati tres liberi erant. Una filiola erat jam recens nata, ob quam Menecrati modo hac Sylva gratulatur, et duo filii. Poëta itaque sub disjunctione et filiolam hanc et ambos filios tangit, et dicit nobilitatem et opes permittere *hanc*, id est *filiolam*, primis nuptiis Patritio juveni nubere: *hos* vero, id est 'duos filios,' latum clavum posse induere, et curiæ interesse. Porro per 'lampadem' nuptias intelligendas probat ipse Statius, qui Epithal. Stellæ: 'quatiuntque novena Lampade, solemnem thalamis coëuntibus ignem.' Et Valer. Flaccus Argonaut. lib. VIII. Faces enim in nuptiis fuisse adhibitas, et decennes pueri norunt. Addidit etiam signate, *lampade prima;* nam secundæ nuptiæ infames erant apud Roman. teste Plutarcho Quæst. Rom. Dixit etiam eleganter: *Patritias intrare fores:* nam ex prisco ritu, nova nupta vesperi ad Sponsi domum deducebatur. Vide eundem Plutarchum Quæst. Rom. 29. Postremo dixit: *limen pulsare senatus.* Sic etiam v. Sylv. Protrept. Crispin. 'Et Latii penetrale senatus Advena pulsasti.' *Gevart.*

CARM. IX. 2 *Misisti mihi Grippe*] Quis iste Grippus? Nihili illud nomen. Dubium mihi non est, quin *Griphe* hic legendum sit, quemadmodum fax Historiæ Batavæ P. Scriverius censuit. Exstat mentio hujus Griphi apud Tacitum Hist. III. 'Plotium Gryphum nuper a Vespasiano in senatorium ordinem additum.' Hinc corrige Statium in Epistola 4. Sylv. præmissa Plocio ubi sic ait: 'Plocio Gryppo majoris gradus juveni dignius opusculum reddam.' Nisi forte quis Tacitum ex Statio emendandum existimet, de quo idem Scriverius nos monuit. *Gevart.*

6 *Non ludis*] Laudatur ab Isocrate, τὸ μηδὲ περὶ τὰ (γρ. παρὰ τὰ) γελοῖα σπουδάζειν, μηδὲ περὶ τὰ σπουδαῖα τοῖς γελοίοις χαίρειν· *neque in ludicris serio agere, neque in seriis ludere:* quod præposterum est. *Morell.*

13 *Byzantiacos lacertos*] Lacertus genus piscis laudatus ex Betica, saxetanus et etiam parianus. Byzantii autem erat captura thynnorum, unde etiam cordylæ. *Colunt*] Regunt. *Domit.*

17 *Sequenti*] Non consuluerunt indolem Statii docti viri, *frequenti* pro *sequenti* scribentes. Joculare autem commentum ejus, qui *sequenti* probat, ut intelligatur Plotius in sequentem annum præfectus annonæ designatus. 'Sequens annona' est facilis, obsequens, obediens procuranti Plotio. Ovid. Epist. Phædræ: 'Qua licet, et sequitur, pudor est miscendus amori.' *Gronov. Diatr. c.* 45.

18 *Annonæ dedit*] Præfectura annonæ, quam hic tangit, olim inter summas dignitates: origo ejus anno urbis 732. M. Marcello et L. Arruntio Consulibus, primusque eam gessit ipse Augustus, ut videre est apud Dionem lib. LIV. tenuit, dum vixit. Successit C. Turranius, cujus meminit Tacitus Annal. I. et refert inter Primores magistratus, qui in verba Tiberii jurarunt. Postea eviluit ut didici e gemmeo libello Severini Boëthii de Consolatione Philosophiæ lib. II. Prosa 4. *Bernart.*

20 *Sed Bruti senis oscitationes*] Suspicetur quis Poëtam de Bruto Ciceronis familiari agere; nam ejus scripta ut vulgaria nimis et fastidiosa olim contempta sunt. Illud colligere est ex Taciti (seu Quintiliani ma-

vis) Dialogo de Oratore: 'Legisti utique,' inquit, 'et Calvi et Bruti ad Ciceronem missas Epistolas, ex quibus facile est deprehendere Calvum quidem visum Ciceroni exanguem et attritum, Brutum autem otiosum atque disjunctum.' Quo loco Lipsius pro 'otiosum,' male 'odiosum' substituendum putat. Nam 'otiosum' ipsum vocat, ut Statius illum 'oscitantem' taxat. Sic Quintilian. lib. I. cap. 1. 'Otiosas sententias' vocat vulgares et tædiosas. Idem lib. VIII. cap. 2. 'At ego otiosum sermonem dixerim, quem auditor suo ingenio non intelligit.' 'Oscitatio' autem otii vel somnolentiæ signum est. *Gevart.*

21 *Libellionis*] Libellio bibliopola miser et pauper. *Domit.*

22 *Caiano*] 'Caianum assem' vilissimum dicit, ab avaro et desperato pene Principe utique etiam assibus demto pondere, ut viliores essent cæteris, cum perdita sua prodigalitate tantam pecuniam Caligula pessum dedisset. *Barth.*

24 *Pilea*] Nam pilea mittebantur in Saturnalibus facta aliquando ex lacernis attritis. Mart. mittens pileum: 'Si possem totas cuperem misisse lacernas; Nunc tantum capiti munera mitto tuo.' Id est solum pileum partem lacernæ. *Domit.*

26 *Chartæ Thebaicæ*] Nam chartæ mittebantur in Saturnalibus, ut est apud Martialem. *Thebaicæ.* a Thebis Ægypti. sunt qui chartam ficum putent. *Caricæ*] Carica genus fici, ut est coctana; auctor Plinius. Prunorum et coctanorum peculiaria hæc sunt Syriæ. *Idem.*

32 *Cyniphiis campis*] Nam sunt testudines terrestres in operibus chersinæ appellatæ, a χέρσος, quod *terram* significat. In Africæ desertis, quæ maxime arenis sitientibus squalet, rosido, ut creditur, humore viventes: nec aliud ibi provenit animal. *Idem.*

34 *Debilisve perna*] Sic dicta a pede suis, ut refert Varro de Lingua Latina lib. v. Plautus Carbonaria, citante Festo dictione Spetile. 'Ego pernam, sumen, sueres, spetile, callum, glandia.' *Bernart.*

35 *Lucanica*] Carnes sunt minutim tritæ, et cum pipere subactæ: Isicia etiam dictæ, ut docet nos Athenæus lib. IX. At Isidorus lib. XX. cap. 2. de Escis. 'Lucanicæ dictæ,' inquit, 'quod prius in Lucania factæ sunt.' *Idem.* *Graves falisci*] Venter faliscus, farciminis genus inventum primum in Faliscis, ut ait Varro. *Graves* appellat Papinius, quod cum ventres sint, et facti gravidi videantur. *Domit.*

36 *Oxyporum*] Condimenti genus quod oxygarum appellat etiam Columella. Apitius cimini unciis duabus, gingiberis uncia una, rutæ viridis uncia una, aliis præterea rebus conficit. *Idem.*

37 *Panes*] *Aphronitri*, id est, spuma nitri, ἀφρὸς enim *spuma* est, et nitrum spumam emittit cum ros cecidit, ut docet Domitius. Sed confer Is. Casaubon. ad Sueton. Neron. cap. 20.

38 *Psythiis suis*] 'Psithias' vites inter Græculas recenset Columella lib. III. cap. 2. Scribendum v. *Psithiis*, non *Psythiis*. *Recoctum* dicit, quia exiguitate acinorum et raritate uvarum, de quibus Columella, coqui et condiri opus habuerit. 'Passas' tales uvas in vino suo Psithio recoqui solitas dicit. *Passum*, vinum intelligit, uvis suis denuo ingestis decoctum. Id quomodo fiat, docet Palladius in Octobri, cap. 19. *Barth.*

42 *Uvas ollares*] In ollis servatas, quod fieri docet Columella. *Domit.*

43 *In orbe Cumano*] In rota figulina. Cumana, nam patinæ Cumanæ fictiles præstabant, quod et Plin. scribit et in Mart. diximus. *Idem.*

44 *Synthesin*] Synthesis et vas fictile significat, et vestem saturnalitiam, de qua ad Martial. diximus: et Tranquillus synthesinatum Neronem

inde formavit. Ambiguitate igitur verbi ludit Papinius; nam cum synthesim petiisset, quasi ille offensus esset magnitudine muneris, vestem intelligens, interposuit. *Quid horres?* quasi dicat, vestem non peto synthesin, sed vas fictile, calicem aut cacabum. *Idem.*

48 *Quid si cum bene, &c.*] P. Scriver. corrigebat, *illotam.* Sed primo 'ferre,' 'portare' propria verba salutationis. Martial. 'Et matutinum portat ineptus ave.' Dein *illatam* dixit pro in domum Plotii Griphi latam. Ut 'illato lumine' Ovidius. Sequitur enim *Et tu me vicibus domi salutes.* Quanquam et 'inferre' interdum ponitur pro afferre, vel in medium ferre. Ut 'inferre causam' Cæsar de Bell. Gall. lib. I. *Gronov. Diatr. cap.* 45.

51 *Juveris*] Fatetur ingenue pauperiem, simulque occulte, quod multum juvetur lauto Plotii convictu. Erant autem nonnulli tam superbi, ut beatos se facere cœnipetas hoc genus putarent, si eos aliquando exciperent. *Barth.*



